13 · 9bre 1779.



JOHANNIS BROEN, Med. Doct.
Et in ACAD. LUGD. BAT. Prælectoris Publici

ANIMADVERSIONES

MEDICÆ,
THEORETICO-PRACTICÆ
IN
HENRICI REGII
PRAXIN MEDICAM,
QUIBUS

EDITIO PRIOR,

OBSERVATIONUM,
Magni Viri

D. THEODORI CRAANEN,
Olim Phil. & Med. Doct. ejusdemque Facultatis utriusque & Matheseos in ACAD. TEUTOPOL. NEOMAG. & LUGD. BATAV. Professoris, SEREN. ELECT. BRANDEBURG. Consiliarii Aulici & Archiatri, ut & ACAD. TEUTOPOLIT. Curatoris, &c. emendatur, & repurgatur.

PARS I.
Accessit Tractatus ejusdem D. THEODORI CRAANEN
DE FACULTATIBUS MEDICAMENTORUM.



NEAPOLI, Ex Typographia Felicis Mosca MDCCXXI.
Superiorum facultate.

EXPENSIS BERNARDINI GESSARI.

FRANCISCUS BACO.

Nov. Organ. Aph. LVI.

Reperiuntur ingenia, alia in admirationem Antiquitatis, alia in amorem & amplexum novitatis effusa; pauca verò ejus temperamenti sunt, ut modum tenere possint; quin, aut, quæ rectè posita sunt ab Antiquis, convellant, aut ea contemnant, quæ rectè afferuntur à Novis. Hoc vero, magnô Scientiarum & Philosophiæ detrimento fit: quum studia potiùs sunt Antiquitatis & Novitatis, quam judicia: Veritas autem, non à felicitate temporis alicujus, quæ res varia est, sed à lumine naturæ & Experientiæ, quod æternum est, petenda est.

Reimprimatur. Neap. 26. Junii 1721.

ONUPHRIUS EPISC. CASTELLAN. VIC. GEN.

D. P. M. Giptius Can. Dep.

Reimprimatur, verum in publicatione servetur Regia Pragmatica. Neap. die 2. mensis Martii 1720.

ARGENTO REG. ET PRÆS.

Pescarinus.

D. D.
JANUARIO,
ET
NICOLAO
TUTELARIBUS.



Ræclara ſatis, Cælites magni, ſatiſque admiranda fuit veſtra utriuſque virtus in arena; Utrique enim præſtantiſſimum Victoris nomen vel adhuc viventes adepti eſtis, alter nimirum in amphitheatro Lybicas feras vincendo, alter verò in Nicæna ſynodo Arrianæ hæreſis monſtra profligando. Utrique pariter poſt obitum triumphales glorias perenni prodigio ad Poſteros tranſmiſiſtis, alter ſanguinis, qui patriæ amore, ac præſidio jugiter colliqueſcit; nectaris alter, quod mirum ſanè libamen-

tum inexhaustâ piis ubertate promanat. Idcirco non, ut vestras hic recenserem laudes, perstrinxi calamum, (iis enim recolendis tanto latior mihi patere deberet area, quantus est Orbis) sed ut vobis, quos faustissimos semper sum expertus, aliquod pro innumerabilibus in me beneficiis votum persolverem. Humanum tamen morem tenui, parva pro magnis rependens. At vos, Cælicolæ Proceres, per exiguum munusculum alacri manu oblatum eò minus respuitis, quò puriori obsequio, ac humiliori animo, quod debebam, præsto. Interea vos oro, atque obtestor, ut quemadmodum ceteris, ita hisce meis typographicis impensis opem Cælitus feratis, qua fretus id opus recudendum solerter curavi. Adeste igitur, adeste, & favete, ut vestigiis quoque vestris insistens, beatam, sempiternamque vitam aliquando consequar, ad quam tantopere aspiro.

Addictissimus famulus
Bernardinus Gessari.

BENIVOLO LECTORI
S. D.
JOHANNES BROEN.



Rodiit, adhinc quinquennium, Liber, ſub titulo Obſervationum D. THEODORI CRAANEN, &c. IN HENRICI REGII PRAXIN MEDICAM, erroribus & vitiis, à capite ad calcem, refertiſſimus, quem adeoque Magnus ille p. m. Vir, & conſummatæ doctrinæ Princeps, nunquam ut ſuum agnovit, nec agnoſcere potuiſſet, ſi ipſi, Divinâ gratiâ, longioris vitæ uſurâ frui licuiſſet. Hujus autem Diſcipulum, cùm me olim fuiſſe, & lubens & gratus agnoſcam, opus illud, precibus Bibliopolarum permotus, recolligere cœpi & ita emendare, ut vix centeſimam editionis prioris ſervaverim animadverſionum partem. Non ergò putes, mî Lector, Librum hunc, eſſe Viri illius celeberrimi, operis apographum, ſed credas meum eſſe ad mentem ejus, quantum poſſibile, accomodatum. Quod expreſsè hic in frontiſpicio libri monere volui, ne forte errores noſtri, Viri illius incomparabilis nomini immeritò imputentur. Quoad cætera, mî Lector, benevolum tuum precamur judicium, difficillimum enim eſt (ut verè loquitur *Des-Cartes*) de alienis ſcriptis judicare, & utilia ex iis deſumere, relictis inutilibus: veritates in libris hic atque illic ſparſæ, ſæpè tàm inconnexæ ſunt, & ab invicem independentes, ut plus ingenii & induſtriæ requiri putarem, ad illas in corpus unum, concinnâ proportione & ordine, juxta conſilium Authoris, componendas, quàm ad tale corpus, propria arte fabricandum. Vale & fave.



IN-

INDEX CAPITUM, ET MEDICATIONUM

LIBER PRIMUS.

De medendis capitis morbis.

LIBER SECUNDUS.

De medendis morbis pectoris.

LIBER TERTIUS.

De medendis morbis abdominis.

XXVII. Me-

LIBER QUARTUS.

De medendis morbis habitus corporis, & partium externarum.

PRA-

(1) PRAXEOS MEDICÆ

LIBER PRIMUS.

De Medendis Morbis (2) Capitis.

I.

MEDICATIO FOEMINÆ, (3) CEPHALALGIA, *Ex causâ calidâ,* Laborantis.



FOemina *a* quadraginta *b* annos nata, *c* ſanguinea, *d* calidiore diætâ diu uſa, incidit in ingentem *e* dolorem *f* punctorium *g* verticis & *h* occipitis, *i* ad cervicem uſque deſinentem, qui non externo contactu, ſed *k* capitis motu exacerbatur, atque ideo immota in lecto jacet. Punctiones, quas in capite ſentit, *l* ſubinde remittuntur, ſubinde ita ingraveſcunt, *m* ut ægra animo linquatur. Adeſt *n* citra ſitim, *o* magnus totius corporis calor, *p* pulſus celer, urina rubicunda. Interdum poſt ſomnum *q* quædam præter rationem loquitur.

(1) PRAXEOS.) *Quamquam hujus reſpectu, Veteres* MEDICINAM, *ut* Artem valetudini corporis humani medendi: *vel,* præſentem ſanitatem, quantum poſſibile, ſervandi & amiſſam reſtituendi, *definire ſolebant; attamen haud levis, jam nunc plurimos urget ratio, ut* Cognitionis, *ſive* Scientiæ titulo *eam inſigniant; Nempe cùm ſine* cognitione operis, *juxta regulas certas abſolvendi, nulla ſubſiſtat* Ars, *ſive* Facultas naturalis eleganter & ordinatè operandi, *nec unquàm* ſcientiam (ἕξιν ἀποδεικτικὴν ἐξ ἀναγκαίων, Ariſtoteli *dictam, ſive* habitum demonſtrandi ex principiis neceſſariis). *præcedat actio aliqua* artificialis, *niſi planè bruta, fortuita, adeoque hîc excludenda, denominationem* à potiori *facere æquum eſt, præprimis cùm intelligentem & volentem, ſive* ſcientem Mentem, *nobiliſſimam hominis partem, atque divinæ auræ particulam eſſe, ratum velimus, & inconcuſſum. Nè tamen vermiculatis, putidiſq;* dialecticorum *de* onomatologia *quæſtionibus, præfracta fronte videamur inhærere, liberaliter & ingenuè* (ut oportet) *cum Fratribus agemus,* utramque definitionem *facilè toleraturi, ſecundùm inductionem* trium primorum Aphoriſmorum Baconis, de interpretatione naturę

 &re-

& regno hominis, *quorum hîc textum, ut elegantem annectemus:* Homo naturæ minister, & interpres, tantum facit & intelligit, quantum de Naturæ Ordine, re, vel mente observaverit, nec amplius scit aut potest. Nec manus nuda, nec intellectus sibi permissus, multum potest; instrumentis & auxiliis res perficitur, quibus opus est non minus ad intellectum, quàm ad manum, atque ut instrumenta manus motum aut cient, aut regunt, ita & instrumenta mentis, intellectui aut suggerunt, aut cavent. Scientia & potentia humana in IDEM coincidunt, quia ignoratio causæ, destituit effectum: Natura enim non nisi parendo vincitur, & quod in contemplatione instar causæ est, id in operatione est instar regulæ.

Sed è diverticulo in viam, id est, ad Auctoris nostri propositum: sequutus est ille (& quidem rectè) admonitionem magni Galeni 9. meth med. cap. 4. *ubi dicit:* μάλιστα μὲν χρὴ γυμνάζεσθαι, τοὺς μανθάνοντας, ὅτι οὐκ ἐπὶ Παραδειγμάτων, οὐ γὰρ ἀρκοῦσιν αἱ καθόλου μέθοδοι πρὸς τὴν ἀκριβῆ γνῶσιν: *i. e.* Maximè expedit discentes exercere in exemplis; non enim sufficiunt ad exactam cognitionem universales methodi. *Optandum esset, ut consimili accuratione, singularum affectionum descriptiones, differentias specificas, causas tàm continentes, quàm antecedentes & procatarcticas, prognoses & curandi diversos modos absolvisset: Nos quidem hic multa in* notis *supplebimus, sed, volente Deo, plurima ad ingenii nostri modulum, alibi; lugemus enim cum* Bacone, *intermissionem diligentiæ* Hippocratis, *utilis admodùm & accuratæ, cui moris erat*, narrativam *componere* casuum *circa ægrotos* specialium, *referendo qualis fuisset morbi natura, qualis medicatio, qualis eventus. Atque hujus rei nactis nobis jam exemplum, tàm proprium atque insigne, in eo scilicet Viro, qui tanquam parens artis habitus est, minimè opus erit, exemplum aliquod forinsecum ab alienis artibus petere, veluti à prudentia Jurisconsultorum, quibus nihil antiquius, quàm illustriores casus & novas decisiones, scriptis mandare, quò meliùs se ad futuros casus muniant & instruant. Istam proindè continuationem* Medicinalium Narrationum *desiderari videmus, præsertim in unum corpus*, cum diligentia & judicio *digestam; quam tamen non intelligimus ita fieri debere amplam, ut planè vulgata, & quæ quotidiè obveniant (id enim infinitum quiddam esset, neque ad rem) neque rursùs tàm angustam, ut solummodò mirabilia & stupenda (id quod à nonnullis factum) complectatur: multa enim in modo rei & circumstantiis nova sunt, quæ in genere ipso nova non sunt.*

(2) CAPITIS.) *Confestim hîc Auctor aggreditur doctrinam morborum in partibus stabilibus, antequàm examinarit labem diversam in partibus fluidis; quod ipsi nos tribuimus vitio magno: quoniam stabiles partes omnes patiuntur à fluidis.*

(3) CEPHALALGIA.) *Dolor totius capitis inveteratus*, Græcis *vocatur* κεφαλαία, *dimidiatus verò* Ἡμικρανία: clavus & ovum *sunt nomina superflua.*

a Fœmina.) Hippocrates lib. 1. de morb. mulier. §. 2. *ait:* φημὶ δὲ τὴν γυναῖκα ἀραιοσαρκοτέρην, καὶ ἁπαλωτέρην εἶναι, ἢ τὸν ἄνδρα, *i. e.* dico mulierem rariore carne præditam & teneriorem esse, quàm virum: *causæ nobis esse videntur sequentes, si non veræ, saltem verosimiles*, (1) *quòd vel languidâ spiritus seminis masculini actione, vel crassitie liquoris, ovo materno contenti, extraordinariâ, motus particularum sanguinis humorumque intestinus & progressivus, à primis usque generationis punctis, factus fuerit adeò debilis, ut lineamenta partium stabilium quævis, ritè expandi & protrudi non potuerint, ad masculum generandum, sed manserint iis innexæ copiosæ particulæ flexiles, lubricæ, hamosæ & ramosæ, id est, humidæ viscosæ, quibus* tene-

tenerum & morbosum magis evasit corpus fœmininum: (2) quod gestationis tempore Mater indulserit alimentis crassioribus humidioribus, nec satis membra corporis moverit: (3) quòd non immediatè solùm post partum, verùm etiam ætate magis adultâ, puellæ molliter educentur: lacticiniis, crudis acidisque rebus delectentur, vitam degant sedentariam, corpore oberrent magis denudato, Lunæque imperio duro subjiciantur.

b Quadraginta annos.) *Quantam habeat ætatis ratio in Praxi Medica utilitatem, perfectè divus* Hippocrates *in libris suis, tum maximè in* Aphorismis S. iij. *inculcat, quorum recensioni consultò supersedemus, ut Tyrones incitemus, ad aquas ex ipso fonte saluberrimas potandum: utinam & eas ad satietatem omnes Doctorum titulo superbientes potarent, & deliramentis suis periculosissimis, nè dicam lethalibus, remedium haberent indubitatum!*

c Sanguinea.) *id est, plethorica, sanguine gaudens crasso & acri tardius intra vasa sua fluente, adeoque eorum latera præter modum distendente atque vellicante. Confer* Auctor. medic. theoret. lib. 2. p. m. 189.

d Calidiore diætâ.) *præmissô titulô medicationis hujus generali, de* Cephalalgia ex causa calida, *Auctor nunc speciatim fortuitas sive externas ejus causas commonstrat, verùm proh dolor! idem per idem probando: clarius, nostrô judiciô, res expediri potest, dicendo, calorem omnem ad solum hominem esse relativum, ut perceptionem mentis determinatam, ope corporis productam, dùm fibrillæ membrorum, seorsim singulæ, fluido cinctæ, vehementius solitô concutiuntur à particulis quibusdam valdè mobilibus & nonnihil acribus, quales in igne, oleis & spiritibus salinis, aromatibus, exercitiis majoribus, causticis, inflammationibus &c. adesse, facile reperiet attendens: nullum ergò calorem, nec alias sensibiles qualitates, in corporibus ipsis Philosophum statuere oportet, sed unicè causam certarum in mente perceptionum ex iisdem eruere: confer* Cartes. princ. part. 1. §. 66. 67. 68. 71.

e Dolorem *f* punctorium.) *Non magis in parte affecta hic latet, quàm in corporibus ipsis calor, juxta* §. præced. *est enim ille,* tristis quædam mentis perceptio, concomitans extraordinariam fibrillarum nervosarum in partibus sensitivis vellicationem, expansionem aut pulsationem, à quacunque demùm causa violenta introductam, quâ illæ, vel rumpuntur, vel rumpi periclitantur. *Doloris autem differentia, partim à vellicantis, expandentis, pulsantis, rumpentis & erodentis materiæ diversitate, partim à diversa structura & harmonia sensitivarum partium affectarum, derivanda est; constat enim, unam eandemque (non quidem numeri, sed naturæ ratione) materiam, diversos in determinatis partibus, excitare posse dolores. In specie autem pun*ctorius *dolor, oriri dicitur à sale fixo;* lacinans *& quasi scindens ab acido fixo;* gravativus *ab humore viscoso vel terrestri, sine copia notabili salis vel acidi commixta;* distensivus & vagus, *ab immixtis humori prædicto particulis nonnullis subtilioribus, quæ majus spatium, intra quod liberè moveantur, quærunt quidem, sed non inveniunt; denique* pulsatilis, *ab humore quocunque crassiore, magnas & multas arterias comprimente.*

Porrò dicitur Auctoribus ille dolor idiopathicus, *cujus causa proxima latet in ipsa parte dolorifica:* sympathicus *verò qui ex alia parte quacunque, sive vicinâ, sive remotâ, resultat: rationi clarus est primus, sed obscurior secundus, nos rationem hujus deducimus, partim à nervorum membranarumque, pluribus partibus annexarum vicinia & affinitate, partim ab universali sanguinis humorumque labe, quâ plures simùl afficiuntur partes stabiles, partim denique, à materia quadam canaliculis alicujus stabilis partis angustioribus inhærente, quæ determinata concurrente causâ, posteà turgescens, per vasa,*

vel venosa, vel lymphatica, ad massam sanguineam transfertur, & in ea tantas parit anomalias, ut partes unanimiter variæ afficiantur; sed hæc in sequentibus evadent clariora.

g Verticis & *h* occipitis.) *Ita distinguitur hæc cephalalgia ab* hemicrania, *item à* dolore sincipitis, *qui ordinariè continuatur ad radices oculorum.*

Satis autem absurdè Hofferus in Hercule medico lib. 1. cap. 3. *rationem reddit dictorum sequentium* Cratonis lib. 4. epist. p. 437. Fiunt dolores capitis plerunque per consensum, & in fœminis præsertim ventriculi & uteri: quando per consensum ventriculi, tunc dolet ferè pars anterior; quando uteri consensu, dolet posterior. RATIO, *inquit*, EX ANATOME PETENDA, QUÆ DOCEBIT, VASA SPINÆ DORSI INCUMBENTIA, RECIPERE EXHALATIONES AB UTERO, ET SIC POSTERIOREM PARTEM CAPITIS DOLERE: VENTRICULUM VERÒ RECTA PER STERNUM, ET INTRA PRÆCORDIA, PER JUGULARES VENAS EVAPORARE, UNDE DOLOR CAPITIS ANTERIOR. *Dixi absurdè hæc dici, nam nullam esse talem prædictarum partium communicationem, monstrat ad oculum Anatomia. Nec profectò, ejusmodi in casibus admodùm necessaria est, anxia illa, de hac vel illa parte exigua interna affectâ, inquisitio, quoniam lege circulationis, medicamenta per totum corpus disperguntur, & speciatim eo in loco agunt, ubi resistentiam inveniunt notabilem.*

i Ad cervicem usque.) *Cognitioni* prognoseos *hæc inservire poterunt; utpote quæ mali causam notant magnam, & ad plures partes vicinas diffusam.*

k Capitis motu exacerbatur.) *Dolor hic motu totius corporis, sed speciatim capitis augetur, quia humores acres, inter fibrillas nervosas & membranosas hærentes, altius tubulis insinuantur, ruptionemque laterum minantur majorem; non enim sufficit ille motus obstructioni solvendæ.*

l Subindè remittuntur.) Primò, *quia guttæ omnes sanguinis & humorum, non æqualem habent particularum proportionem & mixtionem, sed earum nonnullæ sunt crassiores, nonnullæ fluidiores;* Secundò, *quia obstructio aliquando solvitur pressione particularum subtiliorum, aliquandò verò regeneratur tarditate particularum crassiorum.*

m Ut ægra animo linquatur.) *Quid animi deliquium significet, dicetur* lib. 2. medic. vj. *Ratio autem, cur intensis doloribus, illud facilè combinetur, sequens est. Vellicatis nempè, tensis, pulsatis, aut aliô modo vehementer vibratis fibrillis nervosis in parte aliqua sensitivâ, spiritus animales intra cerebrum solito vehementius & celerius moventur, similique cum determinatione feruntur, non solùm versùs partem affectam, verum etiam in omnem corporis dimensionem &* musculos cordis, *quorum naturali s. æquali contractione & circulatio sanguinis, & humorum secretio viget; sed quoniam illi spiritus confusè moti, nequeunt satis liberè unà cum lympha per canaliculos musculorum illorum transferri, violentam laterum, sive fibrillarum singularum, causantur contractionem, quam vocare solemus* convulsivam, *aut* spasmodicam, *undè sequitur, quod sanguis modô consuetô, per canales suos ad cerebrum aliasque partes propelli non possit, quò spirituum, humorumque secretio ritè procedat: hâc ergo deficiente, membra flaccescunt, sensus motusque, præsertim arbitrarii, imminuuntur, saltemque non abolentur, & homo in terrâ, quasi mortuus decumbit.*

n Citra sitim.) *Raró equidem sitim abesse contingit, corpore propter inflammationem, ut hoc in casu, aut alia quacunque de causâ, æstuante; præterquàm enim, quòd salia in sanguine & humoribus abundantia, circa linguæ, palati, & faucium nervosas papillas hærendo, tantam excitare debere vellicationem videantur, ut in mente* tristis idea sitis *resultaret, profectò particulæ copiosæ, sive humectantes, ardore ita evanescerent, ut magna oris gigneretur siccitas; qua-*

quapropter vel principium morbi, *verbis hisce indicari, vel Auctorem hunc Historiam sine judicio effinxisse censemus; undè tamen non sequitur, febres nullas sine siti dari posse; quâ de re suo loco dicemus plura.*

o Magnus calor) *Ortum ille trahit à copiosis salinis pariculis in corpore versantibus, iis enim fibrillæ partium stabilium seorsim singulæ extraordinariè concutiuntur: nempe, quoniam non facile rigida illa corpuscula pressione ætheris inflectuntur, majorem ad motum circularem concitantur, & ardoris perceptionem menti suggerunt.*

p Pulsus celer, urina rubicunda.) *Sunt hæc duo signa diagnostica morbi calidi, febrem conjunctam habentis: malè autem (nostro judicio) Auctores, nullam adesse febrim statuunt, nisi pulsus sit extraordinariè frequens, sivè præter naturam celer; licet enim concederetur, quòd ubicunque pulsus est præter naturam frequens, adsit febris, attamen indè non sequitur, in omni febre pulsum esse extraordinariè frequentem. Urinæ rubedo splendescens & quasi ignea, semper est indicium copiosi salis, vel acidi cum sanguine & humoribus commixti; Sic lixivia, quò fortiora, eo magis rubicunda sunt, & plerique spiritus acidi, dùm destillantur, colorem reddunt intra recipiens rutilantem.*

q Quædam præter rationem.) *Observandum est, an delirium sit de natura morbi, an verò ex somnolentia, quam Belgæ vocant* dutton: *hoc in casu leve delirium est de natura affectus, tanquā symptoma; spirituum enim animalium motus, cùm sit extraordinariè vehemens aut celer, propter ardorem & dolorem intensum, vestigia rerum cerebro olim impressa confusè aperiuntur, multæque perceptiones, quasi simul & semel menti occurrunt, quas cùm nequeat in ordinem redigere secundùm regulas arithmeticas, dicitur delirare.*

Jacto hoc *historiæ morbi*, ex diligente ægrotæ hujus examine collectæ, fundamento, medicatio jam porro instituenda per *cognitionem*, tum diagnosticam, tum prognosticam, quâ peractâ, progrediendum erit ad *Curationem*.

Et quantum ad *diagnosin*, quæ in partis affectæ, ipsius morbi, & causæ morbificæ investigatione consistit: afficitur in hac ægra *caput*, *secundum verticem, occiput*, *& cervicem*, quod ex dolore illas partes occupante est manifestum; afficitur etiam a *cerebrum secundum substantiam &* b *spiritus*, *item secundum* c *meninges*, quod ex sermonibus præter rationem interdum prolatis, & ex dolore *d* non externo contactu, sed motu capitis exacerbato, innotescit: item *e cor*, *& totum corpus*, quod ex pulsu celeri, urina rubicunda, & totius corporis calore patet.

a Cerebrum) *Sensus magis exquisitus est membranarum nervorumque ex cerebro provenientium, quàm ipsius substantiæ glandulosæ, præsertim exterioris; dantur enim exempla portionis corticalis evacuatæ sine ullo dolore: quapropter ubi vehemens urget dolor, causam morbificam magis in meningibus latere censemus.*

b Et spiritus.) *Hi cùm ex sanguine acri secernantur, itidem sunt solito acriores & crassiores; per consequens dùm tubulis s. canaliculis glandularum cerebri, membranarum & nervorum insinuantur, extraordinariam causantur fibrillarum concussionem & vellicationem; adeoque inquietudines, molesta insomnia, oscitationes, pādiculationes &c.*

c Meninges.) *Levis inflammatio in hac ægra meninges occupat, quatenus iis inhærent rigida salia, adeoque gradus est ad phrenitidem, cujus explicationem trademus* medicat. 16. *Porrò, gradus est ad coma vigil, de quo agemus* medicat. 18.

d Non externo contactu.) *Ut in contusionibus, fracturis, fissuris & vulneribus capitis.*

e Item

e Item cor.) *Nullus datur morbus, in quo cordis functio naturalis non lædatur, utpote cujus musculosæ substantiæ contractio diversimodè procedit ad varium influxum spirituum, ex sanguine diversimodè constituto secretorum: hoc in casu, cum salia abundent, fiunt vellicationes fibrillarum musculosarum, adeoque irregularis spirituum influxus, propter quem cor citius contrahitur & pulsum reddit præter naturam frequentem.*

Morbus, qui eam affligit, est *a* intemperies capitis, secundum verticem, occiput, & cervicem, *b* calida & acris, sive *c* biliosa; quæ *d* in illis partibus ingentem dolorem punctorium excitans, *dolor capitis ex causis calidis* ortus, vulgo appellari solet.

a Intemperies capitis.) *Intemperies omnes cùm præsupponant particularum sanguinis & humorum præternaturalem ad invicem proportionem, ita ut unius generis particulæ determinatæ, cæteris prævaleant, melius tribuuntur solis partibus fluidis; quàm solidis: verba tamen usu valere concedimus, modò res intelligatur, quoniam rigor dogmatum solummodò oppositionem, & dein altercationes quæstionesque inducit, & quemadmodum corpora naturalia, dùm valent integra, corrumpuntur sæpius & abeunt in vermes, eodem modo, sana ac solida rerum cognitio sæpenumerò putrescit, & solvitur in subtiles, vanas, insalubres & (& si ita loqui licet) vermiculatas quæstiones, quæ motu quodam & vivacitate nonnulla præditæ videntur, sed putidæ sunt, & nullius usus.*

b Calida.) *Vid.* notas sub litera d, *ad verba* calidiore diæta.

c Biliosa.) *Bilem sub ratione bilis in sanguine versari, nullis argumentis aut experimentis solidis hactenùs demonstratum fuit, ut ut nonnulli recentiorũ, viam ipsi ab intestinis versùs vasa meseraica sternere conati sint; sed de his aliô loco: sufficit salinam, imò & nonnunquàm acidam, hac voce intellexisse intemperiem.*

d In illis partibus.) *Fortuitum planè est, obstructionem* illis in partibus *esse productam, & non in alia parte, cùm universalem sanguinis intemperiem adesse dictum sit; ratio autem dari potest, quod ab ipsis generationis primordiis usque, tubuli & canaliculi, proportione habita, angustiores facti sint in una parte quàm in alia; item quod à causa quadam fortuita externa incrassati magis sunt humores in uno loco, quàm alio.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diæta calida, qua hæc ægra fuit usa. Inde enim, *b* adjuvante temperamento ipsius sanguineo, humores calidi & acres, in ipsius corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam; pars vero ejus in caput, circa meninges in vertice & occipite, ac ad cerebrum, item foris ad cervicem usque *c* delata, ac ad cor & in totius corporis habitum distributa, ibique calorem præter naturam concipiens, partesque illas vehementius alterans & vellicans, *continens* hujus morbi, & symptomatum jam commemoratorum, est causa.

a Causa procatarctica.) *Multiplex hæc esse potest, ex sex rebus nonnaturalibus dictis, petenda: ita à suffitu aromatum oriundam cephalalgiam vid.* Hipp. S.v. Aph. 28. *ab æstate sicca & autumno pluvioso & australi* S.iij. Aph. 13. *ab aura septentrionali hemicraniam, vid.* Barth. in act. hafn. vol. iij. obs. 66. *ex nimio usu tabaci* Bonet. anat. pract. lib. 1. s. 1. obs. 11. *ab inunctionibus mercurialibus* Riv. cent. 2. obs. 91. *à calculis*, misc. cur. an. 2. obs. 48. *ex arenulis aurium circa os petrosum &c.* Barthol. in act. hafn. vol. 1. obs. 45. *à vermibus,*

mibus, misc. cur. decur. 1. ann. 2. obs. 147. Tulp. lib. 4. cap. 12. *à suppuratione* Tulp. lib. 1. cap. 32. *symptoma quoque familiare est dolor capitis febricitantibus, menstruantibus, chlorosi & lue venerea infectis &c. ad summam, omnia quæ massam sanguineam incrassant & acrem reddunt, vel crassiores particulas ex gremio ejus versùs partes stabiles præcipitant, ut causæ procatarcticæ considerari debent. Quid autem sit causa procatarctica, antecedens, continens &c. vid.* Auctor. medic. theor. lib. 2. cap. 7.

b Adjuvante temperamento.) *id est, per poros sanguinis humorumque in hac ægra salinarum & acrium, æther sive spiritus mundi subtilissimus perfluit valdè constans, quo poros in chylo accedente, ad magnitudinem & figuram suam liberos accommodat: atque hoc modo agunt fermenta, quæ alias res in sui naturam mutare solent; ratio itidem hinc petenda, cur phtisici, melancholici &c. difficillimè sanentur.*

c Delata.) *Juxta circulationis leges, materia in sanguine peccans, indifferenter ad omnes partes defertur, verùm quando in determinata aliqua parte canales sunt angustiores, ut liberè eam transmittere nequeant, effectus demùm major percipitur ibi, quàm alibi.*

a Humores enim calidi & acres ad meninges circa verticem & occiput, ac ad interiora cervicis subinde delati, vehementiorem iis partibus, *b* quæ acutissimi sunt sensus, intulerunt motum & punctiones, & hinc *punctorium dolorem, subinde remittentem & deinde rursus ingravescentem, ac motu corporis, quo etiam interiora agitantur, non vero externo contactu*, qui tantum exteriora premit, *exacerbationes inferentem*; & interdum etiam *in animi deliquium ægram nostram*, per spiritus animales, in fibras cordis & vasorum ejus constrictorias ex dolore nimis copiose determinatos, *præcipitantem.*

a Humores enim &c.) *Totus hic paragraphus cum sequentibus duobus, lucem suam fœneratur ex annotationibus præcedentibus:* δὶς κράμβη θάνατος, *quòd verò* Auctor in §. seq. *dicat*, humores istos in corde vehementius citra febrim incalescere, *id apertè contradicit* definitioni *febris vulgari*, *quod sit* calida intemperies totius, à calore præter naturam in corde accenso, & mediantibus spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus effuso orta, actionesque naturales lædens: *Quam licet definitionem nos non defendamus; tamen hìc Auctorem nostrum falli asseruimus; reverà enim febris adest, ut ut nulla adsit sitis. Primo, quoniam vehementissimus est dolor, secundo, quoniam adest inflammatio, tertio, quoniam pulsus est præter naturam celer, & quarto, quoniam totius corporis est ardor.*

b Quæ acutissimi sunt sensus.) *Partes sensu pollent acuto, quæ* primò, *nervis instructæ sunt copiosis, ita ut fibrillæ multæ simùl vellicari possint, aut si v. g. hæ non vellicentur, illæ tamen vicinæ facile contremiscant;* secundò, *quæ nervos habent subtiles, qui non solùm citius à spiritibus expanduntur, verùm etiam facilius à causa quadam movente contremiscant;* tertiò, *quæ nervos habent breves, & sensorio communi vicinos; sic sonus in musicis chordis acutior est, quò illæ sunt breviores;* quartò, *quæ nervos habent ad lineam rectam magis excurrentes; motuum enim determinationes inflectuntur, tortuosas per ambages.*

Adest autem calor totius corporis, citra sitim, ac urina rubicunda; quia humores isti in corde vehementius, citra febrim incalescunt, & inde in totum corpus atque in renes impulsi, totum corpus valde calefaciunt, urinamque biliosis suis partibus adustis rubore tingunt.

Et

Et quia sanguis & spiritus ille calidus, per somnum non satis discussus ex cerebro, ipsum cerebrum, in eoque sensorium commune vehementius & inordinatius agitat, hinc fit, ut ægra nostra interdum, *post somnum deliros habeat sermones*.

Morbus hic satis est *a* periculosus ob cerebrum affectum, doloris gravitatem, & delirium hic subinde conjunctum post somnum: *b* nam in maniam, vel phrenitidem, vel apoplexiam posset degenerare. Quia tamen nostra ægra est valida, bene sperandum, & ad *curationem* accedendum censeo.

a Periculosus ob cerebrum affectum.) *Functiones partium naturales & animales, cùm maximam partem dependeant & vigeant, à laudabili cerebri structura, quatenus in ejus canaliculis spiritus animales maximâ copiâ secreti, secundùm ductus innumerabilium filamentorum nervosorum ex eo prodeuntium, versùs omnes corporis partes diffunduntur; mirum non est affectiones cerebri & meningum in genere periculosas esse: speciatim verò hic periculum imminet phrenitidis, aut comatis vigilis, necnon convulsionum & lipothymiæ; confer* Hipp. lib. de morbo sacr. §. v. *item* coac. prænot. §. 2. & prænot. §. 25. *terminatur quandoque in* suppurationem, *quæ nisi solvatur per nares, aures vel os, mortem infert subitaneam: confer* Hipp. sect. vj. aph. x. *item* Tulp. l. 1. cap. 32. *aliquando excitat Apoplexiam, juxta* Hipp. s. vj. Aph. 51. *à mercurialibus aut lue venereâ, oriunda cephalalgia pertinacissima est, & ut plurimùm cranio cariem affert. Quando cum aliis affectionibus combinatur, prognosis instituenda est, secundùm symptomatum reliquorum vehementiam.*

b Nam in maniam.) *Magis hac in ægra malum declinat ad phrenitidem, quàm maniam, ut clarè patebit suo loco de mania: debuisset Auctor certum morbi initium, augmentum & declinationem indicare, sed proh dolor! multa sine judicio compilavit.*

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei per contraria ablatione, & doloris sedatione consistet.

a Mox itaque *vena in brachio pertundatur*, sanguisque educatur ad ℥ viij.

a Mox vena pertundatur.) *Nempe in principio & incremento, viribus ægræ constantibus, nullo verò modo in statu aut declinatione affectus, nè degeneret in morbum aliquem soporosum. Tempus autem diei ad venam aperiendam indifferens est, modò necessitas urgeat, imò ut levis somnus inducatur, non dissuadendum est tempus vespertinum, nisi aliæ prohibeant circumstantiæ: Electionem nimis anxiam venæ pertundendæ non magni facimus, modò non subjaceat nervus aut arteria, vel sit nimis gracilis. Hinc tamen non sequitur sinistra interpretatio* Hipp. s. v. Aph. 68. *Quantitas sanguinis educendi, dirigatur judicio medici, secundùm sexum, ætatem, anni tempus, regionem aut circumstantias alias. Ratio autem cur sanguis in hoc casu educatur, est ut latera vasorum per totum corpus blandè collabantur, salia parti affectæ infixa, minus premantur aut agitentur, adeòque ut dolor, tanquam symptoma urgens mitigetur, licet causa mali nondùm sit ablata: hinc tamen non sequitur, Venæ-sectione sanguinis motum non posse accelerari, quod suo loco itidem demonstrabimus.*

Sequenti die *a purgetur* tali haustu:

℞. *Mannæ calabricæ* ℥j. *syr. ros. cum rheo* ℥ß.
Aq. hordei q. s. M. F. haustus, *mane exhibendus.*

a Pur-

a Purgetur.) *Ubi corporis ardor s. præternaturalis calor, adeoque febris urget, à purgantibus abstinendum esse censemus, juxta* Hipp. lib de purgantibus §. 4. *ubi dicit*, quicunqne à febribus fortibus corripiuntur, iis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris: *Verùm quoniam Auctor nullam adesse febrim suprà (sed malè) annotavit, idcircò ad hæc non (ut oportet) attendit: ratio autem cur hic purgandum non sit; (1.) est, quòd purgantia (propriè sic dicta) sint salina & acria, motum in corpore majorem excitantia, adeoque dolorem, ardorem & febrim augentia nec non forte hypercatharsin excitantia; (2,) quòd præcipitent ubivis ex gremio sanguinis & humorum particulas crassas, quæ cùm nequeant per canaliculos partis affectæ progredi, obstructionem maximoperè aggravant; interim haustum Auctoris, magis laxantem, quàm purgantem esse fatemur, qui tamen dulcedine sua passionem ciere posset in hac ægra hystericam, flatusque abdominis dolorificos generare: nos præferremus clysterem cōmunem s. officinalem ad ℥ viij. additis unciis duabus elect. diaprun. solut. & nitri drachma una; vel per os assumendam commendaremus pulpam tamarind. aut prun. damascen. cum jusculo gallin. vitul. &c. vel uvas corinth. cum crem. tart. coct. in jusculo prædicto; reverà enim necessarium est hoc in casu alvum manere laxam, propter causas tradendas in* medic. xxiv. lib. iij. *Notandum autem est, quòd ubi & purgatio & venæ-sectio sint instituendæ, hæc illam præcedere debeat, quoniam (1) purgatum sanguinem evacuare nefas est, (2) venæ-sectionem tempestivam non rarò sequitur purgatio critica salutaris.*

Postridie adhibeantur, si dolor etiamnum urgeat, *a cucurbitulæ* quatuor vel sex scapulis, cum scarificatione.

a Cucurbitulæ.) *Forsan hæc Auctor didicit ex* Hipp. lib. de judicat. §. 12. Caput circumcirca dolenti, quicunque ex supernis locus doluerit, cucurbitam affige, *sed nostro judicio malè hic applicantur, cucurbitæ enim dolores multiplicant, nec nisi subtiliorem ex vasis capillaribus sanguinem evacuant, qui unà cum crassiore melius eliminatur ex vasis majoribus.*

Et sub vesperam utatur, *a lotione pedum*, in decocto camomillæ & fol. salviæ factâ, per horas duas; quæ lotio sequentibus diebus bis quotidie, mane ac vesperi sc., reiterabitur.

a Lotione pedum.) *Hæc dolores mitigat, quatenùs ope caloris, flexiles & lubricæ particulæ poris & canaliculis cutis insinuantur humoribusque permixtæ, salia diluunt, & involvunt: ita in* misc. cur. an. 2. obs. 247. *exemplum datur pediluvii, summo cum fructu instituti, frustrà propinatis medicamentis internis: hoc autem in casu loco fol. salviæ adderemus furfur, flor. melil. & pap. rhoead.*

Atque *a ad somnum conciliandum & doloris sedationem*, sub tempus somni, talem sumat potiunculam somniferam & anodynam:

℞. *Aqu. lactucæ* ℥ j. *betonicæ* ℥ß.
Syr. de papav. ℥ iij. *de acetositate citri* ℥ß.
Misce. F. potio.

a Ad somnum.) *Hunc in finem maximè convenit, emulsio ex hord. mund. ad crepaturam cocto, additis sem. frig. maj. sem. pap. & lin. ope aq. hord. s. a,* præ-

præparata; vel ſumitur opii in aq. calid. ſolut. & poſteà inſpiſſat. gr. j. vel ij. Vel

℞. Sal. prun. gr. xv. aut ℈j.
Camph gr. iij. aut iv.
Laud. op. gr. j. fol. argent. lævigat. num. vj.
M.F. Pulvis pro doſi, viribus conſtantibus.

Eſt autem ſedulò notandum, quod ſomno levi conciliato, deſiſtendum ſit ab uſu opiatorum, nè morbus ſuccedat ſoporoſus. Sitis ſi adeſſet, ptiſana conveniret ex decocto hordei, cui tempore coctionis addita fuere corn. Cerv. limat. uv. corinth. & prun. damaſc. colat. immittantur taleolæ pom. citr., vel addatur portio vin. moſell. cum ſyr. de ſucco citri ad gratiam. Nec inconveniens eſt ſal. prun. ad ℈j. in potu ordinario, vel guttæ iv. vel v. ſp. nitr. vel ſal. dulc. Julapia vulgaria cum ſp. vel ol. vitrioli repudiamus.

Et *a* collo talis ſacculus applicetur.

℞. *Furfur. tritici p. ij. ſem. papav. albi ℥j. ß.*
Roſar. rubr. ℥j. maſtiches ʒ. iij. radic. galangæ ℥j.
conquaſſata & incluſa ſacculo vino irrorentur, & calide applicentur collo, circa nucham.

a Et collo talis ſacculus applicetur.) *Ille aliquid poſſet in doloribus externis, ſed* roſæ rubræ *adſtringunt & galanga nimium calefacit.*

Pro oxyrrhodino capiti applicando inſervire poterit hoc ſequens.

℞. Aq. ſolani.
roſar. an. ℥iij.
Aceti roſacei ℥jß.
Laud. opiat. *vel melius* opii crudi (*cum aromatica hic noceant*) ℈ß.
Camphor. *parum*.
Miſce. Fiat Oxyrhodinum.

Lintea duplicata & madefacta hoc liquore applicentur parti affectæ, necnon naribus ſæpè admoveantur, ſed hoc medicamentum non eſt exhibendum in gravedine capitis, ne camphora cum opio pituitam incraſſet.

Huc ſpectat ſequens Hipp. aphoriſmus.

Sect. 5. Aphor. 20. ſuffitus aromatum muliebria educit; ſæpius vero, & ad alia utilis eſſet, niſi capitis induceret gravitatem.

Quod verum eſt, ſi pituita acris in cerebro peccat, quia particulæ ſubtiles odoramentorum, pituitam magis movendo & impetum in obſtructiones faciendo gravedines inducunt.

Capiti etiam applicetur placenta roſacea *conſperſa* aceto roſaceo, *item cervici imponatur hedera terreſtris contuſa cum acetoſa & farina hordei.*

Ad *a corroborationem debilium virium* utatur tali conſervâ:

℞. *Conſervæ roſar., majoranæ an. ℥j.*
Spec. diarrhod. abbâtis ℈iiij.
Cum ſyr. de limonibus q. ſ.
Miſce ad formam electuarii.
De quo ſumat ægra ſubinde magnitudinem caſtaneæ majoris.

a Ad corroborationem utatur tali conſerva.) *Non hic uti debemus corroborantibus calidis nec ſpirituoſis, tanquam ſubito refocillantibus & ſubito ex corpore per cutim abeuntibus, ſed potius conſtantioribus, quæ diu in corpore manent, ac temperata ſunt, ut*

Oculi cancri.
Corallia.
Margaritæ, *quæ ſpiritu acido imbibantur, ſic etiam*

Fol.

Fol. auri.
argenti, *nam luna speciatim dicata est capiti, itaque sumite potius hunc pulverem.*
℞. Pulv. diarrhod. abbatis ℈iv.
Sal. prun. ℈ij.
Fol. auri.
argenti an. n. viij.
Misce, Fiat pulvis pro iv. dosibus: mane & vesperi unus cum vino sumendus est.
Cessante dolore & ardore convenit elyxir prop. Paracelsi cum spiritu sulphuris per campanam præparatum, *ad gutt. xvii. vel xx. nam valde aperit, & motum sanguinis nimium minuit.*

Tandem si *a gravitas capitis*, uti hic sæpe fit, post punctiones ablatas ægræ *sit molesta*, talis capiti imponatur *b* cucupha:
℞. *Furfuris tritici p. ij. sem. papav. alb.* ℥j.ß.
Rosar. rubr. ℥j. *masliches* ℥iij.
Rad. galangæ ℥j. *ireos* ℥ij.
Sem. coriandr. ℈.iiij.
Contundatur & cum linteo & cotone F. Cucupha.

a Tandem si gravitas capitis post punctiones ablatas ægræ sit molesta.) *Illa gravitas succedens Cephalalgiæ calidæ, posset esse à nimio, & intempestivo usu refrigerantium, unde multa viscida pituita sanguini & humoribus suppeditatur adeoque in capite colligitur, de cujus curatione videnda est medicatio sequens.*
Itaque cavendum ne camphoræ *aut opii usus in Cephalalgia calida sit nimis diuturnus, & præstat accedere ad* nitrosa: *illa enim licet refrigerent nullum periculum faciunt obstructionis.*
b Talis cucupha capiti imponatur.) *Quoniam supra in casu calido ferè eadem Auctor usus fuit cucupha non immeritò concludimus, sine judicio hæc esse ab eo corrasa.*

a Corpusque *iterum purgetur* blande, tali purgante medicamento:
℞. *Mannæ Calabricæ,*
b Syr. rof. cum rheo an. ℥j.
Aq. hordei q. s. m. F. Haustus.

a Corpusque iterum purgetur.) *Pro purgante in gravitate capitis dentur* pilulæ *sequentes, quæ bilem viscidam purgant.*
℞. Extract. rhabarb. gr. xij.
Diagrid. gr. iv. v. *vel* vj.
Merc. dulcis gr. iv. *vel* v.
Misce, fiant s. a. pilulæ n. vij.
Vel ℞. Extract. cathol. gr. xiv.
Trochisc. alhandal. gr. iij.
Merc dulcis gr. vj.
Ol. carui *parum.*
Misce, fiant pilulæ n. vij.
b Syr. rof. sol. cum Rheo.) *Dulcia hic non conveniunt, quia pituitam acrem nimis augent, sed* merc. dulcis *hic valde prodest cum amaris purgantibus quia acumina salium infringit, & diu manendo in sanguine, valde aperit.*
Si corpus esset cacochymicum, utile foret decoct. seq. vel simile.
℞. Cort. tamarisci.
Rad. cappar. an. ℥vj.
Herb. card. bened. m. j.
verben. m. ij.
Passul. min. ℥ijß.
Tartari albi ℥ß.
Pro ditioribus adde
Rad. salsaparillæ.
chinæ, aa. ℥x.
Alioquin loco eorum sume
Stipit. dulcamar. ℥ijß. bardan. ℥jß.
Infunde in mediocri aq. quant. per noctem, postea lentè in vase bene clauso coque per horas v. aut vi. in colat. ℔ iv. *dissolve*

Salis card. bened. ℈iv.
Syr. card. bened. ℥ij.
Spirit. sal. ammoniaci ℥iß.

Misce, fiat decoctum.
Haustus hujus decocti debet assumi vacuo ventriculo ℥iv. *pro dosi, ter de die.*

In *diæta aër*, in quo ægra degit, sit *a* frigidus, humidus. *Victu* utatur *b* parco, refrigerante, & humectante ex lactuca, acetosa, portulaca, endivia, *c* cichorio, citriis, aurantiis, cerasis, hordeatis: *d* Abstineat à vino; *potus* sit cerevisia tenuis. *Somnus* sit longior. *Perturbationes animi e* vehementiores, ut & *f inedia vitentur.*

a Frigidus.) *Peccat Auctor contra salutare monitum* Hipp. s. v. Aph. 18. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ, calidum verò, utile: *confer* Aph. 17. & 24. sect. ejusdem; *humiditas autem in hoc casu utilis est, modò non accedat frigus.*

b Parco.) *Rursùs malè; confer* Hipp. s. 1. Aphor. 4. *item* lib. de victu acutor. §. 17. *ubi dicit*, qui supernas partes amara bile infestantur, inediam molestius ferunt; pituitosi autem supernis partibus, cibi præter morem abstinentiam omninò facilius ferunt: *confer* eundem ibid. §. 58. at verò jejunium ad capitis dolorem ac crapulam malum est. *Ratio clara est, deficiente enim chylo pingui & oleoso, sanguis redditur acrior, undè proverbium ortum,* famem ciere bilem.

c Cichorio.) *Hoc ut amarum, nocet in casu calido: reliqua ab Auctore commendata admittimus, ut nitrosa, acida, volatilia, & emollientia, sed tamen in omnibus servandus est modus.*

d Abstineat à vino.) *Nempe acri & valdè spirituoso; sed permittitur adsuetis mosellanum maturum.*

e Benè Verul. de aug. scient. lib. 4. c. 1. *inquit:* nemo medicus est paulò prudentior, quin accidentia animi, ut rem maximi ad sanationes suas momenti quæque omnia alia remedia plurimum vel adjuvet, vel impediat, consideret & tractet.

f Inedia.) *Manifestè sibi hoc verbo contradicit, cum supra commendaverit* victum parcum; *forsan his verbis indicare vult diætam moderatam; præterea evitandum est solis lumen intra cubiculum ægræ, quoniam illud dolorem auget, & vertiginem inducit.*

II.

MEDICATIO FOEMINÆ,

DOLORE CAPITIS,

Ex causâ frigidâ laborantis.

Matrona triginta annorum, *a* pituitosa, *b* otiosa, *c* alimentis frigidioribus uti solita, postquam, *d* ineunte hyeme, *e* sese aëri nebuloso, frigido & humido, ac vento, exposuisset, magno dolore correpta est, *f* qui totum caput occupat, illudque *g* gravat. *h* Facies multo pallore est perfusa; in ore pituita abundat; *i* pulsus est parvus, rarus, languidus; *l* urina pallida, crassa.

a Pi-

a Pituitosa.) *Veteres pituitæ varias enarrarunt species eamque primo diviserunt in* naturalem & præternaturalem : *naturalem dixerê succum frigidum & humidum, seu sanguinem minus perfectè coctum: præternaturalem rursùs distribuerunt, in* insipidam, acidam, salsam & vitream, *ita à* Praxagora *appellatam, quòd vitro fuso, colore, & substantia fere similis sit; nonnulli his addunt gypseam : paucis autem nostro judicio res tota intelligi potest, si dicatur, particulas quasdam oblongas, hamosas & ramosas cum quibusdam flexibilibus lubricis combinatas, in genere pituitam s. humorem viscosum constituere ; in specie autem diversam eam esse ratione consistentiæ, coloris & saporis prout nominatæ particulæ vel magis vel minus longæ, crassæ, flexiles & copiosæ, sibi mutuò fuerint irretitæ, aut rigidis acuminatis & complanatis magis vel minus crassis, conicis, cylindricis, triangularibus, cubicis &c. associatæ; Quando igitur dicitur temperamentum* pituitosum, *intelligendum est* crassum viscosum.

b Otiosa.) *Cum in motionibus membrorum, spiritus animales (ut vivacissimi motus corpuscula) vivide per totum corpus dispersi non solùm latera musculorum contrahendo, & vasa vicina premendo, sanguinis humorumque motum progressivum sive circularem promoveant, verùm etiam susque deque in orbem volitando crassiores particulas discerpant, ut fluor debitus singularum particularum, motusque intestinus fluidorum continuetur, quo secretiones singulæ ritè absolvantur, obstructionesque præcaveantur: ergò ex adverso in vitâ otiosâ, motum sanguinis intestinum & progressivum languere, ut facile producantur obstructiones in diversarum partium stabilium canaliculis, evidens est & manifestum.*

c Alimentis frigidioribus.) *v.g. acetariis sale & oleo conditis, piscibus præsertim marinis, lacticiniis, leguminibus, quibus ut plurimùm magis delectantur fœminæ, quàm mares.*

d Ineunte hyeme.) *Initio & fine hyemis, homines magis in morbos sunt proclives, (1) quoniam pori & canaliculi partium stabilium à frigore subitò occluduntur humoresque incrassantur; (2) quoniam iidem pori & canaliculi calore postеà subitò dilatantur, humoresque rarefiunt, unde necessum est functiones in œconomia animalis notabiliter inverti, præprimis cùm simul accedant ad tellurem nostram diversis illis temporibus, diversi astrorum influxus, diversæque è terra exhalationes.*

e Aëri nebuloso.) *Qui oritur ex vaporibus copiosis circa athmosphæram nostram condensatis, quando radii solares satis perpẽdiculariter & vividè nequeunt superficiem nostræ telluris percutere & vibrare ut vapores sursùm elevent & attenuent, aut quando duo vel plures venti, à diversis regionibus flantes, plurimos vapores premunt atque accumulant : Talis frequentius vere, quàm aliis anni temporibus, etiam quàm autumno apparet, quia tunc major est inæqualitas inter calorem diurnum, & nocturnum frigus, prout loquitur* Des-Cartes meteor. cap. 5. §. 5 *Nocet autem corpori nostro talis nebula,* primò, *quatenus illius superficiem extraordinariè premendo, poros canaliculosque occludit, humoresque in vicinia condensat;* secundò, *quatenus unà cum aëre versus pulmonum cellulas delata s. inspirata, communicatur sanguini & humoribus adeoque ratione particularum crassiorum, diversimodè figuratarum & motarum, pro diversa natura hominum nec non regionum, & loci, in quo nebulæ concrescunt, proportionem & mixtionem particularum sanguinis naturalem diversis modis immutat, confer* Hipp. s. iij. Aph. 23.

f Qui totum caput occupat.) *Non solùm hoc distinguit ab* hemicrania, *verùm etiam multum contribuit ad instituendam* prognosin.

g Gravat.) *Sic distinguitur hic dolor à* præcedente.

h Facies multo pallore perfusa.) *Talis solet ut plurimùm esse color in-*

cachexia leucophlegmatica & chlorosi, indicans vasa capillaria sanguifera in cute esse obstructa, sive quod globuli sanguinis rubicundi cavitates eorum subire nequeant ut in statu sano. Quòd autem pituita in ore abundet, fortuitum est, nam glandulæ salivales facilius ab humore illo crasso & viscoso obstrui potuissent.

i Pulsus parvus.) *Quatenus oblongæ, crassæ, hamosæ & ramosæ sanguinis particulæ, contractione musculorum cordis languidâ, deficientibus particulis acuminatis, volatilibus, satis celeriter, & vehementer discerpi & moveri nequeunt, ad pulsum reddendum celerem, & robustum.*

l Urina pallida crassa.) *Vid.* Hipp. s.iv. Aph. 70. *ubi extat*, quibus in febre urinæ conturbatæ, qualis jumentorum, his capitis dolores aut adsunt, aut aderunt: *nempe non potest quasi non fieri, quin crassæ, viscosæ humorum particulæ, angustos canaliculos glandularum & membranarum cerebri obstruant. Præstat autem tale hoc in casu esse urinam, quàm claram & aquosam, denotat enim canaliculos glandularum renalium satis esse apertos, pro transmittendis particulis crassioribus, quæ in sanguine aliàs mansuræ, plures cierent turbas.*

Afficitur in hac ægra *caput*; idque potissimum *secundum meninges & ipsam cerebri substantiam*, ut patet ex dolore totum caput occupante & gravante.

Morbus, qui ægram affligit, est intemperies meningum & substantiæ cerebri *a* pituitosa & acris, quæ in illis partibus dolorem gravativum excitans, *dolor capitis ex causa frigida* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est usus diutinus alimentorum frigidorum, quo, adjuvante vitâ otiosa & temperamento ægræ pituitoso, multi frigidi & acres humores in ipsius corpore geniti *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Illi verò ad cerebrum & meninges delati, ibique vi aëris frigidi humidi & ventosi retenti, à reliquo sanguine separati, & in substantiam istarum partium effusi, illasque partes suâ copiâ gravantes & *b* distendentes & acrimoniâ vellicantes, *continens* hujus morbi symptomatumque ejus, sunt causa.

a Pituitosa & acris.) *De acredine nihil constat ex historia, sed quidem de viscositate; aliquas tamen humori viscido immixtas esse posse particulas acres, nemo negat.*

b Et distendentes.) *Cum dolor adest distensivus, major curationis spes affulget, quoniam indicat partem aliquam materiæ stagnantis adhuc in forma volatili existere, qua propter illius transitus per canales facilior reddi potest, quam si particulæ omnes essent crassæ.*

Dum enim illas partes vellicando, & distendendo, ac pungendo, vehementius movent, *dolorem in iis* excitant. Dum ad cor feruntur, *a* sua frigiditate faciunt *pulsum tardum, rarum, languidum*. Dum crassa & cruda excrementa ad renes pelluntur, *urina evadit pallida & crassa*. Dum multi pituitosi humores ad faciem deferuntur, *oritur in ea pallor*. Dum illi ad palatum propelluntur, *os pituitâ abundat*.

a *Id est minore motu.*

Morbus hic in corpore, *a* ex pituita debili, est periculosus, minaturque paralysin, apoplexiam, catarrhum, epilepsiam, vel alium gravem affectum.

a Ex pituita debili.) *Quid sit pituita debilis, equidem non capio; forsan dicere vult, ex pituita crassâ, copiosâ, corpus valdè debilitante; quicquid sit, certum est hunc affectum, esse gradum primum morborum soporosorum, ut, comatis somnolenti, Lethargi, cari, Apoplexiæ pituitosæ, & paralyseos: sique fortè*

fortè accederet huic materiæ crassæ viscosæ humor copiosus acer, producere posset epilepsiam, aliasve membrorum convulsiones. Nihil dixit Auctor in historia de menstrui sanguinis fluxu, qui sine dubio hic fuit impeditus, aut abolitus; adeoque metus simul esse posset fluoris albi, hydropis uteri, passionis hystericæ, sterilitatis &c.

Ideoque diligenti *curatione* est aggrediendus; quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, ac doloris per contraria correctione, consistet.

a Primo itaque purgetur talibus pilulis.

℞. *Pil. cochiarum gr. xv.*
Scammonii ℈ß.
Cum syr. rос. q. s. F. pil. num. iv.
Mane exhibendæ.

a Primò purgetur.) *Pugnat hæc methodus cum ratione, & experientia, secundùm* Hipp. s. 1. Aph. 22. concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque in principio, nisi turgeant; plurima verò non turgent. *Quapropter præmittatur aliquod aperiens, & præparans qualis est sequens pulvis.*

℞. Crem. vel cryst. tart.
Calam. arom. pp. an. gr. xv.
Aloës pp. ℈ß.
Ol. maj. vel carioph. vel mac. still. gtt. iv.
M. F. Pulvis manè, & vesperi, vacuo ventriculo sumendus cum vino calido aromatizato. Vel

℞. Lign. junip. & sassafr. an. ℥j.
Cort. guaj. ℥ß.
Rad. galang. min.
calam. arom an. ʒ. iij.
Herb. majoran.
rosmar. an. M. ß.
Carioph. arom. ʒij.
Bacc. junip. rec. ʒvj.
conscissis & contusis aspergatur ol. tart. per deliq. & maneant per noct. in digest. lenta, manè affunde s. q. vin. gener. ut f. Vinum medicatum, manè & vesperi, vacuo ventriculo usurpandum ad ʒiv. l. vi. *Hoc modo, corpore præparato, purgans exhibeatur seq. vel sim.*

℞. Mass. pill. coch. ʒß. vel ℈ij. merc. dulc. gr. vj.
Ol. carioph. gtt. iij.
M. F. Pil. pro dosi.

Vel si ægra esset nauseabunda, vomitus conduceret.

℞. Vin. emet. sive Aq. ben. Rul. ℥ij.
F. Haustus.

Vel sumatur sal. vitriol. alb. ad ʒß. *& evacuatis primis viis, renovandum est medicamentum præparans idem, aut varietatis gratiâ.*

℞. Tinct. succin. ℥j.
castor. tartaris. ʒß.
Elix. prop. Parac. ʒvj.
Ol. mac. stillat. gtt. v.
M. dosis est ad gtt. L. *vel* LX. *in vino generoso. Vel*

℞. Aq. cort. aurant.
menth. an. ℥ijß.
vit. Mat. ʒvj.
Elix. prop. Parac. ℈iv.
Antim. diaph. ℈ij.
Ol. mac. still. gtt. iij.
Syr. cort. aurant. q. s. ad grat.
M. dosis est cochleare j. *vel* ij. *singulis horis, præsertim ventriculo vacuo.*

Et utatur tali apozemate:

℞. *Rad. fœniculi, petroselini an.* ℥j. *liquirit. ras.* ʒiij.
a *Herb. betonicæ, hyssopi, calamint. capill. ven. melissæ, majoranæ an. m.* j.
b *Flor. stæchados p.* j.
Sem. anisi, fœniculi an. ʒiß.

Decoq.

Decoq. ex aq. comm. ad lib. j. Colaturæ
Adde syr. de hyssopo, oximell. simpl. an. ℥j.
c *Misce* F. Apozema, *de quo sumat bis in die* ℥iij. pro dosi.

a Herb.) *Inter herbas cephalicas* verbena *apud authores eminet.*

b Flor.) *Flores in hoc affectu minus juvant, quia eorum particulæ sunt nimis tenues, quam ut hanc pituitam discerpant, & expellant, nam motus eorum in pituita suffocatur.*

c M. F. Apozema.) *Potius hic convenit ad obstructiones reserandum, decoctum sudorificum sequens.*

℞. Rad. chinæ, zalsaparill. aa. ℨx.
liquirit. ras. ℥iß.
Lign. sassafras ℥j.
guajaci limati ℨv.
Cort. ejusdem ℨvj.
Herb. beton. major. verb. aa. m. jß.
meliss. m. j.
Sem. anis. fœniculi, aa. ℥iß.
Tartari crudi ℨ. vj.

Fiat infusio calida per horas x. in aq. & vin. gallic. an. s. q & fiat decoctio lenta in vase duplici, colat. ℔. iv. *adde*
Oximell. scyllit. ℥iß.
Sal. card. bened.
Spir. salis ammoniaci aa. ℨj.
Aqu. vitæ Matthiol. ℥iij.
Misce, fiat decoctum.

Quod usurpandum est quater quotidie vacuo ventriculo, nempe horâ matutinâ in lecto. decima antimeridianâ, quintâ pomeridianâ & septima vespertina, & quidam unà vice ℥iij. *vel iv.*

Hoc decoctum non solum hic, sed in omnibus obstructionibus à crassis humoribus prodest: Hic quoque convenit vinum salviatum, enulatum, roremarinô nobilitatum, &c.

a Biduo post primam purgationem iterum purgetur talibus pilulis.
℞. *Pilular. de hiera simpl. aloëphangin. an. gr. xv.*
Scammonii gr. viij. b *Misce F. pilulæ num.* vij. mane exhibendæ.

a Biduo post primam purgationem iterum purgetur.) *Sæpius hic ordo servandus est circa purgantis & decocti iteratum usum, & tunc demùm potentioribus sudoriferis materia peccans loco est deturbanda.*

b M. F. pilulæ.) *Loco earum possunt sumi sequentes.*

℞. Resinæ agarici gr. x. *vel* xij.
Trochisc. alhand. gr. iv. *vel* v.
Merc. dulcis gr. vj.
M. F. pulvis, vel s. a. pill.

Si dolor capitis fuerit à lue venerea, vel mercurio intempestivè exhibito aut nimio, aut male præparato ortus, præscriptum decoctum etiam proderit: nam radix chinæ mercurialia salia in corpore enervat: huc quoque facit nummus aureus in ore detentus, & quando globuli mercuriales auro adhærent, (quod dignoscitur ex colore albescente) eximendus est & in ignem conijciendus usque dum leviter candefiat, sic enim à mercurio rursum liberabitur, frigefactum rursus in os ingeratur, quod sæpius repetendum est: folia auri etiam in nares introduci possunt, quæ omnia si non sufficiant, verisimile est, mercurium cranio infixum, cariem produxisse, quo in casu trepanum convenienti loco applicandum est, ut globuli mercuriales avolent, & caries tollatur.

Postridie in scapulis adhibeantur *a* cucurbitæ sex cum scarificatione, & mediocris sanguinis quantitas educatur.

a Cucurbitæ cum scarificatione.) *Loco earum substituimus calidas frictiones capitis, quod etiam sæpius est pectendum, ut pori aperiantur, sed fiat in loco calido, ne pori frigore obstruantur.*

Et deinde reiteretur apozema prius præscriptum, addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℥j. & decoquendo ad lib. j. de quo sumat ℥iij. semel in die.

Postquam ita aliquoties purgata fuerit universaliter, ad particulares evacuationes erit veniendum; itaque tali utatur apophlegmatismo, longè à pastu:

℞. *Uvar. pass.* ʒiij.
Hyssopi sampsuchi i.e. majoran: an. ʒß.
Mastiches ʒij.
Cum pauco melle & cera F. a globuli masticatorii.

a Globuli masticatorii.) *Putarunt veteres, à cerebro, pituitam, tanquàm à cloaca, versùs palatum devolvi; sed recentiores Anatomici, falsum id esse satis superque demonstrarunt: possunt autem apophlegmatismi hoc in casu juvare, ob rationes sequentes: (1.) quòd ratione particularum suarum acrium volatilium, subeant cavitates papillares linguæ & palati, atque immediatè humoribus ac sanguini communicentur, ut porrò lege circulationis perveniant ad partem affectam pro humore viscido dividendo: istasque cavitates papillares,* Lucretius *vocasse videtur* caulas palati, lib. IV. de rer. nat. *ita canens:*

Indè quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.

Pluribus harum cavitatum existentiam demonstrare facile possemus, sed sufficiat hic addidisse, quòd quemadmodum mercurialia aut alia epithemata cuti imposita, vires suas ad partes internas, longè lateque diffundunt, ita & hic masticatoria idem præstare valeant. (2.) quòd ratione prædictarum particularum acrium fibrillas partium oris vellicando, accedente musculorum validâ contractione ad manducandum, spiritus animales celerius & vehementius inter canaliculos glandularum salivalium influant, adeoq; comprimant, ad evacuationem lymphæ viscidæ universaliter in sanguine peccantis.

Succo etiam rutæ, majoranæ, betæ, *a* loco *b* errhini, utatur: *c* uti etiam hoc gargarismo:

℞. *Herb. melissæ, betonicæ, salviæ an. m.ß.*
Sem. sinapi ʒij. *ficus* N. v. *f. decoctio in s. q. aq. & vin:*
Pro lib. j. Colaturæ adde mellis ros. oxymell. scyll. an. ℥ij.
M. F. Gargarismus, *quo tepide utatur longe à pastu.*

a Loco errhini utatur.) *Folium tabaci Brasiliensis, aut verbenæ, betonicæ &c. naribus inditum, nec non pulvis* rosarum rubrarum *in nares attractus, potenter mucum educunt.*

b Errhini.) *Errhina & sternutatoria sunt nobis suspecta, quoniam capitis concussione validâ, humores æquè possunt ex suis vasis in cerebrum impelli, & ramuli quidam capillares rumpi, ac humores ex cerebro evacuari:*

c Uti etiam hoc gargarismo.) Vid. not. sup. *ad verba*, globuli masticatorii.

Frons & tempora tali inungantur a linimento:

℞. *Unguenti alabastrini* ℥j.
Ol. irini, rutacei an. ʒj. *misce.*

a Linimento.) *Solum ol. succin. sufficit, aut sp. sal. armon. succinat. vel castorin. vel*

℞. Gum. elem. ℈ij.
thur. alb. ℈j.
ol. succin. ℈ß.

baf.fulph.tereb. *gutt.viij.*
M.F.f.a.Empl.temporalia.

Omnia ant-epileptica hic juvant, quia in utroque affectu pituita acrior peccat, admoveantur naribus lintea-mina, imbuta aq. proph. Sylv. in qua maceratum fuit castor. & ruta vel majorana, capitique imponatur cucupha ex herbis cephalicis, aromaticis.

Si dolor perseveret, pilulis ante præscriptis subinde iterum purganda erit.

Interea, ubi ita corpus erit evacuatum, *a* cerebrum etiam erit roborandum tali electuario:

℞. *Conserv.flor.anthos* ℥j.ß.
Theriacæ ℥ij.
Rad. acori conditæ ℥iij.
Spec.diamusci dulc. ℈iiij.
Cum syr. de betonica q.f.F. electuarium.
De quo sumat castaneæ magnitudinem,
Post singulos pastus.

a Cerebrum erit roborandum.) *id est, obstructiones cerebri sunt reserandæ, humidumque viscosum discutiendum, quod melius fiet per medicamenta nostra jam præscripta, quam conservis, quia earum particulæ sunt nimis molles, & maximam partem constant ex saccharo, quod appetitum prosternit, & lentorem sanguini inducit.*

Utilia remedia hic sunt.
Pulvis flor.fulphuris.
Lac fulphuris.
Sal tamarisci.
Magisterium tartari.
Sal tartari.
Sal fuccini volatile.
Tinctura antimonii.
mart. aper.
metall.
lunæ.
veneris.
castor.
aff. fœt. &c.

Sudorifera mineralia hic etiam conveniunt, ut
Antimonium diaphoreticum.
Bezoar minerale.
Regulus antimonii medicinalis, &c.

Quia particulis fuis constantibus, & rigidis magis incidunt, & obstructiones efficacius reserant, quam theriaca, crocus &c. *quæ melius exhibentur in affectibus levioribus, quia constant particulis mollioribus, quæ facile ad occursum aliarum inflectuntur: si tamen mineralia, & vegetabilia inter se miscere velimus.*

℞. Theriac. antiq. ℥j.
Bezoard.miner.g.xij.
Salis mixti aut card.bened.gr.xvi.
Sp. salis ammoniaci gutt.viij.
Tinct.croc. ℈ij.aut ℥j.
Aq. majoran. ℥iv.
Syr. card. bened. ℥iij.
M.F.haustus in lecto calido & vacuo ventriculo sumendus.

Prosunt etiam folia lunæ, quippe quæ in nostro ventriculo satis dissolvuntur, si ritè fuerint in mortario vitreo trita cum pulvere aliquo scabro.

Elyxir proprietatis Paracelsi cum alcalicis salibus præparatum, ut & vinum Malvaticum & sal volatile oleosum hic prosunt, si cum decocto usurpentur, neque opus est anxie inquirere, quomodo oleosa in corpore nostro cum salibus misceantur, cum id ope fermentationis in ventriculo facile fieri constet.

Ad roborandum caput F. a cucupha *ex flor.stæchad., salviæ, majoranæ, lavendulæ, origani, absinthii an.M.ß.nucis muscatæ, macis an.* ℥j. *cum panno ferіceo & cotone q.f.*

a Cucupha.) *In cucupham etiam inspergi potest Aqu. vit. Matthioli, pulvisque sequens, crinibus immittatur, pectine postea auferendus.*
℞. Sem. sinapi.
Rad. Pyrethri.
Piper. albi ana ℥ß.
herb. major.
flor. lavend an. p. ij. M. F. Pulvis, oleo carioph. nobilitandus.

In *victus ratione aër* sit calidus, siccus. *Cibus* ex carnibus vervecinis, gallinaceis, ovis sorbilibus. Assa hic elixis præferenda. Alimenta condiantur serpillo, majorana, hyssopo. *Potus* sit parcus, ex *a* vino tenui. *Motus* sit mediocris: uti & *somnus*. Alvus debet esse lubrica; *b* vomitus vitandus, Tristitia quoque vitanda.

a Vino tenui.) *Forsan nè caput tentet vid.* Hipp. l. de affect. §. 2. *sed tamen vinum generosum modica quantitate hic præferendum, præsertim in adsuetis.*

b Vomitus vitandus. *Hoc gratis dicitur, opportuno enim tempore, saluberrimus est.*

III.

MEDICATIO VIRI *a* VETERNOSI, sive Lethargo laborantis.

VIr quadraginta annorum, pituitosus, crassus, pinguis, deses, *b* ebrietati & ingluviei deditus, postquam per aliquot dies *c* de capitis gravitate esset conquestus, in tam inexplebilem dormiendi incidit propensionem, ut, quicquid ageret, *d* dormire cuperet, & in somnum assiduò laberetur. *e* Malum jam ita crevit, ut, magnâ difficultate per *f* clamores & vellicationes excitatus, *g* oculos vix attollat, *h* aliena incondito murmure loquatur, & mox in somnum relabatur. Quandoque expergefactus matulam mingendi causâ postulat: verum mox ejus *i* oblitus, *l* urinam in lectum inscius effundit. Totum *m* corpus tactu justo calidius sentitur. Calorque sub vesperam quotidie est intensior. Pulsus mollis est, celer, *n* inæqualis, & debilis. *o* Respiratio lenta. Urinæ sunt crassæ & turbidæ.

a Veternosi.) *Veternus dicitur, à veterî, sive senectute, cui non parùm familiaris esse solet; item lethargus, à græco λήθη oblivio, & ἀργὸς otiosus; quoniam hoc morbo correpti, sunt maximè obliviosi, somnolenti & desidiosi:* Poëtæ *finxerunt* Lethen *esse flumen infernale, cujus aquæ* oblivionem *inducerent, de quo* Virgil. l. 6. Æneid. vers. 714.

— Lethæi ad fluminis undam,
Securos latices, & longa oblivia potant.

Sed hæc in transitu: definitur veternus, *quòd sit*, somnus valdè profundus, ex quo ægri nonnisi magnâ difficultate excitantur, & mox in eundem relabuntur, cum febre continua, delirio, respiratione lenta, rerumque extraor-

traordinaria oblivione. Minor *hujus affectus gradus est* coma somnolentum, *sive continuum dormiendi desiderium, verùm ægri facilius hîc excitantur, non febricitant nec adeò sunt obliviosi, ut Lethargici.* Major *autem gradus est* Carus, *tanquam somnus profundissimus, ex quo vix homines excitari possunt, sine stertore (quo inter cœtera differt ab* apoplexia) *& febre.*

b Ebrietati & ingluviei deditus.) *Vinum copiosum largitur sanguini & humoribus copiosum acidum fixum, quo extraordinariè incrassantur; nimiusque cibus, cùm nequeat ope menstrui stomachalis, ritè dissolvi, suppeditat chylum crassum, quo itidem sanguis humoresque valdè crassescunt, adeoque obstructiones in canaliculis multarum partium, speciatim cerebri producunt, quibus functiones non solùm naturales sive automaticæ, verùm etiam animales sive arbitrariæ & intellectuales invertuntur; ut ut enim alia sit & diversa mentis, alia corporis natura, tamen cùm medio utraque eodem utantur, spirituum animalium ministerio, impetus est unius in alterum maximus, mutuasque invicem habent velut refractiones, ope diversarum affectionum; hinc sapienter olim dixit* Heraclitus αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη lumen siccum, anima sapientissima, *utpote quæ humoribus affectionum corporis minus est macerata.*

c De capitis gravitate.) *Sic confirmantur ea, quæ diximus in notis ad medicationis præced. verba prognostica,* ex pituita debili.

d Dormire cuperet.) *Naturalis somnus dependet ab aliquali defectu, & languidiore motu spirituum animalium, ita ut subsidant canaliculi cerebri & nervorum vid.* Cartes. epist. 111. tom. 1. *ergo præternaturalis sive immodicus somnus, dependet à spirituum defectu majore, motuque multò languidiore, ita ut canaliculi cerebri & nervorum extraordinarie subsidant aut obstruantur, quo ipso fit ut licet spiritus aliquâ copiâ secernantur, non tamen vegetè satis versùs membra influant.*

e Malum ita crevit.) *Nempe ex massa sanguinea viscido-acidâ, continuò juxta leges circulationis, insinuantur pluribus canaliculis cerebri, copiosæ particulæ crassæ, undè secretio spirituum animalium magis magisque languescit & retardatur.*

f Per clamores & vellicationes excitatus.) *Sic distinguitur Lethargus ab Apoplexia, & gravî lipothymia; ratio autem cur clamoribus & vellicationibus Lethargici suscitentur, hæc est, (1) quòd aëris vibrationes undulatoriæ, magnô cum impetu versùs tympanum aurium, & dehinc ad nervos auditorios delatæ concussionem notabilem producant in ipsa substantia cerebri, & spiritibus vicinis præsertim eo in loco, ubi nervi prædicti originem ducunt, hinc particulæ crassæ aliquomodo ex canaliculorum osculis dissipantur, & spiritus majore cum impetu per eosdem distribuuntur ad omnes partes, ut homo expergiscatur, (2) quòd in vellicationibus, itidem fibrillæ nervorum non solùm vehementius solitô contremiscant, in parte vellicata, verùm etiam circa earum originem, undè, prout dixi, crassiores particulæ ad breve tempus dissipantur, spirituumque vehementiorem influxum permittunt. In majoribus verò morbis soporosis, cùm materia peccans sit multò crassior quàm in Lethargo, iste effectus non sequitur.*

g Oculos vix attollat & loquatur.) *Hisce itidem signis distinguitur lethargus ab apoplexia ubi nihil super est præter pulsum & respirationem levissimam.*

h Aliena incondito murmure.) *Hisce verbis Auctor indicare vult* delirium *adesse, quod deduci potest à languidô, sed confusô spirituum animalium ut ut paucorum motu, & materia crassâ, vestigia cerebro olim impressa, obducente, nempe hoc modo imagines rerum satis clare & distinctè menti repræsentari nequeunt, ut ritè de ipsis judicet, sed confusè saltem spiritus determi-*

terminantur versùs nervos musculorum linguæ & pharyngis, qui hìc fortè fortuna minus sunt obstructi: suspicio etiam est erysipelatis levioris cerebri vel meningum, propter calorem totius corporis extraordinarium.

i Oblitus.) *Quatenus vestigia rerum, cerebro olim impressa, ab humore crasso jam sunt obliterata; & hinc discimus memoriæ causam esse corporalem, nec à mente sola dependere; exempla enim dantur eorum qui dissipato tali morbo soporoso, obliti fuerant proprii nominis, uxoris, parentum, liberorum &c. vid. Schenk. obs. p. 74. ex Thucydidis lib. 2. histor. ita etiam* Lucret. lib. 6. de rer. nat. *seq. in modum canit* p. m. 204.

Atque etiam quosdam cæperê oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.

unde quoque constat ratiò dogmatis Platonici, Scientiam nihil aliud esse quàm reminiscentiam, *scilicet, non potest mens de rebus ratiocinari, nisi vestigia earum cerebro prius fuerê impressa; confer* Des-Cartes Tract. de homine: *denique hìnc magnum desumi potest argumentum pro reali mentis à corpore distinctione.*

l Urinam inscius in lectum effundit.) *Duplex incontinentiæ urinæ, hoc in casu esse potest causa: prima nempe, copia & acrimonia urinæ, quâ fibrillæ vesicæ nervosæ & membranosæ notabiliter expanduntur & vellicantur, undè spiritus illàc celerius & vehementius influunt & contractionem pariunt; altera est resolutio s. paralysis sphincteris vesicæ, ita ut ritè non claudatur, sed viam urinæ incumbenti facilem concedat.*

m Corpus justo calidius.) *Signum est præsentis febris, quâ Lethargus unà cum delirio & oblivione distinguitur à cæteris morbis soporosis: ratio autem, cur hic speciatim adsit febris, deduci debet à multis salinis acidis particulis, humori crasso viscoso immixtis, (Sylvius vocat bilem narcoticam) undè ortum est erisypelas cerebri vel meningum; in comate verò somnolento & caro, cùm prævaleat materia viscosa, id locum habere nequit. Sub vesperam intenditur febris, quatenus dissipatis de die particulis subtilioribus per insensibilem transpirationem, crassiores particulæ, erisypelas adaugent.*

n Inæqualis.) *Hic dependet ab inæquali spirituum animalium versùs musculos cordis influxu, tàm propter erisypelas cerebri, quàm particulas acres sanguinis, fibrillas nervosas cordis vellicantes, nec non propter inæqualem particularum sanguinis proportionem & mixtionem in singulis guttis; hinc talis pulsus Veteribus erat signum diagnosticum febris putridæ.*

o Respiratio lenta.) *Magis lenta est in caro & Apoplexia, dependens à majore nervorum respirationi inservientium obstructione.*

p Pulsus est debilis.) *Est signum febris lentæ.*

q Urinæ sunt crassæ & turbidæ.) Vid. notas ad medicat. præced. urina pallida, crassa.

Afficitur in hoc ægro a *totum corpus*, quod docet ingluvies & ebrietas, atque urina crassa & turbida: sed præcipue *cerebrum*, quod probat magna illa somnolentia: & præterea b *cor*, ut constat ex febri.

a Afficitur totum corpus.) *Quando Authores dicunt totum corpus laborare, totum sanguinem solito crassiorem aut acrem esse intelligendum est; cum omnibus humoribus ab eo in tubulos partium solidarum impulsis.*

b Præterea cor, ut constat ex febre.) *Causa febris magis est in sanguine, quam corde; effectus autem ejus, ut in aliis partibus, ita etiam in corde persentiuntur.*

Mor-

Morbus, qui eum tenet, est *Veternus*, sive intemperies totius corporis, & præcipue capitis, pituitosa, & a nimis gravis, quæ putrescens, febrem, & cerebri substantiam suo pondere gravans, somnolentiam talem, qualis in historia hic describitur, inducit, quæ græcè *Lethargus* dicitur.

a Nimis gravis.) *Valdè impropria est hæc locutio: potius dicatur sanguinem esse extraordinariè crassum, viscosum & simùl acrem, cujus motus intestinus & progressivus cùm languescant, obstructiones in canalibus partium stabilium producuntur, & secretiones humorum impediuntur, adeoque corpus gravatur.*

a Causa hujus morbi *procatarctica* est ingluvies & ebrietas, cui nuper æger indulgens, magnam b pituitosorum humorum copiam in toto corpore collegit; quæ pro *antecedente* ejus causa est habenda. Eaque in corpore c putredinem concipiens, ac in corde vehementius incalescens, & deinde per totum corpus, ac præcipue in cerebrum delata, illudque suo pondere premens & gravans, d *continens* hujus morbi, & symptomatum omnium, est causa.

a Causa procatarctica.) *Nonnunquam potest esse vapor ex veneno acri & narcotico, aut ex carbonibus denuo accensis aut vinis fermentantibus, aut sulphure accenso, aut etiam ex diutino somno super fœnum recens.*

Medicamenta opiata, & narcotica hunc morbus etiam inducere possunt, si nimiâ dosi, aut intempestivè exhibeantur, nam sanguinem & humores vehementer incrassando, fermentationes diminuunt, quapropter summâ cum cautelâ exhibenda sunt in vigiliis nimiis, ubi vires valde sunt consumptæ.

b Pituitosorum) *adde*, simul & acrium. *Referunt* Garetus & Acosta, *quòd in Asia & Ægypto, mulieres impudicæ somnum maritis concilient, stramoniô (quod est solani species, etiam vocata* Datura & Tatura*) in potu extractô, ut stupra tantò securiùs cum amasiis aliis committere possint.*

Th. Barthol. in act. Hafn. vol. 1. obs. xiv. *observavit Lethargum ab erysipelate pedis oriundum: causa potest dari duplex; nempe vel fuerunt duo effectus ab una eademque causa universali, sanguine sc. crasso viscoso simùl & acri; vel fuit erysipelas intrò pulsum, sive per medicamenta repellentia, nimisque refrigerantia, sive per alium errorem circa sex res non naturales commissum; hoc enim modo, materia peccans retenta & ad sanguinem aliasque partes translata, turbas ciet immensas; confer* Hipp. s. vj. Aph. 25.

Ex morsu aspidis soporem lethalem accidisse Cleopatræ, *testatur* Plutarchus; *ratio est, quòd succus corrosivus læsione cutis, communicatus sanguini & humoribus, incrassationem lethiferam intulerit.*

c Putredinem concipiens.) *Humores omnes, præsertim acres (quales hìc peccant) stagnando putrescunt & corruptelam partibus inferunt; quatenus particulis eorum ab invicem (propter defectum motus naturalis s. consueti, juxta illud* Horatii, & vitium capiunt, ni moveantur aquæ) *secedentibus & poris notabiliter immutatis, spiritui mundi subtilissimo valdè peregrinus resultat per eos transfluxus, qui ubique offendens obstacula notabilia motu suo velocissimô, particulas hamosas & ramosas discerpit & complanat in acuminatas rigidas, quæ ad stamina partium adactæ, rumpunt fibrillas, & cavitatem notabilem gignunt, pro puris collectione* Vid: Schenk: obs. med. p. 64. & 65. *Non tamen hinc concludendum est, nullum dari Lethargum, sine puris in cerebro collectione, sufficit enim id aliquando contigisse & contingere posse, quod negare videtur* Fr. de le Boë Sylvius prax. lib. 2. cap. 29. §. 23.

Ali-

Aliquando supervenit hydrocephalo. | vid. Hild. cent. j. obs. x.

Nam sanguis pituitosus, *a* in venis putrescens & inæquales partes habens, cum cordi perpetuo novam incendii causam suppeditet, illudque in totum corpus per arterias se diffundat, hinc oritur *febris b continua*; quæ calore justo majore, pulsu celeri & inæquali, sese prodit. Magna vero istius pituitosi sanguinis portio, in cerebri substantiam & meningum poros delata, induxit, primum *capitis gravitatem*; eaque ibi aucta, cerebri molem ita oneravit, ut spiritus animales, qui in ventriculis existunt, illud satis attollere, ventriculosque & nervos subjectos sufficienter distendere nequeuntes *somnolentiam magnam, & postea etiam soporem tantum pepererint, ex quo vix ullis clamoribus & corporis vellicationibus*, spiritus in cerebro dilatantibus, *excitari æger possit; & si aliquantum expergefiat, recte tamen audire, oculos satis aperire, & opportuna loqui nequeat, ac proinde inconditum & inconveniens murmur edat, matulæque exhibitæ obliviscatur, mox in somnum, ob cerebri gravitatem, relabatur, & inter dormiendum urinam*, ob nervum, qui vesicam per influentes spiritus claudit, affectum, *inscius in lectum effundat*.

a In venis putrescens.) *Cur quæso magis in venis, quàm aliis corporis vasis? forsan qnia languidior est sanguinis intra eas motus; sed hæc ratio est nimis longe petita; & quatenus hic adest febris continua lenta, eatenus gradus ad putredinem (cujus natura consistit in secessione particularum integrantium valdè notabili) est in tota massa sanguinea & humoribus, prout suo loco clarius demonstrabitur* lib. 2.

b Continua) *propter* continuationem erysipelatis. *Nonnulli Practicorum existimant, febrem producere Lethargum, non verò Lethargum febrem; nos utrumque verum esse posse censemus.* Etmullerus *recenset hanc febrem inter* lymphaticas, *per quas quid sit intelligendum, vid. apud eundem* tr. de febribus. *Ratio autem, cur hic incendium febrile non sit valdè magnum? deducenda est ex particularum materiæ peccantis crassitie, & subtiliorum defectu, undè non possunt ad violentum perduci motum.*

a Sub vesperam ingravescit quotidie febris; quia materia morbifica in cerebro existens, quotidie sub id tempus, propter *b* peculiare suum temperamentum, tam matura evadit, ut in venas sese per rarefactionem effundens, ad cor deferatur, ibique calorem cordis, & deinde totius corporis, præter naturam augeat.

a Sub vesperam.) *Ad vesperam plerumque omnes ingravescunt morbi, quia ob vigilias diuturnas multi avolarunt spiritus, nec sufficientì copiâ sunt regenerati ad temperandum sanguinis acrimoniam, & humorum mixtionem restaurandum.*

b Peculiare.) *Certum est, quòd compositio & mixtio particularum determinata, quàm nec ratione nec sensu ritè satis extricare possumus, in diversis hominibus reddat diversos effectus; ita à vino eodem, alii ad hilaritatem, alii ad tristitiam, somnum, furorem &c. perducuntur; hocque in pluribus est obvium.*

Nec est quod miremur, pituitam putrescentem posse febrim, & hinc delirium aliquod, hic excitare: nam etiam lactuca & gramen, aliaque similia frigida, per putredinem sæpe incalescunt; dum sc. per eam insensibilium particularum pori ita disponuntur, ut æther, in iis copiosior existens & sese vehementius movens,

movens, calorem, sive varium & vehementem insensibilium partium motum, in illis producat.

a Hic affectus, *b* celeriter, nisi celerrimè ei occurratur, occidere solet; ideoque *c* ocyssime illi *medela* adhibenda.

a Hic affectus.) *Hic morbus difficulter curatur in senibus, quia in eorum corporibus obstructiones non facile reserantur, ob partium fibrarum duritiem minus flexilem.*

b Celeriter.) *Confer* Cels. med. cap. xx. & Hipp. lib. de morb. 3. §. v. *ubi ait* morbi Lethargi appellati status idem est, qui & peripneumoniæ, verùm difficilior, & non omninò liber ac remotus est ab humida peripneumonia &c. Si verò effugerit, suppuratus fit. *vid. etiam* coac. prænot. p. m. 532. *Et hæc maximè confirmant ea quæ supra diximus de Lethargi causa, contra sententiam aliorum; nempe vel sunt duo effectus magni ab una eademque causa universali; vel subtiliores quædam acres particulæ à cerebro per canaliculos nervorum ad pulmones devolvuntur & primò inflammationem, deindè suppurationem gignunt; nec repugnat huic phænomeno viarum istarum angustia, cùm infinita dentur exempla effectuum notabilium à subtilioribus moleculis per foramina partium insensibilia*. Schenkius obs. med. p. m. 65. *secundùm Valleriolam, meminit Medici septuagenarii ex diuturna febri in Lethargum incidentis, pro deplorato à Medicis relicti triduum totum; qui paulatim & vi naturæ tacitè operantis, integræ sanitati restituebatur. In senibus omnium difficillimè hic affectus tollitur, partim propter universalem particularum subtilium defectum majorem, nec non rigiditatem fibrillarum & canaliculorum angustiam. Accrescentibus symptomatibus, si prorumpat sudor frigidus, Lethale est. Aliquandò abit iu phrenitidem, de qua* Etmullerus *ita loquitur*, Lethargus ex phrenitide Lethalis, è contra superveniens Lethargo phrenitis, salutare.

c Ocyssimè.) *Hic morbus subitum exigit auxilium, quia intra septem dies, nisi curetur, interimit; siquidem pituita hic peccans, acris & obstructiones graves producens difficulter fermentatur, adeoque, nisi intra septem dies ad concoctionem perduci possit, fermentationes naturales sufflaminantur.*

a Eaque consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei cerebri per contraria correctione.

a Eaque.) *Consistet in intemperiei crassæ sanguinis, partim attenuatione, partim ejusdem è sanguine, & obstructionum è cerebro ablatione.*

a Primo itaque educatur sanguis per phlebotomiam è brachio ad uncias octo.

a Primò educatur sanguis.) *In principio propter præsens erysipelas venæsectio permittitur, verùm illicò eadem celebratâ, adhibeantur alia medicamenta sale & oleo volatili fœta, quorum catalogum mox offeremus. Ad ægrum excitandum, multum confert clamor proprii nominis, aut aliarum rerum gratarum, ita lepidè* Horatius serm. lib. ij. satyra iij. *de avaro Lethargico, sequentem in modum canit.*

Pauper Opimius argenti intus & auri,
Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis
Quondam Lethargo grandi est oppressus: ut hæres
Jam circum loculos, & claveis lætus, ovansque.
Curreret hunc medius multum celer, atque fide lis,
Excitat hoc pacto mensam poni jubet: atque

Effun-

Effundi saccos nummorum: accedere plureis
Ad numerandum. Hominem sic erigit, addit & illud,
Ni tua custodis, avidus jam hoc auferet hæres.
Men' vivo? ut vivas igitur, vigila. hoc age, quid vis, &c.

Naribus porrò admoveatur aqua prophyl. Sylvii, in qua maceratum fuit castoreum vel assa fœtida, caput & nucha fricetur pannis calidis & asperis, vel fiat fomentatio s.a. cum rad. & herbis cephalicis ac spirituosis in uno coctis; spir. sal. ammon. ad guttas aliquot super linguam instilletur, temporibus & naribus illinatur balf. antapopl. Schenkius loco cit. *dicit, ad Lethargum:* verissimum & experimento cognitum remedium esse saturejam cum floribus vino incoctam, calidè occipiti admotam; cum decocti hujus aliquot guttæ auribus instillatæ, Lethargicos revocent certo experimento. *Idem habet exemplum Lethargici unico cauterio sanati.*

Et *a* deinde mox injiciatur hic Clyster:

℞. *Rad. altheæ unc.* ij.
Herb. malvæ,
bismalvæ,
parietariæ,
betæ,
mercurialis an. m. j.
Flor. camomill.
meliloti ana. m. ſ.
Furfuris macri p. ij.
Decoq. in aq. comm. ad lib. I. *in qua dissolve elect.*
Diaphænic., diacatholici an. drachm. vi. *mellis rosati unc. ſ.*
Olei camomill. unc. j. *ſ. salis drachm.* j.
Misce F. Clyster, mox injiciendus.

a Deinde mox injiciatur hic Clyster.) *Hoc utitur Auctor, quia nihil potest internè dari, quamdiu æger non est excitatus, sed Clyster melior occurrit apud Harth. in praxi chemiatrica, nam hæc emollientia sunt intempestiva: debebant esse acria & spirituosa ad excitandum ægrum.*

Potius hæc formula usurpetur:
℞. Ligni guajaci ℥j.
Rad. bryon.
ostrutii ana ℥vj.
Herb. majoran.
betonic.
menth. ana m. j.
Sem. dauci cretic. ℥jß.
Sal. tartari ℈iv. (*ad meliorem extractionem,*) *fiat decoctio in vini albi Gallici q. s. suspendendo, post sufficientem coctionem in calente decocto.*
Pulpæ colocynthid. *in nodulo lig.* ʒj.
in colaturæ ℥x. *dissolve*
mell. scill ℥j.
Sal. gemmæ, *vel* card. ben. ʒjß.
Aq. vitæ Mathiol. ʒij.
Sp. salis ammoniac. ʒj.
M. F. Clyster potentissime incidens.

Sed objici posset, quod hæc ingredientia ut nimis calida febrim exacerbarent, sed regerimus attendendum esse ad symptoma urgens, nempe soporem, ac præterea, humore crasso viscoso diviso & dissipato, salia non amplius febrem continuabunt; ut sileam, quòd acriora ingredientium salia constantibus viribus ad sanguinem non perveniant.

Postea hoc utatur oxyrhodino leviter repellente:
℞. *Aqu. rosar.*
camomill. ana unc. ijß.

a *Ol. rosacei unc. j. ſ.*
camomill. unc. ſ.
b *Aceti optimi drachm. vj.*
c M. F. Oxyrhodinum; tepide cum pannis capiti adhibendum.

a Olei rosacei, camomill.) *Hæc olea eliminanda sunt, quia fere semper trāspirationem insensibilem impediunt, poros obstruendo, qua ratione etiam medicamentorum reliquorum internorum ingressum impediunt.*

b Aceti optimi.) *Acetum humores glutinosos aliquādo melius solvit, quàm spiritus vini, habetque secùm conjunctas duûm generum particulas attenuantes: ita Etmullerus testatur, quod spongia cum succo nasturtii & aceto rosaceo impræegnata, soleat certo experimento applicari naribus in Lethargo, ut arceat periculosum somnum.*

c M.F. Oxyrhodynum.) *Valet etiam epithema* ex aq. theriacali *cum additione* croci & salis alicujus sudoriferi volatilis, *nec non* castorei, & cineris *ex* capillis hominis, & sal volatile aromaticum; *formula sit seq.*

℞. Aq. cinnamomi ℥ij.
menth. ℥iv.
theriac. simp. in quâ
castoreum sit extractum ℥j.
Sal. succin. volat. ʒß.
card. bened. ℈ij.
M. F. *Epithema.*

a Deinceps ad ea remedia deveniendum, quæ ægrum excitare possunt: qualia sunt, b frictiones asperæ dorsi & artuum, c vinculaque iis injecta ac frequentius soluta; tractio pilorum.

a Deinceps.) ὕϛερον πρότερον: *annon omnium primò æger excitandus est, ut interna medicamenta assumere valeat, & annon clyster fecit ad excitationem?*

b Frictiones asperæ dorsi & artuum.) *Et præcipue capitis, calidæ.*

c Vinculaque injecta.) *Ligaturæ in membris externis debent applicari & fortiter constringi, sæpe solvi, & iterum constringi, ut ab istâ continuâ mutatione mens valde afficiatur.*

Naribus fœtida sunt admovenda, ut Castoreum, galbanum, assa fœtida, crines *aut* cornua combusta, spiritus salis ammoniaci super calce viva destillatus.

Imprimis recens, secùs enim multæ particulæ subtilissimæ avolarunt, quæ totum negotium hic perficere debent.

Acetum acerrimum *cum* sem. nigell. rut. & castoreo *coctum*, *effundatur in laminam candentem, cujus vapor per ægri nares transeant.*

Hactenus curatio in paroxysmo, nunc sequitur ea, quæ extra paroxysmum est observanda.

Præterea *a* hoc usurpetur apozema.
℞. *Rad. cichorii.*
polypod. q. ana unc. j.
fœniculi, petroselini,
asparagi ana ʒvj.
Herb. betonicæ, melissæ, hyssopi,
capilli veneris ana m. j.
b *Flor. anthos*
stœchados
camomill. ana. p. j.
Sem. anisi.
fœniculi ana. ʒv.
Decoq. in aq. comm. ad lib. jſ. c *addendo sub finem decoct. fol.*

senæ

sennæ unc. ij. jalappæ unc. ſ.
Colaturæ adde ſyr. de hyſſopo unc. ij.
Aq. cinnamomi unc. j.

F. Apozema, de quo ſumat quotidie uncias quatuor, ſemel vel bis in die, pro ratione operationis.

a Præterea hoc uſurpetur apozema.) *Poſtquam evigilaverit, decoctum, ſuprà capite ſecundo præſcriptum, prodeſt, quia conſtat ex lignis, radicibus, &c. aperientibus, corticibuſque, quæ habent particulas modicè tantum ſubtiles, & rigidas, vel utatur æger ſequen. decocto:*

℞. Rad. ſalſaparill.
chinæ ana ℥j.
Ligni guajaci raſi ℥jß.
Cort. tamariſci, fraxini.
rad. capparum. ana ʒvj.
Herb. card bened.
betonicæ.
ſcolopendrii, ana m. j.
Sem. aniſi, dauci.
ſileris montani, ana ʒjiß.
Tartari crudi ℥ß.

Fiat infuſio calida, in ſ. q. aq. commun. & vini albi Gall. aa. p. æq., poſtea decoquantur lentò igne in vaſe bene clauſo, in col. ℔ iv. diſſ.

Mell. ſcill. ℥jß.
Sal. abſint. *aut* mixti ℈ij.
Sp. ſalis ammoniaci ʒß.
Aq. cinnamomi ℥jiß.
Syr. de ſtæchade ℥jß. *vel* ij.
M. F. decoctum.

Apprimè conducunt poſt paroxyſmum vomitoria antimoniata, vel vitriolata: Etmullerus *mire commendat acetum vitriolatum benedictum, cujus deſcriptionem tradit* prax. cap. 7. de læſo tactu, &c.

b Flor. anthos, ſtæchados, camomil.) *In floribus hiſce non magnum eſt ponendum præſidium, tanquam nimium ſubtilibus, præterea ſatis ingratum addunt ſaporem, præcipuè flor. camomill. aut ſi eos tolerare velimus ad augendos ſp. anim. infundendi tantum eſſent ſub finem decoctionis.*

c Addendo ſub finem decoct. fol. ſenæ, &c.) *Purgantia non addimus, quatenus quotidie alvum non licet purgare: idcirco quando purgare volumus, hoc ſequente uti poſſumus.*

℞. Reſinæ agaric. gr. xiv.
Mercurii dulcis gr. vj.
Trochiſc. alhandal. gr. iij. *vel* iv.
M. F. vel ſ. a. pil. pulvis.

Etmullerus *juxta* Trallianum *Medicum, commendat caſtoreum unà cum purgantibus, nec male, ſpecificum enim aliquid hiſce in caſibus obtinet.*

a Et adhibeatur tale veſicatorium, poſt cucurbitas, humeris, dorſo, & naribus adhibitas:

℞. *Pulv. cantharid.* ℈j.
euphorbii ℈ß.
piperis gr. vj.
Fermenti acidi unc. ß. *aceti q. ſ.*

F. Veſicatorium, collo circa nucham adhibendum.

a Adhibeatur veſicatorium, poſt cucurbitas adhibitas.) *Hoc admitti poteſt in paroxyſmo, unà cum cucurbitis ſcarificatis, quia dolorifica poſſunt ſoporem diſcutere, ſed præſidium poſt uſum apozematis, & lenes purgationes, ponendum eſt in ſudoriferis ſalinis & mineralibus pluries iteratis, ut perrepant anguſtias nervorum, aliarumque partium nondum reſeratas.*

Proſunt etiam pulveres cardiaci, ut corallia, lapides & chelæ cancrorum, mandibulæ piſcium, &c.

Quæ ob ſcabritiem diu in ſanguine hærent, nec ſubtilitate nimia illico avolant.

Circa tertium diem *a* præscribatur hoc linimentum.

℞. *Unguenti alabastrini unc. ſ.*
Olei liliorum drachm. iij.
de castoreo drachm. ij.
M. F. Linimentum; quo caput cum pannis adhibitis illinatur.

a Præscribatur hoc linimentum.) *Potius cucupha precedentis medicationis capiti imponatur, nam pinguia linimenta vix per densam cranii substantiam notabili aliqua copia penetrant, si tamen quid linimento tentare velimus,*
℞. Unguenti artanit. ℥ß.
Salis vol. succ. oleo suo foet. ℥ß.
Ol. majoran. gutt. v.
de lateribus ℥ij.
de castoreo ℥ß.
M F. *linimentum.*
Vel ℞. Unguenti nervin.
Ol. bacc. lauri ana ℥ß.
succini destill. ℈ß.
Sal. vol. aromatic. ℈ß.
M. F. Linimentum, quo illinantur tempora & nucha.

Sumatque hunc bolum:
℞. a *Theriacæ androm.* ℈iv.
castorei in oxymelite sol. gr. v.
M. F. Bolus, sex horis ante pastum exhibendus.

a Theriacæ.) *Suspecta hæc est in morbis soporosis, propter immixtum opium; Si tamen quis eâ uti vellet, eligat antiquam: nos præferremus sequentem haustum.*
℞. Aq. vit. Math. ℥ß.
majoran. ℥ij.
proph. Sylv. castor. nobil. ℥. ij.
Tinct. croc. ℈. iv.
Ocul. canc. pp. ℥ß.
Syr. de card. ben. ℥. iij. *vel* ℥ß.
M. F. H.

Tandem, ubi vis morbi & febris jam plusculum erit superata, cerebrum tali medicamento erit corroborandum:
℞. a *Conserv. flor. lavendulæ, salviæ, anthos, betonicæ ana* ℥ß.
Calami aromatici condit.
Nucis moschatæ condit. ana ℥ij.
Spec. aromatici rosati,
diambræ ana ℈ij.
Theriacæ ℈j.
Cum syr. de stæchade. q. ſ.
F. Electuarium, de quo sumat castaneæ quantitatem, bis in die.

a Conserv.) *Dulcia hæc humorem viscoso-acrem peccantem adaugent; si tamen æger esset delicatulus,*
℞. Rad. enul. camp. condit.
nuc. musch. condit. an. ℥vj.
zinzib. condit. ℥ß.
sulphur. viv. ℥iij. ol. mac. stil. gt. viij.
carioph. arom. pulv. ℈j.
amb. gris. ſ. ℈ß. Syr. de stæch q. ſ.
M. F. Condit.

In victus ratione a aër sit moderatè calidus, & castoreo, *b* pulegio, hyssopo, origano, & aliis similibus alteratus, *c Cibus* ubi malum nonnihil remiserit, sit paucus, calidus, ad concoquendum & ad distribuendum facilis: uti sunt pulli gallinacei, capi, gallinæ. Alimenta quoque poterunt *d* condiri salvia, thymo, hyssopo, roremarino, majorana: *Potus* sit aqua mulsa; *e* à vino abstineat usque

usque ad declinationem morbi. *f Exercitii* loco sint frictiones validæ, vectiones curriculo factæ. *A nimio somno* arceatur æger; & tantum dormiat, quantum saltem viribus conservandis sufficiat. Et quia præ oblivione aut *stupiditate* excrementa alvi & vesicæ deponere negligit, idcirco de excretione est admonendus. Curandumque, ut vel sponte, vel arte *alvum* quotidie *deponat*.

a Aër.) *Lucidus hic requiritur, ut recte monet* Aretæus, *qui hunc affectum nil nisi meram caliginem esse dicit*, ζόφος γὰρ ἡ νόσος.

b Pulegio, hyssopo.) *Hæ herbæ maceratæ in aceto aut vino effundantur in laminam candentem ferream.*

c Cibus sit paucus.) *Ut melius possit digeri, & sanguis acrior reddi.*

d Condiri salvia, &c.) *Omnia aromatica hic prosunt, præsertim si febris absit.*

e A vino abstineat.) *Vinum maturum modicè sumptum non nocet, nisi adsit peripneumonia, præsertim in assuetis.*

f Exercitii loco sint frictiones validæ.) *Frictiones sint calidæ & asperæ, præcipuè capitis & medullæ spinalis.*

Pomum ambræ *sæpius naribus admoveri potest.*

IV.

MEDICATIO VIRI

a APOPLEXIA CORREPTI.

VIr *b* quadraginta quinque annorum, crapulæ deditus, otiosus, pituitosus, plethoricus, *c* subitò: dum domi suæ cum familiaribus colloquitur, magna ruinâ in terram prolapsu, omni sensu & motu est privatus. Restat *d* sola respiratio, *e* quæ tamen satis est difficilis. *f* Ad nullas voces & inclamationes, ad nullas concussiones & vellicationes expergiscitur: *g* sed perpetuò immotus; & nihil percipiens stertit. Pulsus *h* satis adhuc est validus.

a Apoplexia.) *Ratione causarum & effectuum, variis modis distingui solet, primò in* sanguineam & pituitosam, *secundò in* accidentalem & habitualem (*vid.* Willis de an. brut. part. patholog. cap. viij.) *tertiò*, in gravem & levem, *vel ut loquitur* Hipp s. ij. Aph. 42. *in vehementem & debilem*; *quartò, in* subitaneam & lentam, *quæ tamen referri possunt ad classem distinctionis* secundæ. *Denotat hic affectus vi vocis* percussionem, *& propter stupendam naturam, quasi aliquid* τὸ θεῖον *continentem*, sideratio *nonnullis appellatur*: Celsus lib. iij. cap. 26. *Apoplecticos vocat* attonitos, & Willis loc. cit. *vocat hunc morbum*, ἀφωνίαν.

b Quadraginta quinque.) Apoplectici fiunt maxime, ætate ab anno quadragesimo, usque ad sexagesimum, *inquit* Hipp. s. vj. Aph. 57. *confer* s. 3. Aph. 31. *Et quidem rectè, sanguis enim tunc extraordinariè crassus aut acer evadit, qui, affectus hujus causa antecedens dicetur mox suo loco.* Juniores *tamen non rarò invadit Apoplexia: ita apud* Tulp. lib. 1. obs. vij. Juvenem pleni habitus præcipitavit redundans capitis sanguis, in subitam ac gravem apoplexiam, cum tremore, aphonia & stertore, tribus periculosissimis hujus morbi comitibus.

c Subito in terram prolapsus.) *Hinc distinguitur à* comate, caro & letargo, *sed*

sed tamen hactenus cum deliquio animi *convenit, aliquandò paulatim gignitur, præcedente morbo aliquo soporoso leviore.*

d Sola respiratio.) *Et pulsus etiam, vide finem historiæ.*

e Quæ tamen satis difficilis est.) *Differt ergo ab* epilepsia, *quæ habet respirationem satis liberam, atque motus omnium membrorum successivè convulsivos.*

f Ad nullas voces, &c. expergiscitur.) *Hinc differt speciatim à* comate somnolento, lethargo & caro.

g Sed perpetuo stertit.) *Hinc vulgo dicitur differre à quolibet morbo soporoso.*

h pulsus est validus.) *Respectu videlicet illius pulsus, qui in deliquio animi occurrit, (à quô deliquiô dignoscitur per hunc pulsum) sed si vigor pulsus esset naturali major, signum foret apoplexiæ sanguineæ & non pituitosæ.*

Partes affectæ hic sunt, *a* cerebrum, & totum corpus: *Cerebrum* affectum esse, patet ex sensus & motus privatione: atque hinc *totum corpus* per sympathiam, secundum sensum & motum, etiam læditur.

a Cerebrum.) Willis *dicit*, Apoplexiæ subjectum immediatum & proximum esse spiritus animales corpus callosum incolentes, subjectum autem mediatum, esse cerebri meditullium; quo ritu cerebellum & præcordia, aliæque partes omnes, scil. tum animales, tum vitales secundario afficiuntur. Wepferus lib. de Apoplexia, *dicit:* loca principaliter affecta non esse ventriculos cerebri, sed medullosam cerebri & cerebelli substantiam: *nos autem dicimus rationi & experientiæ consentaneum esse, utrumque verum esse posse, & exindè deducendos esse varios Apoplexiæ gradus.*

Morbus, quo hic æger laborat, est intemperies humida & nimis gravis cerebri, cum ventriculorum ejus angustia, vel subsidentia, & *a* glandulæ pinealis ac nervorum subjectorum subitanea & valida compressione, conjuncta: quæ, subitam & tam fortem, ut æger nullâ ratione excitari queat, omnis sensus & motus privationem, respirationemque difficilem, inducens, *b Apoplexia* dicitur.

a Glandulæ pinealis.) *Ubi ventriculi cerebri afficiuntur, etiam hæc afficitur, verùm intempestivè Auctor ejus hic mentionem facit.*

b Apoplexia.) *Describi potest*, sensus motusque arbitrarii nonnunquam subita, nonnunquàm lenta abolitio, cũ somno profundissimo, stertore, aphonia, pulsu nonnunquàm debili, nonnunquàm valido, & respiratione lentissima.

a *Causa procatarctica* hujus affectus est crapula, item otium, nec non temperamentum pituitosum nostri ægri. *b* Hinc enim magna copia humorum pituitosorum & sanguineorum; in toto corpore, ac præsertim in capite ejus fuit genita, quæ *antecedens* hujus morbi est causa: Magna verò humorum pars, *c* primum circa internas venas jugulares, ubi eadem cranii foramina cum arteriis carotidibus ex collo in caput transeunt, copiose effusa, easque arctans; ac eo justam sanguinis ex cerebro versus cor tendentis circulationem impediens; atque hinc deinde in substantiam cerebri, *d* plexum choroïdem, & forsan etiam in ventriculos cerebri, subitò profusa, ibique crassescens, & obstructionem inducens, est morbi hujus *continens*: quæ *symptomatum* omnium jam commemoratum est author.

a Causa

a Causa procatarctica.) *Quomodo sanguis & humores ab ebriositate & ingluvie vehementer incrassentur, acresque reddantur, dictum fuit* in medic. præced.

In misc. cur. ann. 1. obs. 58. *extat historia* apoplexiæ lethalis ex scabie ◡: *ratio est, vel, quòd fuerit duplex effectus ab eodem sanguine crasso, & acri, vel, quòd materia scabiei morbifica, per repellentia, & incrassantia immoderata fuerit retropulsa, undè omnes humores magis fuerê incrassati & acres facti, ad Apoplexiam deinceps generandam. Confer* Mœb. instit. pag. 265.

Apud Helwigium obs. 45. tabaci fumus duobus fratribus mercatoribus Belgis, cùm voluptatis gratiâ, quis eorum plures exsugeret fistulas, concertâssent, Apoplexiam attulit; *ratio est, quòd acres & narcoticæ fumi tabaci particulæ, sanguini & humoribus communicentur, partim per canaliculos linguæ & palati, partim per cellulas pulmonum, adeoque eos incrassent & acriores reddant.*

Hippocrates sect. iij. Aph. 16. & 23. *affert ut causam procatarcticam* pluviosas & hyemales constitutiones; *ratio constat ex antecedentibus.*

Hildanus cent. iij. obs. xj. memorat Apoplexiam ex consueta narium hæmorrhagiæ suppressione. *Idemque* cent. vj. obs. xj. ex colapho non solùm Apoplexiam verùm etiam mortem sequutam *refert: causa* primi *casus est, quòd sanguis crassus & acer, qui olim per nares evacuabatur, posteà retentus extraordinariè magnam causatus sit distensionem, vel erosionem vasorum sanguiferorum cerebri, ut eo in subjecto teneriorum; minusque resistentium,* secundi *autem casus ratio deducenda est ex eo, quòd arteriæ ad bulbum oculi excurrentes, originem ducant ab arteria carotica interna, cum nervo optico foramen oculorum ingrediente, ita ut vehementer percussâ extremitate una, altera non solùm contremiscat, verùm* etiam rumpatur. Celsus lib. iij. cap. 26. *refert Apoplexiam ab ictu fulminis.* Tulpius lib. 1. obs. vj. *morbi meminit attoniti ab ictu vehementi in pectore.*

Ab opiatis & narcoticis perversè usurpatis, Apoplexiam viderunt Willis, Sylvius, *alii: qui verò plures hisce similes legere cupit causas, consulat Schenkium, Horstium, Riverium, Etmullerum, Forestum, aliosque observatores.*

b Temperamentum pituitosum.) Hippocr. s. vij. Aph. 40. *ait*, si lingua ex improviso impotens fiat, aut aliqua corporis pars siderata, melancholicum hoc ipsum; *confer* s. vj. Aph. 56. *res huc redit, ut sanguis sit solito crassior, & acrior, sive viscosus, sive terrestris austerus, ad impetuosum motum in Apoplexia sanguinea concitatus.*

c Potissimùm circa internas venas jugulares.) *Hac de re dissentiunt omninò Practici:* Wepferus *vult* (1.) *ob arteriarum carotidum internarum & vertebralium obstructionem à sanguine in frusta grumosa concreto, aut materia viscosa:* (2.) *ob vasorum istorum compressionem, quæ nempe interdum accidit, quatenus paristhmia, sive cervicis glandulæ, à serosi humoris illuvie ita intumescunt, ut arterias pertranseuntes comprimendo, sanguinis aditum ad caput præcludant:* (3.) *ob affluxum sanguinis inhibitum, quatenus præternaturaliter rupto intra cranium vase, copiose profunditur sanguis.* Willis *contradicit, quatenùs arteriæ caroticæ & vertebrales omnes inter se invicem, ita variis in locis communicantur & mutuò inosculantur, ut si contingat illarum plurimas obturari aut comprimi, sanguinem tamen unius tantum arteriæ, sive carotidis vertebralis ductu ad* ἐγκέφαλον *admissum, statim illius partes omnes, tum exteriores, tùm interiores pervadere, quod non solùm experimento cum atramenti injectione, verùm etiam historiâ contrariâ confirmare conatur:* Sylvius (de le Boë) *facilius admittit compressionem ab humore pituitoso, vel sanguine circa spinalis medullæ radicem collecto: Nos supra indicavimus, omnia hæc vera esse posse, certo*

respectu, non solùm ad gradus diversos Apoplexiæ, verùm etiam ad causas accidentales, & Bartholinus cent. 2. hist. 60. ex sanguine congrumato & extravasato, ventriculos cerebri replente, ex plexibus choroideis eò effuso, Apoplexiam lethalem observavit. *Verùm haud leve nos urget dubium an Apoplexiæ causa immediata & proxima semper* (aut primùm *ut loquitur noster Auctor*) *sit in ipso cerebro) & annon major aliquis polypus ventriculorum cordis, aut sanguis (à causa aliqua fortuita) in pulmonum vel aliarum partium vasis notabiliter coagulatus, Apoplexiam aliquando progignat, dùm contractionem musculorum cordis, adeoque sanguinis propulsionem vegetam versus cerebrum supprimit, præprimis cùm*, Fracassatus in epist. ad Malpighium de structura cerebri, *testetur*, in pulmonibus apoplecticorum vasa sanguifera, interdùm disrupta, aut admodùm turgida inventa fuisse, & Tulpius obs. cap. xxvij. prægrandem ventriculi cordis sinistri polypum notet in Momma Baxio, homine trepido ac hebete, occiso repentè à MORBO ATTONITO.

d In plexum choroïdem.) *Potiùs*, ex plexu choroïde, *nam in statu naturali, semper sanguis transfunditur in canales plexus choroïdei, ut in cœtera vasa sanguifera totius corporis. Hi plexus (duo enim sunt) choroïdei facilius disrumpi possunt, quàm alia vasa intermediæ cerebri partis, quoniam fibrillis validis aut firmis lateralibus non fulciuntur, undè sanguini crassiori prementi minùs resistunt.*

Nam ab humore, in cerebrum ita subitò profuso illudque gravante & ibi crassescente, obstructionemque inducente, *a* subjecti nervi & *b* sensorium commune, sive glandula pinealis, valde premuntur, *c* & sufficiens spirituum animalium generatio impeditur. *d* Hinc motus, ab objectis sensoriis externis impressus, nec in cerebrum, nec ad sensorium commune deferri potest. Atque *hinc jacet ille sine sensu, & quamvis concutiatur, vellicetur, & clamoribus incessatur, nil percipit, nec evigilat.* Et quia ventriculi cerebri partim sunt compressi, partim humoribus forsan repleti, vel plexus choroïdes subitò est obstructus; idcircò subitò justa copia spirituum ibi non gignitur, quo noster æger *omni motu, exceptâ respiratione*, quæ tamen, propter nervos respiratorios, latioribus quidem poris præditos, sed hic tamen aliquantum etiam affectos, est difficilis, *subito privatus, magna ruinâ*, ob magnam sui corporis molem, spiritibus animalibus, eam sustentare sufficientibus destituiam, *in terram repente concidit.*

a Subjecti nervi.) *Sunt hi continuati ductus glandularum cerebri, cerebelli & medullæ spinalis: quarum canaliculis hoc in casu obstructis vel compressis, mirum non est spirituum secretionem & distributionem versùs membra succumbere, saltemque non aboleri.*

b Sensorium commune, sive glandula pinealis.) *Acerba de hac sententia etiam nunc vertitur controversia, quanquàm glandulæ pineali, satyricum nuper* epitaphium *posuerit* Dñus Antonius NUCK b. m. in adenogr. cur. *quicquid sit, hanc quæstionem pluribus enucleabimus in* medic. 6. hujus libri de catalepsi: *tribus hic saltem verbis dicimus, non ut demonstrationem Mathematicam, sed hypothesin valdè verosimilem à Cartesianit assumptam fuisse doctrinam illam de glandula pineali: quoad cœtera; facilius est* μωμεῖσθαι *quàm* μιμεῖσθαι, & cum primis illi sustinuit invidiæ plurimum, qui invidiæ fines, inaccessâ reliquis eruditione, judicantur reliquisse, *prout loquitur profundissimæ eruditionis Sacræ & profanæ Vir aliquis in* gratulatione ad amicum suum celeberrimum de solemnî quadam oratione.

c Hinc motus, &c.) *Id est, denegatô spirituum animalium à cerebro per nervos influxu, non solùm fibrillæ nervorum*

vorum undiquaque flaccescunt, ita ut motuum determinationes ab objectis versùs sensorium cõmune vividè transferri nequeant pro perceptionibus sensuum diversis in mente ciendis; verùm etiam canaliculi musculorum ita evacuantur, ut ad mentis arbitrium fibrillæ eorum innumerabiles contrahi nequeant, pro motionibus naturalibus membrorum absolvendis: ratio autem cur unà cum motionibus arbitrariis, non planè cessent automaticæ, vulgò vitales dictæ? est, quòd plures his, quàm illis sint inservientes nervi, quorum licet nonnulli obstruantur, nonnulli tamen utcumque incolumes & aperti maneant, ad aliqualem spirituum copiam suppeditandam; præsertim quidem versùs musculos respirationi & pulsui cordis dicatos, quoniam à primis, ut ita dicam, unguiculis major (propter causas alibi tradendas mechanicas) spirituum copia illàc fluere consuevit.

Sed *a restat sola respiratio;* quia, quamvis pauci sint spiritus animales, cum illi in alios nervos, utpotè ob pororum suorum parvitatem hic valde arcte compressos, nec ad recipiendos spiritus ita aptos, fluere non possint; hinc illi nervis & musculis respiratoriis, majorem pororum magnitudinem habentibus, alternatim qualicunque modo dilatandis, sufficiunt, in iisque viam ad influendum satis commodam inveniunt; huc accedit, quod hi ob motum respirationis, jam inde à prima nativitate; & dormienti & vigilanti, sine ulla intermissione, continuatum, magis, quàm reliqui omnes totius corporis nervi & musculi, quippe qui diutine per vices sæpe quiescant, ad spiritus vicissim recipiendos sunt adaptati. *Cumque* hæc causa sit manifesta & sufficiens, *nequaquam* b *ad miram & occultam naturæ providentiam,* respirationis usum, quod ille homini præ reliquis corporis motibus ad vitam maxime sit necessarius, conservantem, *hic confugiendum esse videtur.*

a Et sufficiens sp. animalium generatio impeditur.) Apoplexia *non tam oritur, quia spiritus animales in sanguine desunt, quam quia suffocantur crassis carceribus, adeoque nequeunt secerni nec influere in nervos: alioquin esset* lypothymia, *magis quàm Apoplexia.*

Apoplexia sanguinea *distinguitur à pituitosa, quatenùs in* sanguineâ, *vasa magis tument, & pulsus sentitur robustior, atque facies magis rubet, nam tunc sanguis nimiô suô motu externarum partium nonnulla vasa ingreditur, ad quæ in statu sano non pervenit.*

b Ad miram & occultam naturæ providentiam.) *Eleganter* Baco de augm. scient. lib. iij. *ait,* causarum finalium inquisitio circa res physicas, sterilis est, & tanquam Virgo Deo consecrata, quæ nihil parit: etenim qui causas adduxerit hujusmodi, palpebras cum pilis, pro sepi & vallo esse, ad munimentum oculorum: *aut* corii in animalibus firmitudinem esse ad propellendos calores & frigora: *aut* ossa pro columnis & trabibus naturâ induci, quibus fabrica corporis innitatur, *aut* folia arborum emitti, quo fructus minus patiantur à sole & vento, aut nubes in sublime ferri, ut terram imbribus irrigent, *aut* terram densari, & solidari, ut statio & mansio sit animalium, & alia similia: is in metaphysicis non malè ista allegarit, in physicis autem nequaquam, &c. *Confer* Cartes. princ. part. iij. §. iij.

Nullam autem stertoris causam Auctor adducit, cùm tamen de eo locutus fuerit in fine historiæ: nos dicimus (1) *quòd materia crassa, æquè expulsa sit in pulmonum cellulas ac in cerebrum,* (2.) *spiritus animales sufficiente copia non influere, ad aërem vividè impellendum & expellendum, quapropter ille tardis undulationibus vibratoriis ad latera epiglottidis, asperæ arteriæ & cellulas pulmonum allidens, sonum illum*

lum ingratum sive stertorosum producit.

Attamen difficilis est, quia ad respirandum vi magnâ opus est: nam cum diaphragma deorsum movetur, necessario viscera sibi resistentia propellere debet, ad quod requiritur multum robur, quod licet nos non sentiamus, diminutis tamen spiritibus, manifeste sentiri potest.

Quoniam autem *a* nihil nos cogitare observamus, nisi, à motu objectorum, vel corporeis rerum imaginibus & notis cerebro impressis, mens nostra ad cogitandum excitetur; cumque illæ hic, ob valide compressum sensorium commune sive Conarium & defectum spirituum, à cerebro ad Conarii centrum deferri, & in eo animam afficere non possint; *idcirco existimandum, & pro certo habendum, ægrum nostrum, hoc affectu oppressum, nihil imaginari, recordari, vel aliter quicquam cogitare*: Eoque esse manifestissimum, animam, sive mentem humanam, non in cogitando, sive cogitatione, vel actione cogitandi, sed in sola cogitandi facultate consistere; eamque non semper actuosam, sed sæpe ab omni cogitatione, sive cogitandi actione, cessare.

a Nihil nos cogitare observamus.) *Heterodoxa & vehementer absurda est totius hujus paragraphi doctrina, destruens divinam mentis naturam, eamque corpoream faciens: anxiè profectò distinguendum est inter cogitationes mentis simplices, ad naturam ejus solam pertinentes, & inter perceptiones ope corporis menti (secundùm commercium imperscrutabile) communicatas: illarum enim sibi semper mens est conscia, tàm intra, quàm extra corpus constituta, harum autem non semper, quatenùs absque vinculo corporis procedere nequeunt: dum itaque Auctor deinde concludit, mentem* non in actione cogitandi, sed facultate sive potentia cogitandi consistere, *vellem equidem scire, quid agat mens, dùm non cogitat; item annon existentia præcedat potentiam? aut enim mens semper aliquid agit aut nihil agit: si prius quid ergò agit nisi cogitat? si posterius, ergò nulla erit, nam nihili nullæ sunt affectiones. Est autem hoc inter reliqua præjudicia infantiæ, non leviter detestanda minimum, quòd cùm non recordemur eorum, quæ cogitavimus, putemus, nos eo tempore nihil cogitâsse; nempe pauci concipiunt causam memoriæ esse corporalem.*

Prognoseos loco, dicimus morbum hunc *a* periculosissimum esse; quia est apoplexia satis gravis, quod stertor indicat, quam Hippocrates solvi posse negat: & præterea, si hæc solvatur, metus est, ne in paralysin totius corporis; vel unius lateris, commutetur. Spes tamen omnis non plane decollavit; experientia enim probat *b* multos à tali affectu fuisse restitutos.

a Periculosissimum esse.) *Rectè* Willis de anim. brutor. part. pathol. capite viij. pronunciat, morbi hujus prognosin, nunquàm nisi funestam aut dubiam denunciari utpote, quæ nunquàm est sine periculo aut præsenti, aut futuro. *Ratio est* (1) *quòd sanguinis humorumque motu naturali vehementer in una parte principali imminutô, per totum corpus idem similiter imminuatur, undè succumbunt actiones omnes & vitales, & animales, i. e. mors ægri tabernam pede pulsat sive æquo, sive iniquô* (2) *quòd licet causa morbifica vel vigore aliquali fermentationum in œconomia corporis humani, vel virtute medicamentorum aliquomodò dissipetur, stigma tamen notabile relinquat vel paraplexiæ, vel hemiplexiæ, vel pareseως, vel alterius mali funesti; silebo quòd extraordinarie dilatati aut rupti canaliculi intra cerebrum, invadente*

dente Apoplexiâ vice primâ, tanto facilius secundis vicibus recidivam facilitent; sic charta vel pergamena semel plicata, facilius posteà plicaturam servat aut resumit: Verissimè hinc Hippocrates sect. ij. Aphor. 42. *loquutus est*, solvere Apoplexiam vehementem quidem impossibile, debilem vero non facile, *nam* (1.) *causa morbifica nimis pertinax est, quàm ut satis subitò medicamentis s. externis s. internis dividi possit & dissipari pro restauranda sanguinis circulatione naturali* (2.) *si vasa cerebri sanguifera sint disrupta, consolidari non possunt, nisi emollientibus & balsamicis, quæ sanguinem extravasatum vividè satis dividere nequeunt; si verò attenuantia adhibeantur, motus sanguinis ita adaugetur, ut vasa intra cerebrum magis rumpantur, aut materia crassa canaliculis altius insinuetur.*

Pessima est, *inquit* Willis loco cit. *apoplexia*, in qua præter functiones omnes spontaneas abolitas, etiam pulsus & respiratio aut deficiunt, aut laboriosè peraguntur, & tunc plerumque cum spuma oris & ronchis contingit, quibus dein sudor (qui sæpissimè colliquativus, *s. frigidus*, est) superveniens, mortem magis pręcipitem fore indicat, *quatenus indicat causam morbificam valdè magnam & subitam: rarissimus autem fuit casus ille* Tulpii lib. 1. c. vij. de juvene, gravî apoplexiâ correptô, qui brevî pristinam recuperavit sanitatem. Hippocrates sect. vj. Aph. 51. *ait*, quibus sanis dolores derepentè fiunt in capite, & statim muti fiunt, ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit: *ratio est, quòd materia morbifica, subitò super nervorum principia propulsa, pertinacius obstruat, quàm si lentè & paulatim (ut in* hydrocephalo interno) *colligeretur, siquidem & spiritibus & lymphæ, hoc modo via utcumque libera per canaliculos glandularum cerebri & nervorum conservetur versùs partes inferiores:*

> Nam leviter quamvis, quod crebrò tunditur ictu,
> Vincitur in longo spatio tamen, atq; labascit,
> Nonnè vides etiam guttas in saxa cadenteis
> Humoris, longô in spatio pertundere saxa?

Prout canit Lucret. l. 4. de rer. nat. circa calcem. *Verùm hic quæritur, quid significent illa ultima prædicti Aphorismi Hippocratis verba*, nisi febris apprehenderit? *annon febris est symptoma morbosum, quod magno morbo superveniens œconomiam corporis humani magis inverteret & destrueret? equidem id non solùm verosimile est secundùm trita Medicorum fundamenta; verùm etiam demonstrativum: Nos ergò sequentem substituimus rationem, nempè cùm* Hippocrates, *eo in loco verbis expressis dicat*, quibus sanis derepentè, &c. *notandum est, sine causa notabili interna s. intemperie significare eum Apoplexiam à causa quadam fortuitâ externâ ortam; adeoque sanguini adhuc immixtas particulas cujuscunque demùm figuræ subtiles, ita in morbi principio aliquando* (NB) prævalere posse, *ut crassiores particulas ad motum intestinum & progressivum incitando, eas ita dividant & dissipent; ut solvatur Apoplexia; quâ in actione cùm latera arteriarum celerius & vehementius solitô pulsentur, Practici febrem adesse putant, cùm potiùs sit motus plurimarũ guttarum sanguinis* criticus salutaris, *nonnisi* impropriè *vocabulô* febris *indigitandus. Et hoc confirmabimus aliis in locis ubi idem* divus senex, *solutionem morborum criticam, ope febris fieri, inculcat: Hinc constat, quomodo intelligendus sit* Paulus Barbette prax. cap. ij. *inquiens*, febris acuta, melior lentâ vel mediocrî; *dictum sapienti, sat est.*

Lethalis est Apoplexia hæreditaria, quam licet neget Crato consil. 37. *tamen non sine ratione affirmat* Willis loco cit.

Qui ad Apoplexiam proclives sunt, à Frambesario oper. & cons. lib. 2. *ita describuntur:* quibus caput grave frequentî so-

cti sopore tentatur, & corpus omne pigrescit inertiusque evadit; & oculis tenebræ offunduntur, maximè verò senes, pituitosi, somno meridiano & crapulæ dediti, & qui brevi angustaque sunt cervice.

Si post primum insultum benè finitum, ægrotans posteà torpidus magis & hebetior factus, scotomiâ & crebrâ vertigine afficiatur, signum est; eum morbi attoniti accessionibus aliis obnoxium fore, *inquit* Willis loc. cit.

Per salivationem criticam morbum attonitum nonnunquàm solvi refert Paulus Barbette loc. cit. *item* Fred. Deckers in notis ad eundem.

Apoplexia sanguinea *periculosissima est, & longe difficilioris curationis quam pituitosa; quia quam primum sanguis extravasatur, statim partes ejus aqueæ, & volatiles vel avolant, vel diffluunt, & dum aliæ ejus partes crassiores à se invicem discedunt, grumi oriuntur, qui medicamentis sat citò dissipari non possunt.*

b Multos.) *Potiùs aliquos paucissimos, saltem* verâ *Apoplexia correptos.*

Idcirco in acutissimo hoc morbo acceleranda est *Curatio*: quæ *consistet* in caussæ continentis in capite, & antecedentis in toto corpore existentis, ablatione, & deinde intemperiei cerebri correptione.

Itaque primo podici inseratur hoc *a* suppositorium:

℞. *Pulv. hieræ picræ* ℈.ij.
*Colocynthid. scammonii an. gr.*iij.
mellis q. s. salis parum. F. suppositorium.

Dum talis præparatur clyster:

℞. *Centaurei min. salviæ, betonicæ, mercurialis,*
Ivæ arthriticæ an. m.j.
flor. camomill. stæchados an. p. ij.
*sem. anisi drach.*ij. *agarici* ℥j. ß.
pulpæ colocynthid. in pupella ligatæ ℥ß.
Coquantur in aqu. commun. ad lib. 1. *Colaturæ adde*
Electuarii hieræ picræ, diaphœnici, benedict. laxat. an. ℥.j.
b *Olei rutacei, camomill. an.* ℥ß. *sacchar. rubr.* ℥.j.
c *Salis comm.* ℥.ij. F. Clyster, mox injiciendus.

a Suppositorium.) Qui siderati (*inquit* Willis loco cit.) mox pulsu & respiratione privantur, & paulò posteà infrigidati, animam exhalasse videntur, non statim lecto eximantur, aut administrationibus medicis destituantur: porrò quamvis vitæ spes nulla affulserit, non nisi post tres, aut quatuor dies sepulturæ mandentur, quippe tales aut sponte, aut remediorum usu nonnunquàm reviviscunt.

De suppositoriis & clysteribus, *non equidem malè notat* Fred. Deckers, quòd in apoplexia duplo ferè acriores esse debeant, quàm quidem in aliis non soporiferis morbis; *veruntamen & hic cautè procedendum est, nè intestinum rectum inflammetur, aut gangrænâ corripiatur, quale exemplum nobis simili in casu videre licuit.*

Hofferus in Hercule med. tom. 1. c. 1. *notat ex* Horstio, quòd in principio acer clyster non sit admittendus, sed prius fœces alvi per emollientem & laxantem sint educendæ: *postmodum verò nec ipsum crocum metallorum, vel infusionem ejus turbidam verentur clysteribus addere* Riverius & Willis.

Quô verò modo juvant suppositoria & clysteres acres ac spirituosi, dictum fuit in medic. præced.

b Ol. rutac. & camomill.) *Oleum perperàm hic additur, nam acuminæ acrium ingredientium infringit, quæ hic exoptantur.*

r Sal. commun.) *Loco salis communis addi poterunt* salis gemmæ ℥ij. *vel* salis sudoriferi herbarum *tantundem*.

Post operationem clysteris, vel post unam à clysteris injectione horam, a sanguis ex brachio per phlebotomiam, tum ad evacuationem, tum ad revulsionem & derivationem, pro ratione virium, est educendus, præsertim quia hic adest plethora: & clyster post 4. vel 5. horas erit reiterandus.

a Sanguis ex brachio &c.) *Dubium hîc esse Venæ-sectionis successum, rectè innuit* Celsus med. lib. 3. cap. 27. *inquiens*: si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat: *item*, post sanguinis missionem, si non redit & motus & mens, nihil spei superest: si redit sanitas quoque prospicitur.

Occasione dubii hujus successus, recentiorum nonnulli non solùm hic, verùm & alibi, (sed rerum minùs periti) venæ-sectionem planè abolere annisi sunt: sed, ut mea nunc litis effugiendæ gratiâ supprimam verba, dicam quid sentiat hac de re Latinissimus pariter & acutissimus Joannes Nicolaus Pechlinus obs. med. phys. viij. lib. ij. insigne, *inquit*, remedii genus, venæ-sectio, aliis nimium, aliis non satis laudatum, mutua partium odia concitâsse videtur. Chemici certè nasutiores, dùm suis nimium fidunt arcanis, ut generosa quæque, ita & hoc remedium, ex scholis suis proscripserê, ubi Galenici & ipsi intempestivo studiô, nec minore invidiâ, sua tantum, moribus & consuetudine receptâ, venæ sectionem, purgantia & alia præscriptione seculorum tuta, velut sola omniumque morborum unica remedia, damnatis in totum chemicis istis, extulerê. Existimo autem, ut nullum remedium temerè contemnendum est, sive chemicorum, seu Galenicorum laudibus probatum, ita sanguinis missionem, nullis unquàm chemicorum argumentis, quantumvis speciosis, conculcari posse.

Vti autem in Apoplexia, subitò invadente, sanguineâ, *semper vena est aperienda, ita in ea, quæ* lentè gignitur, pituitosâ, *summa cum cautela & præmonitione procedendum est, nè massa sanguinea magis incrassetur, lethumque inferat: quantum porrò spectat ad venarum pertundendarum delectum loquar cum allegato & laudato* Pechlino lib. ij. obs. x. Qui circulationis (*inquit*) arcana intelligunt, non facile persuaderi sibi patiuntur, in sanguinis missione delectum venarum esse habendum, & tamen ut ejusdem rami varias propagines easque vicinas promiscuè incidi posse facile consentiam, esse casus, ubi vas aliud aliô tutius feliciusque aperiatur, experientiâ tot seculorum usu probatâ adductus sum, ut credam: sanè, ubi derivanda est sanguinis portio, aut stagnatio impedienda, quæ in propinquo sunt, venas meliore fortunâ secari, quàm quæ longius absunt, quotidiani nos casus docuerê, facta ex adverso, sive κατ' ἴξιν seu κατ' ἀνάπαλιν evacuatio magis revocat, quàm quæ in eodem latere aut linea instituitur, &c. non ergò vana est curiositas de loco sectionis deliberantium, modò nè in superstitionem exeat affectata subtilitas, & de loco jam certis ejusdem venæ ramuli novam litigandi materiam ministrent. *Videlicet depletionis effectum priùs in parte vicina quàm remotiore subsequi; rationi maximè quadrat. Concedimus ergò hoc in casu (utut* Paulus Barbette *renuat) venarum jugularium apertionem, utpote quæ ordinariè hîc magis turgent, ita ut sine notabili colli constrictione pertundi possint.* Ægrotantis sive in lecto, sive extra ipsum, situs non sit supinus, sed capite nonnihil erecto, ac ad latus, modò unum, modò alterum inclinato, *prout benè notat* Willisius.

Conducit quoque in paroxysmo vesicatorium cervici adhibitum, cum vinculis dolorificis, cucurbitulis scarificatis

tis circa homoplatas, aut his nihil juvantibus, capitis vertici raso aut ferrum candens, aut vesicatorium amplum imponatur.

Vomitoria sunt in sanguinea Apoplexia suspecta, undè Hofferus *ait:* cave à vomitoriis, nisi æger statim à cibo Apoplecticus fuerit factus, & eodem tempore medicus accersitus fuerit.

a Interim fiant extremarum partium frictiones cum spiritu vini calido: & ligaturæ subinde solvendæ, iis adhibeantur.

a Interim fiant extremarum partium frictiones.) *Frictiones calidæ instituantur in capite, ut pori nervorum aperiantur, & materia peccans loco moveatur: quæ frictiones etiam post paroxysmum continuari possunt, sed tantum prosunt in* apoplexia pituitosa: *in* sanguinea *vero absint, quia poros dilatant, & motum sanguinis accelerant, & proinde causæ sunt, quod sanguis adhuc magis extravasetur.*

Clamores alti etiam instituantur & præcipue nominis proprii.

a Sternutatoria etiam, alvo depositâ, ex pulvere euphorbii, ellebori albi, & tabaci facta, naribus inflentur.

a Sternutatoria etiam naribus inflentur.) *Sternutatoria in* sanguinea apoplexia *graviore mortem indubitate afferunt, quia concussione violentâ partium capitis, sanguis cum impetu extravasaretur; sed etiam valde sunt suspecta in* apoplexia pituitosa; *nam possunt nocere, quatenus valida capitis concussione materia peccans ex arteriis in cerebrum exprimeretur; tamen in casu levi admitti possent, durante paroxysmo, quia vix aliquid pejus ægro potest accidere, sique per nares materiam evacuent, malum solvitur; præstat itaque in casibus desperatis remedium anceps quàm nullum.*

In paroxysmo, & extra eum valet suffumigium, ex succino, castoreo & assa fetida, *cujus fumus per infundibulum per nares excipiatur.*

Si his non excitetur, *a* vena sub lingua vel in fronte erit secanda.

a Vena sub lingua vel in fronte.) *Vena sub lingua hic secta periculum inferre posset: venæ enim hæ valde parvæ sunt, & ideo subtiliorem sanguinem evacuant; præterea hoc ægris valde molestum foret, nam quoniam mentis non sunt satis compotes, pro sanguine exspuendo, versantur in periculo suffocationis.*

a Ubi ad se redierit æger, sive paralysis supervenerit, sive non, tales pilulæ, ad causam antecedentem & continentem porro tollendam, præscribi possunt.

℞. *Pil. cochiar.* ℈ij. *pil. fœtidar. trochisc. alhandal. an.* ℈ß. *cum syr. de stæchad.* F. pilulæ, num. ix.

a Ubi ad se redierit æger, tales pilulæ præscribi possunt.) *Nisi vellemus reservare* pil. coch. & fœtid.

℞. Extract. cathol. gr. xvj.
Trochisc. alhand. gr. ij. *aut* iij.
Ol. carui q. s.
M. F. Pilulæ.

Aut uti possumus pilulis in lethargo præscriptis.

Et *a* utatur hoc decocto quotidie ad ℥iij. vel iv. semel vel bis, pro ratione operationis medicamenti:

℞. *Herb.*

℞. *Herb. salviæ, maioranæ, betonicæ, an. m. s.*
flor. stæchad., rorismarini an. p. j.
sem. sileris montani, anisi, seseleos an. ʒ. iß.
Coq. ex aq. comm. ad lib. j. addendo sub finem decoctionis.
fol. senæ ℥jß. *rhabarb. agarici trochisc. an.* ʒij.
cinnamomi ʒß. *in Colatura dissolve.*
syr. de stæchad. ℥jß. F. Apozema.

a Utatur hoc decocto.) *Adde:*
Rad. salsæ parill. ℥j.
pœon. mar.
Contrajer. ana ʒvj.
Lign. guajaci ℥jß.
Cort. tamarisci.
fraxini ana ℥j.
Bacc. junip. ℥ß.
C.C. limati ʒiij.
Tart. alb. ℥ß.
Passul. major. ℥ij.
Post infusionem calidam per noctem aut diutius in vino albo, fiat decoctio ad ℔. iv. *in colat. solve.*
Oxymell. scyll. ℥j.
Salis card. bened. *aut* mixti,
Sp. salis ammoniac. an. ʒjß.
Servatis tamen auctoris herb. flor. & similibus.
M. F. Decoctum.
Conferunt præterea omnes aquæ ant-apoplecticæ, *& ant-epilepticæ sic dictæ.*
Post debitas purgationes & decocti usum, sit haustus sudoriferus sequens vacuo ventriculo sumendus.
℞. Theriac. Venet. ʒj.
Sal. card. bened. *aut* mixti ℈j.
viperini,
succini vol. an. gr. xvi.
Sp. c. c. sale suo vol. impregnati ℈. j.
Bezoard. mineral. gr. viij.
Antim. diaphor. ℈j.
Dissolve in
Aq. card. bened. ℥jß.
vitæ Matthioli, *aut*
antepilepticæ *Lang.* ℥ß.
adde Syr. de stæchad. ʒ. iij.
Sp. salis ammon. gtt. vj.
M. F. Haustus.
Stercus pavonis & anserum, cum castoreo, rutâ, & roremarino, infundatur in s. q. vin. generosi pro Vino medicato. Nonnunquàm usurpentur tincturæ antim., mart. vol., metallor., succini, castor. &c. item salia volat., cran. hum., C.C. succin. &c. Vapores aceti prophyl. sylv. castoreo & semine nigellæ nobilitati, mappis capiti circumvolutis excipiantur, ita, tamen nè respirationis actus incautè minuatur; in os infundatur spir. C.C. vel fuliginis aut alius similis castorinus, vel succinatus.

Tum quoque materia pituitosa apophlegmatismis, & pipere, pyrethro, sem. sinapios, & similibus factis, è capite educatur.

Nucha, & pars, si qua fuerit *a* paralytica, *b* inungantur hoc linimento calido:

℞. *Ol. camomill.* ℥j. *vulpini* ʒ. ß.
De lateribus, castoreo an. ʒij.
Ceræ parum. F. linimentum.

a Paralytica.) *Ex professo hanc materiam examinabimus in* medic. vij.

b Inungatur hoc linimento.) *Bene quidem præcipit Auctor inunctionem nuchæ, quia ibi principium est multorum nervorum (adeoq; non male inungitur tota spina) sed olea hæc parum possunt penetrare; potius*
℞. Ung. de artan. maj. ʒ. j.
Ol. mac. still. gutt. xv.
tartar. destill. ʒß.
Balsam. Peruvian. gutt. xvj.
Theriac. Venet. ʒj.
Ol. vulpini.
de later. ana q. s. pro conf. lin.
M. F. linimentum, qaod præmissis partis

partis affectæ frictionibus calidis, est illinendum.

Præterea balsamum ant-apoplecticum inungatur temporibus, fronti, naso, carpis & regioni cordis, vel hujus loco substituatur pomum ambræ.

In Apoplexia sanguinea *præter venæ-sectionem exhibenda sunt ea, quæ sanguinis impetum refrænant, ut*

Corallia,
Lapides pretiosi,
Terra sigillata,
Bolus armena,
Folia auri,
argenti,
Lapis prunellæ,
Camphora,
Saccharum Saturni.

Omni mane sumat de sequenti mixtura, ad intemperiei capitis & partium paralyticarum correctionem:

℞. *Conserv. flor. rorismarini* ℥iij.
Mithridat. theriacæ an. ʒ-ij. *sp. diambræ* ʒj.
Syr. de stæchade, oxymellis scyllitici an q. s.
a *Misce ad consist.* Electuarii.

Vel ℞. *Conserv. flor. anthos, cortic. citri condit. an.* ℥j.
Rad. acori conditæ, sp. diambræ,
Diarrhod. abbatis an. ʒ.ij.
Cum oxymell. scyllitic. q. s. F. Conditum.

a Misce ad consistentiam Electuarii.) *Quoties nos ægro delicatulo accommodare cogimur, adde electuario*
Salis card. bened. *aut* tamarisci,
aut mixti gr. xxv.
aut viperini ℈j.
Croci optim. ℈ß.
Ol. mac. still.
carioph. an. gutt. viij.
Fol. lunæ subtiliss. trit. num. xx.
Ambræ gris. (*si vir sit*) ℈ß.
Mosch. gr. iv.
Confect. de hyacinth.
aut alkermes ʒiß.
M. F. Electuarium.

In *victus ratione*, aër sit calidus. *Cibus*, ubi morbus nonnihil remiserit, sit paucus, calidus, concoctu facilis, & salviâ, thymo, hyssopo, & majorana nonnunquam conditus. In *potu* sumatur aqua mulsa: vitetur *a* cerevisia crassa & vinum generosum. *Exercitii* loco adhibeantur frictiones validæ, ac partium extremarum ligaturæ, & humeris affigantur cucurbitulæ.

a Cerevisia crassa.) *Præsertim* acida *sive* antiqua. *Remedia alia intra dies quindecim aut viginti, ut minori sint tœdio & majori emolumento variari debent: nam quæ in Natura eximiè possunt & pollent,* (*ut loquitur* Verulam.) *sunt* ordo, prosecutio, series & vicissitudo artificiosa; quæ licet majus quoddam in præcipiendo judicium, majoremque in parendo constantiam requirant, tamen effectuum magnitudine, abundè rem compensant. *Venerea exercitia, cane pejus & angue fugiantur, utpote quæ cerebrum maxime infestant: vid.* Henr. ab Heers obs. ix. circa finem.

V.

MEDICATIO VIRI
a NIMIA VIGILIA
FATIGATI.

VIr 40. annorum, temperamento *b* bilioso & melancholico præditus, cùm magnis *c* curis & sollicitudinibus, ob magnum damnum in mercaturâ passum, se *d* aliquandiu vehementius afflixisset, incidit in insomniam, quâ jam *e* noctes multas vigilat, nec interdiu etiam dormire potest.

a Nimia vigilia.) *Auctor non agit de comate somnolento, neque de caro, quia curationes eorum coincidunt cum lethargi & apoplexiæ pituitosæ medicationibus. Confer* Paul. Barbette prax. cap. iij.

b Bilioso & melancholico.) *Ex sequentibus historiæ verbis satis quidem patet, morbi hujus naturam in hoc homine magnam partem consistere in debilitate mentis, bona hujus mundi fluxa tranquillitati veræ anteponentis, cui similis casus est in* medicatione 14. *Veruntamen, cùm valdè limitatum sit mentis in corpus imperium, ita ut illa magis ab hoc afficiatur, quàm vice versâ corpus à mente, certum est, sanguinem acrem & terrestrem, à causa quadam fortuitâ, ad solitô majorem motum concitatum, non solùm vigilias continuatas, verùm etiam animi inquietudinem, multis modis excitare posse: ratio constabit ex seqq.*

c Curis ob damnum in mercatura.) *Vitium hoc est vulgare eorum, qui cursu incitato nimisque fervido versùs fortunam feruntur, non attendentes ad dicterium illud elegantissimum* Caroli Quinti Imperatoris, *in* institutionibus suis ad filium: imitari fortunam mores mulierum, quæ procos plus nimio ambientes, plerunque superbè aversantur: *Inniti potius oportebat homines* lapidi *illi, qui* Theologiæ & Philosophiæ *est tanquam* angularis, *quæ idem fere asserunt de eo,* quod primùm quæri *debebat. Etenim* Theologia *edicit:* primùm quærite regnum Dei & ista omnia adjicientur vobis. Philosophia *autem simile quiddam jubet:* Primum quærite bona animi, cœtera aut aderunt, aut non oberunt. *Causa autem hujus vitii licet maximè quærenda est in prava educatione, institutione & conversatione, attamen & certò nobis persuademus, illàc multum conferre variam corporis humani dispositionem, quâ, tanquàm fatô, aut necessitate inevitabili, mens absolutum habere nequit imperium in suas passiones, utut obstare videtur acutissimus* Des-Cartes art. 50. part. de passionibus animi: *nam & ipse art. ccxj. part. 3. hæc conciliare videtur, inquiens:* sed quoniam inter illa remedia (*puta contra passiones*) posui præmeditationem & industriam, quâ quis corrigere possit defectus suæ indolis, sese exercendo in separandis motibus sanguinis & spirituum in se, à cogitationibus, quibus jungi solent: fateor paucos dari, qui se satis præparaverint eo modo adversùs omnes impetus, & hos motus in sanguine excitatos ab objectis affectuum, sequi tàm promptè ex solis impressionibus, quæ in cerebro fiunt, & dispositione organorum, etsi eo anima nihil planè conferat, ut nulla sit sapientia humana, quæ possit illis resi-

resistere, cùm quis non satis se ad id paraverit. *Elegantissimè hinc* Verulam. de aug. scient. lib. vij. circa finem, *ita loquitur*; invenitur relatio & congruitas quædam inter bonum animi, & bonum corporis: nam sicut bonum corporis constat ex sanitate, pulchritudine, robore, ac voluptate, sic animi bonum, si juxta Moralis doctrinæ scita illud contemplemus, hùc tendere perspiciemus, ut animum reddat sanum & à perturbationibus immunem; *Pulchrum* verique decoris ornamentis excultum; *Fortem*, ac agilem ad omnia vitæ munia obeunda; denique non stupidum, sed voluptatis & solatii honesti sensum vividè retinentem. Hæc autem, sicut in corpore ita & in animo, rarò simùl omnia conjunguntur. Facile enim videre est multos ingenii viribus & fortitudine animi pollentes, quos infestant tamen perturbationes, quorumque etiàm moribus vix aliquid elegantiæ aut venustatis aspergitur: alios, quibus abundè est in moribus elegantiæ & venustatis, illis tamen non suppetit aut probitas animi, ut velint, aut vires, ut possint rectè agere: alios, animo præditos, honesto; atque à vitiorum labe repurgato, qui tamen nec sibi ipsis ornamento sunt, nec Reip. utiles: alios, qui istorum fortasse trium compotes sunt; sed tamen Stoica quadam tristitia & stupiditate præditi, virtutis quidem actiones exercent, gaudiis tamen non perfunduntur.

d Aliquandiu.) *Hæc vocula notetur, tàm ad causas* vigiliæ continuatæ *facilius explicandas, quàm prognosin instituendam: denotat enim vestigia damni illati, cerebro valdè profundè esse impressa, ita ut difficillimè deleantur, aut immutentur.*

e Noctes multas.) *Addere debuisset Auctor numerum certum, ut prognosis institui posset securior.*

Afficitur in hoc ægro *cerebrum*; quod ex curis præcedentibus, & insecutâ insomnia est manifestum.

Morbus, quo hic æger affligitur, est intemperies calida & sicca cerebri, *a* nimisque rara plexus choroidis, cum spirituum animalium motu nimis valido inde orto conjuncta; quæ ventriculos cerebri & nervos nimis diu distendens, & hinc multorum dierum noctiumque vigilias inducens, à præcipuo symptomate inducto, *nimia Vigilia* appellari solet.

a Nimisque rara plexus choroidis.) *Non benè conveniunt* siccitas cerebri & nimia raritas plexus choroidis; *verùm hæc dicit Auctor, ut facilius posteà explicet copiam & impetum spirituum ad vigiliam continuandam: quid nos de hoc effectu sentiamus, mox significabimus.*

Causa, quæ primum huic morbo originem præbuit, fuerunt *a* curæ & sollicitudines, quibus hic vir se diu maceravit, & mentem perturbavit.

Vehementior enim spirituum motus, quem curarum & sollicitudinum cogitationes produxerunt, exsiccavit & calefecit supra modum cerebri substantiam, porosque plexus choroidis nimium aperuit, sanguinemque nimis calidum & melancholicum produxit. Atque hinc jam contigit, ut spiritus animales, per poros illos istius plexus nimis apertos perpetuò & nimis copiosè exhalantes, cerebri nimis exsiccati & calefacti ventriculos, nervosque sensoriorum inde ortos, perpetuo nimiumque distendant; atque ita *perpetuam nimiamque aliquot dierum noctiumque vigiliam inducant.*

a Curæ & sollicitudines.) *Ut ritè explicetur vigiliæ, à vehementibus animi passionibus, continuatio; notandum est, quòd ab objectis circa sensus, ope spirituum & nervorum, determinationes motuum vehementes ad cerebrum*

brum delatæ, planum sive superficiem ejus variis in locis immutent, & vestigia sui valdè profunda relinquant, undè non solùm actu primo motus spirituum augetur, verùm etiam idem auctus porrò continuatur, quatenùs celerius & vehementius versùs musculos cordis influendo eorum contractionem, adeoque sanguinis & humorum motum accelerant, præprimis quoniam menti, continuò eadem idea objecti primi, tanquàm causæ passionis vehementis primæ, repræsentatur, si itaque in sanguine & humoribus simùl abundaverint particulæ subtiles, aut ad subtilitatem suscipiendam idoneæ, & acres, tantò clarius patebit, quomodo pervigilium nascatur. Secundùm hanc rationem, non solùm explicari debent insomnia rerum distincta, verùm etiam evigilationes arbitrariæ per stata tempora, & somnambulationes, de quibus agemus in medicat. x.

Præter animi passiones, variasque causas fortuitas aliæ possunt esse pervigilii causæ; nempe vel inflammatio, vel dolor partis alicujus sensitivæ notabilis, fames aut sitis extraordinaria, æstus aëris, pruritus & similia, quæ motum sanguinis & humorum, adeoque spirituum accelerant.

a *Periculum* autem est, ne hæc vigilia maniam, phrenitidem, vel melanchoniam pariat.

a Periculum.) *Quomodo nimia vigilia, speciatim à causâ in antecessum enarratâ, producere potest vel maniam vel phrenitidem, dicemus in medicationibus harum affectionum specialibus: paucis hîc dicimus, quòd vigiliarum continuatione, dissipentur nobilissimę & subtilissimę sanguinis humorumq; particulæ copiosissimæ, remanentibus crassioribus effœtis, non solùm lipothymias, verùm etiam alia mala symptomata gignentibus; hinc rectè* Hippocrates Sect. ij. Aph. 3. *ait,* somnus, vigilia, utraque modum excedentia, malum. *Item* Sect. vij. Aph. 18. à vigilia convulsio & delirium, malum. *In senibus difficilius tollitur, quàm junioribus, quoniam sanguine vulgò gaudent acriore. Periculum est nè mollities nimia animi abeat in* desperationem.

Atque ideo ejus *a curatio* quæ in intemperiei istius per contraria correctione, pravorum humorum eductione, & pororum istorum nimis apertorum justa arctatione, consistet, haud erit procrastinanda.

a Curatio.) *Quæ partim per moralia & philosophica, partim per Medica remedia est instituenda: Nempe primò inculcandum est, rei factæ nullam esse revocationem, sed quidem per licita media correctionem & (ut barbarè loquar) meliorationem: demonstrandum est, nos unicè à Deo pendere, adeò ut nè quidem manum elevare, ullamve formare actionem, ad quam actualis Dei concursus, quovis momento non requiratur: adeoque huic soli, non nobis, quibusvis in rebus, non solùm prosperis, verùm etiam adversis, deberi gloriam, utpote qui nobis nihil debet, sed quædam gratiosè largitur, tanquàm usui fructui commissa: nonnisi chimæram esse id, quod Fortuna vocari, hominumque mentes mirum in modum inquietare solet: contrà autem hîc omnia à providentia divina dirigi, cujus decretum æternum adeò infallibile & immutabile est, ut exceptis iis, quæ idem decretum voluit pendere ex nostro arbitrio, cogitare oporteat respectu nostri nihil evenire, quod necessarium non sit, adeò ut absque errore cupere non possimus, ut aliter eveniat. Porrò gnaviter & strenuè inquiratur vis & energia consuetudinis, exercitationis, habitus, educationis, imitationis, æmulationis, convictus, amici-*

tiæ, laudis, reprehensionis, exhortationis, famæ, legum, librorum & si quæ sunt alia; Hæc enim sunt illa (inquit Baco) quæ regnant in Moralibus. Optimum etiam erit, tàm realia, quàm apparentia bona & mala demonstrare per experientiam, & repræsentare, quid nobis promittant ante possessionem, & quàm parùm stent promissis, imò quàm sæpè penitùs contraria, in ipsa fruitione (ut loquitur Dñus Tschirnhaus Medicinæ mentis par. ij.) *exhibeant; Etenim ita deinceps ea, quicquid passiones in contrarium suaserint, non minus facile evitabunt ii homines, ac pueri ignis contactum, cujus tamen splendore anteà delectati, manibus eum imprudenter, nemine monente, tractârunt, ab eo tamen semel læsi, multò, suo malo, prudentiores, ac mille præceptis hac de re ipsis præscriptis, evadunt.*

Quoad medicamenta constitutionem corporis respicientia, videatur medicatio I. *Instituatur justô tempore Venæ-sectio; propinetur emulsio ex hord. mund. ad crepaturam cocto, additis seminibus* 4. *frig. maj. item papav. alb. & lin. ope aq. decoct. hord. colat. add. aq. rof. & syr. pap. alb. q. s. ad gratam dulced. Vel hisce non juvantibus præscribatur laud. op. aut op. solut. & inspiss. gr.* j. *vel* ij. *capiti imponatur farina hord. cum acet. rof. in qua maceratum fuit op. crud. subacta; vel temporibus circumvolvatur oxyrhodinum cum camph. & opio.*

a Primo itaque purgetur tali purgante haustu:

℞. *Cassiæ recens extractæ.*
Elect. diapruni an. ℥ß.
Aq. decoct. hordei ℥iij.
Syr. rof. solutivi ʒvj. *misce.* F. Haustus.

a Purgetur.) *Præjudicium est vulgare, humores acres ope purgantium eliminari: quin ex adverso acredinem majorem suppeditant, aut saltem ex massa sanguinea versùs partes solidas præcipitant: præstat alvum clystere emolliente & laxante eluere; interim haustus auctoris magis laxans est, quàm purgans. Diutius continuante melancholiâ, si sanguis evaserit valdè terrestris, præmissis alterantibus s. præparantibus, demùm accedi potest ad purgationem fortiorem, uti dicetur* medic. xiv. *Transfusionem sanguinis, quam fortè nonnulli hîc commendarent, propter varias difficultates, nè dicam absurditates (undè & hodiè exolevit) planè rejicimus.*

Et utatur bis terve in die de hoc *a* apozemate alterante:

℞. *Herbar. violariæ, malvæ, borrag. bugloss. fumariæ, scariol. an. m.* j.
Sem. 4. *frig. major. an.* ʒj. *papav. albi* ℈iiij.
b *anisi, fœniculi an.* ℈ij.
Flor. borrag. buglossæ, violar. nymphææ. an. p. ij.
Decoq. in s. q. aq. hordei ad lib. j.
In colatura dissolve syr. violar. nymphææ. an. ℥j.
Misce, pro Apozemate.

a Apozemate.) *Hoc pertinet ad* medic. xiv. *sed tunc quoque ingredientia debent esse fortiora: Potius*

℞. sacchar. saturni gr. v.
camphoræ gr. iij. *aut* iv.
tinct. opii. gutt. xx. *aut* xxx.
M. cum cerevisia, aut vino, aut jusculo pro haustu.

b Sem. fænic. anis. flores, &c.) *quæ Auctor hic habet, nocent, quia sua subti-*

ſubtilitate motum Sanguinis augent, & ſalem.

Ubi ſal peccat, ſpiritus acidi penetrantes, & volatiles, ut ſpiritus nitri, ſalis &c. dulc. ſunt adhibendi, quia ſalem obtundendo motum Sanguinis minuunt.

Ad eundem ſcopum ſalis prunell. drach. ſem. *vel* Tartarus nitratus *convenit ad* gr. xv. *vel* ſcrup. j.

Veſperi utatur ſubinde tali emulſione amygdalata:

℞. *Amygdal. dulc. excortic.* ℥ijß.
Contund. in mortario addendo aq. decoct. hord. lib. j.
Syr. de papavere ʒvj. *ſacchari alb.* ℥j.
Miſce F. lac amygdalatum, *tribus vicibus unâ nocte ſumendum.*

Poſtea purgari poterit tali hauſtu:

℞. a *Rhabarbari* ℈iiij.
Fol. ſenæ ℥iij. *cinnamomi* ℈j.
Poſt levem ebullit. infundantur per noctem in aq. hordei ℥iij.
Colaturæ adde ſyr. de cichor. cum rheo ℥j. *miſc.* pro hauſtu.

a Rhabarbari.) *Si purgandum eſſet, loco Rhabarbari in infuſ. melior eſt formula ſequens.*

℞. Extract. Rhabarb. leniter exſicc. gr. xvj.
Diagrid. gr. v. *aut* vj. *aut* vij.
Magiſter. vel reſin. jalapp. gr. ij.
M. f. pulvis.

Vel ℞. Aloes lotæ ℈ß.
Diagrid. gr. v.
crem. tart. ℈j.
M. f. pulvis.

Pro delicatioribus adde parum Sacchari ad ſaporem.

Rhabarb. & ſenæ vires in infuſione calida melius extrahuntur, quam coctione; nam coctione partes magis craſſæ, terreſtres, & adſtringentes, motu iſto violento ſeparatæ, aquæ immiſcentur, quæ nocent: nam poſt purgationem, alvum iterum adſtringunt;

Nares, frons, & tempora veſperi illinantur tali *a* linimento:

℞. *Ol. nenupharini, unguent. popul. an.* ℥ij.
opii thebaici, croci an. gr. iij. *Miſce.*

a Linimento.) *Linimento & oxyrhodino, non tantùm unum aut alterum granum opii crudi immiſceri poteſt, ſed gr.* viij. *ad unguent. popul. unc. ſem. vel gr.* xv. *in oxyrhodino unc.* viij. *quia ad cerebrum non niſi pars ſubtiliſſima opii penetrat, quæ non nocere poteſt ob ſui ſubtilitatem, & præterea ab oleis admixtis obtunditur, niſi nimiâ doſi exhibeatur.*

Pedes etiam in Balneo tepido detineantur, in quo fuerunt cocta capita papav. & flor. camom. & reliquæ herbæ emoll. ut placidè vapores ſanguini immiſceantur, qui minorem motum conciliant, & particulis ſuis aqueis acrimoniam temperant, & ita blandum ſomnum inducunt.

Oxyrhodinum conveniens paratur ex oleo roſar. & aceto roſac. quod extraxit portionem opii.

Cubitum iturus ſumere etiam poteſt ſyr. de papav. ʒvi. vel ℥j. vel *a* laudani opiati in forma pilulæ gr. iiij.

a Laudani opiati.) *In hoc affectu narcotica non magnâ doſi ſunt præſcribenda, nam ubi ægri à nimiis vigiliis ſunt defatigati, ſi ſemel dormiant, vix iterum expergeſiunt. Huc ſpectant camph. & ſal Saturni.*

Tartarus vitriolatus cum grano uno opii hic prodest, quia salem infringit, & motum Sanguinis coërcet: vel quia camphora est minus metuenda ob sui subtilitatem, potius eam elige vel mixturam seq.

℞. Tartari Vitriolati gr.xv.
Laudan. opiat. gr. j. *vel* ij.
Camph. g. iij. *vel* iv.
M. F. Pulvis.

Tinctura opii cum ol.tart. & spir.vini præparata, hic commodissima est ad cochleare dimidium assumpta, quia ob subtilitatem nullibi hæret, aut obstructiones efficit, sed potius lenes sudores excitando, opii particulas secum ex corpore tandem abripit.

In diæta aër sit *a* frigidus & humidus; uti & *cibus* & *potus*. Utatur itaque lactucis, malvâ, endiviâ; carne vervecina, agnina; elixis potius, quam assis. Cerevisiâ potius, quam vino. *Fugiat* vehementiores *motus* ac *sollicitudines*. Versetur in *loco obscuriore*, remoto à strepitu. *b Hilaritati* det operam. Excretio *alvi* sit *c* moderata.

a Frigidus.) *Sit temperatus.*

b Hilaritati det operam.) *Jam olim Musica, fugatrix dœmonum (tristium & desperatarum cogitationum) habita fuit, utpote quæ animum & aures, nisi prorsùs asininas, mirâ vocum, spiritus, chordarum &c. varietate atque modulatione demulcet: ad quod alludere videtur* Horat. Flaccus ode xj. lib. iij. *Mercurium invocans, ut cantus sibi dictet, quibus animum Lydes flectat,*

Tu potes tigreis, comitesque sylvas
Ducere, & rivos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus: quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.

Familiare & domesticum in pueris vagientibus remedium, quô facilius ad somnum componantur, vocis modulatione, tanquàm incantamento, uti. Sed etiam in adultis, *inquit* Pechlin. obs. med. phys. xxix. lib. iij. æquali quodam tono & vel murmure salientis aquæ devincti spiritus, lentum aliàs somnum procurare solent. Vidi ego (*inquit*) qui acie ingenii interveniente, ad gratos quosque congruosque tonorum rhythmos suspensi hærerent, dolorumque omnium & sui penitùs obliviscerentur.

c Moderata.) *Nè alvus disponatur ad diarrhœam.*

VI.

MEDICATIO VIRI,

a CATALEPSI LABORANTIS.

VIr *b* annos natus quinquaginta, temperamento melancholicus, hyeme asperrimâ, post diuturnos in occipite perceptos *c* dolores sedens in musæo inter libros, quibus *d* studiorum causâ totos dies assidere solebat, subito *e* omni *f* sensu & motu est orbatus, *g* exceptâ respiratione, quæ ipsi cum *h* pulsu est integra. Manet perpetuò in eodem corporis statu, *i* oculis velut in adstantes defixis, palpebrisque immobilibus & inconniventibus. Compellatus & interrogatus nihil audit, nihil respondet.

a Ca-

a Catalepsi.) *Uti plures alias, ita & hanc medicationem, mutuatus est Auctor à* Foresto lib. x. obs. 42.

Est hic affectus rarissimus, uti benè notavit Henr. ab Heers obs. rar. iij. lib. j. Galenus, Fernelius, Platerus, Dodonæus, (*celeberrimi Practici*) *unum duosve saltem viderunt: apud alios plerosque Practicos, altum de illo silentium; neque verisimile est tàm raram rem, si vidissent, tacituros fuisse. Quicquid sit, affectus reverâ est philosophicâ consideratione dignissimus, utpote qui momento citius hominem, cœterâ sanissimum, cum sensuum, motuumque arbitrariorum ablatione, corripit, membris ipsissimô eô in statu manentibus, quô erant invadente paroxysmo, nisi motus aliqua determinatio aliundè provenerit, liberâ respiratione, sanoque pulsu superstite.*

b Annos quinquaginta.) *Nec ætas, nec sexus, nec temperamentum (ut ut Auctori placet) melancholicum aut hyems, ad hunc affectum producendum, notabile quicquam conferre valent; secùs enim adeò rara haud esset catalepsis: strictè tamen loquendo, ætas senilis & intemperies sanguinis crassa viscosa, vel austera, aliquid fortuitum contribuere possunt, uti posteà constabit ex causis: interim & ea inserviunt cognitioni prognoseos, & directioni dosium.*

c Dolores.) *Hi sunt fortuiti, adeoque ad naturam affectus parùm aut nihil contribuentes.*

d Studiorum causâ.) *Simile quid de condiscipulo suo narrat* Galenus comment. ij. in prorrhet. Hippocrat. cap. LV. *item* Fontanus anal. cap. xiij. exempl. X.

A mœrore catalepsin observavit Rondelet. meth. cur. morb. cap. xx. *Ex amore in juvene Britanno*, Tulp. lib. j. cap. xxij.

A diuturna tempestate austrina, in puella quinquennî, memorat Fehr. tr. de absinth. p. 59.

A malè curato erysipelate Grembs. in arbore ruinosa p. 306.

A febre quartana simile quid habet Borrichius in act. Hafn. Barthol. vol. v. obs. 52. *Confer* Helwig. obs. 59. & Marcell. Donat. lib. ij. cap. 7.

Catalepsin statariam periodicam, ab obstructione mensium ortam, refert Joan. Mich. Fehr. in misc. cur. dec. ij. ann. j. obs. 1.

e Omnî sensu.) *Non semper omnis sensus aboletur in catalepsi, sed aliquandò superest visus vel auditus, teste* Galenô comment. ij. in lib. j. prorrh. Hipp. item Capivaccio lib. j. med. pract. cap. 21.

f Et motu.) *Scilicet arbitrario: nam naturalis sive automaticus ritè procedit, ut constat ex pulsu & respiratione illæsis, item ex eo, quòd determinationes motuum ab aliis objectis suscipere valeant cataleptici, ita ut si stantes protruseris, instar Dedaleæ cujusdam statuæ aliquot passus meabunt &c. quæ omnia notant secretiones humorum & spirituum ritè procedere.*

g Exceptâ respiratione.) *Hâc voce distinguitur catalepsis ab Apoplexia: & quatenus cataleptici eundem servant statum, in quo erant ante paroxysmum, nisi aliundè determinentur, differunt ab Epilepticis, ac spasmo, & vertigine caliginosa affectis.*

h Cum pulsu.) *Hisce verbis distinguitur ab animi deliquio.*

i Oculis velut in adstantes defixis.) *Apud* Henr. ab Heers obs. iij. *Monachus Capucinus uno genu terræ innitebatur, alterum ceu flexurus curvabat: brachiorum sinistrum pendebat ad genu dextrum, in aërem elevatum, diductis digitis, viam prætereuntibus, ut olim Mercurii statua, ostendere videbatur: Utrumqne omni gelato marmore frigidius, patebant oculi, sed irretorti, & quicquid sudario illo perstringerentur, inconnivi: os hiabat, cum respiratione satis libera; pulsus in utroque brachio & temporibus sat magni.*

Ut

Ut ex hac historia *cognitionem per diagnosin & prognosin* rectè auspicemur, & deinde ad *curationem* perveniamus, investiganda primum *pars affecta*: quam *a* ex omnium actionum animalium læsione, cerebrum esse colligo; Læditurque illud præcipuè secundum illam particulam, quæ *b* sensui communi inservit, quia æger manet in eodem inter sedendum statu, & oculos servat apertos: *c* quod non fieret si totum cerebrum graviter esset affectum; ut apparet in apoplexia, paralysi, & similibus aliis gravibus cerebri affectibus.

a Ex omnium actionum animalium læsione.) *Non semper hoc verum esse, notatum fuit in antecedentibus: Reverà etiam respirationis actus, inter actiones animales numerari meretur, quanquam dici posset, ad arbitrium mentis eam hîc non procedere, sed duntaxat automaticè: verùm enimverò, ad actiones corporis omnes, concursum spirituum animalium, absolutè necessarium esse, cùm liquidò constet, solidè procedit assertum.*

b Quæ sensui communi inservit.) *Hac de materia, si qua alia, Philosophi & olim, & nunc, contentionis serram reciprocantes, Sisyphi saxum volvunt, immiscentibus se huic controversiæ, non solùm Anatomicis, verùm etiam è fæce plebis nasutioribus, quos tamen memores esse vellem dicti istius* Apellis, NE SUTOR ULTRA CREPIDAM. *Nos quidem omnia sigillatim hic expendere, animum non induximus, cùm pleraque sint adeò trita, atque attrita, ut pudeat eorum meminisse; veruntamen aliqua ponderosiora, in quantum hùc pertinent, necessitate quadam ducti, in medium proferemus, tàm circa sensum communem, quàm sedem mentis immediatam. Et quoad primum; asserimus sensum communem referendum esse ad intellectum, sive perceptionem tàm simplicem, quæ sine corpore procedit, & nonnullis potius dicitur conceptio; quàm compositam, quæ sine corpore organico fieri nequit; ad primam perceptionem, pertinet, & lumen naturale (ut vocat* Des-Cartes) *& clara atque distincta perceptio: ad secundam, pertinet quidem clara, sed non distincta perceptio, cujus differentiam vid. apud* Des-Cartes, princip. part. I. §. XLV. & XLVI. *Prima perceptio dicitur in Scepticorum libris* criterium per quod; *secunda,* criterium secundùm quod; *vel etiam prima dicitur cognoscendi actus primus (nonnulli vocant potentiam primam) altera verò actus mentis secundus, quo res jam cognitas & perceptas dijudicat: verùm hæc utplurimùm non adeò subtiliter (imò nec semper opus est) à Philosophis distinguuntur, quoniam & lumen naturæ, & clara ac distincta perceptio, in re legitimè cognoscenda & dijudicanda, concurrunt; hinc non male* Johan. Bohn. in circul. physiol. anat. progymn. XXVIIJ. *inquit:* sensus communis formalitas, quo commodius intelligatur, ejus nomenclaturæ æquivocatio ante omnia erit declinanda, quatenùs interdùm & minus propriè ipsam rationem denotat, dum illos sensu communi carere dicimus, quos rectæ rationis usu destitutos, stupidos, stolidosve observamus: in magis proprio verò significatu, nihil aliud, quàm sensationum externarum cunctarum terminus & centrũ quasi commune videtur, in quo, & à quo corporis lucidi, colorati, sonantis, sapidi, &c. Species percipiantur, earumve, non ut impressarum, sed ut expressarum, apprehensio fit. Aliis hoc dicitur imaginatio prima, ad differentiam secundæ, & communiter ita dictæ, & à sensatione seu sensibus in hoc differt, quòd corpora sensibilia per hos, non qualia sunt in semetipsis, sed tantum qualia sunt intuitu organi, repræsentantur: per illam verò corpora, ut reverà sunt; & sub certis ideis admittuntur, ac dignoscuntur, &c. *Concipiendi sive intelligendi potentia in omnibus hominibus æqualis est, nec minui nec augeri propriè potest; Neque enim posset homo, ideas, quas nemo præter se nactus esset, & quæcunque ex*

iis educerentur, ulli cæterorum mortalium interpretari, essentque talia, quæ oculus vidit nunquàm, nec auris audivit, & qualia nunquàm cogitationes reliquorum hominum subierunt: at quis hominum talia jactare potest? vid. exerc. miscell. post Œcon. anim. Hogeland. §. vij. Verùm percipiendi s. imaginandi facultas, ope organorum sensuum procedens, inæqualis est, & minui & augeri potest. Quatenùs autem arctissimum est inter mentem & corpus commercium, mirum haud erit, quòd multi homines, ratione suà malè utentes, intellectui valdè iniquas tribuant operationes; confundunt enim cum intellectu imaginationem, quæ per sensus acquisita, suppeditat innumera præjudicia, innumeros errores: undè phantasia fovetur, passionibusque laxa datur habena.

Hisce de sensu communi, breviter ita prælibatis, ut reliquæ aliæ, hùc spectantes controversiæ, facillimo negocio (modò deductionis servetur catena) possint explicari; transeundum est ad quæstionem alteram, quo modo mens sit corpori unita, ut perceptiones rerum hoc mediante acquirat? imò etiam ut ad ejus arbitrium, varias hoc suscipiat motuum determinationes? & cui corporis parti magis, propriè loquendo, mens sit immediatè conjuncta? Et quoad primum, ingenuè cum aliis, quos hactenus nobis cognoscere licuit, Philosophis sobriis, fatemur, inter jura Dei sibi soli relicta, ponendum esse illum modum, quo duæ substantiæ finitæ, toto cœlo diversæ, adeò arctè, ut videre licet, uniri possent, ut mutuum habeant commercium: quapropter ut alibi, ita hic ea nobis cautelâ est utendum (prout loquitur Des-Cartes princ. part. 1. §. xxiv.) ut semper, quàm maximè recordemur, & Deum auctorem rerum esse infinitum, & nos finitos. Nec ullo modo mirabimur (pergit idem §. xxv.) multa esse, tùm in immensa ejus natura, tum etiam in rebus ab eo creatis, quæ captum nostrum excedant. Veruntamen cùm clarè & distinctè cognoscamus, in diesque observemus, arctissimum esse duarum istarum substantiarum connubium, saltemque non permixtionē, absurdum foret, (ut ait Des-Cart. part. j. princ. §. xLI.) propterea quòd non comprehendimus unam rem, quam scimus ex sua natura, nobis esse debere incomprehensibilem, de alia dubitare, quàm intimè comprehendimus, atque apud nosmetipsos experimur. Et reverà si quis causarum dependentiam, seriem, & concatenationem, atque opera providentiæ accuratè intueatur, tunc secundùm Poëtarum Mythologiam, facile credet, summum naturalis catenæ annulum, pedi Solii Jovis affigi.

Postquàm ergò concessum existimem, mentem immediatè corpori unitam esse, inquirendum restat, an omnibus corporis partibus æquè sit conjuncta, ut eodem modo ubique operetur? & hæc quæstio facilè (nostro judicio) dirimitur per conscientiam propriam, & experientiam quotidianam; plurimæ enim sunt partium actiones naturales, quarum mens non solùm non conscia est, verùm etiam, quarum ordo & continuatio ad mentis voluntatem immutari prorsùs nequeunt; quod certe haud futurum, verisimile est, si omnibus æquè esset conjuncta partibus; imò etiam quatenus variæ partes, quas aliàs imperio mentis subjectas observamus, salvis omnibus mentis actionibus, lædi & auferri possunt: hinc justè infertur, nec etiam iis mentem immediatè esse unitam: at verò cum innumeris jam dudùm evictum sit argumentis, quòd cerebrum sit omnis sensus motusque primarium instrumentum (vid. Exerc. miscell. annexas œcon. anim. Hogel.) Philosophorum plurimi, hâc in parte, sensorium commune, cujus ope mens immediatè magis imperium suum in corpus exerceret, anxiè quidem inquisiverunt, sed non omnes eandem amplexi sententiam: Eorum autem omnium diversas hypotheses, brevitatis studio, hic enarrare, & ad rationis trutinam ponderare, nunc non fert animus; sed eam

duntaxat, quam assumpsit Cartesius, aliquomodo à scommatibus multorum, si non planè vindicare, saltem (ut pristinus verisimilitudinis tenor permaneat) repurgare; nam licet nec Cartesius, nec veri ejus sequaces, unquàm, ut absolutè verum, esse statuerint, quòd glandula pinealis esset sedes mentis immediata; attamen quatenùs ea hypothesis omnibus satisfacit explicandis phœnomenis & circumstantiis, nec verisimilior hactenus ulla apparuit doctrina, eam nobis tamdiu servare placuit, donec solidius fuerint refutata, & verior alia in locum ejus substituta: Proprietates ergò sensorii communis nobis verisimiles, cùm sint (1) ut sit pars solida; quò motuum determinationes ab objectis ope sensuum susceptæ, permaneant, ad fixam menti perceptionem conciliandam; non enim impressionis vestigium permanens, fieri potest in fluido, cujus particulæ seorsìm singulæ, ab invicem separatæ, & celeriter in orbem motæ, non magis resistunt pressioni secundùm unam, quàm aliam partem: nec etiam convenit simplicissimæ Dei constantiæ, mentem continuò novis fluidis (prout fert eorum natura unire: (2) ut sit pars mobilis; quò spiritus animales, tanquam totidem exsequutores servi fideles, voluntati mentis obsequentes, officia debita, ipsâ mediante, momento citius præstent: (3) ut figuram habeat, non solùm undiquaque motuum determinationibus suscipiendis, verum etiam distribuendis, aptam; qualis est conica & circularis, vel sphæroïdes (4) ut sit exigua, adeòque ad motum facilem magis disposita; (5) ut sit ad propylæum spirituum animalium locata; quò hi, tantò magis in promptu sint, ad mandata sui Imperatoris absolvendum; denique (6) ut sit propinqua nervis copiosis; quibus tanquam totidem instrumentis, & cuniculis latebrosis, uti potest, ad emissarios suos ritè amandandum: (7) ut sit unica; nè res simplices, duplicia per organa, menti repræsententur ut duplices: Hæ, inquam, proprietates, cùm reperiantur in glandula pineali; nondùm videmus, quô jure, ipsi prærogativam multi auferre conentur, nè sit mentis sedes immediata; etenim, quæso, nùm quia arenulis nonnunquam inquinatur, sensorium esse nequit? equidem puto nondùm probatum esse eam fuisse totam lapideam; qualis si vel esset, etiam tunc sensorii communis officio fungi posset, quod forsan superat captum multorum præoccupatorum Anatomicorum, forsan autem arenulæ illæ, sunt scamna & sellæ mentis, super quæ lassata requiescat; quidni? natura nihil facit frustra; sed mittamus jocos! an quæso, quòd defecerit hæc in nonnullis hominibus glandula, munus ipsi à nobis attributum corruit? vellem prius scire, quò fato abfuerit? forsan cum mente in campis Elysiis, ut arva tenere posset læta avolavit: quidni? pulsa illàc fortè fuit, cruentâ Anatomici hastâ, vel si mavis, occæcatam manum (nè dicam oculum) clàm subterfugit, nè videns vivensque (ut Virgo Vestalis olim ad portam Collinam) humo mandaretur: Sed scio quid sit! immobilis est glandula, adeòque inepta, quæ sit sensorium commune: ast verò, à quo tempore, sodes! & quo fato, facta est immobilis? olim enim erat unanimi Anatomicorum consensu mobilis; forsan Gorgonem vidit: verùm nos potiùs cum Martiale lib. x. epig. IV. canimus,

> Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyïasque
> Invenies: hominem pagina nostra sapit.

Tu nè verò, (dicant) deliras, qui nobilissimam mentem in sede adeò impurâ, nè dicam obscœnâ (videantur Anatomicorum libri) collocas? in cloaca? equidem certe hoc (ignoscas, precor!) ignorabam; verùm quid refert? etiam Gallus in sterquilinio plurimùm potest, & aliquandò gemmam invenit: Attamen (pergunt) nimis distat ab emissariis suis & servis, spiritibus sc. animalibus & nervorum principiis: doleo, hercle vices tanti Imperatoris, quod servos habeat adeò segnes & ignavos, Quid?

An nescis longas Regibus esse manus.
Me miserum! bruta gaudent glandula pineali, imò multò, quàm homines, majore; Tunè ergò & ipsis mentem tribuis? ô tempora! ô mores! sed heus! amice adsis! noli nimis festinare! bruta gaudent centro ovali, septo lucido, corpore striato, corde, ventriculo, sanguine, spiritibus &c. annon idcirco etiam mentis potiuntur? bellè, perbellè! observo te Philosophiæ totum oceanum ingurgitâsse, sed vereor, nè senatum consilii convocare cogar & deliberare, nùm urnâ cicutæ, vel hydragogô potenti eum expurgare, an verò paracenthesin artificialem instituere conveniat? Cede potius locum immediatum menti (obsecro!) in glandula pineali, donec ipsi nobiliorem sellam adornaveris, & Epitaphium, *quod ipsi viventi nuper positum fuit sequens*,

VIATOR.
GRADUM. SISTE.
OMNIQUE. CONATU. CONARIUM.
RESPICE. SEPULTUM.
PARTEM. TUI. CORPORIS. PRIMAM.
UT. OLIM. VOLEBANT.
ANIMÆ. SEDEM.
GLANDULAM. PINEALEM.
HOC. SECULO. NATAM. ET. EXTINCTAM.
CUJUS. MAJESTATEM. SPLENDOREMQUE.
FAMA. FIRMARAT.
OPINIO. CONSERVARAT.
TAMDIU. VIXIT.
DONEC. DIVINÆ. PARTICULÆ. AURA.
AVOLAVERIT. TOTA.
LYMPHAQUE. LIMPIDA.
LOCUM. SUPPLERET.
ABI. SINE. GLANDE. VIATOR.
LYMPHAMQUE. UT. ALIIS. CONARIO. CONCEDE.
NE. TUAM. POSTERI.
MIRENTUR. IGNORANTIAM.

Tu ita transmuta, si tibi placuerit.

VIATOR.
GRADUM. SISTE.
OMNIQUE. CONATU. CONARIUM.
NUPER. TUMULATUM.
VIDE. RENATUM.
PARTEM. TUI. CORPORIS. PRIMAM.
UT. VOLUIT. RENATUS.
UT. VOLUNT. SEQUACES.
ANIMÆ. SEDEM.
GLANDULAM. PINEALEM.
HOC. SECULO. NATAM.
DENATAM. ET. RENATAM.
CUJUS. MAJESTATEM. SPLENDOREMQUE.
FAMA. FIRMARAT.
LIVOR. OBFUSCARAT.
VIRTUS. CONSERVAT.
RINGENTE. ZOÏLO.
OLIM. VIXIT.
LEGE. ATTENDE. MIRARE.
ETIAMNUM. VIVIT.
DONEC. DIVINÆ. PARTICULA. AURÆ.
DECESSERIT. TOTA.
SUSPICE. GLANDULAM. VIATOR.
MENTIQUE. TUTO. EAM. CONCEDE.
SIC. TUAM. POSTERI.
LAUDABUNT. SAPIENTIAM.

Si plura, ad stabiliendam, de glandula hac, hypothesin, ab aliquo desiderentur, conferat inprimis exercitationes miscellaneas de conjunctione mentis & corporis, annexas cogitationibus Corn. ab. Hogelande; *ubi ex professo haec materia, speciatim circa Catoches sive Catalepseos phoenomena, dilucidatur; nos hic intra notularum cancellos, quantum possibile, manere gestimus. Rideant nos Pineales, Doctores alii! suo proprio rident opprobrio, dùm quidem rodere sciunt, corrigere nesciunt: exclamet* Auctor ille Gallicus Novellarum Reipublicae Litterariae, l'an 1685. au mois Fevrier: tousjours si attaché à son Cartesianisme, qu'il n' abandonne pas même, ce que les premiers Cartesiens ont pensé de la glande pineale, sur quoi presentement les plus fermes piliers de la secte ne comptent pas fort! *certè exclamat propriam ignorantiam; sciat etiamnùm quòd Myrmillonibus, sui non deficiant Retiarii.*

c Quod non fieret.) *Benè hic Auctor procedit: & reverà sensorium commune hic affici, patet ex eo, quod nullae novae fiant spirituum determinationes in membra, motui arbitrario inservientia; sed idem maneat situs membrorum qualis erat invadente paroxysmo: nam si brachium extensum fuerit ante paroxysmum, in extensione perseverat: si oculi aperti fuerint, manent aperti &c. quod indicat, satis copiosos spiritus à cerebro ad partes amandari: nempè minimè id fieret, si totum cerebrum afficeretur; sed aeger in apoplexiam, aut morbum soporosum incideret; praetereà spiritus sufficienti copiâ secerni & distribui versùs corporis membra, vel exindè patet, quod respiratio maneat integra, & aegri stantes, si protrudantur, procedant.*

Morbus, quo affligitur aeger, est intemperies melancholica, sive frigida, sicca, & crassa, *a* cerebrum totum leviter, sed sensorium commune, sive conarion, praecipuè graviterque occupans: quae, *b* salva respiratione & pulsu, omnem perceptionem, judicium & motum tollens, aegrumque in eo statu, in quo erat, cum ab hoc affectu primum corriperetur, servans, *Catalepsis* sive *Catochus* à Medicis appellatur. Isque ex causis & symptomatis innotescit.

a Cerebrum totum.) *Si totum afficeretur, morbus hic non tam subitò orietur, nec tam subito discuteretur, uti saepenumerò videre licuit.*

Forte fortunâ quidem cerebrum etiam affici potest, sed hoc nihil facit ad essentiam hujus morbi, sed tunc morbus degenerat in Carum aut Apoplexiam.

b Salva respiratione.) *Non mirum est, nervos respiratorios satis patere, cum ne quidem alii corporis nervi, ut ut angustiores, sint obstructi, confer* exerc. misc. oeconomiae anim. Hogeland. annexas, §. LXII. seqq.

Causa procatarctica hujus morbi, est perpetuum literarum studium, cui noster senex, totos dies *a* inter libros sedendo, operam dedit. Hinc enim, adjuvante senili aetate, melancholici humores, qui *antecedens* hujus affectus sunt *causa*, in ejus corpore fuerunt geniti. Horum pars in posteriorem partem capitis delata, dolorem diuturnum ibi excitavit: quae verò postmodùm subitò, exiguâ quidem quantitate, in cerebrum, sed *b* copiosè praecipueque in sensorium commune, & partes ei vicinas, ob asperrimum hyemale frigus, & intensiores aegri cogitationes, erupit, iisque firmiter inhaesit; ea *causam* hujus morbi constituit *continentem*: unde omnia *symptomata*, in aegro nostro occurrentia originem ducunt.

a In-

a Inter libros sedendo.) *Studiis & lucubrationibus assiduis, poros & canaliculos, tàm in sensorio communi, quàm alia cerebri parte, detorqueri & immutari posse, nemo negabit, qui attenderit, quô modô tunc sp. animales susque deque satis vehementer agitantur, ut ut corpus in quiete constitutum videatur.*

b Copiose.) *Humor quidem aliquis crassus, viscosus, fuit extraordinarie super conarium effusus, quo reddebatur immobile, sed non opus est, ut ille sit* copiosus, *sufficit ut illud quadantenus contegat, aut etiam totum sepeliat; vid. citat.* exerc. miscell.

Cum enim totum cerebrum multis & copiosis humoribus non sit oppressum, vel repletum, hinc illud non subsidit, nec subjectos nervos graviter premit; atque ideò satis copiosi hic geniti & per nervos diffusi *spiritus, corpus ægri, inter sedendum, erectum, oculosque apertos servant, & respiratorios musculos perpetua influxus alternatione liberè contrahunt, & dilatant. Manent autem oculi inconniventes, & ad eadem perpetuò defixi, a situsque corporis ab ipso non mutatur;* quia spiritus, ob sensorium commune hic satis graviter affectum *b* ab anima nullius rei hic consciâ, nihilque percipiente, in alios musculos non determinantur; sed in eosdem, in quos antea erant determinati, perpetnò fluentes, corpus ejus in eodem statu retinent. *Compellatus verò vel interrogatus nihil respondet, nec quidquam audit; si quid oculis offeratur, non videt:* quia, quamvis per nervos satis patentes soni & imagines rerum visibilium in cerebrum, & ad sensorium commune deferantur, ab anima tamen, propter *c* conarion, quod commune & proximum actionum mentis est instrumentum, humore melancholico valde imbutum, ac proinde ab objectis non satis motum, nihil quidquam percipitur.

a Situsque corporis non mutatur.) *Expedita res esset, & difficultas omnis è medio sublata; si diceretur, cerebri & nervorum ductus, partesque alias, præter sensorium commune, nullâ ratione ab hujus morbi causa affici: spiritus etiam animales, per eos æquali copia motusque vehementiâ, quâ ante Catalepseos invasionem, in membra fluere, versùs quæ fuerant anteà determinati: hanc autem spirituum determinationem non mutari (nisi fortuitò à causa externa) morbo hoc durante; quibus concessis, mirum non amplius est, illa in eodem statu remanere, in quo erant, cùm æger Catalepsi opprimeretur. Undenam verò est, quòd durante Catalepsî, in alia atq; alia membra, spiritus animales variè non determinentur? non est quòd per animam id stare quis conjiciat: ipsi quippe facultas volendi, nequit ab ulla re corporea auferri; ex adverso, voluntatem & conatum determinandi spiritus, tempore paroxysmi, reverà abfuisse, meminerunt subindè cataleptici, dùm se, durante malo, neque loqui, neque membra ulla movere potuisse referunt. Vid. Galen. comm. ij. in 1. prorrhet. §. 56. De pluribus catalepticis, id affirmant Capivac. med. Pract. lib. 1. cap. 21. & apud Schenk. in obs. Holler. Comment. ad Aph. 13. lib. v. coac. Hipp.*

b Ab animâ nullius rei hic consciâ.) *Hac de re vid.* Medicat. de Apoplexia.

c Conarium.) *Tota res in eo consistit, quòd fortè fortuna, humor aliquis crassior propulsus sit per glandulam pinealem, ita ut immobilis evaserit, adeoque inepta ad determinandum spiritus, versùs certa corporis membra: & quoniam motuum impressiones ab objectis factæ, suffocantur in humore crasso viscoso, mens eas percipere non potest. Si tamen contingerit glandulam, aliqua sui parte nudam mansisse; evenit ut nonnulli sensus supersint.*

Alii volunt, hunc affectum à vapore, spiritus in cerebro & toto corpore a *congelante, vel coagulante, originem ducere*. Sed si hæc vera ejus esset causa, respiratio & pulsus, quæ spirituum ope peraguntur, hic non possent esse integra. Nam coagulatio illa magna, ut spiritus totius corporis, ita etiam respirationi & pulsui inservientes congelaret, vel coagularet: iique condensati; & humoris vel pruinæ specie in ventriculos cerebri decidentes, non possent cerebri molem diutius sustinere, nec spirituum sufficientem copiam musculis thoracis suppeditare; unde primum apoplexia ægrum prosterneret, & deinde respirationis & pulsus usu ablato, mors necessario ipsum invaderet.

a Congelante vel coagulante.) *Illa* Galeni *& plurimorum ejus sequacium: hæc* Sennerti *opinio est: sed æquè ferè absonum est, quod spiritus animales, vivente homine, sive congelatione sive coagulatione rapidissimam suam agitationem deperderent, quàm si id spiritus vini rectificato, aut ipsi igni contingeret: imò si poneremus eos congelari aut coagulari, longè profectò minorem locum occuparent, quàm antè: uti aqua in vaporem resoluta, locum multis millenis vicibus majorem occupare deprehenditur; qui autem cum* Sennerto *illùc confugit, ut solos dicat spiritus imaginationi inservientes affici; non eos qui in musculos partium jam influxerunt; Eum non minor manet difficultas, namque spiritus animales, nisi fluminis instar sibi succederent continuò, membra statim flaccida jacerent, uti videmus in iis, quorum spiritus diutino labore maximam partem exhausti sunt. Utpote sua volatilitate & subtilitate non possunt non partim insensibili trāspiratione per poros cutis dissipari, partim humoribus per partes circulantibus misceri, & cum sanguine ad cor redire. Cæterum spiritus in cerebro imaginationi inservientes, si congelarentur, quò recenti tamen calore à corde propelluntur, quidni longè facilius omnes cæteri, qui in musculis sunt congelati, membra relinquant languida? Non etiam vapor coagulans motu suo vago, nullisque certis legibus astricto, spiritus in cerebro inficiet; quin simul inde quaquaversum tendens per nervos coagulo suo reliquos quoque alibi existentes figat. Si dicas tenacitate suâ in nervis eum hærere; jam membra reddent Paralytica, idque contra experientiam.*

Humores nostri corporis, non aliter ac aquam, frigore vehementissimo & diuturno constringi posse, non omnino quidem inficias ire licet: cum id iis non rarò admodum contingat, qui inclementiori cœlo per Alpinas nives equis vecti iter faciunt. Hi quippè nonnunquam ob corporis quietem, equis statuarū instar rigidi, insidere; & intermedio *itinere mortui fuisse comperiuntur. Id quod militibus quoque frigida in regione, nocte hyberna, excubias agentibus, non est infrequens. Est tamen animadvertendum, actualis tanti frigoris corpora vivorum, quales sunt Cataleptici, vix esse capacia. Etsi enim nonnulli frigore congelati apud Practicos restituti legantur,* (*vid.* Fabric. Hildan. Lib. de gangr. & Sphacel. cap. 13. §. Si ex congelat.) *immersione primo in aquam gelidam vel nivem, reliquisque porrò, ut decet, administratis:* rarò *tamen id accidit: quoties enim ex frigore rigorem (quem tamen in Catalepsi ponunt) membra contraxerint; curationem non successuram auguratur, non sana solum ratio, sed & experientia: inspice* Levin. Lemnium l. 4. de Occult. nat. mirac. cap. 20. *Qui Septentrionales istos populos, huic congelationi magis obnoxios, perlustravit. E contrario Catalepticorum paroxysmi* passim *arte, vel etiam natura sola discutiuntur.*

His adde, quod frigore congelatorum cura, alia sit atque Catalepticorum. Confer Dominic. Leon, Capivaccium, Riverium, Schenkium; aliosque in cap. de Catoche seu Catalepsi. *Ad hæc nonnunquam invasit Catalepsis eos, in*

quibus

quibus ex tanto frigore congelationis humorum nulla poterat adesse suspicio, vid. Rondelet. lib. 1. Meth. cur. morb. cap. 20. in fin. *ubi cùm Synocho, febre calida satis, laborabat ægra, Catalepsi eam correptam fuisse refert. Prætereo, quod membra tum valde sentirentur algida, quod tamen ab ullo (præter* Henr. ab Heers, *) commemoratum non scio. Quin & algorem & congelationem hanc non potest non impedire influxus calidi sanguinis in quasvis partes; quam media in Catalepsi vegetus commonstrat pulsus.*

Nec si vel venenum frigidum *fuisset assumptum, id tam* subito, *ac vera Catoches causa, posset agere. Namque frigida non possunt esse talia, nisi propter lentum motum lente quoque agant. Quin & ipsâ glacies assumpta incautum tam illico non posset opprimere. Sed hęc frigidorum venenorum opinio prognata videtur, ex inveterata quadam opinione quatuor elementorum, ita ut* morbi intemperiei, *seu quorum fomes est in sanguine, consistere putentur in nimia* siccitate, humiditate, calore *vel* frigore. *Quamvis ex* Hippocrat. lib. de prisc. medicin. *qui assiduo Auctoritates crepant, debuerant didicisse, in sanguine non inesse tantum hæc quatuor, sed* & amarum & salsum, & dulce & acidum, & acerbum & insipidum, aliaque (*NB*) sexcenta, quæ pro copia & viribus varias habent facultates.

Præter hæc, quàm lubrica sit ista opinio, inde patere potest, quod eadem effecta, si non evidentius, saltem æque clare deducantur ex sequenti hypothesi, quàm si vi frigoris sui agere ponantur. Fingamus nempè, ea venena mixtionem turbare particularum sanguinis, quia valdè sunt diversæ: uti faciunt particulæ insensibiles, quæ in poris & superficie digitorum hærentes inde abraduntur, vinoque miscentur, quando illud promentis digitos stringit; unde illud turbulentum redditur, & opacum. Aut sicuti Mercurius, *in pulverem redactus*, qui præcipitatus *vocatur Chymicis, simulac in calentem cruorem inspersus fuerit, mixtionem particularum ejus protinus tollit, & impuro cœno similem reddit.*

Mixtio itaque sanguinis hac ratione turbata, ad fermentationem, in corde subeundam, eum inhabilem reddit: quâ sufflaminatâ motus cessat, & influxus sanguinis spirituumque in has atque illas corporis partes. Unde lethale denique frigus in iis ortum ducere nil mirum. Ex quo externo frigore, qui censent veneno huic vim istam veneni esse, ratione frigoris sui, tribuendam; quid faciunt aliud, quam ex cortice de rerum medulla judicium ferunt? Quicquid autem de hisce sit, si ratione frigoris agerent venena quædam, primo torporem inducerent corpori, & postea somnolentiam, antequam corpus ex congelatione rigidum posent efficere. Non aliter ac cæteræ res suo frigore extrinsecus agentes, licet forte id celerius paulò effecturæ essent. Quibus omnibus subitam Catoches invasionem repugnare monuimus.

De Spirituum animalium *in Catoche* coagulatione; atque, tam eorum, quam Humorum *nostri corporis* congelatione *tantum esto. At nunc porrò quis* à vapore vel spiritu coagulante, (*de quo etiam superiùs fuit dictum:) prætexat* humores, *per partes solidas, lege circulantis, sanguinis, nunquam non fluitantis* coagulari. *Veluti cum à vaporibus plumbi, præsertim nondum sæpe fusi, fluidissimus figitur* Mercurius, *& redditur malleo ductilis. Nos verò de ista humorum coagulatione, atque adeo induratione hoc notamus: quod ea locum habere possit in morientibus & mortuis, Sic aliquando in infante ex Epilepticis insultibus demortuo genas, si lapidi, cuivis saltem ligno duritie non cedentes, me sensisse memini. Auctores verò nil quicquam in Catalepsi observatum habet de induratione Partium majori, quam quæ in musculis sentitur hominis, nullo incommodo laborantis, dum humore circulante jam turgidi, præterea spiritu inflantur animali.*

Ejus-

Ejuscemodi quoque ex vapore coagulationem reperiri in viventibus, quique restitui possint, vetat credere Vaporis Spirituumque motus vagus, nullisque determinatis limitibus circumscribi solitus. Vapor enim, sive Spiritus, à quo coagulatio secundum Adversarium inducenda foret, si prodeat ex sanguine, primò ibi coagularet haud dubio omnem humorem isti similem, quem in partibus solidis fluctuantem coagulaturus ponitur. Namque in sanguine similis necessario reperitur, quia humores illi eò non aliundè, quam ex vasis sanguiferis, & quidem sine ulla intermissione propelluntur. Et si aliqua illorum humorum portio illuc derivatur ex vasis lacteis, aut, *si mavis ita cum nonnullis appellare*, roriferis (*calor enim in corpore nostro plurimis humoribus magnæ agitationis communicatione roris speciem conciliare potest*) *res eodem redibit: eò quod & ista vasa ramos aliquos in venas Axillares; & alibi forte pluribus in locis in alias venas mittant. Etenim nisi suum quoque sanguis reciperet ex chylo nutrimētum, brevi particulis fermentationi aptioribus & subtilioribus discussis, effœtus atque iners jaceret. Adeò ut humor iste coagulandus in sanguine quoque necessariò occurrat. Simulac verò particulæ alicujus humoris, quæ in sanguine per accuratam omnium humorum mixtionem fuerant dispersæ; coïre incipiunt seu coagulantur: humorum fieri in sanguine secessionem, eorumque proinde mixtionem destrui, est evidens. Hinc originem trahunt* morbi *ægrè curabiles; qui aliàs obscuro vocabulo* maligni *appellari consueverunt. Succedente interea simili humorum coagulatione in* Partibus *quoque* solidis; *nulla profectò spes salutis superesse poterit: uti qui ex fulminis ictu obriguisse referuntur; unà quoque memorantur fuisse mortui. Multo minus igitur restituentur, id quod tamen observatur in Catalepsi.*

Quod si ex ventriculo, aut extrinsecùs per poros cutis, vel per Respirationem vapor hic coagulans in Partes corporis solidas penetrasse regeratur: eadem facilitate, ultro citroque obvolitando, ad massam sanguinis perveniet: unde idem; quod jam jam innuimus, aderit periculum. Præter quam quod ad eam per Vasa quoque Lymphatica *liber ipsi recessus concedatur: unde & rursus præsens mors expectanda; Quin & vapor hic, sive spiritus per partes duntaxat solidas oberrans, & humores ibi coagulans*, obstructionem universalem *necessario in partibus illis generabit: interea dum ex sanguine in illas continuo nova humorum copia expelli non desinet. Ex quo corporis exurget* universalis tumor, *qui in Catalepsi tamen haudquaquam observatur.*

Sed postremò hoc phœnomenon quod sequitur, exterminabit prorsus spirituum humorumve hoc in morbo congelationem pariter & coagulationem. Simulque nobis filum reddet demonstrationis, quod diu nimis fuit abruptum. Membra *videlicet* externa Catalepticorum experimur moveri ad nutum & impulsum alterius; atque ea tunc quoque manere in postremo hoc situ quem ex isto impulsu nacta sunt. *Adeo ut si collum moveas, brachiumve extendas aut inflectas, vel attollas aut plus minusve deprimas, communicatum sibi situm imposterum servet. Si stantem propuleris, passus aliquot machinæ instar automaticæ, progredientem miraberis. Motum* Partium *aliquantò quidem difficiliorem subinde in Catalepticorum historiis annotant Medici, sed eum per accidens huic morbo adesse postea ostendam.*

Antequam verò nobis pergere liceat, tribus verbis hic monuisse sufficiet; musculos tanquam motus partium instrumenta, contrahi & breviores fieri, id est, extremitates eorum propius ad se invicem accedere, cum humore circulante, ex sanguine advecto, jam repleti, spirituum impetu irruentium copia insuper distenduntur, & latera eorum consequenter à se invicem diducuntur. Et vicissim musculum non ante extendi in priorem longitudinem, quam humoribus,

vibus, spiritibusque inde magna sui parte expressis & elapsis, latera ejusdem concidere possint.

Hisce positis, è multis exemplum nobis præbeat brachium inflexum, quod irruente Catalepsi, spirituum humorumve sive congelatione, sive coagulatione in isto flexu, ex opinione Adversariorum, manserit rigidum; quodque adstans alius extendere conetur. Ad hoc igitur oporteret musculum, qui sui distentione & inde consequenti contractione brachium flectit, exinaniri protinus & flaccescere, ut sc. prolongari possit, & extensioni ipsius brachii obsequi. Præterea musculus priori oppositus, qui idem illud brachium extendit, eodem in momento *distendi deberet & contrahi: id quod impossibile fore neminem fugit; modo attendat spirituum humorumque fluiditatem ex allegata coagulatione sive congelatione periisse. Quapropter aut brachium non extendi poterit, aut si* Musculi brachium extendentis *contractio prævaleat,* musculus *idem brachium* flectens *rumpetur potius, quem elongari poterit. Idem esto judicium de motu partium reliquarum, quibus cum experientia refragetur omnium; abunde demonstratum esto:* spirituum humorumve neque congelationem neque coagulationem hujus morbi causam esse posse.

Nec nobis obsunt ii, qui à fulmine congelati & extincti in eodem corporis statu aliquamdiu permansisse dicuntur: Nam illi à fulmine, non tantum spiritus, sed etiam solidas partes indurante, fuerunt occisi: noster verò æger vivit & spirat. *Nec etiam obstat, quod artus in Catalepticis nonnunquam quovis marmore rigidiores apparere dicantur.* Nam rigiditas illa proficiscitur à spiritibus, non congelatis, sed in musculos immissis, & perpetuò influentibus, ibique, ob nullam novam eorundem insecutam determinationem, retentis, atque ita partes distendentibus. Talis quodammodo rigiditas passim in nobis observatur, dum stantes, & ad rem non attendentes, corpus nostrum erectum tenemus.

Alii vero, qui observant Catalepticos quosdam, ab aliis motos, artus suos flectere, & erectos stare, imo propulsos ad passus *a* aliquot progredi, *existimant spiritus imaginationi inservientes in cerebro hic figi, dum reliqui manent integri.* Sed hæc opinio non est admittenda, cum spirituum animalium in cerebro nullum sit discrimen; sed iidem sensationi, imaginationi, motui, aliisque animalibus operationibus inserviant; Ut ex Physicis nostris constat.

a Aliquot progredi.) *Progrediuntur ægri: cum propelluntur, quia tubuli nervorum in cerebro variantur, & spiritus novam suscipiunt versus nervos apertos in membra inserta determinationem:*

Ita observamus, quod quando inopinatè in terram prolabimur, manus extendamus ad incommodum arcendum à facie, quamvis nullo modo cogitemus de arcenda injuria externâ extensione manuum, sed terra appropinquans ita afficit oculum, ut motu suo spiritus in nervos eos determinet, qui tendunt ad musculos extensores brachiorum, vid. præfat. Claudii Clerselier, ad tract. Cartesii de homine.

Henricus Overkamp in novis principiis Medico Chirurgicis p. m. 485. *refert catalepsin ad species spasmi, inquiens:* facile, meo judicio, contingere potest, ut fermentum aliquod determinatum, postquàm aliquam diu in parte aliqua stabili latuerit, subitò sanguini admisceatur, adeoque cerebro & ejus ventriculis communicetur, intra quos spirituosi humores, eodem modo ac sanguis intra cor, fermentâtur: hoc fermentum eo delatum, cùm aliam mixtionem, subtilitatem, &c. possideat, quam alia in supremis ventriculis existentia, extraordinariam producit fermentationem, quâ spirituosi humores vegetius recedere coguntur à loco, in

quo

quo moventur: Per consequens secundùm regulas naturæ, feruntur versùs loca minus resistentia, hoc est, versùs tubulos nervorum maximè apertos, ita ut facile transire possint ad musculos, versùs quos spiritus determinantur: undè actio, vel status, qui tunc in corpore animadvertitur, producebatur: adeoque fortius eos inflando, producunt speciem spasmi, quem catalepsi maximè affinem esse judicamus. *Verum enim verò, præterquàm, quòd hic ordo ratiocinii, sit valdè confusus, magna profectò intercedit differentia inter catalepsin & spasmum, non enim solummodò manent ægri in eodem statu, quo erant immediatè ante paroxysmum, verùm etiam determinationes forinsecùs advenientes, suscipiunt & retinent, quod nunquam evenit, sive in Opisthotono, sive emprosthotono, sive tetano. Nec minus nugatoria sunt, quæ Auctor ille affert de fermentis, intra ventriculos cerebri, cùm sufficiat ad secretionem spirituum animalium sola propulsio, per ductus & canales diversos satis apertos.*

Alii statuunt obstructionem in corpore cerebri striato, alii in medulla oblongata, causam esse catalepseos, sed tunc adesset potius paralysis, membrorumque flacciditas, non adeò brevi cessatura, ut ordinariè catalepsis.

Jacotius in comment. ij. ad coac. prænot. Hipp. 7. lib. 2. *dicit, se in cadavere Cataleptico majores cerebri venas rectâ decurrentes ab occipite ad sinciput plenas crassô sanguine vidisse: &* Aëtius tetrab. II. serm. II. c. iv. *A sanguinis multitudine confertim caput occupante, ipsumque superimplente hunc morbum ortum fuisse in adolescente quodam, tanquam oculatus testis, probat. Verùm eos alium quendam morbum soporosum sumpsisse pro Catalepsi, verisimillimū est; quanquam rationi non repugnet Catalepsin præcessisse. Simile quid censendum est, de Cataleptico Sene* Fr. de leboe Sylvii pr. lib. ij. c. xxxiv. & de obser v. Forest. 41. lib. x. *ubi dicit, milites tùm equites, tùm potissimùm pedites quamplurimos in asperrima hyeme, nive ac gelu admodùm horrido existente, in obsidione urbis Metis, correptos, occubuisse. Conferatur* Q. Curtius de rebus gestis Alexandri Magni lib. viij. cap. iv. *item* Bartholin. de usu nivis. *Ex inopinata matrimonii repulsâ, in juvene Britanno impensiùs amori indulgente, Catalepsin ortam, vid. apud* Tulp. lib. j. cap. xxij.

Nec mirum à catalepticis, nihil cogitativè, ob sensorium commune affectum, sentientibus, *tales motus peragi, & alimenta, ori inserta, nonnunquam deglutiri*; cum hi, ob spiritus cerebri animales, & sensoria singularia, haud graviter hic affecta, tales motus ab objectis possint recipere, quibus spiritus in cerebro ita determinantur, ut certos quosdam nervorum meatus per vices aperiant & claudant, atque in has vel illas partes fluant, easque vicissim, inscio cataleptico, moveant; eo ferè modo, ut in automatis pneumaticis, & hydraulicis, aliisque contingit.

a *Periculosissimus* hic est morbus: quia humores melancholici sensorio communi firmissimè infixi, dum difficillimè possunt tolli, ægrum necessario *b* alimento sumendo privant; & justum corporis motum impedientes cacochymiam valde augent; atque ideò procul dubio vitam, nisi tempestivè & citò excutiantur, brevi ipsi, per lipothymiam, vel apoplexiam, vel carum, adiment.

a Periculosissimus.) *Non quidem adeò per se, quam quidem per accidens, quatenùs & mali causa & pars affecta; non est adeò magna: sed tamen si intemperies simùl adfuerit magna sanguinis & humorum crassa, viscosa, vel austera, producere potest alios morbos soporosos majores;* Dodonæus obs.

med. cap. IV. & ex eo Heurnius, *dicunt quidem neminem secundâ vice, catalepsî correptum, evadere; veruntamen & contraria prostant exempla, speciatim apud* D. Fehr. in misc. dec. 2. an. 1. *In epilepsiam mutatæ catalepseos meminit* Dodon. obs. cap. XLVI.

b Alimento sumendo privant.) *Metus hic nimis est panicus, nunquàm enim vera catalepsis tàm diu duravit: etiam jam antè Auctor dixit catalepticum comedisse & deglutivisse.*

Maturanda itaque *a Curatio*: quæ perficietur per causæ antecedentis & continentis ablationem; & deinde per intemperiei cerebri & reliqui corporis, per calefacientia, humectantia ac incidentia, emendationem.

Primò itaque talis injiciatur clyster:

℞. *Mercurialis, betæ, salviæ, rutæ, pulegii, centaur. min. an.* M. j.
Flor. meliloti, camomill. stæchados, an. p. j.
Rad. polypod. querc. fol. sennæ,
Sem. carthami, an. unc. s. rad. althææ ℥j.
Rad. ellebori nigri ℥ij. *colocynth.* ℥ß.
Decoquantur in aq. com. ad lib. j.
Colaturæ adde confect. hamech ℥ß.
Hieræ Logadii ℥vj. *trochis. alhandal.* ℈j.
Ol. rutacei, anethini, an. ℥ß. *sal. com.* ℥j. *s.* F. clyster.

a Curatio.) *Hæc nullo modo discrepat à curatione Comatis somnolenti, Lethargi, cari & Apoplexiæ pituitosæ: Difficultas autem in eo est, quòd medicamenta constantibus viribus, ad partem affectam, à corde longè remotam, pervenire nequeant.*

Si clyster injectus, ob nimiam intestinorum irritationem, vel aliam causam, non retinetur, mox sequens suppositorium ano inseratur:

℞. *Pulv. hieræ Logadii* ℈ij. *trochisc. alhandal.* ℈j.
Diagridii gr. iij. sal. comm. gemmæ an. ℈ß.
Mellis cocti & indurati, q. s. F. Suppositorium.

Abalvi eductione, mox hoc sequens medicamentum, si tum deglutire æger aliquid possit, ingeratur:

℞. *Theriacæ And.* ℥j. *mithrid.* ℈j. *aq. cinnamomi* ℥ß.
Aq. beton. ℥iij. *Misce F. a* Sudoriferum.

a Sudoriferum.) *Postquam videlicet æger ad se rediit, sed non debet sudoriferum constare ex theriacâ, aut simili quodam opiato: potius.*

℞. Salis Card. bened. gr. xxiv.
Bezoar. mineral. gr. xvj.
Croci opt. gr. viij.
Cum vino calido saccharato, *vel*
Cum Aq. Card. bened. unc. ij.
Aq. Menth. unc. j. sem.
Cinnamom. unc. sem.
Syr. Card. bened. unc. sem.
Sp. salis armoniaci gutt. vj. viij.
M. f. haustus.

Tumque adhibeantur artuum & posterioris partis colli ac spinæ dorsi, cum pannis asperis calidis, frictiones. Et inungatur caput hoc linimento calido:

℞. *Ol. Anethini, camomill. lilior. an* ℥j.
His in vase dup. incoquatur herb. hyssopi, thymi, serpilli, an. p. j.
Expressioni forti adde castorei ℥ß.
ceræ parum. F. linimentum.

Nari-

Naribus etiam inflatur *a* sternutatorium, ex helleboro albo, pyrethro, euphorbio, tabaco confectum.

a Sternutatorium.) *Sternutatoria & prodesse, & nocere possunt; in Paroxysmo tamen (ubi præstat medicamentum ambigui eventus applicare, quam certam perniciem expectare) possunt admitti.*

Ubi ad se plusculum redierit, præscribatur hoc *a* decoctum:

℞. *Rad. bugloss. borrag. an.* ℥iß.
hellebori nigri ʒiij.
Herb. card. bened. stæchad. epithymi, calamint. fumariæ, anethi, an. M.j.
Flor. borrag. melissæ an. p.ij.
Coq. ex hydromelite ad lib.j. addendo sub finem decoctionis. fol. sennæ ℥iß. *rhabarb. agarici an.* ʒiij. *cinnamom. nucis moscatæ an.* ʒß.
In colatura dissolve syr. de stæchade ℥ij. F. Apozema:

De quo sumat ℥iiij. semel vel bis in die, pro operationis magnitudine.

a Decoctum.) *Decoctum, quod in Cephalalgia frigida præscripsimus, convenit, quando æger ad se rediit, & simul usurpentur sp. C. C. fuligin. &c. in Lethargo enarrata.*

Ad intemperiem capitis & totius corporis corrigendam, sumat de hac mistura mane & vesperi, ad quantitatem castaneæ majoris:

℞. *Conserv. flor. borrag. buglossi, anthos an.* ʒvj.
Sp. diamusci dulcis, lætificantis Galeni an. ℈iiij.
Theriacæ veteris ʒj.
Cum syr. de buglossa q.s. Misceantur ad consist. a Electuarii.

a Electuarii.) Addantur Corallia rubra folia auri, ambr. gris. & pulvis galang. min. *sed pulvis foliorum auri subtilissime debet teri, ut facilius cum chylo ad sanguinem devehatur,*

℞. Corall. rub. præparat. ʒß.
Fol. auri N. vj. *vel* viij.
croc. gr. vj.
M. f. pulvis subtilis. pro dosi.

In *diæta* aër sit calidus & humidus. Cibus sit panis ex bono frumento, bene fermentatus, & rectè coctus; sumat ova recentia, carnes juniores vervecinas, gallinaceas. Convenit ptisana hordeacea. Ex oleribus conveniunt *a* malva, lactuca, buglossa, borrago. Ex fructibus mala dulcia, uvæ passæ. Legumina, porrum, cæpas, caules, vitet. Cibi quantitas sit moderata. Vinum bibat tenue, & mediocrem cerevisiam bene defæcatam. Exercitium ad excrementa excutienda sufficiat. Quærat lætitiæ occasiones; tristitiæ fugiat. Somnus sit longior. A vigiliis diuturnis abstineat.

a Malva &c.) *Potiùs juscula condiantur aromatibus & acidis volatilibus, nam emollientia nocent.*

VII.

MEDICATIO MULIERIS, EX [a] HEMIPLEGIA PARALYTICÆ.

MUlier annos præter propter quinquaginta ſex nata, pituitoſa, diu alimentis *b* humectantibus uſa, matutino tempore, induculâ linteâ tantum veſtita, è lecto, ad neſcio quid in cubiculo accerſendum, egreſſa, & ab aëre frigidiore nonnihil refrigerata, in lectum rediit; ibique poſt ſomnum per horas aliquot reiteratum evigilans, animadvertit totum ſuum latus ſiniſtrum ſenſu & motu eſſe deſtitutum. *c* Mens ipſi jam ſtupidior eſt, & ſolito inarticulatius loquitur. Alvum habet adſtrictam. Latus affectum reliquo corpore eſt frigidius: & pulſus in eo languidior & ſolito minor.

a Hemiplegia.) *Etiam* Hemiplexia, *id eſt, dimidiata percuſſio, ſignificans abolitionem ſenſus, motuſque arbitrarii, in alterutra dimidiatâ corporis parte: quemadmodum* Apoplexia, *denotat abolitionem ſenſus motuſque arbitrarii in toto corpore*; & Paraplexia, *abolitionem ſenſus motuſque arbitrarii, in utraque corporis parte, capite exceptô; atque denique* Pareſis, *abolitionem ſenſus motuſque in particulari aliquo membro, ut brachio, pede, linguâ &c. Præterea dividitur paralyſis in* veram & ſpuriam; *quarum illa ſupponit abolitionem & ſenſus & motus omnis arbitrarii, hæc verò abolitionem vel ſenſus, ſuperſtite motu obcuro, vel motus, ſuperſtite ſenſu obcuro: Rectè vocatur hic affectus ab* Helmontio, *Apoplexiæ pediſſequa, illa enim cùm ſolvitur (quod tamen rarò fieri ſupra monuimus) ſemper tranſit in paralyſin.*

b Humectantibus.) *Quanquam immoderato humidi uſu, ſalia neceſſaria ſanguinis & humorum diluantur, imò & evacuentur, ita ut horum motus inteſtinus & progreſſivus langueſcant cum actione ventriculi naturali, attamen* per ſe *non adeò invertet ritus œconomiæ animalis, quàm quidem, ſi con*juncta *ipſi fuerint corpuſcula multa viſcoſa, terreſtria vel acida fixa; plures enim & majores cùm ita producere valeat obſtructiones, neceſſariò multa & magna parit incommoda circa ſecretiones, diſtributiones, & excretiones.*

c Mens ipſi ſtupidior eſt.) *Id eſt, actiones mentis, ope corporis peragendæ, languent & ſuccumbunt: ſed propriè nulla mens ſtupida dici poteſt, quatenus eſt ſubſtantia cogitans ſimplex, intelligens & volens, adeò ut non malè cecinerit ille,*

purumque reliquit
Æthereum ſenſum, atque Auraï
ſimplicis ignem.

Partes affectæ in hac ægra ſunt *cerebrum*, ut patet ex mentis ſtupore: & *lingua*, quod indicat loquela inarticulatior: & porro *altera pars medullæ ſpinalis, cum nervis* inde orientibus, ut totius lateris ſiniſtri affectus probat. Afficiuntur quoque omnes *iſtius lateris* b *arteriæ*, ut docet pulſus ibi languidior. Atque etiam *inteſtina*, quia alvus eſt adſtricta. Afficitur autem cerebrum

brum & medulla spinalis *primario*: secundario vero, seu *per sympathiam*, reliquæ partes affectæ.

a Cerebrum.) *Quamvis mali causa hic maximè latet circa truncum unum (np. sinistrum) medullæ spinalis, attamen portionem ejus aliquam simùl esse in cerebri canaliculis, nemo negare potest, quoniam vulgò etiam succumbit memoria, & perceptionis corporalis (id est, ope organorum corporis procedentis) actus.*

b Arteriæ.) *Impropriè hæc dicit Auctor, quatenùs non nisi per accidens arteriæ ut alia corporis vasa patiuntur: nempe (1) nervi ad arteriarum tunicas excurrentes cùm obstructi sint, motum earum contractorium, s. peristalticum, spiritus continuare nequeunt: (2) sanguis crassus, viscosus, vel terrestris austerus, in tardo motu intestino, & progressivo constitutus, latera arteriarum, vicinasque fibrillas relaxatas & flaccidas, satis vivide pulsare nequit, præprimis cùm exindè simùl languescat musculorum cordis contractio.*

Morbus, qui eum affligit, est intemperies frigida & humida cerebri, & inprimis sinistræ partis medullæ spinalis; cum valvularum, & pororum, in nervos *a* oppositosque musculos spectantium, nimia flacciditate vel obstructione; & fibrillarum, in nervorum tubulis existentium, pressione vel nimia relaxatione, conjuncta: quæ sensus & motus privationem in toto latere sinistro inducens, *Paralysis* quædam dicitur, quæ *Hemiplegia* appellari solet.

a Oppositosque musculos.) *Hac de materia loquemur in* medicat. IX.

a *Causa procatarctica* hujus morbi, est usus diuturnus alimentorum humectantium & refrigerantium; quo in nostra ægra calor nativus, per ætatem ingravescentem per se languens, valde est debilitatus & magna copia pituitosorum humorum in toto corpore, & præsertim in capite, fuit collecta: quæ *antecedens* hujus morbi est causa. Hæc ab aëris matutini, in corpore pene nudo recepti, frigore, in cerebro condensata, & in alteram partem medullæ spinæ ac nervos prolapsa, *b* causa ejus est *continens*, & omnium enumeratorum *symptomatum* scaturigo.

a Causa procatarctica.) *Præter matutinum illud tempus frigidius, quò, pori & canaliculi partium solidarum (calore stragulorum anteà dilatati, adeòque crassiores solitò humores continentes) subitò fuerunt compressi & constricti: variæ aliæ possunt esse paralyseos causæ fortuitæ; ita* Forest. lib. viij. obs. v. ex auctoritate Platonis, *mercurium, incautè usurpatum, paralysin & tremorem afferre posse testatur: salia enim corrosiva mercurialibus globulis conjuncta, nimis violenter & subitò, ut crassiores humorum particulæ, super nervorum angusta orificia devolvantur, efficiunt, præsertim si corpus fuerit aridum nimis & exsiccatum, sive per ætatem, sive intempestiva remedia evacuantia. Confer* act. Philos. Angl. ann. 1665. mens. april. p. m. 18.

Ex suppressis hæmorrhoïdibus, mictionem sanguinis & paralysin, vid. apud Hildan. cent. ij. obs. xj. *Ratio potest dari duplex; nempe vel erunt duo effectus (suppressio hæmorrhoid. & paralysis) ab unâ eademque causa, massam sanguineam vehementer incrassante; vel crassiores sanguinis particulæ, quæ fluxu hæmorrhoïdum olim excerni solebant, jam in corpore manentes, multas generant obstructiones: simile quid ergò oriri potest à suppressione mensium aliarùmve fluxionum consuetarum.*

A Sacchari saturni immodico usu, paralysin ortam vid. apud Joh. Rhod. cent.iij. obs.x.

Chymicis operationibus nimis intentos, paralysi, Apoplexiæ &c. valdè esse obnoxios, experientia quotidiana monstrat.

Ex mœrore vehementi paralysin, vidit Trallianus lib. j. cap. viij. *& certè vix aliquid adeò partium* ἐνέργειαν *enervat, acidique acrimoniam auget, quàm perpetua cum tristibus cogitationibus conflictatio: pereunt enim, vel suffocantur, illo affectu & subducuntur volatiles spiritus, succorum temperamenta, fluidique rectores.*

Ex hypercatharsi, vid. Helwig. obs. 53. *Nempe fortiora & intempestiva purgantia, crassiores sanguinis humorumque particulas undiquaque præcipitant, subtilioresque fugant & evacuant.*

Exemplum paralyseos à causa externa observavit Hoffer. in herc. med. lib. 1. tom. 1. cap. ij. *in juvene quodam molitore, qui cum uxore aliena rem impudicam habens, à marito deprehensus, per fenestram sese præcipitem dederat, & pedibus rectis terræ allisus: vertebram coxæ proximam luxavit; undè medullâ spinæ intortâ, nervisque indè occlusis, spiritus animalis perfluere non potuit.*

Paralysin pueri ex dentitione vid. in act. hafn. vol. 1. obs. xviij. *Linguæ paralysin ex terrore vid.* in iisdem actis obs. ci.

Ex repudio paralysin, epilepsiam & oblivionem vid. act. Hafn. vol. iij. obs. xxxix.

A vermibus vid. Salmuth. cent. 1. obs. 44. *Ex hydrope*, misc. cur. ann. 6. obs. 134.

Ex colica, per μετάστασιν, *sive materiæ translationem vid.* Hoff. loc. suprà allegat. *item* lib. 3. cap. v. *verùm potius sunt duo effectus ab eadem causa; quanquam non negemus violentam spirituum per corpus radiationem, tempore vehementis doloris, forte fortunâ hunc producere posse. Ab ictu, vulnere, dissectione &c. nervorum vel tendinum paralysin gigni, est in propatulo. Conferantur plures, circa morbos soporosos, allatæ causæ externæ.*

b Causa continens. *Refertur hæc in genere vel ad compressionem, vel obstructionem, vel disruptionem s. solutionem continui, nervorum, musculorum atque tendinum diversorum, plurium vel pauciorum: in specie verò hic, obstructi sunt canaliculi nervosi, in dimidiato medullæ spinalis trunco; quapropter spiritus sufficiente copia, distribui nequeunt ad membra, quorum nervi ex eo trunco procedunt, ad sensum motumque absolvendum.*

Nam ab intemperie frigida & humida cerebri *a mens est stupidior*: quia spiritus hic sunt crassiores, & cerebrum torpidius, quam ut illa recte moveantur; quemadmodum rectus mentis usus desiderat. Pars hujus humoris, ad nervos & musculos linguæ delata, facit *loquelæ inarticulationem*. Ad nervum sextæ conjugationis, intestinis implantatum, devecta, producit *alvum adstrictam*. Hinc enim intestina, quamvis ab excrementis sint stimulata, stimulationis motum in cerebrum deferre, illudque exstimulare: & spiritus animales, ab ista stimulatione determinatos, & ad fæcum alvi evacuationem necessarios, in fibras intestinorum immittere, fæcesque exturbare, non possunt. Altera vero spinalis medullæ pars, intemperie humida, & frigida: & nervorum inde orientium fibrillæ, pressione vel nimia relaxatione; valvulæque & pori musculorum, nimia fl acciditate vel obstructione laborantes, impediunt, quo minus spiritus animales in musculos, ad eos convenienter inflandos & movendos, alternatim à mente vel alia causa determinari, in eosque influere & refluere; ac nervorum fibrillæ motum sensoriis, ab objectis tangibilibus impressum, in cerebrum ad sensationem faciendam transmittere queant. Atque ideo *b omnis motus & sen-*

ſenſus in ſiniſtro latere hic eſt ablatus. Quoniam autem humores multi frigidi, in hoc latus profuſi, calorem naturalem ibi imminuunt, & arterias venaſque arctant, poroſque earum claudunt; idcirco *c partes ibi ſunt frigidiores, ac pulſus minor & languidior*.

a Mens eſt ſtupidior.) *Tarditas ingenii oritur, vel à paucitate ſpirituum, vel ab eorum craſſitie, & tarditate; aut à fibrarum cerebri extraordinaria craſſitie*.

b Omnis motus & ſenſus in ſiniſtro latere hic eſt ablatus.) *Alterum ſive dextrum latus etiam non omnino ſanum eſt in hac ægra, quia humor peccans vix ita ſingulariter defertur ad unam partem medullæ ſpinalis, quin etiam aliquomodò devolvatur verſus partem aliam*.

c Partes ibi ſunt frigidiores.) *Sæpenumero etiam pars paralytica emaciatur, calore ejus extraordinariè diminutô, quatenùs ſpiritibus influxu denegatô, nec humores nutrititii in omnem dimenſionem ſatis vividè propelli poſſunt, nec fibrillæ partium ſenſitivarum ſeorſim ſingulæ in ſufficiente motu tremulo permanere: & hinc anſam arripuerunt quidam Anglorum ſtatuendi, partes nutriri ſucco nervoſo*.

Si vero, muſculorum valvulis & meatibus ſanis, ſolæ nervorum fibrillæ eſſent affectæ, ægra noſtra *a nihil* quidem *tactu ſentiret, ſed corpus* tamen *pro arbitrio poſſet movere*. Quemadmodum, nervorum fibrillis bene habentibus, & valvulis meatibuſque muſculorum affectis, *ſalvum habens ſenſum, ſolo motu eſſet deſtituta*.

a Nihil quidem tactu ſentiret, ſed corpus &c.) *Tollitur motus muſculorum ſenſu remanente obſcuro, quando, vel interiores muſculorum tubuli & canaliculi, ſunt obſtructi aut compreſſi, vel quando communicationum tubuli inter muſculos antagoniſtas, ita ſunt obſtructi aut compreſſi, ut ſpiritus animales, curſum ſuum reciprocum naturalem* (*vid.* Carteſ. de hom. cum not. Lud. de la Forge) *continuare nequeant, pro muſculis contrahendis; dùm intereà nervorum quædam ramificationes exteriores, notabili obſtructione aut compreſſione carentes, impreſſiones motuum ab objectis aliquomodo transferre poſſunt ad ſenſorium commune, pro ſenſu, licet obſcuro, introducendo: ex adverſo, ſenſus aboletur, motu ſuperſtite obſcuro, dùm ramificationum nervoſarum exteriorum tubuli, obſtructi ſunt aut compreſſi, patulis aliquomodo exiſtentibus interioribus, ad motum obſcurum producendum ſufficientibus. Confirmationem hujus ratiocinii ſatis validam ſuppeditat partium ille ſtupor, quem Belgæ exprimere ſolent voce ſomni*, miin arm ſtaapt, miin voet ſtaapt *&c. confer* Willis de anim. brut. part. pathol. cap. IX.

Neque hæ tres paralyſeos ſpecies aliter ex aliorum quorundam ſententiâ *recte explicari poſſe videntur*. Nam quod illi ſupponunt, nequaquam eſt admittendum: etenim nulli ſunt nervi motui inſervientes, qui non etiam ſenſui alicui miniſtrent; quod ipſa docet experientia. Nec ſpiritus alii ſunt ſenſorii, alii motorii: cum omnes *a* in ventriculis cerebri confundantur, & indiſcriminatim in partes diffundantur. Nec ſenſus in nervorum membranis, motus verò in interiore eorum ſubſtantia conſiſtit: hac enim ratione non poſſent diverſæ objectorum impreſſiones, ad ſenſationem faciendam, ſatis commode in cerebrum uſque penetrare; cum membranæ nervorum, à meningibus, cerebrum non ingredientibus, ſed tantum involventibus, originem ducant.

a In ventriculis.) *Etiam in reliquis glandularum cerebri canaliculis.*

Morbus hic maximo conjunctus est a *periculo*, tum propter magnitudinem causæ, tum propter ætatem ægræ ingravescentem, tum propter nobilitatem & multitudinem partium affectarum. Difficulter itaque curari poterit. Et metus est, ne materia morbifica, in cerebrum copiosius profusa, apoplexiam; vel ne in dextram etiam spinalis medullæ partem prolapsa, paraplegiam inducat. Atque hinc fieri potest, ut ægra vel subito exstinguatur, vel reliquam vitam miserè traducat.

a Periculo.) *Variat prognosis tàm pro varietate causarum internarum & externarum, ratione quantitatis & qualitatis, quàm pro varietate partium affectarum plurium vel pauciorum, item pro varietate sexus, ætatis, regionis & anni temporum; hinc attendendum est ad monitum* Hippoc. prædict. ij. §. 3. *ubi ait:* consulo autem, ut quàm prudentissimè agant, tum in reliqua arte, tùm in hujusmodi prædictionibus, illius probè memores: quod si cui successerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit. Si verò quis aberraverit, supra hoc quod odio habetur, fortasse etiam insanire videbitur. Quapropter jubeo, ut tùm alias omnes, tùm has prædictiones prudenter faciant: *Apoplexiam sequuta paralysis difficillimè sanatur ob causæ magnitudinem, præprimis in senibus & cachecticis, quorum sanguis est effœtus, partium stabilium multarum canaliculis obstructis. Lethalis dicitur, quæ à notabili vertebrarum luxatione, præsertim in cervice, ortum trahit.*

Pars paralytica, si valdè extenuata sit & frigida, rarissimè aut nunquàm pristino restituitur vigori: tremor & febris critica superveniens, malum nonnunquam solvit, quemadmodum quævis alia evacuatio critica moderata.

Discissus si fuerit nervus, aut transversim sectus musculi tendo, malum utplurimùm est insanabile: quanquam aliquando eum percuratum testetur Corn. stalp. van der Wiel obs. rar. cent. post. part. pr. obs. XLV.

Sine ulla itaque procrastinatione auspicanda est a *Curatio*; quæ causam antecedentem & continentem auferet; intemperiemque cerebri & reliqui corporis, per contraria, corriget.

Ante omnia itaque injiciatur talis Clyster:

℞. *Salviæ, majoranæ, hyssopi, calaminthæ, centaurei an. m.* j.
Flor. camomill. meliloti, stœchados an. m. ʃ. *agarici* ℥ʃ.
b *Coq. in aq. com. ad lib.* j. *in colat. dissolve*
c *Benedictæ laxat.* d *diaphœnici an.* ℥vj.
e *Ol. lilior.* ℥j. f *salis com.* ℨʃ.
F. Clyster: qui sæpius reiterari poterit.

a Curatio.) *Quæ coïncidit cum curatione cœterorum morborum soporosorum, nisi vel luxatio, vel vulnus, ictus &c. paralysin produxerint; & tunc procedendum est ad operationes chirurgicas, conformationi pristinæ restaurandæ necessarias: Principium curationis facit Auctor à clystere, quia dixit alvum esse adstrictam, & crudos crassosque humores purgare per vehementiora remedia, intempestivum est; Sed illicò aufugium suum capiat Practicus ad decocta & vina medicata ex lignis, corticibus, radicibus, herbis, seminibus, baccis, floribusque aromaticis, sale volatili oleosô fœtis, composita;*

con-

conjungendo, aut per vices substituendo, tincturas aperientes metallorum & salium constantiorum; hac tamen cum cautelâ, nè nimis violenter in principio procedat, & dissipando copiosas particulas volatiles & humidas, materiam peccantem augeat vel exsiccet: qnapropter etiam balnea, tàm naturalia, quàm artificialia (hic alioquin saluberrima) non nisi corpore ritè præparatô, instituantur. Nec excludenda sunt, aliquibus in casibus, acida volatilia, aromaticis (præprimis castoreo, pulegio, assâ fœtida, majorana nobilî, bacc. junip. rec. &c.) secundùm artem nobilitata: Ubi opportunum erit purgare, usurpetur spiritus vitæ aureus Rulandi, s. Tinctura colocynthidis, facta cum vino malvatico, aut sp. vin. item electuar. caryocostin. Horat. Augenii seu potius Avicennæ, cujus formula est seq.

℞. Cost. amar. sem. cumin. zzib. alb. carioph. arom. an. ℥j. diagrid. hermodact. alb. superiorî cortice mundat. an. ℥ij. mell. despum. vin. odorif. an. ℥iij. F. s. a. Elect. dosis est ad ʒvj. utiliter ipsi quoque additur castoreum.

Prospiciatur partibus affectis, & speciatim circa originem nervorum, fotibus & linimentis penetrantibus: huc spectat fimus equinus, item grana hordeacea, post cerevisiam confectam, residua calida (Belgis Bostel vocantur) habentque præterea fimi quorundam animalium & pennatorum tàm in substantia, quàm infusi, & destillati intus assumpti, magnam virtutem in his & similibus casibus, quemadmodum etiam salia alcalia volatilia & fixa. Vomitoria opportuno tempore propinata sunt saluberrima, & ex iis seligantur antimoniata præ mercurialibus.

b Coq. in aq. com.) Coquatur clyster potius in vino albo gallico, vel aq. & vin. an. p. æq.

c Benedictæ laxativæ.) Deleatur benedictum laxativum, sed in decocto suspendatur nodulus ex pulpæ colocynt. ʒß. aut ℈ij.

d Diaphænici an. ʒvj.) Diaphænici sit ℥iß. vel confect. hamech tantundem.

e Ol. lilior.) Olea impediunt medicamentorum energiam. Potiùs adde Aq. vitæ Matthiol ℥ij.

f Salis com.) Loco salis communis salis sudoriferi ʒj.

Deinde utatur *a* hoc potu per mensem integrum:

℞. Hyssopi m. iij.
Salviæ, majoranæ, rorismarini, an. m. j.
Coq. in aq. com. lib. iij. ad tert. partis consumpt.
Colaturæ adde mellis despumati ℥ij. eaque aromatisetur cinnamomi, nucis moschatæ an. ʒß.
F. *b* Apozema.

a Hoc potu.) Adde.
Rad. angelicæ veræ ℥j.
bryoniæ ℥ß.
Ligni guajaci ʒv.
Cort. rad. cappar. ℥iß.
Herb. verbenæ, M. ij.
card. bened. mi.
Bacc. juniperi,
lauri an. ʒij.

Post infusionem calidam sufficientem in hydromelitis, & vini albi gallici an. part. æq. fiat decoctio lenta in vase bene clauso, col. ℔iv. adde
Mellis scyll. ʒx.
Aq. vitæ Matthiol. ℥ij.
Salis sudoriferi.
Sp. salis ammoniaci an. ʒß.
M. F. Apozema. Vino vel cerevisiæ fermentanti etiam tradi possunt cum fructu ingredientia decocti enarrata; & add. cort. Winteran.

b Apozema.) Varietatis ergo subinde sumatur.
Sp. angelicæ, aut

cornu cervi suo sale vol. impraegnati gutt. xvj. *aut* xx. *aut*
Sp. Sulph. dulcis gutt. xij.
Si æger inclinat ad hydropem, apozemati adde
Rad. ebuli.
sambuci an. ℥ß.
Flor. sambuci m. I. sed tunc dosis sit parca & alternata.

Interea corpus alteretur & purgetur hoc decocto sequenti quotidie:

℞. *Rad angelicæ, asori an.* ℥j.
Aristolochiæ rotund. ℥ſ.
Herb. majoranæ, salviæ, betonicæ an. m.j.ſ.
Flor. stæchados, rorismarini, lavendulæ an. p.ij.
Coq. ex aq. com. ad lib.j.ſ. in quibus per noctem
Infundatur fol. sennæ ℥j.ſ. *agarici* ʒij.
Rad. mechoacannæ ℈iiij.
Cinnamomi, Zinzib. an. ʒj.
In Col. dissolve syr. de stæchade, de hyssopo an. ℥j.
F. *a* Apozema.

a Apozema.) *A decoctis purgantibus abhorremus ob rationes alibi memoratas.*

Interdum etiam sumat *a* has pilulas:

℞. *Pil. cochiar. aurear. an.* ʒſ.
Scammonii, trochisc. albandal. an. gr. vj.
Cum syr. rof. sol. q.ſ.
b F. Pilulæ, N. IX.

a Has pilulas.) *Potius,*
℞. Extract. agaric. gr. xv. *aut* xvi.
Trochisc. alhandal. gr. iij. *aut* iv.
Mercurii dulcis gr. vi. *aut* viij.
Ol. carui q.ſ.
M. F. *Pilulæ. Vel*
℞. Spec. diaturbith. cũ rheo gr. xiv.
Mercurii dulc. gr. vi.
Trochiſ. alhand. gr. iij.
Ol. carui gutt. v.
M. F. *Pulvis.*

b F. Pilulæ.) *Non omne Purgans, nec omne sudoriferum æquè est affectionibus diversis utile: ita folia sennæ etsi copiosè assumantur, & etsi copiose evacuent, tamen non tantum præstant quantum troch. alhand. & alia potentiora purgantia, licet parvâ dosi assumpta, & parum evacuent: Nam senna tantum fœces ex intestinis deturbat.*

Alia vero purgantia fortiora per totum corpus transeunt, & particulis suis rigidioribus in omnia latibula penetrant, atque ibi humores fermentando educunt, quæ utilitas maxima est, quæ à purgatione desideratur.

Sic etiam de sudoriferis sentiendum est: nam Theriaca motum Sanguinis augendo copiosos etiam sudores elicere potest, non vero penetrat, uti Bezoar. mineral. & salia alcalia, præsertim fixa ut & essentialia, quæ totum corpus pervadendo, constanter dividunt, sine multis sudoribus, nam sudores multi propriè non juvant, sed apertio, & eductio humorum ex suis latibulis, quæ sudores concomitantur.

Corpore jam *a* sæpius purgato, usurpet jejuna hos trochiscos masticatorios:

℞. *Nucis moscatæ, pyrethri, piperis albi an.* ʒj.
Fol. hyssop. ʒſ. *uvar. passar.* ʒij.

Masti-

Mastiches & mellis q.s.
F. Pastilli Mansiles.

a Saepius purgato.) *Videlicet post Decocti antea praescripti, triduum aut quatriduùm continuatum usum, pro ratione humorum turgentium instituatur purgatio ex phlegmagogis: aut qualis in Cephalagiâ fuit commendata.*

Postridie, vel ipso purgationis die, sub vesperam, si permittant vires aegri, iterum ad decoctum revertatur, in quo cum per quinque aut septem dies perseveraverit aeger, tunc secunda vice purgetur, & redeat unum diem ad decoctum, & postridie potens detur sudoriferum, in quo saepius repetito, praecipua pars curationis deinceps consistit.

℞. Salis card. vel mixti gr. xv.
Bezoar. min. gr xij. *vel* xvj.
Elix. prop. Par. ℈ij.
Syr. Cardb. drach. iij.
Aq. Cardb. unc ij.
Vitae Matth. drag. iij.
Sp. salis ammoniaci sc. sem. l. ℈j.
M. F. Haustus.

Hic haustus est potentissimus. vel talis subinde usurpetur, qualis seq.

℞. Theriac. vet. aut orviet. ʒj.
Salis alcal. fix. sudoriferi gr. xij.
succini vel. gr. vj. *aut* viij.
Tinct. croci ℈ij. *aut* ʒj.
Syr. card. bened. ʒij.
Sp. C. C. sale suo impraegnati *aut*
Fuliginis gutt. x. *aut* xj.
Aq. menthae.
cort. aurant. an. ℥j.
vitae math.
cinnam. an. ℥ß.
M. F. Haustus sudoriferus.

Utatur quoque sternutatorio, *a* ex tabaci, ellebori albi, & pyrethri pulvere, naribus inflato.

a Sternutatorio.) *Non minus ferè hic suspectum id est, quàm in aliis cerebri affectionibus.*

Ad cerebri & reliquarum partium intemperiem corrigendam, haec praescribatur mixtura.

℞. *Cons. flor. salviae, flor. rorismarin. an.* ℥j.
Rad. acori conditae ℥ß.
Nucis moscatae, piperis, caryophyllor. an. ℈ij.
Syr. de staechade q.s.
M. F. *a* Conditum:

De quo drachmae quantitatem post cibum sumat.

a Conditum.) *Loco conditi, quoniam maxima eorum pars constat ex Sacchara nocivo, sumantur pulveres ingredientes soli, aut pro delicatulis addatur aliquod eleosaccharum.*

Subinde sumi potest gummi guajaci *ad gr. xvj. aut* ℈j.

Galbanum, castoreum, & assa faetida, *valde amica nervis habentur in remediis externis, nec non internis. Vide Hartm. prax.*

Partes paralyticae, & praesertim *a* tota spina dorsi, ubi corpus bene fuerit purgatum, mane fricentur pannis asperis, & deinde liniantur *b* hoc unguento calefacto.

℞. *Unguent. arragon, martiati, agrippae an.* ℥j.
Ol. lumbricor. camomill. an. ℥iij.

Ol.

Ol. de roremarino, therebinthinæ an.℥j.
Misce pro Unguento.
Vel solo *c* spiritu vini calente partes perfricari possunt.

a Tota spina dorsi.) *Rectè, & præcipuè nucha: quia principium nervorum est obstructum: Hinc in Paralysi particulari, cùm solum membrum particulare quidam illinant, sæpe nihil efficiunt, quia aliquando vitium in istâ parte non hæret; verum, cum principium nervorum obstructum est, initium etiam inungi debet, ut obstructio tollatur.*

Hic prodest linimentum ex oleis destillatis, ut est ol. ceræ still. *ol. tartari, ol. de lumbric. destill. olea verò cocta hic parum prosunt; nam viscosa oleaginositate particulas pungentes, & subtiles obtundunt. Possunt tamen reliquis oleis destillatis eâ quantitate admisceri, ut nimiam eorum acredinem, & exsiccandi vim demulceant: Cera hic etiam non valet, quia corporis poros obstruit. Apud* Riv. prax. lib. j. *descriptum est unguentum huic affectui maximè appropriatum.*

b Unguento.) *Potentius erit tale balneum artificiale.*

℞. Cort. & ligni guajac. an. ℔ß.
sassafras ℔j.
tamarisci.
fraxini.
sant. albi.
Rad. capp. an. ℥jv.
Stipit. amaræ dulc. seu dulc. amaræ ℔j.
Rad. altheæ ℥ij.
lilior. alb. ℥jv.
bryoniæ ℥ij.
(*Bryonia lenem introducit fermentationem in humores crassos.*)
Herb. betonicæ.
majoranæ nob.
salviæ.
menth.
ivæ arthriticæ an. m. ij.
Sem. fœnicul.
fænugræci an. ℥j.
Flor. camomill.
melilot.
sambuc. an. m. j.
Nitri,
Sulphuris vivi,
Salis ammoniaci an. ℥ij.
Concisa & contusa M. pro semicupio ex aq. & vino parando, si possunt ferre sumptus.

Vel ℞. Unguent. de Artan. unc. j.
Ol. Lumbric.
Vulpin.
De lateribus ana ℥ij.
Theriac. drach. j. sem.
Salis sudorif. drach. j.
M. F. Linimentum.

Pro secreto haberi potest, quod purgantia remediis externis adjungantur, quia fermentationem in humores stagnantes introducunt; quare summoperè prosunt in tumoribus, præsertim scyrrhosis, unde unguentum de Artan. studio hic additur, quia purgantia in se continet.

Ob eandem fere rationem Theriaca vetus additur, quia fermentationem in Sanguine, & humoribus excitat, ob diversitatem particularum, quibus abundat.

Olea *hæc adduntur, quia speciatim dicata sunt nervis, & non nimis calida sunt, quæ hic adhiberi non debent, ne suâ caliditate nervorum fibrillas nimium exsiccent, quod hic non conveniret: sal sudorificus additur, ut particulis suis rigidis viam aperiat, & partes humoris obstruentis incidat, ac ab invicem divellat, ut quaquaversum per corporis canales fluere possit: quod autem sal non facile misceatur cum oleis, id parum obest, nam sufficit quòd commisceatur fortì concussione. Pars Paralytica foveatur sequentibus.*

℞. Lapp. Major. unc. ij.
Rad. Lilior. alb.
Bryon. an. drach. v.
Herb. ivæ arthritic. m. ij. *vel* iij.
Sem. levistic. dr. iij. *vel* unc. sem.
Flor. Camomil.

Sam-

Sambuci an. m. ij.
Bacc. laur.
Junip. an. ℥ iß.
Sal. Ammon.
Sulphuris vivi ana drach. vj.
Salis Comm. m. j. vel. ij.

Coq. ex aq. puræ partibus duabus; sub finem decoct. adde vini albi Gallici part. j.

Radix Bryon. additur, quia optimè penetrat, pro sex vicibus potest hoc usurpari.

Coctione peractâ statim in vas idoneum effundatur, & pars paralytica super vapores calentes teneatur, & stragulis undique tegatur, ut vapor melius retineatur; idque ter vel quater in dies repetatur.

c Spiritu vini.) *Etiam aliquando potest adhiberi, sed non sit ejus usus nimium frequens, quia nimis calidus est, & exsiccans partes nervosas, ol. Junip. est ejusdem naturæ.*

In *victus ratione* aër sit calidus & siccus, vel naturâ vel arte. Cibo utatur calefaciente & siccante, ex pullis, caponibus, gallinis, & aviculis assis, ova etiam sumat sorbilia. Abstineat à carne suilla, piscibus, & sorbitionibus. Ad *a* diem decimum quartum usque, cibus sit valde parcus: siquidem *b* famem & sitim tolerare plurimum in hoc morbo auxilii præbet. Potus sit paucus: utatur aqua mulsa bene defæcata; & subinde etiam aqua cinnamomi & vino Hippocratico. Exerceantur partes resolutæ moderatis frictionibus. Somnus vitetur longus. Alvus mediocriter fluat. Animi perturbationes fugiantur.

a Diem 14.) *Non potest tempus determinari.*

b Famem & sitim tolerare.) *Ad hæc parùm attendendum, modò omnia sint bonæ notæ, & temperata. Sed nota, quòd & alimenta & medicamenta, nonnunquàm sint mutanda, nè iis natura nimis adsuescat; hinc rectè*, Verul. Sylv. Sylv. cent. j. exper. 67. *inquit*, & medicamenti & alimenti mutatio conducit; quia naturæ satietatem, continuatio illa parit, ut appetitus & operatio ejus obtundatur: sic videmus res noxias, consuetudine, evadere innoxias, ut venenum, cui conficiendo parem, nonnulli stomachum habent ex usu continuo; quare haud mirum, si salutaria quædam, consuetudine deperdant vim auxiliatricem; eadem autem mihi intermissio cum mutatione est, cùm intermissa postmodùm evadant nova. *Rationem Philosophicam, nos, Volente Deo, dabimus alibi.*

VIII.

MEDICATIO VIRI *a* SPASMO BRACHIORUM ET CRURUM AFFECTI.

VIr agens annum *b* quadragesimum, pituitosus, *c* crassâ cerevisiâ quotidie se inebrians, otiosamque vitam plerumque ducens: tempore hyemali & pluvioso, ab itinere sub vesperam domum redux, repentè in involuntarias, & sum-

& summo dolore excrucìantes, crurum brachiorumque contractiones, *d* per frequentia intervalla redeuntes, incidit. Membra, ubi sunt contracta, *e* vix ullâ vi in pristinum statum possunt reduci. Præ doloris sæpè redeuntis vehementia, perdius & pernox vigilat. Conqueritur etiam de *f* capitis & dorsi dolore.

a Spasmo.) *Diversæ solent ab Auctoribus enumerari Spasmi species; nempe* ἐμπροσθότονος, *quando corpus violenter versùs anticam partem incurvatur:* ὀπισθότονος, *quando versùs posticam:* τέτανος, *quando æquali robore in utramque partem anticam & posticam corpus inflectitur:* spasmus cynicus, *sive risus sardonius in musculis faciei:* singultus, *in musculis diaphragmatis:* incubus *in musculis pectoralibus & abdominis:* priapismus, *sive satyriasis, in musculis penis,* lumbago *in musculis lumborum &c. Distinguunt quoque vulgò Practici, inter spasmum (quem simul vocant convulsionem) & motum convulsivum: per illum intelligentes (ut loquitur* Th. Willis tr. j. de morb. convulsiv. cap. j.) *contractionem constantem, qua membrum rigidum & inflexile manet: per hunc autem motus celeres & concussiones, quæ interjectâ quiete, alternatim cessant, redeuntque; Hodiè spasmus definiri solet, quòd sit musculorum contractio violenta involuntaria cum acrî dolore conjuncta. Apud* Gregor. Horstium *(notante eodem* Willisio lib. cit. c. viij.) *mentio fit morbi convulsivi & maligni, qui olim in Hassia, Westphalia, locisque vicinis epidemicus fuerat; illo correpti, sine febrili æstu, aut immodica sanguinis effervescentia, dùm circa negotia familiaria versarentur, sese vix modò ægrotare percipientes, circa manus, aut pedes, ac interdùm in utrisque, formicationis sensum, cum stupore, hùc illùc transcurrentem, habere solebant: dein mox digiti, simùlque brachia & crura, modò arctè contrahebantur, modò validissimè, ac si obriguissent, extendebantur. Hujuscemodi contractiones & extensiones, se alternatim excipiebant: & subindè loca mutabant, ut nunc in hac parte, dein statim in alia, affectus resideret: sin (uti non raro contigit) morbus cerebrum unà totum invaderet, convulsiones universales, & sæpè insultus epileptici, ægrotos infestabant, insuper laborantes per vices quasdam delirio maniæ, ac interdùm lethargo obnoxii fuerunt. Ægritudo hæc sine crisî, aut integra solutione diu perseverabat, & vix in solidum ita curari potuit, quin cerebri & partium nervosarum diatheses malæ ac morbidæ, per totam posteà vitam duraverint.*

b Quadragesimum.) *Convulsiones infantibus familiares esse, rectè docet* Hipp. s. iij. Aph. 25 *Nempe sanguis & humores eorum utplurimum sunt crassi, viscosi, & multis particulis acribus fixis referti, tàm propter malam Matris, gestationis tempore servatam diætam, quàm languidiorem succorum ejus omnium, intra carceres uterinos, motum. Senibus itidem sæpè accidunt convulsiones, tremuli magis, nec dolorifici: causa tradetur loco inferiore.*

c Crassâ cerevisiâ.) *Sine dubio antiquâ & acri.* Hippoc. sect. IV. Aph. 16. & sect. V. Aph. I. *convulsionem induci ait ab helleboro, lethalem: nempe helleborus omnis, speciatim albus, constat moleculis valdè rigidis & acuminatis, ratione partium corporis nostri, corrosivis fixis. Confer idem* Hipp. s. v. Aph. ij. iij. iv. v. *A vermibus, vid.* misc. cur. an. iij. obs. 63. & an. 7. obs. 236. Helwig. obs. xx. *A metu & terrore vid.* Plater. lib. j. obs. pag. 36. *In febribus non solùm continuis & malignis, verùm etiam intermittentibus, speciatim quartana, sæpè nos observavimus acerbissimum surarum & crurum spasmum.*

d Per frequentia intervalla.) *Hæc suspicionem movent de fomite aliquo, in hac aut illa corporis parte stabili hæ-*

hærente, qui diversis intervallis rarefactus, ope vasorum lymphaticorum & venarum sanguini communicatur, & lege circulationis ad omnes corporis partes diffunditur.

e Vix ulla vî.) *Sic differt spasmus ab aliis convulsionibus: simulque patet catalepsin non esse de natura spasmi.*

f Capitis & dorsi dolore.) *Hæc faciunt ad prognosin, denotantque mali causam esse magnam, & latè diffusam.*

Partes affectæ in hoc ægro, sunt *a* cerebrum & spinæ medulla, item brachia & crura: quod eorum dolor & contractio indicant. Per *idiopathiam* afficiuntur cerebrum & spinalis medulla; per *sympathiam*, aliæ partes affectæ: quippe quæ à prioribus causam continentem accipiant; uti ex causarum explicatione patebit.

a Cerebrum.) *Non est de natura particularis alicujus Spasmi, semper, ut cerebrum afficiatur, sed hoc in homine planè fortuitum; in universali autem Spasmo, semper affectum simùl esse cerebrum, facile conceditur.*

Morbus, qui nostrum ægrum affligit, est *a* intemperies frigida, humida, & acris cerebri, & medullæ spinalis; cum inordinato spirituum animalium, nimis acrium & crassorum, in musculos brachiorum & crurum contractorios, *b* copiosè & vehementer fluentium, motu conjuncta, quæ eas partes contra voluntatem ægri magnâ violentiâ contrahens, *spasmus* istarum partium, ab isto convulsionis molesto symptomate, hunc morbum comitante, nuncupatur.

a Intemperies.) *Hæc non necessario adest, quippe tempore nocturno sæpe convulsiones & Spasmos patiuntur homines, cætera sanissimi.*

b Copiosè & vehementer.) *Id est, copiosius & vehementius solitô.*

Causa procatarctica hujus morbi est crapula cerevisiaria, cui hic vir quotidie operam dedit: item otiosa ejus vita. Hinc enim, pituitoso ejus adjuvante temperamento, pituitosi & acres humores in toto ejus corpore sunt collecti; qui *antecedentem* hic constituunt causam. Hi autem in spiritus *a* crassos & acres conversi, & vi frigoris humiditatisque aëris hyemalis, ac incommodis in itinere toleratis, in corpore retenti, atque hinc inordinatè in cerebro & medullâ spinæ moti, partesque brachiorum & crurum nervosas vehementer vellicantes; ac poros cerebri, in nervos desinentes, per motum illum vellicationis, eo delatum, copiose & vehementer aperientes, talem subinde accipiunt determinationem, ut copiosè & vehementer in partes illas fluant; *b* & poros valvulasque nervorum, quæ contrahendis brachiorum & crurum musculis inserviunt, citra & contra voluntatem nostri ægri aperiant; tantâque vi, cum ex cerebro, tum ex oppositis lacertis, in musculos illos fluant, eosque *cum magno dolore, omnem somnum ipsi & noctu & interdiu adimente*, tàm vehementer secundum latitudinem & profunditatem distendant, secundum longitudinem verò contrahant, *ut vix ulla adstantium vi in pristinum statum queant restitui*; atque ita *continens* hujus intemperiei, & convulsionis eam comitantis, sint causa.

a Crassos & acres.) *Videtur quidem contradictorium, spiritus esse crassos; at verò notandum, eos solitô esse crassiores & acriores.*

b Et poros valvulasque nervorum.) *Confusè satis & obscurè, cùm Auctor hic*

hic de musculorum contractione procedat, Lectorem remittimus ad notas Lud. de la Forge ad Cartes. tr. de homine §. XIX. speciatim pag. 39. & seqq. *ubi clarè satis & solidè, actio musculorum antagonistarum enucleatur, licet non modô vulgarî Anatomico, sed (prout oportet) Philosophicô, quoniam sensus hujus rei mensura esse nequit; atqui (ut monet* Aristoteles) in difficillimis & valdè abditis in natura, satis is fecit, qui rem ad id, quod esse potest, deduxit. *Nos hic potiorem materiæ medullam subjungemus, ut lumen aliquod Lectori affulgeat: Notetur ergò* (1) *quòd ad mentis voluntatem, non quidem augeatur, sed (ope sensorii communis) determinetur spirituum animalium motus versùs determinata membra (in statu naturali) movenda,* (2) *quòd canaliculi, non solùm nervorum, spiritibus, sed etiam totius substantiæ musculosæ, humoribus aliis (pauci enim ad mentis voluntatem determinati spiritus, musculis maximis contrahendis non sufficiunt) æqualiter (in statu naturali) repleantur, ita ut accedente pressionis majoris momento, (sive ad mentis voluntatem vel alia de causa) latera canaliculorum magis expandantur ratione latitudinis, abbrevientur ratione longitudinis,* (3) *omnes musculos antagonistas mutuum habere commercium, ratione variorum tubulorum communicationis (in cauda, sive tendine locatorum) per quos reciprocè spiritus animales ex uno in alterum fluere & refluere possunt.* (4) *hosce tubulos instructos esse villis multis obliquis, officio valvularum fungentibus, ita ut spiritus animales, per eosdem ductus, notabiliter (nisi in statu præternaturali) regurgitare nequeant; quando ergò contingit, ut propter humorem aliquem acrem in tubulis musculorum hærentem, vel alia de causâ, extraordinarie vellicentur & expandantur fibrillæ nervosæ, membranosæ & tendinosæ, spiritus animales solito celerius & vehementius influere coguntur: sed quoniam nimis vehementi & celeri illo cursu sibi mutuò in progressu sunt impedimento; efficiunt ut simul intra canales musculi regurgitent alii humores, adeòque valvulæ revellantur, per consequens musculus extraordinariè vehementer expandatur, spasmusque dolorificus sequatur.*

Ut enim pori & valvulæ musculorum ab ordinato, & naturali spirituum & objectorum organorumqne motu, (quippe qui ab animâ nostrâ regi potest,) *a* pro arbitrio nostro aperiri & claudi solent: ita per inordinatum eorum motum illa inordinatè & præter nostram voluntatem aperiuntur: tumque isti quâ data porta magno impetu ruunt, nec ab animâ nostrâ rectè gubernari vel determinari queunt.

a Pro arbitrio nostro aperiri & claudi solent.) *Hoc si verum esset, spasmo, aut convulsionibus nunquàm afficeremur: sed per consequentiam quandam determinationis spirituum diversæ, sive ad voluntatem mentis, sive ad actionem inconsuetam humoris alicujus crassioris acris; variis modis contrahuntur & intumescunt musculi.*

Spiritibus autem his *a* per intervalla insensibiliter dissipatis vel sopitis, oriuntur in hoc affectu contractionis & doloris induciæ. Ii verò, postmodùm ex antecedente causâ satis copiosè fuerint regeniti, *exhibent ægro novos alternatosque convulsionis paroxysmos.*

a Per intervalla dissipatis.) *Hæc explicari nequeunt, nisi statuatur, quòd vel, humores s. fomites aliqui in canaliculis s. latibulis partium solidarum aliquan-*

aliquandiu morati, ad sanguinem, ope vasorum lymphaticorum vel venarum translati, ratione suæ crassæ acrimoniæ, vellicationem extraordinariam in quibusdam musculis excitent; vel, quod sanguinis & humorum, valdè inæqualis ratione singularum guttarum, sit proportio & mixtio, ut indè fortè fortunâ idem sequatur effectus.

Sunt qui existimant, cacochymiam pituitosam, ex ebrietate & vitâ otiosâ collectam, nervos brachiorum & *a* crurum hîc *b* nimis replere, eosque ita distendere, ut fides testudinis ab aëre humido, in illas sese insinuante, distendi & contrahi, imò etiam disrumpi non raro solent. Sed magna inter hæc intercedit dissimilitudo: nervi enim testudinis sunt conflati ex intestinorum quorundam animalium, fibrillis inter se fortiter contortis, qui idcirco ab aëris humiditate, in interstitia earum impulsâ, distendi, contrahi, & interdum disrumpi possunt. Fibrillæ verò nostrorum nervorum non sunt contortæ, sed laxè inter se cohærent; atque ideò, instar chartæ in aqua maceratæ, ab humoribus, illapsis essent potius relaxandæ, quàm contrahendæ. Imò si hic spasmus à tali nervorum repletione oriretur, cavitates eorum ab humoribus eas replentibus, obstruerentur; atque ita cum hac convulsione Paralysis, sensum & motum tollens, necessariò esset conjuncta: cujus tamen nulla hîc adsunt indicia.

a Crurum.) *Quando totum corpus antrorsum incurvatur, dicitur* ἐμπροσθότονος, *retrorsùm* ὀπισθότονος, *æquali autem si robore in utramque partem* τέτανος; *si musculi abdomini & pectoris spasmo afficiantur, dicitur incubus, suffocatio hypochondriaca, hysterica &c.* vid. sup.

b Nimis replere.) *Vid.* Hipp. S. vj. Aph. 39.

Alii verò, qui credunt motum omnem ab imaginatione vel appetitu proficisci, *putant* imaginationem vel appetitum hîc esse depravatum, eumque, hunc depravatum & involuntarium musculorum efficere motum, ut imaginatio vel appetitus naturalis motum excitat naturalem. Sed motum corporis sæpissimè *a* citra ullam imaginationem vel appetitum fieri, docet respiratio in somno, & alterna pedum agitatio inter ambulandum, citra ullam de movendo corpore imaginationem vel appetitum, facta. Imò si imaginatio & appetitus hîc quicquam possent; æger noster hunc spasmum adeò dolorificum, quemque adeo est exosus, contraria imaginatione, & diverso appetitu facile sufflaminaret.

a Citra ullam imaginationem.) *Cur ergò, suprà dixit*, pro arbitrio nostro, valvulas & poros aperiri ac claudi?

Alii asserunt humores, in spasmo laborantibus, peculiarem quandam habere qualitatem molestam, quâ facultatem excretricem nervorum & musculorum naturalem irritant; eamque irritatam, suæque imbecillitatis consciam, facultatem expultricem animalem in auxilium vocare, atque ad violentum hunc motum incitare. Sed neque hæc sententia nodum rectè solvit. Nam nullâ ratione intelligi potest, quomodo facultas expultrix musculorum naturalis, quæ, si detur, nullum intellectum habet, animalem eorundem facultatem in auxilium vocare, atque hæc illi, contra voluntatem ægri, tantâ vi suppetias venire queat. Cum hoc sine cognitione, quâ spiritus & musculi totius corporis sunt destituti, fieri non possit.

Sed hic quæret forsan aliquis: *spasmus fiatne à læsâ facultate animali, an vero naturali?* Respondeo *a* ab animali fieri. Oritur enim ille à spiritibus animalibus, & musculis, qui ad facultatem animalem pertinent; quia, cum illi benè sunt constituti, subsunt animæ imperio, & actionum animalium proxima sunt instrumenta. Nec obstat spasmum contra & interdum citra voluntatem ægri fieri: nam ad actiones animales non requiritur, ut semper ab animæ imperio seu voluntate fiant; cum multæ actiones animales, quas ego automaticas appello, quales e. g. sunt *b* respiratio & corporis volutatio, quæ in somno, & incessus, qui inter ambulandum & aliud cogitandum sæpe contingit, citra mentis imperium fiant. Quæ tamen omnes ideo sunt animales, quia ipsæ, ubi partes, ad hanc facultatem pertinentes, rectè se habent, ab animâ ad rem attendente, perfici & dirigi immediatè possunt.

a Ab animali.) *Nos responderemus ab utraque, secundùm sententiam* D. Claudii Clerselier in præfat. ad Cartes. de Hom. cum not. Lud. de la Forge.

b Respiratio.) *Est actio mixta.*

Morbus hic valde est *a periculosus* ob symptoma doloris & vigiliarum, quod vires ægri valdè prosternere, & *b* mentis alienationem inducere potest.

a Periculosus.) *Huc spectant seqq. Hippocratis Aphorismi.*

Sect. II. Aphor. 26. Febrem convulsioni supervenire satius est quam convulsionem febri: *Causa quærenda est ex notis ad* medicat. de Apoplexia: *nempe febris hic notatur critica salutaris: at verò convulsio morbosa.*

Sect. IV. Aphor. 57. Spasmo aut tetano vexato febris si accesserit, morbum solvit. *Ex eadem ratione.*

Sect. IV. Aphor. 66. In acutis febribus convulsiones, & circa viscera vehementes dolores, malum. *Nempe magnus morbus magno morbo supervenit, & indicat acredinem universalem.*

Sect. IV. Aphor. 67. In febribus per somnos pavores, aut convulsiones, malum portendunt. *Ex eadem ratione.*

Sect. IV. Aphor. 68. In febribus spiritus offendens, malum: convulsionem enim significat. *Nempe indicat debilitatem magnam & acrimoniam.*

Sect V. Aphor. 1. Convulsio ab elleboro lethalis. *Ex eadem ratione.*

Sect. V. Aphor. 2. Convulsio vulneri superveniens, lethalis. *Quatenus magnum indicat dolorem & inflammationem.*

Sect. V. Aphor. 3. A copioso sanguinis fluxu singultus, aut convulsio, malum. *Ob debilitatem valdè magnam.*

Sect. V. Aphor. 4. A Purgatione immodica, convulsio aut singultus superveniens, malum. *Ratio est eadem.*

Sect. V. Aphor. 5. Si ebrius quispiam derepentè obmutescat, convulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua crapulæ solvuntur, vocem recuperet. *Ob fermentationem valdè imminutam, saltimque non abolitam*

Sect. V. Aphor. 6. Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt: si vero hos superaverint, incolumes evadunt. *Quia causa est valdè magna & universalis.*

Sect. V. Aphor. 17. Frigidum affert convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles. *Quia poros constringit & humores incrassat.*

Sect. V. Aphor. 70. Qui quartana corripiuntur, non admodum convulsionibus tentantur: si verò prius tentati fuerint, superveniente quartana, liberantur. *Hujus Aphorismi prior pars non est magni momenti, quia tantum est negativa: & in nostris regionibus contrarium obtinet, nam*

quar-

quartana oritur à sale vel acido fixo & acriore.

Sect.VII. Aphor.3. A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum. *Ratio constat ex antecedentibus*.

Sect.VII. Aphor.10. Ab ileo vomitus, vel singultus, vel convulsio, vel delirium, malum.

Sect VII. Aphor. 41. Si senibus supra modum purgatis singultus accidat, malum.

b Mentis alienationem.) *Admodum longe petitus est ille metus, nisi sit spasmus admodum vehemens & universalis, ac diuturnus*.

Festinè itaque *ad curationem* est accedendum: *a* quæ peragetur, primo per antecedentis, & deinde continentis causæ ablationem; ac *b* intemperiei cerebri, & medullæ spinæ, partiumque dolentium correctionem; nec non doloris mitigationem.

a Quæ peragitur.) *Spasmus non aliter curari potest, quam vel humorum crassitiem & acrimoniam tollendo, vel supprimendo, ut tandem valvulæ revulsæ ad statum naturalem reducantur: ubi vero spasmus eosdem musculos aliquoties occupavit, facile revertetur, valvulæ enim magis plicabiles redduntur*.

b Intemperiei.) *Si forte quædam adfuerit; cæterùm obstructionum reserationis potius injicienda fuisset mentio, & acrimoniæ involutio, vel evacuatio*.

Idcirco omnium primo injiciatur talis *a* clyster:

℞. *Rad. lilior. albor.* ℥j. *aristolochiæ rot.* ℥ʃ.
Herb. malvæ, bismalvæ, salviæ, betonicæ, an. m.j.
Flor. camomill. melilot. centaur. min. an. p.ij.
Furfuris macri m.ʃ. agarici ℥ʃ.
Coq. ex aq. com. ad lib.j.ʃ. Colaturæ addantur.
Hieræ Picræ, benedictæ laxat. ana ℥iij. *mel. rof.* ℥ʃ.
Olei lilior. ℥iʃ. *salis* ʒʃ. F. Clyster.

a Clyster.) *Supervacaneus est, nisi alvus adstricta fuerit*.

Ad humores & spiritus alterandos deinde bibat de hoc *a* decocto:

℞. *Salviæ, majoranæ, herb. paralysis, beton. lauri,*
Flor. rorismarini, stæchados an. m.j. Decoquantur in hydromelite. q.ʃ.
Ad lib. j. F. apozema, de quo bibat per intervalla ℥iij.

a Decocto.) *Componatur hoc ex rad. chin. & salsap. additis malv. alth. uv. pass. similibusque blandis emollientibus, posteà, convenit talis haustus.*

℞. Aq. spirituosæ tanacet. ℥iij.
tinct. pœon. ʒiij.
Syr. de pæonia ℥ß.
M.f. haustus. NB. cineres clavellati *vel* sal. tart. *addi possunt*.

Specifica sunt sp. corn. cerv. & sal. ammom. castorin., succinat., juniperin., essentia bezoardica, elix. camph. verum, tinct. castor., succin, sal. volat. C.C. succin., fulig., cran. human., ol. tanacet., chamom. flor. hyper. destillat., rad. & semen pœon. maris, viscus querc., ung. alc., cinnab. nativ. &c.

Deinde mox *a* purgetur his pilulis:

℞. *Pil. cochiar. fœtidar., de agarico an.* ℈j. *scammon. gr.iij.*
cum syr. betonicæ q.ʃ. F. pilulæ N. IX.

a Purgetur.) *Acriora quævis purgantia hìc (ut in omnibus convulsionibus) sunt valdè suspecta.*

Post purgationem detur *a* castorei ʒj. in aq. salviæ dissoluta. Purgatio etiam aliquoties erit reiteranda, & utendum de hac *b* mixtura:

℞. *Conserv. flor. anthos, beton. an.* ℥j *rad. acori cond.* ʒj.
Confection. anacardinæ, diamusci an. ʒij *mitridat. opt.* ʒj.ſ.
Castorei ℈ij. *syr. de stæchad. q.s.* F. conditum: de quo sumat mane & vesperi, castaneæ quantitatem.

a Castorei.) *Add. sal. volat. C. C. purif. tantundem: sed fatemur, medicamentum hoc palato valdè esse ingratum.*

b Mixtura.) *Potentiora erunt sudorifera ex* theriaca, mithr. *aut* diascord. croco, *&* bezoard. miner. *addita* tinct. opii.

Vel sudoriferum detur sequens.

℞. Mithridat. recent. scrup. iv.
Croci optimi gr. viij.
Antim. diaphoretic. scrup. j.
M. F. Bolus. aut

Si dolores vehementes adsint,

℞. Laudan. opiati gr. ij. *vel*
Tincturæ opii veræ, cochl. sem.
Syr. Card. ben. drach. iij.
Aquæ ejusdem unc. ij.
Spir. sal. armon. gutt. xvj.
M. F. haustus.

Sedatô autem spasmô, omnia anodyna & narcotica sunt cane pejus & angue vitanda.

Caput, post evacuationes universales, purgetur his pastillis *a* masticatoriis:

℞. *Pyrethri, sem.* b *staphid. agriæ an.* ʒiſ. *nucis muscat. maceris an.* ʒj.
Acori conditi, zinziber. cond. an. ℈iiſ. *mastiches* ʒij.
Succi betæ. q.s. F. pastilli mansiles.

a Masticatoria.) *Sunt inutilia imò & nociva.*

b Sem. staphid. agriæ.) *Hoc valdè suspectum est, ob acrimoniam vehementem, nam pars ejus cum saliva facile deglutitur.*

Pars posterior capitis, ac tota spina dorsi, partesque spasmo contractæ; sequenti *a* linimento erunt inungendæ & fovendæ:

℞. *Olei lilior. alb. terebinth. an.* ℥iſ. *irini* ʒiij.
Axung. humanæ, vulp. unguenti Agrippæ an. ℥ſ.
F. Linimentum.

a Linimento.) *Præmissis scil. calidis frictionibus; & adeo ol. lumbric. terrest. &*
Ol. Castor. an. ʒij.
theriac. recent. ʒiij.
croci ℈ß.

Si dolor & contractio his non cedant, utatur hoc balneo ter vel quater in die, cavendo nimiam ex eo *a* debilitatem:

℞. *Rad. malvæ, lilior. narcissi an.* ℥vj.
Fol. salviæ m. iij. malvæ, b *absinthii, origani an. m. ij.*
Flor. camomillorum, meliloti, stæchad. an. m. iiſ.
Seminis lini, fænigræci, anisi an. lib.ſ. Coquantur in aq. com. q.s. pro c Balneo: addendo inter coquendum vulpem, si haberi possit.

a Debilitatem.) *Id est, vel nimiam ab humectantibus flacciditatem, vel ab emollientibus relaxationem, vel ab aromaticis exsiccationem.*

b Absinthii.) *Suspectum hoc est in cerebri & nervorum affectionibus, utpote quod nimis exsiccat, & ratione salium suorum crassiorum, quasi narcoticum est.*

c Balneo.) *Balneum non debet esse exsiccans, sed spirituosum simul & aquosum, add.*

Ras. ligni guajaci ℥jv.
Herb. majoran.
betonicæ an. m.jß.
rad. pæon. mar.℥ij.
Sulphuris vivi ℥j.
Sal. tart.ʒvj.

A Balneo partes anteà dictæ liniantur hoc unguento:

℞. *Flor. rorism. stæchad. serpill. sampsuchi, hyssopi an.m.j. maceris, cinnamomi, nucis muscatæ, caryophyllor. an.ʒß. castor.℈j. Coquantur in sufficienti quant. ol. irin.* F. unguentum.

Dolor, si his sit implacabilis, poterit ille etiam leniri *a* gr.IV. vel v. laudani opiati, vel ʒj. Philonii Romani, vel gr.vj. aut viij. extracti croci Jac.Bontii, in Med. Indor. descripti.

a Gr.iv. vel v. laudani opiati.) *Dosis est execranda: scimus tamen nonnullos majorem ferre posse.*

Interim utatur *diætâ*, in quâ aër sit calidus, & *a* siccus: cibus sit ex carnibus gallinaceis, ovis sorbilibus: potus, aqua mulsa, pauco cinnamomi vel salviæ condita. Motus vitandus, sed frictiones ejus locum occupent. Alvus respondeat vel naturâ vel arte. Animi pathemata fugiantur.

a Siccus.) *Potiùs temperatus, serenus.*

IX.

MEDICATIO VIRGINIS,

A mensium suppressione.

[a] EPILEPTICÆ.

Annus jam ferme ad umbilicum pervenit, ex quo Virgo *b* annorum octodecim temperamento *c* pituitosa, cui menstrua *d* interdum sunt imminuta, interdum, menses aliquot, supprimuntur; per longa temporis intervalla *e* totius corporis inordinatis convulsionibus, ipsam, cum stertore, *f* aphoniâ, spumâ ex ore effluente, omniumque sensuum & aliarum perceptionum *g* privatione, prosternentibus & vehementer concutientibus, fuit correpta. Symptomata hæc, *h* per horam integram ante hac durare solita, jam, licet multa & varia remedia sint tentata, frequentius & diutius ipsam infestant. Paroxysmi plerumque cum vomitu inipiunt, & desinunt.

a Epi-

a Epilepticæ.) *Grandem in diversis hujus affectionis denominationibus operam posuisse videntur Auctorum plurimi:* Sacer morbus *nonnullis dicitur, & sonticus, vel quòd immediatè à Deo, in peccatorum pœnam, infusum eum putaverint; vel quòd admodùm mirabilis & planè abdita videatur tantorum symptomatum causa, vel quòd vehementer afficiat sacram Palladis arcem s. cerebrum; verùm cum* Hippocrate lib. de morbo sacro §. 1. *sentimus, ubi inquit:* nulla re videtur mihi aliis divinior esse morbus, neque sacratior, verùm naturam habet, quam etiam reliqui morbi, undè fit. Homines verò naturam & causam ejus divinam esse putaverunt, præ inexperientia & admiratione, propterea quòd non cognoscunt, divinitas ipsi conservatur &c. Si verò propter admirationem divinus censetur, multi morbi sacri erunt, & non unus, *confer ibid.* §. v. *Aliis dicitur* Herculeus & Herculanus, *quatenùs eò correpti homines, diros labores & ærumnas sustinent, quales olim Hercules tulisse fertur: Aliis* comitialis, *quòd dirimebantur comitia Veterum, si quis ex eo, cùm haberentur, concidisset, hinc* Q. Serenus Sammonicus cap. 56.

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.

Aliis nuncupatur caducus, *quòd æger subitò concidat & vehementer terram feriat: Aliis denique* lunaticus, *quòd non rarò, certis lunæ temporibus & phasibus auscultet.*

Triplex (notante Riverio pr. lib. j. cap. vj.) *constituitur à* Galeno, *Epilepsiæ differentia;* prima, *qua cerebrum afficitur, consistente in ipso affectu (i. e. per idiopathiam)* Secunda, *in qua cerebrum per ventriculi consensum afficitur, & dicitur* analepsia; Tertia, *cùm ex aliis corporis partibus (v. g. in hac medicatione ab utero) ad cerebrum affectus transmittitur, & vocatur* Catalepsia: *verùm citatus* Riverius (*pace* Galeni, aliorumque) *superfluam illam divisionem esse pronuntiat, contentus distributione Epilepsiæ solà in idiopathicam & sympathicam.*

d Interdùm.) *Etiam hoc observandum circa prognosin, cum subsequentibus Auctoris verbis,* per longa intervalla.

e Totius corporis inordinatis convulsionibus.) *Sic distinguitur ab aliis spasmi speciebus, particularibusque motibus convulsivis; Mentitur tamen aliquando passio hysterica gravior, insultum epilepticum. Præcedit ordinariò paroxysmum vertigo caliginosa; sequitur autem eum magnus capitis dolor, præcordiorum anxietas, & sitis.*

f Aphonia.) *Hæc non semper adest, sed epileptici diversis sæpè modis, vociferantur, ululant, latrant &c: aliquando simul excrementa alvi, urina & semen in paroxysmo excernuntur.*

g Privatione.) *Potius depravatione, aut admodùm notabili imminutione: & hoc symptoma, unà cum stertore, commune habet epilepsia cum Apoplexia, sed ratione convulsionum differt.*

h Per horam integram.) *Grave hoc est; ad prognosin pertinens: aliquando autem terminatur paroxysmus paucis momentis.*

i Remedia.) *Enumerare hæc in specie ipsum oportebat; multa enim quibusdam dicuntur remedia, quæ pura puta sunt venena, & vice versa.*

l Cum vomitu.) *Hæc spectant ad causarum dilucidationem, denotantque multas partes simul affectas esse.*

In hac ægra graviter afficitur *a cerebrum*, quod graves illæ actionum animalium læsiones testantur: & quidem præcipuè *secundum* b *sensorium commune*, quod nos Conarion esse existimamus: *item secundum spiritus* in ventriculis existentes, unde hic omnium sensuum & motus oritur læsio. Videtur

autem

autem cerebrum ab utero, ob menstruorum imminutionem & retentionem per *consensum* affici.

a Cerebrum.) *Non hoc in casu per idiopathiam, ut vocant, afficitur, sed per sympathiam uteri & ventriculi: sed accuratè loquendo ferè omnes partes corporis simul, gravi hoc in paroxysmo afficiuntur, quamquàm mali fomes extra paroxysmum lateat in particulari aliquo (imò nonnunquàm valdè exiguo) membro.*

b Sensorium commune.) *Importunè hoc allegatur; sensuum enim tam internorum quàm externorum depravatio & imminutio, clarè satis & distinctè, sine illis verbis explicari possunt, uti constabit ex seqq. Attamen & illud simul in gravi paroxysmo vehementer affici posse, non est à ratione alienum.*

Morbus, qui ipsam divexat, est intemperies quædam *a* pituitosa, serosa, acris & maligna cerebri: quæ *b* per intervalla quædam spirituum animalium *c* effervescentiam vehementem & pravam in ventriculis cerebri inducens, omnemque sensuum aliarumque perceptionum usum, per gravem conarii sive sensorii communis affectionem tollens, ac totum corpus involuntario, inordinato, & vehementissimo motu concutiens; *epilepsia*, sive *morbus caducus* vulgo dicitur.

a Pituitosa, serosa, acris & maligna.) *Etiam aliis in affectionibus, cum sæpè talis causa morbifica allegetur, quærere quis posset, quidni unus idemque semper gignatur morbus? Respondendum est, (1) quod in genere quidem dicatur materia pituitosa, acris &c., verùm in specie magnam habeat particularum constituentium diversitatem, ratione figuræ, magnitudinis, multitudinis, rigiditatis, irregularitatis, hamositatis, flexibilitatis &c. ita diversa dantur in Pharmacopoliis, gummata, resinæ, salia, acida &c. quorum tamen singula, diversam habent structuram; (2) notandum, quod non solùm generatim in diversis hominibus, verùm etiam speciatim in diversis partibus eorundem hominum varient canales atque tubuli, ratione amplitudinis, sive capacitatis, undè clarum est facilius obstructiones in his quàm in illis hominibus, aut vice versâ, diversis temporibus, evenire: & hoc rectè advertit* Verul. lib. IV. de augm. scient. *inquiens*, Illud intereà minimè dubium est, quòd internarum partium figura & structura, parùm admodùm externorum membrorum varietati & lineamentis cedat, quòdque corda, aut jecinora, aut ventriculi, tàm dissimilia sint in hominibus, quàm aut frontes, aut nasi, aut aures. Atque in his ipsis differentiis partium internarum, reperiuntur sæpius causæ continentes multorum morborum, quod non attendentes Medici, humores interdum, minimè delinquentes criminantur, cùm ipsa Mechanica partis alicujus fabrica in culpa sit. *Possent fortè* & Hippocratis illa verba lib. de flat. §. IV. *secundum hanc doctrinam explicari*: τῶν δὲ δὴ νούσων ἁπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτὸς, ὁ δὲ τόπος διαφέρει: *i. e.* Morborum autem omnium unus & idem modus est, locus vero ipse eorum differentiam facit. *In Epilepsia ergò humor ille crassus acer, s. Salinus s. acidus, minus convenire videtur, cum nervorum, musculorum, tendinumque canaliculis, quàm cæteris aliis.*

b Per intervalla.) *Non addit Auctor, an sint periodica, qualia nonnunquàm dari testatur experientia; confer* misc. cur. dec. I. an. 2. obs. 95. *Sexies quotidie affligentis epilepsiæ meminit* Tulpius lib. I. cap. I. *Aliquando periodos servat Epilepsia hebdomadales, semestres, bimestres, an-*

mias &c. Ita Joh. Nic. Pechlin. lib. 11. obs. med. Phys. 29. *habet Epilepsiam menstruam, cum Luna in vicem redeuntem.*

c Effervescentiam.) *Quid de hac sit statuendum, trademus loco paulò inferiore.*

a *Causa procatarctica*, unde hic morbus originem duxit, est imminutus & suppressus mensium fluxus. Hinc enim, auxiliante pituitoso ægræ nostræ temperamento, *b* cacochymia acris serosa in corpore ejus fuit genita; quæ *antecedentem* huic morbo suppeditat causam: pars verò ejus deinde *c* malignitatem peculiarem ex diutinâ morâ adipiscens, & *d* in cerebrum postea subinde delata, ibique quibusdam intervallis, partim conario vehementius impacta, partim in spiritus pravos copiosius conversa, & cum aliis spiritibus mixta, vehementiusque ibidem, instar olei vitrioli cum oleo tartari mixti, effervescens, & agitata, & varie, pro motus sui diversitate, in varias corporis partes deinde diffusa, *continens* hujus morbi evadit causa; graviaque *symptomata*, illum comitantia, producit.

a Causa procatarctica.) *Ab incauto usu olei juniperini Epilepsiam ortam, vid. in* Misc. cur. ann. 2. obs. viij. *A nimia ingluvie, vinique ingurgitatione vid.* Schenk. lib. 1.

Est (*inquit* Pechlin. obs. xxix. lib. II.) *ubi in infantibus quoque morbus hic discriminis plenus & ferè endemius; & verò tùm quoque aëris congenitæque labis justa est suspicio. Hîc autem terrarum, jam statim natis à meconio, provectioribus & lacti traditis colostro, aut lactis acescentis reliquiis, morbus hic imminet.*

Ab imaginatione defixâ, spectrum repræsentante vid. misc. cur. ann. vj. obs. 32.

A terrore subitaneo, Einnig. cent. 1. obs. 1.

A sternutatione non succedente, Salmuth. cent. 1. obs. 93.

A vermibus intestinorum, Barthol. cent. 17. histor. 20. *item allegat* Pechlin.

Epilepsiam cum hydrope refert P. Borell. cent. 3. obs. 34.

Comitialem morbum à splene in juvene melancholico, refert Tulp. lib. j. cap. IX.

Ab Apoplexia sanguinea, idem cap. vij.

A fomentatione capitis cum decocto hyoscyami, tempore fluxus menstrui, vid. in misc. cur. dec. 2. ann. j. obs. 138.

Ab ira, vid. misc. cur. dec. ij. ann. ij. obs. 149.

b Cacochymia.) *Potest accidere, ut epileptici sanguis non sit valde cacochymicus; sæpè enim ipsi illi homines, extra paroxysmum, satis benè degunt, omniaque sanorum munia obeunt.*

c Malignitatem peculiarem ex diutina mora.) *Videtur hic Auctor aliquid singulare, docere velle, sed omnia se habent ad instar scoparum dissolutarum: Nos, quid de hac materia sentiamus, secundùm normam eorum, quæ ratione & experientia hactenus nobis expiscari licuit, breviter hic dicemus. Nempe* (1) *mali fomitem non adeò esse in ipso sanguine & humoribus circulantibus* (*alioquin enim continuò ferè membra convellerentur*) *sed potissimùm in angustioribus canalibus & tubulis partium stabilium* (*cujuscunque demùm texturæ & fabricæ*) *s. cerebri, s. uteri, ventriculi &c. hærere; cùm ergò humores crassiores, ut ut pauci* (*nam non tam quantitas quàm qualitas notanda*) *præsertim indolis acrioris, intra quosdam canaliculos stagnant, multas particulas eorum ab invicem secedere facile concedet is, qui causam mixtionis singularum particularum naturalis, s. consueti, sublatam esse percipit; quô ipso evenit, ut pori s. interstitia earum valdè immuten-*

tentur, atque materiæ ſubtiliſſimæ (vacuum enim propriè dari, implicat) inconſuetô, ſ. irregularî modô, (non enim viam ubique invenit ſatis facilem) & eoſdem perfluat, & eorum in latera impingat, quâ actione, multæ particulæ, ratione magnitudinis & figuræ, immutantur & complanantur, ita ut rarefactionem tandem earum nonnullæ ſuſcipiant, carcereſque ſuos diffringant: in vicinia ergo cùm plurima ſint vaſa revehentia, venoſa & lymphatica, eorum ope ad majores canales ſanguineos traducuntur, maſſæque ſanguineæ immiſcentur: ſed quoniam (ſecundùm demonſtrata) valdè magna intercedit particularum ratione magnitudinis, figuræ &c. differentia, hinc magna oritur inter eas actio & reactio, ſ. lucta reciproca, propellentibus in omnem dimenſionem craſſiora ſubtilibus, hiſque renitentibus craſſioribus, quæ per conſequens ad latera detruſæ, cùm occurrant diametris canaliculorum circa nervos, membranas, muſculos, eorumque tendines anguſtioribus, ſiſtuntur & vellicationem notabilem (ratione acredinis ſuæ) excitant, propter quam ſpiritus animales (itidem ſolito craſſiores & acriores) vehementer influere coacti, ſed viam liberam in muſculis non invenientes regurgitando, expanſiones valdè violentas, licet interpolatas, producunt, donec preſſione continuatâ, craſſioribus particulis diviſis & ex canaliculis expulſis, paroxyſmus ceſſat. (2) Quando vel à vermibus, vel humore acri fixo, inteſtina vehementer arroduntur & vellicantur, vaporibuſque craſſioribus expanduntur, ſpiritus animales (ut ſupra dictum) ſolito vehementius & celerius, à cerebro versùs partem vellicatam & expanſam parteſque ei vicinas non ſolùm, per ramificationes nervoſas ſexti paris, determinantur; verùm etiam versùs alias corporis partes muſculoſas remotiores, per quarum canaliculos cùm liberè nequeant transfluere, effectum memoratum convulſivum, quaſi univerſalem pariunt.

Reverâ intercedit magna Epilepſiæ cum febribus intermittentibus, præſertim quartana, familiaritas, tàm reſpectu cauſarum quàm effectuum, majoreſque duntaxat in uno, quàm alio, ſunt convulſiones.

d In cerebrum.) *Epilepticæ materiæ etiam minutiſſimam ſedem accuratiſſime perquirendam eſſe, monet* Hofferus, *ut ejus loci in curatione habeatur ratio; in illa videlicet parte aliquando ſentitur moleſtia, & præſertim paroxyſmo ingruente.*

e Subindè.) *Notandum eſt, nos in* §. *antipenult. monuiſſe, non omnes, ſed aliquas fomitis epileptici particulas, rarefieri, & ad ſanguinem propelli: craſſiores ergò aliæ remanentes (quæ appulſu humorum foventur & augmentantur) tractu aliquo temporis, breviore vel longiore, ſimiliter ad rarefactionem perductæ, eundem ſortiuntur effectum: nec difficulter percipi poteſt, craſſitiem particularum fomitis eſſe poſſe diverſam, quemadmodum etiam earum mixtionem, qualitatem ac quantitatem: undè differentibus temporis intervallis egent, ad rarefactionem ſuſcipiendam.*

Nam ſpiritus iſti animales in ventriculis cerebri, ratione jam explicatâ, vehementius dilatati & *a* inordinatè ibidem moti, talem ex illo motu acquirunt determinationem, poroſque cerebri ita aperiunt, ut inordinate in totius corporis nervos fluant, valvulaſque & poros oppoſitorum muſculorum per vices inordinate aperiant & claudant; quo ſpiritus, ex oppoſitis in oppoſitos lacertos viciſſim inordinateque & vehementer tranſeuntes, ægram proſternunt, totumque ejus *corpus convulſivis, id eſt, vehementibus, alternatis, inordinatiſque motibus vehementer hac & illac concutiunt.*

a Inordinate.) *Ex inæquali agitatione particularum ſanguinis, exortâ à permixtione fermenti allapſi ex latibulo partis alicujus ſolidæ, ſpiritus*

& multi & impetuosi, nec non humores viscidiusculi una cum ipsis ex vasculis erumpunt; qui cerebrum & vasa in principio quidem obturant, sed postea spiritus illi multi & impetuosi, subinde hæc & illa claustra perrumpunt, & hos illosve nervos transeunt, musculosque annexos convellunt.

Quamvis autem hic tantus adsit spirituum motus, qui ventriculos cerebri sufficienter dilatet, & fibrillas nervorum in eorum tubulis membranaceis, ad sensationem peragendum satis liberas faciat, *a nulla* tamen, *in ægrâ nostrâ, est sensatio, nec ulla alia cogitatio*, b *nec etiam loquela*; quia multi humores ad sensorium commune in paroxysmo sunt delati, vel cerebrum & cerebellum, propter spiritus inconvenienter in iis tunc agitatos, illud nimis premunt, *c* atque ita omnem oblatarum imaginum perceptionem, aliamque cogitationem, & loquelam etiam impediunt.

a Nulla in ægra nostra est sensatio.) *Videlicet determinationes motuum ab objectis externis, in partibus sensitivis susceptæ, nequeunt cum vigore sufficiente, ad sensorium commune transferri, partim quia tempore paroxysmi, vehementior est spirituum animalium à cerebro ad partes inferiores radiatio, resistens alteri cuivis motui minori; partim quia in canaliculis nervorum, membranarum, musculorum, tendinùmque, particulæ hærent crassiores, liberam determinationem motuum, versùs superiora negantes: quòd autem hinc Auctor concludat nullam cogitationem adesse, maximoperè fallitur, prout clarè satis, suprà* med. de Apoplexia, *fuit ostensum.*

b Nec etiam loquela.) *Quia forte fortuna crassiores quædam particulæ, canaliculos nervorum recurrentium, vel aliorum ad musculos linguæ & laryngis excurrentium, obstruxerunt.*

c Atque ita.) *Mera est* ταυτολογία, *cui generatim Auctor miserè fuit addictus.*

In aliis epilepticis a supersunt interdum sensus, imaginatio & reminiscentia, quia conarion in illis, dum spiritus effervescunt, non ita graviter, ut in nostra virgine, afficitur. Dum vero humores pituitosi, per vehementem hanc spirituum, agitationem, è cerebro in fauces deturbati, viam aëri, inter respirandum ultro citroque commeanti, nimium arctant, à vi aëris, angustias illas transeuntis, *b stertor*; ab aëre verò in faucibus, per vehementiores respirationes, cum pituita, eo delapsa, mixto, *c spuma oris gignitur.*

a Supersunt interdum sensus.) *Nempe, in paroxysmo leviore, cùm motus spirituum animalium à cerebro versùs partes inferiores influentium, superare nequeat motus determinationem susceptam ab objectis externis, in partibus sensitivis factam.*

b Stertor.) *Hunc explicatum* vid. in Apopl.

c Spuma oris.) *Inæqualitèr procedente respirationis reciprocatione, aëris particulæ conicæ, vî elasticâ præditæ, viscosarum particularum salivæ poris, dùm insinuantur, hunc producunt effectum, non secus ac in aqua pluviali, sapone permixta & conquassatâ, notare licet.*

Porro quamdiu materia hæc maligna erat pauca, & tardè regenerabatur, *paroxysmi erant breves, & tardi eorum reditus. a* Illâ verò jam incrementum sumente, & citius renascente, *frequentioribus & longioribus exacerbationibus torquetur ægra.*

a Illa

a Illa vero jam &c.) *Ita quartana nonnunquàm transit in tertianam, tertiana in quartanam, quando materia morbifica magis vel minùs incrassatur: quò plurimum faciunt causæ accidentales, ut ira, terror, intemperantia & alia diætæ vitia: accedit, quod lapsu temporis fomites possint multiplicari.*

Incipit & desinit paroxysmus a cum vomitu, quia materia acris, sub ejus principium & finem ex vicinis locis, per vehementiores corporis concussiones, in ventriculum effusa, eum vellicando, & spiritus animales ex cerebro in illum determinando, excretionem per superiora stimulat:

a Cum vomitu.) *Hic, ut convulsionis species, oritur ab eadem causa quâ producitur epilepsia: particularitèr etiam hic denotat, mali fomitem latere non solùm in utero, verùm etiam ventriculo.*

Denique ubi illa acris, *a* tenuis & spirituosa materia tandem est discussa, tum *ægra ad se redit*, & omnibus symptomatis liberata, actiones omnes tamdiu rectè perficit, donec illa, satis copiose ex antecedente causa *b* regenita, novo paroxysmo virginem nostram excruciat.

a Tenuis & spirituosa.) *Tunc peccare non posset, utpote quæ liberè canales partium stabilium transiret, & per emunctoria corporis excerneretur.*

b Regenita.) *Potissimùm urget paroxysmus, quando menses aut imminent, aut fluunt.*

Nonnulli existimant, cerebrum, à materia acri & maligna irritatum, acrimoniam & malignitatem illam sentire, atque ideo sese contrahere, & ad eam expellendam insurgere: illud porro contractum omnes nervos, tanquam lora sibi alligata, variis motibus contrahere & agitare, & hinc omnes istos violentos inordinatosque variarum partium motus, in epilepticis observatos, originem ducere. Verùm cum in hac virgine epileptica, ut multis aliis eodem affectu laborantibus, tempore paroxysmi nullus sit sensus, nec ulla alia cognitio, idcirco cerebrum, in illa exacerbatione nihil quicquam sentiens & cognoscens, atque hinc nihil quicquam expellere appetens, perperam acrimoniam & malignitatem materiæ sentire, & ad eam expellendam insurgere, seseque contrahere, & alias sibi alligatas partes suâ contractione agitare dicitur.

Huc accedit, quod cerebrum nullum motum per se, sed omnem à spiritibus animalibus habeat. *Quod autem* spiritus varie moti varieque determinati, citra ullum sensum, appetitum, vel voluntatem, varias admirandasque agitationes in corpore organico producere, partesque ejus varie vehementerque movere possint, cuivis est manifestum, qui machinas hydraulicas, pneumaticas, aliasque, tum naturales, tum artificiales, diligentius est contemplatus.

Nec est, quod quisquam hic nobis objiciat motum perpetuum cerebri, quo illud ad oculum perpetuo alternatimque dilatatur & contrahitur, *vel illum, quo per sternutationem hoc vehementius movetur*: atque hinc inferat, cerebro sensum & cognitionem naturalem, qua citra hominis cognitionem, aliquid sibi utile esse sentiat, & cognoscat, attrahat vel expellat, necessariò esse adscribendam. Motus enim isti non fiunt à facultate cerebri sentiente, vel vi movente ipsi propriè, non aliunde ortâ. Nam *a* diastole cerebri fit à spiritibus in cavitates ventriculorum è plexu choroide, in cordis dilatatione, exhalantibus, &

cere-

cerebrum attollentibus, systole vero à subsidentia cerebri spontanea, ex novorum spirituum, per systolen cordis in ventriculos cerebri tum non exhalantium, *b* defectu, & spirituum, in ventriculis jam existentium, refrigeratione profecta: quod ex cordis & cerebri motu, eodem momento in utrisque contingente, est manifestum. Sternutatio vero non fit à motu cerebri contractorio; sed à re *c* cerebrum stimulante, & spiritus animales in ventriculis cerebri ita determinante, & tales cerebri poros aperiente, ut illi, in musculos respiratorios abdominis, thoracis, faciei & narium vehementius fluentes, aërem è naribus magna cum vehementia expellant, cerebrum concutiant, & quælibet obvia ejiciant.

a Diastole cerebri fit à spiritibus.) *Potissimùm motus ille deducendus est ex copia arteriarum, cerebrum irrigantium, utpote quarum pulsatio respondet pulsationi cordis.*

b Defectu.) *Hoc impropriè dicitur; tuncque vel somnus adesset, vel lipothymia; continuata autem est, in statu naturali, ut omnium humorum, ita spirituum propulsio & secretio.*

c Cerebrum stimulante.) *Falsum hoc est; tunc enim in omni dolore capitis interno, sternutatio adesset continua; verùm hæc oritur, à stimulatione fibrillarum nervosarum membranæ narium.*

Morbus hic, *a* cum jam diu duraverit, & per se sit malignus, & ac quamvis bona adhibita sint remedia, nihilominus sit auctus, valde *difficulter curari poterit*. Quia tamen est per sympathiam, & auxilium ab ætatis mutatione hic sæpe oriri solet: etiamnum spes curationis affulget. Atque ideo eam tentandam censeo.

a Cùm jam diu duraverit.) *In historia dixit Auctor*, annum jam ferè ad umbilicum pervenisse, *à quo malum sese prodidit, quapropter non adeò diu durâsse dici potest, quin spes satis magna curationis affulgeat, præprimis cùm in flore ætatis, totaliter menses non obstructos esse, sed per intervalla fluxisse, licet imminutos indicaverit: aliàs manifestum est, quòd mali fomes, diuturnitate temporis, & acrior evadat & copiosior, dùm antecedente causâ continuante, errores in diæta varii committuntur, nec medicamenta appropriata, secundùm ordinem, seriem & vicissitudinem artificiosam adhibentur: adde, quòd canaliculorum, pororumque diametri, in parte affecta, accrescente ætate, constantius adaptentur ad humorem peccantem determinatum imposterùm transmittendum, adeoque recolligendum; Hinc* Hippocrates S.V. Aph. 7. *inquit*: quibus epilepsiæ ante pubertatem contingunt, mutationem habent. Quibus verò accidunt viginti quinque annos natis, his plerunque commoriuntur. *Vid. eund.* S.ij. Aphor. 45 Epilepticis pueris, *ait*, mutationes maximè ætatis & regionum & vitarum, liberationem faciunt: *Nempe invalescit hoc modo sanguinis motus intestini & progressivi vigor, quô materia peccans dividitur, & ex corpore eliminatur. Hæreditaria dicitur incurabilis, quatenùs diathesin partium fluidarum & solidarum primitivam, medicamentis prorsus immutare, nemini hactenus datum est, sine productione plurimum malorum, si non abbreviatione vitæ; præprimis cùm continuò afficiamur à sex rebus nonnaturalibus dictis. Forsan hoc dedit ansam* Cratoni, epist. 137. *exclamandi*: utinam ante vitæ meæ exitum, diagnosin hujus morbi, & verum remedium aliquis ostendat!

Aliquandò Epilepsia ad longum tempus ita intermittit, ut homines plenè convaluisse sponderes; verùm ex illo morborum genere (inquit Joh. Nic. Pechlin.

chlin. obs. phys. med. lib. ij. obs. xxx.) hic est, qui, ubi per annos invaluere, solent ξωματοθνήσκειν.

Non adeò difficulter affectus curatur, si ortum traxerit à vermibus, utpote quibus ex intestinis deturbatis & enecatis, occasio erosionis, adeoque convulsionis, est sublata.

Mortem repentinam ex morbo caduco, vid. in misc. cur. dec. j. ann. ij. obs. 179.

Violentâ morte sæpè abripiuntur epileptici, dùm vel in aquam, vel ignem, vel ex præcipitiis &c. corruunt: nonnulli linguam miserrimè commordent: alii fatui & stupidi permanent.

Spontè curatam epilepsiam vid. apud Tulp. lib. 1. cap. viij.

Aliquandò in cœcitatem mutatur caducus morbus, teste Hildano cent. v. obs. v. *aliquandò in febrem, secundùm* Barthol. cent. ij. hist. 68. & Salmuth. cent. ij. obs. 84.

a *Curatio* autem adhibenda erit in paroxysmo, & extra illum. *In paroxysmo* curandum, ut ille quam brevissime solvatur, nec ægra se ullo incommodo afficiat. Itaque primò ipsa collocanda capite sublimi, & ore per lignum insertum patente. Ita enim excrementis spumosis liber ex ore dabitur egressus, nec ægra sibi linguam mordicus lædet. Et membra, quantum potest, bono situ sunt collocanda, & extendenda. Deinde causa continens, maligna, cerebrum stimulans, & spirituum effervescentiam excitans, à cerebro revellenda & discutienda ligaturis & frictionibus extremorum; sæpius laxatis & iterum adstrictis: item ruta, castoreo, assa fætida, vel oleo succini naribus admoto: nec non sternutatoriis ex helleboro albo vel nigro; præterea vomitorio, ex b antimonii præpar. *gr.* 4. vel 6. ori aperto pennâ indendo: præsertim cum paroxysmus à vomitu solvi soleat.

a Curatio.) *Præter ea, quæ Auctor in hoc §. habet, commendamus Venæsectionem, præsertìm in plethoricis, tùm ut sanguis melius corrigi possit per medicamenta propinanda, tùm ut enormis ejus motus moderetur, conf.* Henr. ab Heers obs. 29. *nec non* Claud. de la Courvée parad. de nutrit. foet. in utero. *Acriora quævis medicamenta sunt vitanda, sed constantia terrea cum salibus temperatis, nec nimiùm volatilibus, potiùs substituenda. Purgantia quoque acriora, mali causam, extra intestina positam, non solùm non tollunt, verùm potiùs augent, dùm crassiores sanguinis humorumque particulas copiose præcipitant, & ratione salium crassiorum, partes nervosas membranosas & musculosas vellicant. Vomitoria egregiè juvant, fomite circa ventriculum latente, præmisso tamen aliquo præparante, vel ad vices iteratas.*

b Antimonii præparati.) *Præferimus infusionem vini: (ut magis securâ) super crocum metallorum, vel vitrum antimonii, regulum antimonii simplicem &c. maximè etiam conducit sal. vitriol. alb. mart. vener. & tartarus emeticus. Fumô tabaci, in os pueri inflato, curatam Epilepsiam, vid. apud* River. cent. ij. obs. 60. *Specifica quoque dicitur ad Epilepsiam tinctura veneris, utpote quę diversis indicationibus satisfacere valet.* Hofferus Herc. med. lib. j. tom. j. cap. ij. *proponit ex* Horstio *Emplastrum* Cratonis, *capiti raso imponendum in ipso paroxysmo.*

℞. Succin. alb., thur, mastich. an. ℥iß.
galban., opopanac. an. ℈j.
visc. querc. ℥ij. ambr. grys. gr. vj.
mosch. gr. iij. sem. pœon. ℥ß.
ladan. ℥iß. ol. nuc. mosch. parum.
ol. rosac. q. s.

M. F. Emplastrum, cui adsperge pulverem cubebar. & suturæ coronali applica.

Cauteriis capiti admotis epilepticum restitutum tradit Piso obs. 31. *& factâ terebratione;* Joh. Rhod. cent. j. obs. 66. *Mensibus obstructis, specifica uterina, ut sabina, puleg., matricaria, artemis., castor. succin., assa fœt. &c. simùl sunt*

internè

interne & externe usurpanda; sed cautè à mitioribus ad vehementiora ascendendum est. In misc. cur. an.iij.obs.xv. in scholio, *commendatur inter alia antepileptica lycopodium flavum (Belgis aardmosch) ad ℈ß in infante: alii extollunt usneam s. muscum; craniis aëri libero expositis, adnascentem,* Heurnius *ex* Avicenna, *commendat pentaphyllum 30.dies cum vino potum. Aliqui extollunt haustum sanguinis humani calidi, sed* Verzascha cent.j. obs. 9.*vocat hoc remedium Sathanicum, imò pejora & contraria symptomata subsecuta notat* Tulpius lib. 4. cap. 4. *Infantibus præscribatur anthelmintica s. vermibus resistentia, acidum absorbentia mellitis vel simplicibus, vel compositis edulcorata: Cinnabarin nativam, & antimonii ritè præparatam, hìc multum posse, constat experientiâ. hinc laudatur sequens pulvis* Cratonis.

℞. Arcan.cinnab.nativ.ʒß.
corallor.
margar. pp. ana ℈ij.
croc. orient. ℈j.
fol.aur. N.xv.

M. F. Pulvis subtiliss. cujus dosis est à gr.vj. ad ℈.j. Hùc spectat pulvis ille ubique notus Dominæ Kent.

Rulandus cent. ij. curat. 6. *extollit oleum suum heraclinum, de quo disputatur, an sit ol. guajac., an ol. buxi, an ol. colurn. aut simile aliud? Henricus ab Heers, describit sequens oleum heraclium Serenissimi Principis Ernesti obs. xviij.*

℞. Vitriol. vener. aut Virid. æris calcinat. ℔jß.
Cranii human. ungul. alcis an. ℥ij.
Visc. querc. (malim, *inquit*, Colurnum.)

Sem pœon. mar. an. ℥j. cum spir. vin. rectificatiss. ℔.ij., diger. in retorta & destill. s. a. Ingratissimum, ait, esse hoc oleum & odore, & sapore, sed miræ efficaciæ, si cum aqua conveniente sumatur.

Periapta (inquit Willis loc.cit.*) collo suspensa, aut super ventriculi scrobem gestata, usui esse putantur: Radices pœoniæ recentes in taleolas scissæ, & filo transfixæ in bracteolas formentur, quæ toti collo circumdentur, quamprimùm exaruerint, substituantur novæ, illæque in pulverem intùs sumendum redigantur; Nempè talia operari possunt ratione effluviorum, per canales cutis ad interiora penetrantium.*

Curatio, quæ *extra paroxysmum* adhibebitur, causam procatarcticam & antecedentem; & tandem etiam pravam cerebri, sanguinis, & spirituum intemperiem tollet,

Primò itaque sumat hunc pulverem purgatorium:

℞. *Spec. diaturbith cum rhabarb.* ℈ij.
Cremor. tartari ℈j. *scammonii gr.x.*

F. Pulvis; exhibendus cum cerevisiæ vel aq. artemis. q.s.

a Vena deinde secanda circa talum, sanguisque educendus ad uncias octo.

a Vena deinde secanda.) *Venæ-sectio hunc morbum ubi spectat, Plethora adest, & consuetæ evacuationes sunt suppressæ, ut in casu Auctoris.*

Postea humores alterandi & evacuandi hoc *a* decocto:

℞. *Rad. pœoniæ maris, aristolochiæ rotund. an.* ℥j.
b *angelicæ, polypod. q. an.* ℥s.
Herb. melissæ, pulegii, salviæ, betonicæ, sabinæ. rutæ, an. m.j. artemisiæ m.ij.
Sem. pœoniæ mar. ℥s. *anisi, fœniculi an.* ʒij.
Flor. anthos p.ij.
decoq. in aq. com. ad lib.ijs. in Colat. infunde per noctem fol. senæ

ſenæ ℥j.ſ. agarici, turbit, rhabarb.℥ſs.
Expreſſioni forti adde ſyr.roſ. ſol.℥ij.
F. *c* Apozema: de quo ſumat quotidie hauſtum ℥iij.

a Decocto.) *Hofferus ex Horſtio commendat uſum* ligni ſancti *in vaſe bene clauſo cocti, & ejus* oleum *per deſcenſum*; Willis quoque lib. de morb. convulſ. cap.iij. *ita loquitur*: Alphonſus Ferrius plurimos epilepticos, ſimplicî guajaci decocto, bis in die ad ℥vj. vel viij. præſcripto, ejuſque decocto ſecundario, vice potus ordinarii (prout in lue venerea aſſolet) aſſumpto ſe curaſſe affirmat: ſi tali decocto radices pœoniæ, aliaque ſpecifica addantur, forſan efficacius fuerit.

b Angelicæ, polypod.) *Loco* rad. angel. & polyp. *adde*
Ligni ſantal. citrini ℥jſs.
Rad. ſalſæparil. ℥ij.

c Apozema.) *Noſtrum apozema incidens, in ſecunda medicatione præſcriptum, convenit. Guajacum tantum addatur ad* drach.iij. *propter acredinem: ſtipites dulcamaræ, & rad. lappæ majoris ſumantur ad* unc.j. *ſem. loco Chinæ & ſalsâparillæ, tanquam pretioſiorum radicum: add.*
Tartari drach.iij.

Herbæ ſint Stæchas, Origanum, Thymus, Epithymus, &c.

Pro obſtructis menſibus Semen nepetæ ad & ultra ℥ij. convenit.

Pro ſapore add. Rad. Glycirrhiz. & Paſſulas.

Decoquatur in aqua ad ℔iv. *non in vino, ne Sanguinem nimis moveamus.*

Hic convenit Aq. Flor. tiliæ, ceraſor. nigror. & Aq. Epileptica Langii, Tincturæ Pœoniæ, Spiritus Vitrioli Philoſophor. Sal. & Ol. corn. cervi, ſuccin. cran. hum. Ungula Alcis, Aq. Spirituoſa Tanaceti; *Quam etiam in convulſione maxime laudamus.*

Arcani loco in Epilepſia, ut & in convulſionibus, quidam habent ſecundinam humanam in umbra exſiccatam, à ſcrup. ij. *ad* drach.j. *ſed prima vice levem excitat nauſeam.*

Aliquis Amersfurti pro ſecreto habuit ſemina pœoniæ, liquore aliquo peculiari, digeſtione in fimo equino extracta.

Pueris poteſt dari mel deſpumatum, in quo maceratus fuit hyſſopus, Viſcus quercinus; Sem. pœoniæ maris.

Si à lacte nutricis puer afficiatur, abſtineat nutrix à vino copioſo, ne ejus lac nimis evadat acidum.

Si lac ſit nimis craſſum, viſcoſum, nutrix utatur Herb. Fœniculo, Anetho, Rutâ, Meliſsâ, Salvia, Betonicâ, Sem. Pœoniæ. mar.

Sed tamen horum non nimis uſurpetur, quia menſes movendo lac minuerent.

Corpore ita alterato & expurgato ſub tempus, *a* quo menſtrua ipſi fluere ſolebant, utatur hoc *b* balneo vel ſemicupio:

℞. *Artemiſiæ, majoranæ, meliſſæ, nepetæ,*
Lauri, thymi, lavendulæ, roriſmarini,
*Chamœdryos, chamæpiteos an. m.*iij.
Flor. Chamæmeli, meliloti, anthos, ſambuci an. m. ſ.
Baccar. juniperi, lauri an. p. ij.
Farin. ſem. lini, fœnigræci an. ℥j.

Coq. in aq. com. q.ſ. pro Balneo; in quo umbilico tenus per horam ſedeat, & reliquias decoctarum herbarum, ſacculo incluſas, circa pectinem detineat. Illud continuetur mane per quinque, vel ſex dies, in eoque cale facto moretur per horam unam.

a Quo menſtrua.) *Hæc benè, nempe ut conjunctis viribus agant medicamenta, & æther Lunaris.*

b Balneo.) *Adde* Sabinæ m.ij.

Nitri,
Sulphuris vivi an. ʒvj.
Salis ammoniaci ℥j.

Curatio Authoris plus spectat mensium obstructionem, quam Epilepsiam, quia illam hujus in superioribus statuit causam, quod nos incertum esse diximus, quia poterant esse duo effectus se mutuo comitantes, & orti ab eadem causa, tanquam ab alio tertio.

A balneo, vesperi ad somnum in lecto composita, per horas quatuor vel quinque, uno ex his utatur *a* pessariis, vel nodulis.

℞. *Salviæ, majoranæ, absinthii, galbani, agarici an.* ʒſ.
Aloës, colocynthidis, ellebori nigr. an. ʒj.
Mellis despumati q. ſ. F. Noduli vel pessaria N. ij. panno sericeo tenni involvenda, & filis longis alliganda.

a Pessariis.) *Hi sunt in virginibus suspecti, potiùs usurpentur insessus, & suffumigia.*

Postea particularis evacuatio fiat cerebri per *a* errhina, masticatoria, apophlegmatismos.

a Errhina.) Geog. Wolf. Wedel. in amænit. mater med. lib. 2. sect. 2. cap. xv. *ita de his, hoc in casu, loquitur:* cùm juxta vetus dictum non ineptum, sternntatio sit parva Epilepsia, cautè mercandum est eo casu cum sternutatoriis &c. nam & producta sternutatione sæpè Epilesia oritur.

Posthac denique exhibendum hoc *a* Electuarium, quod peculiari proprietate malignam qualitatem cerebri & sanguinis corrigere potest:

℞. *Conserv. flor. rorismarin.* ℥j. ſ. *conſ. flor. bugloſſ.* ℥. ſ.
Spec. diamuſci dulc. ʒj. ſ., *pulv. rad. pœoniæ, ſem. pœoniæ, juniperi, cranii humani, viſci quercini an* ʒ. j. *ſpir. vitriol. gutt.* xv.
Cum ſyr. de ſtæchade q. ſ. F. Conditum: de quo omni mane sumat castaneæ quantitatem.

a Electuarium.) *Præstarent pulveres illi absque saccharo, nisi id sit pro admodum delicatulis, adde.*
Fol. Lunæ. N. xxx.
Castor. pp. ℈j.
Penetrantia sudorifera fomitem ex suo latibulo efficacius eluerent, dummodo sciremus illa, horam circiter unam aut alteram ante paroxysmum exhibere.

Tota curatione durante *a* aër sit purus, moderate calidus. Vitetur vorticum & præcipitiorum aspectus. *Cibi* sint euchymi & eupepti, conditi cephalicis & antepilepticis. Allia, cæpe, caro hædina, porcina, & anserina, fugiantur. *Potus* sit moderatus. Vitentur animi vehementiora *pathemata*, & imprimis *b* terror. *Alvus* sit laxa. *c Exercitia* sint *mediocria*.

a Aër.) *Mutatio loci quid conferre possit, vid.* Hipp. sect. ij. Aph. 45.

b Terror.) *Et ira. Fumus tabaci; & aliarum graveolentium rerum, extra paroxysmum vitandus est, nam uti hæc præsentem paroxysmum valent discutere, ita & absentem inferre: hinc Veteres suffitu Gagatis, explorare solebant, an servi emendi, essent epileptici.*

c Exercitia.) *Venerea præprimis posthabeantur, cùm sanguinis particulas balsamicas & spirituosas consumant:*

sumant; & rectè dixit Aristoteles, Synusiam esse parvam Epilepsiam; à parva ad majorem, facilem esse transitum, & idcircò tunc vacandum Veneri, cùm quis se ipso vult fieri imbecillior.

X.

MEDICATIO JUVENCULÆ, *a* SOMNAMBULONIS.

JUvencula *b* viginti annorum & temperamenti calidioris, decimâ *c* à puerperio nocte, domestica quædam *d* negotia sibi peragenda somnians; è lecto *e* sine ullis vestibus, inter sævissima hyemis frigora surrexit: & cum è thalamo hac imaginatione ducta in partes domus inferiores descendere vellet, strepitu januæ, quam aperiebat, matrem, eodem cum ipsa decumbentem lecto, expergefecit. Hæc novitatem rei admirans, filiam altâ voce increpuit & ad se revocavit: quo illa expergefacta ad lectum rediit, *f* dicens se, nisi clamoribus istis è somno fuisset excitata, domo exituram fuisse. Vigesimo quarto post die, cum marito dormiens, circa noctis gallicinium subitò *g* è lecto exilit & ad januam cubiculi properavit. Verum à marito evigilante & stentoreâ voce eam inclamante, excitata, flens & *h* tremens ad lectum revertit; narrans se è lecto voluisse fugere; *i* ad evitandam vim, quam virum quendam sibi inferre velle somniabat. Postea similia insomnia, eam ad somnambulandum cogentia, sæpius est passa: in quibus sine ulla noxa tam *l* periculosa adiit loca, quæ vigilans nulla ratione adire auderet.

a Somnambulonis.) *Desumpta est hæc historia ex* Schenk. obs. p. m. 72. *forsan curiositatis magis, quàm utilitatis alicujus Practicæ gratiâ; nam somnambulatio propriè non est morbus, sed phœnomenon, quod sanissimis hominibus aliquandiù accidit. A* Sennerto, instit. lib. 2. part. 3. sect. j. cap. vij. *refertur ad* symptomata sensuum internorum.

b Viginti annorum.) *Equidem aliquid conferre potest ad illum effectum & junior ætas, & temperamentum calidum, uti patebit deinceps circa explicationem causarum: veruntamen aliud quid simùl accedere debere, evidens est ex eo, quòd non omnes juvenes, temperamenti calidioris, sint somnambulones.*

c A puerperio.) *Hoc non tàm ad causas spectat, quàm prognosin.*

d Negotia peragenda somnians.) *Ad hæc magis est attendendum.*

e Sine ullis vestibus.) *Hæc & sequentia faciunt ad prognosin*

f Dicens se.) *Altus somnus non potest huic affectui conjungi, quia ferè semper memoria insomniorum Somnambulonibus adest; & prehensa fortiter manibus tenent, & retinent: ergo status quidam est inter somnum & vigilias. Hæc circumstantia sæpe adest, quod oculi clausi maneant.*

g E lecto exiliit.) *Somnambulones non differunt à vigilantibus, nisi quod nec videant, nec audiant.*

h Tremens.) *Propter hanc animi consternationem, & tremorem, morbus aliquot dierum identidem excitatur in multis somnambulonibus.*

i Evitandam vim. *Hic affinitas quædam describitur hujus affectus & incubi.*

l Periculosa adiit loca.) *Stupenda*

da somnambulationum exempla videre licet apud observatores, præprimis Sckenkium, Horstium, & Forestum.

Afficitur in hac fœmina *a cerebrum*, secundum substantiam, & spiritus, ventriculis cerebri contentos, quod probat imaginatio, in somno ipsam adeo inquietans. Afficitur etiam *b totius corporis sanguis*, unde fervidi isti spiritus gignuntur.

a Cerebrum.) *Valdè impropriè dicitur cerebrum hìc affectum; cùm non solùm somniantes, verùm etiam vigilantes sanissimi, imaginationem alicujus rei profundam habere soleant.*

b Totius corporis sanguis.) *Nec hoc sequitur ex natura somnambulationis, cùm calidissimus sanguis illum effectum non reddat.*

Morbus qui eam infestat, est *Somnambulatio*; sive intemperies spirituum, in veutriculis cerebri nimis copiose inter dormiendum existentium, justo calidior & fervidior, cum intemperie *a* viscidiorum quorundam vaporum, cerebri substantiam, *b* longius à nervorum principio, occupantium, conjuncta; quâ illa, per insomnia nocturna è lecto interdum exsurgens, ad ambulandum in somno impellitur.

a Viscidiorum vaporum.) *Forsan, à viscida* Regii *flamma?*

b Longius.) *Nec longius, nec propius: si enim viscidi vapores, cerebri substantiam occuparent, sine dubio obstruerent, sique obstruerent, nulla unquàm sequeretur noctambùlatio.*

Causa hujus morbi *antecedens* est sanguis *a* fervidior & viscosior ac crassior, in toto ejus corpore redundans, qui viscidioribus & crassioribus quibusdam partibus in cerebri substantiam vaporis specie delatus, & subtilioribus in copiosos spiritus animales conversus, hujus morbi, dum ægra interdum vehementius somniat, *b continens* est causa.

a Fervidior & viscosior.) *Non benè conveniunt, nec unâ sede morantur.*

b Continens est causa.) *Duo præcipuè hìc perpendantur: (1) quòd solitò major spirituum, eo tempore, adsit in cerebro copia, quamvis non sufficiat, ad omnes partes corporis à somno revocandum (2) quod rerum agendarum vestigia quædam, cerebro sint valdè profundè impressa, ita ut cùm spiritus in eadem impingant, indè determinentur versùs eos membrorum musculos, qui motibus (secundùm consuetudinem) absolvendis, respondent. Ita multi fiunt in nobis motus (inquit* Claudius Clerselier præfat. ad Cartes. de Homine cum notis Ludov. de la Forge) *quos non animadvertimus, & qui non nisi actiones machinæ nostri corporis sunt. Aliquis per plateam incedit, magno cuipiam negotio intentus: primò incessus, quem facit, non est nisi à corpore, præterquàm forsan primus gressus, & prima determinatio, quam fecit eò eundi, quo ipsum vocat suum negocium: At omnes, quos posteà facit, gressus, intereà dùm suo negocio est intentus, non fiunt nisi à corpore. Secundò mille brachiorum, capitis, oculorum, labiorumque gestus, qui ipsius cogitationes, sive, quos producunt, affectus comitantur, haud quaquam sunt ab anima, quæ eos nec jubet, nec animadvertit. Tertiò, si, cum hoc modo profundè de suo negocio cogitat, accidat, ut gressu aliquo cespitet, ac post hunc primum continuò multis aliis, adeò ut labendi periculum ipsi immineat, quam variâ corpus inflectit*

flectit ratione, ut lapsum devitet? Jam aliquoties fuisset prolapsus, si ad sibi prospiciendum expectasset, donec cum anima consilium iniisset, atque omnes diversi sui corporis flexus, quibus ad lapsum impediendum fuit usus, tàm parùm ab anima proveniunt, ut ante facti & producti sint, quàm juberi potuerint, vel ipsa anima inter eos dignoscat, quinam corpori aptiores fuissent, ut præcipi potuissent. Millena similia hùc transferri possent exempla, sed hæc sufficiunt ad somnambulationem explicandam; nisi quis fortè supponere vellet, quorundam nervorum fibrillas à primordiis generationis usque, fortuitâ pressione fluidi efformantis æquali, adeò circulares evasisse & rotundas, ut canales intermedii tempore somni, vel deficientibus spiritibus, æqualiter semper manerent aperti, itaut ad fortuitam copiam & impetum eorundem spirituum, facilius quàm alii (minor enim illàc erit resistentia) repleantur: Sed præterquàm quod hæc ratio sit nimis longè petita, non adeò facile explicarentur eorundem somnambulonū operationes diversæ, temporibus diversis. Ratio autem, cur oculi sint clausi, quærenda est, ex determinatione spirituum versùs alia loca majore: quapropter cùm menti non repræsententur pericula somnambulationis, multò constantius & perfectius actiones plurimæ peraguntur, quàm si totum corpus vigilaret. Confer notas Lud. de la Forge ad Cartes. de Homine p. m. 196. 103. 147. 163. 169. &c. *nec non* Willis de anima brutor. part. physiol. cap. xvj.

Dum enim isti spiritus ipsi in insomnio, quod de re cupidius prosequenda vel fugienda, ob imagines, ex quibusdam expansis cerebri poris, menti in sensorio communi, à pressione vicinarum partium tum temporis libero, oblatas, habet, vehementius in ventriculis cerebri moventur, determinantur illi in illos membrorum nervos & musculos, in quos *a* similis cogitatio eos in vigilia determinare solebat. Iique in musculos illos copiosius & vehementius fluendo, *eam dormientem erigunt, & in varia loca*, quamdiu hoc insomnium durat, *deferunt. Nec tamen ipsa* ex hoc vehementiore spirituum motu *evigilat*; quia reliquum cerebrum, ubi imagines sive notæ decori, honesti, utilis, aliæque sunt pictæ, à viscido & crassiore vapore occupatum, propterea expandi non potest. Atque ideo *vagatur* illa *in somno*, quo ipsam imaginatio ducit, *donec*, vehementiore matris vel mariti, vel alius eam increpantis, *clamore*, viscidiores & crassiores isti vapores è cerebro discussi vel dissoluti, cerebrum à spiritibus expandi, & rerum omnium imagines menti offerri patiantur, atque illa ita *expergiscatur*.

a Similis cogitatio.) *Potius, similis idearum, per objecta acquisitarum, concatenatio; quæ sæpè melius in somno procedit, quàm vigiliis, quatenùs placidè moti spiritus, distinctius vestigia cerebri aperiunt, imaginesque eorum menti offerunt: ita juvenis somnambulo, apud* Henr. ab Heers obs. ij. *cum in celebri quadam Academia Poësin profiteretur, atque interdiu mentem in omnia versasset, ut carmen sæpiùs tornaret, quod vigil nequiverat, noctu surgens pluteum aperuit, scripsit, sæpiùs quòd scripserat, relegit, demùm cum risu & cachinno sibi ipsi applausit, atque contubernalem, ut secùm plauderet, hortatus est, positisque sandaliis & veste, clauso pluteo, chartisque, ut vesperi fecerat, repositis, lectum repetiit, somnùmque, dum excitaretur, protraxit, omnium, quæ noctu gesta erant, ignarissimus; manè post oratiunculam, ad studia rediens, nondùm visis chartis, pridianâ adhuc solicitudine laborans, cùm chartas volvens, eas impletas ad libitum suum, idque manu sua videret, siderato similis, serioque solicitus, boni ne, an mali genii opus* hoc

hoc esset, socios cachinnantes rogabat, si qua possent viâ, hanc sibi molestiam eriperent, &c.

Quod verò fieri possit, ut in una dormientium cerebri parte spiritus vehementius, in alia tardius eodem tempore moveantur, & nervis porisque cerebri unis per somnum clausis, alii pateant; præter insomnia vulgaria, manifestum est ex medicamentis quibusdam somniferis, inquietissima insomnia cum profundissimo somno excitantibus, atque ex spontanea dormientium, & reliquo corpore quiescentium, respiratione. Nam somnifera illa hoc aliâ ratione non faciunt, quam quod peculiari suo temperamento cerebrum in aliqua parte gravent, *a* & in aliâ spirituum vehementem motum excitent, ac quosdam cerebri poros, imagines quarundam rerum continentes, aperiant, *b* easque menti in somno offerant. Et ne quis contrarias has somniferorum in cerebro dormientium operationes miretur, consideranda est aqua communis, quæ in ignem flammantem injecta ardorem extinguit: in calcem verò vivam, ardorem excitat. Respirationem dormientium spontaneam quod attinet, illa nullâ aliâ ratione fieri potest, quam quod, reliquis nervis clausis, respiratorii perpetuò pateant, in eosque spiritus ex cerebro continuo fluentes, modò inspiratorios, modò expiratorios musculos, distendant, atque ita aërem vicissim in pulmones & ex pulmonibus pellant.

a Et in alia &c.) *Nempe somnifera, motum sanguinis intestinum & progressivum imminuendo, somnum quidem conciliant, sed quoniam salia sanguinis & humorum, incrassatione factâ, tardius per canales partium stabilium propelluntur, impingunt in latera fibrillarum nervosarum, musculosarum & tendinosarum, adeoque concussionem quandam efficiunt, quâ spiritus, ut ut pauci, celerius & vehementius ad partem concussam influere coacti, jactationes membrorum causantur.*

b Easque menti in somno offerant.) *Hac de re, eleganter,* Claudianus de consulatu vj. Honorii Augusti, *sequentem in modum canit:*

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurnô,
Pectore sopitô, reddit amica quies.
Venator defessa toro, dùm membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapsas quærit avarus opes, &c.

Similiter Lucretius lib. IV. de rerum nat.

Et quoi quisque ferè studio devinctus adhæret:
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati:
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens:
In somnis eadem plerumque videmur obire, &c.

Et hinc patet, neminem sine insomniis dormire, licet eorum expergefactus non reminiscatur.

Hæc juvencula somnians, tam *periculosa, citra noxam, adit loca;* quia, ob plerosque cerebri poros per somnum clausos, notæ periculorum antea perceptorum menti ejus non offeruntur; atque ideo nullo terrore perculsa, intrepidos & firmos in illis periculis figit gressus, atque ita feliciter ex iis sese expedit.

Non

Non omnes autem dormientes sunt somnambulones, neque etiam hæc fœmina singulis noctibus patitur somnambulationem; quia non omnes homines, nec etiam hæc fœmina semper spiritus in cerebro tam vehementer habent motos, qui nervos & musculos tantopere distendere queant, ut corpus eorum inter somniandum erigatur, & de loco in locum ambulando transferatur.

Somnambulatio, licet sæpe nullum nocumentum inferat; quia tamen multi somnambulones in vitæ periculum, imò *a* in ipsam mortem se incautè conjecerunt; idcirco *curationem* instituendam censeo: *tum in paroxysmo; tum extra illum*: præsertim, cum in epilepsiam hoc malum nonnunquam degenerare nonnulli ferant.

a In ipsam mortem.) *Ob vehementem sc. terrorem, subitaneam evigilationem comitantem, præprimis in locis periculosis: nam fulminis instar, cùm spiritus animales per partes corporis ferantur, invertunt naturalem cordis aliarumque partium functionem. Ex eodem fonte petenda est ratio subsequutæ epilepsiæ, obstructionis mensium, cancri & thrombi mammarum, scyrrhi lienis &c.*

In paroxysmo somnambulationis deprehensa, si in periculoso loco fuerit, cavendum ne excitetur, quia talis excitatio posset illam perdere; sed permittendum, ut ex eo sua sponte sese expediat, & in tutum perveniat. In tuto ubi fuerit, erit excitanda & acriter increpanda, &, si hoc non sufficiat, *a* etiam castiganda. Ut, notis istis objurgationis & castigationis cerebro profundius impressis, à somnambulatione tam periculosa postea deterreatur.

a Etiam castiganda.) *Ut vestigium oppositum cerebro valdè profunde imprimatur, ita ut spiritus versùs illud delati vehementius repercutiantur, & hominem suscitent.*

a *Extra paroxysmum* causa antecedens erit alteranda & è corpore educenda, & intemperies capitis contrariis corrigenda.

a Extra paroxysmum.) *Curatio huic morbo nulla est, citra admonitiones serias: quia homines cæterà solent esse sani: vel venæ-sectio vespери instituta posset juvare, quatenus placidiorem somnum induceret; modo sciremus, quâ nocte morbus invaderet.*

Primo itaque *a* purgetur pilulis:

℞. *Aloës* gr. xij.
Scammonii gr. viij. vel x.
Cum syr. rosat. solutivo q. s.
F. Pilulæ N. III.

a Purgetur.) *Nihil ad rhombum, nisi primæ viæ fuerint impuræ.*

Postridie educatur sanguis è brachio dextro ad uncias octo, vel decem. Et deinde hoc utatur *a* apozemate.

℞. *Rad. cichorii* ℥ij.
Pæoniæ maris, fœniculi, petroselini an. ℥ß.
Ellebori nigr. ʒiij.
Herb. cichorii, lactucæ, endiviæ, agrimoniæ, chamædrios,

Cardui

Cardui benedicti, betonicæ an. m. j.
Sem. quatuor frigid. major. an. ʒiij.
Anisi, fœniculi an. ʒj.
Amygdalar. dulc. paria viij.
Tamarindor. ℥j.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. ſ.

F. Apozema, de quo quotidie ter quaterve bibat hauſtum quatuor unciarum.

a Apozemate.) *Adde rad. ſalſ. pavill. ligni ſaſſafr. & ſimilia, ſi intemperies aliqua ſanguinis adeſſet, vel febris terrori ſucceſſiſſet.*

Dum utitur hoc apozemate, quarto quoque die purgabitur pilulis ante præſcriptis.

Lavetur deinde ſæpe in balneo *a* aquæ dulcis: & ſubinde ſub ſomnum ſumat emulſionis amygdalatæ ℥vj.

Perſeverante affectu, amygdalato conficiendo, addi poterunt ſeminis papaveris albi ʒij. vel iij.

Ad vehementiora ſomnifera vel ſtupefacientia, non eſt progrediendum; quia illa inſomnia quidem ſomnambulatoria impedirent; ſed metus eſt, ne, cerebrum nimium gravando, coma vel carum accerſerent.

Poteſt etiam uti lotionibus caput mediocriter refrigerantibus, caput deinde bene exſiccando.

a Aquæ dulcis.) *Hæc benè; & in ea coq. flor. pap. errat. malvam & ſimilia emollientia.*

Ad cerebri *a* corroborationem utatur hoc medicamento:

℞. *Conſervæ roſar.* ℥j. ſ.
Fl. borraginis ℥ß.
Pulv. ſem. pæoniæ maris ʒij.
Sp. diarhod. abbat. ℈iiij.
Cremor. tartari ʒj.
Cum ſyr. conditur æ citri q. ſ.

F. Conditum, de quo nonnunquam ſumat drachmæ quantitatem.

a Corroborationem.) *Cum nulla cerebri adſit debilitas, ſupervacanea eſt corroboratio.*

In *victus ratione* aër ſit purus; & inter dormiendum caveantur *a* radii lunæ, quibus in hoc malo augendo, magna efficacia adſcribitur. Cibi ſint boni ſucci, non flatulenti, vitentur itaque fabæ & lentes & ſimilia. Somnus non ineatur mox à cœna; eaque ſit parcior. Imaginationes & affectus non ſint fortes, ſed mites: ne iis imagines cerebro fortius imprimantur, eæque, poſtea menti vehementius in ſomno oblatæ, paroxyſmum ſomnambulatorium accerſant. In primis autem opera eſt danda, ut dormiat in cubiculo exactiſſimè clauſo; ut, quamvis ex lecto ſurgat, ulterius tamen progredi nequeat, & præcipitia aliaque loca periculoſa adire non poſſit.

a Radii lunæ.) *Hæc ſunt nugatoria.*

XI. ME-

XI.

MEDICATIO VIRI, a INCUBO DIVEXATI.

VIr quadragenarius, boni habitus, qui diu *b* ingluviei & ebrietati indulsit, interdiu bene se habens, & mente ac sensibus integer, ubi sub noctem se ad quietem componit, frequentissime nocturno quodam ludibrio afficitur. Putat enim se in somno interdum vi ad venerem sollicitari; interdum *c* à magna mole, vel homine incumbente suffocari, adeo ut vix loqui, aut respirare queat; sensibus stupescentibus, *d* non tamen ademtis. Cum se movere cupit, maxima accedit anxietudo: qua summopere perturbatus, tandem evigilat. *e* De capitis gravitate interdum etiam conqueritur.

a Incubo.) *Affinis est suffocationi hypochondriacæ, & passioni hystericæ mulierum, nec discrepat, nisi quòd invadat dormientes, ut aliæ passiones etiam vigilantes, licet* Joh. Rhodius cent. j. obs. 54. *dicat* Alexandrum Massariam *Patavii Professorem Medicum extra somnum incubo gravatum fuisse.*

b Ingluviei & ebrietati.) *Quanquam accidere potest incubus homini, cæterà sanissimo, attamen ex causa continente constabit, ingluviem, & ebrietatem, præter alias causas externas, eum & gignere, & fovere posse.*

c Magna mole.) *Hinc quoque vocatur incubus* Ephialtes, *ab* ἐφάλλεσθαι, *insilire, quòd invadi se ab alio putent, qui id mali patiuntur. Videtur illusionem hanc expressisse* Virgil. Æneid. xij. v. 908.

Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videtur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.

Dioscorid. *vocat* πνιγμὸν ἐνυπνίων, *aliis dicitur* πνιγαλίων, *&* πνιγάμων. *Undè & succubi, emersisse videntur.* Leg. Homer. Il. X. ὡς ἢ ἐν ὀνείρῳ ὀ δυνάται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν, ὡς ὁ τὸν ὀ δυνάτο μάρψαι ποσὶν οὐδ' ὃς ἀλύξαι. Vid. & Cœlius lib. 27. c. 15. & Macrob l. j. in somn. Scip.

d Non tamen ademptis.) *Sic differt à reliquis morbis soporosis.*

e De capitis gravitate. *Fortuitum hoc est, nec ad naturam affectus pertinens.*

In hoc ægro *afficitur a* cerebrum, secundum illam partem, unde nervi respiratorii originem ducunt; & hinc etiam afficiuntur musculi thoracis ac pulmo: quod ex læsa respiratione, & capitis gravitate est manifestum.

a Cerebrum.) *In Incubo, non semper, & primariò, afficitur cerebrum, sed secundariò, juxta* Platerum *&* Fernelium, *ast, malum omne circa musculos respirationi inservientes hæret. Vid.* Etmuller. prax. cap. xjv.

Morbus, qui ipsum divexat, est *incubus*; sive *a* intemperies sanguinea & pituitosa cerebri, quæ meatus ejus, in nervos respiratorios desinentes, in somno fre-

frequentissime angustans, insomnium excitat, quo ægro, ab incumbente, vel strangulante aliquo corpore, respiratio, & vox præcludi videntur.

a Intemperies.) *Gratis hæc dicuntur, cùm homo sit cæterà sanissimus, & incubus subitò dissipetur: mox autem circa causam continentem, ea omnia explicata dabimus.*

a *Causa procatarctica*, unde hic morbus primò originem duxit, est ingluvies & ebrietas, quibus æger noster diu fræna laxavit. Hinc magna copia humorum b sanguineorum & pituitosorum in ejus corpore fuit genita: quæ *antecedens* hujus morbi est càusa. Eaque in c vapores soluta, ac in cerebrum copiosius delata, illudque in somno nimis gravans & meatus nervorum respiratoriorum angustans, spirituumque justam in eos reciprocationem impediens, *continentem*, ejus, & symptomatum, constituit causam.

a Causa procatarctica.) *Hæc aliquandò nulla manifesta est, sed somnium aliquod gravius, sine errore aliquo, quo, circa sex res non naturales, commisso, comitatur: Rarum est, quod* Sennertus Tom. j. prax. cap. de incubo, affert ex Cœlio Aureliano, *observatum fuisse Romæ Incubum epidemicum.*

b Sanguineorum.) *Potius acrium crassorum.*

c In vapores soluta, ac in cerebrum copiosius delata.) *Ferè credidero, Auctorem fuisse ex prosapia cuculorum, cùm τὸ κοκκύζειν adeò perfectè calluerit: vix enim aliquam ex antecedentibus, imò & sequentibus multis eligeret quis medicationem, in qua non ille eandem cantilenam canat: Nos quid de causis incubi, ejusque circumstantiis censeamus, paucis dicemus, nempe, cùm inspirationis actus, (qui potissimùm dependet à contractione musculorum diaphragmatis) hìc succumbat & lædatur; reverà, omne, quod musculorum diaphragmatis liberam cum antagonistis reciprocationem, subitò invertere valet, incubum producit: v. g. si vel (1) aliqui vapores, solitò crassiores, sed impetuosè moti, intra cavitatem, sive intestinorum, sive abdominis viam sibi, forte fortuna, satis liberam in omnem dimensionem, non invenerint, confestim, violentam viscerum pariunt expansionem, quâ liber diaphragmati descensus cùm negetur, nec abdomen ritè expandi, nec aër in vicinia existens, liberè versùs pulmonem ferri potest, id est, suffocationis periculum adest; præprimis cùm eòdem actu violento, & spiritus à cerebro influentes, & humores in tubulis musculorum, tùm diaphragmatis, tùm pectoralium, intercostalium & abdominis, transitum undiquaque liberum & reciprocum (prout oportet in omni naturali contractione) non inveniant, refluere conando, spasmodicam excitent constrictionem complicatam. Hinc melancholici, scorbutici & flatulenti maximè hoc malum pati solent: quoniam verò olim mens observavit, à pondere aliquo, super abdomen posito, violenta manu ad fauces adactâ &c. respirationem inhiberi, & suffocationis periculum inferri, hinc secundùm consuetudinem (sed nimis præcipitanter) concludit, id fieri vel à pondere reverà incumbente, vel dæmone, spectro, nebulone fauces comprimente &c. similiter ferè dormientibus aliquandò accidit, ut vesicâ per urinam distentâ, non solùm somnient se mingere, verùm reverà mingant: & quibus, semine acriore, vasa genitalia turgent, somnia venerea, pollutiones nocturnæ, & incubus venereus familiaria. Vel (2) si quis distinctum aliquod, secundùm seriem vestigiorum cerebri de hac aut illa re, ut spectris, dæmonibus, furibus, incendiis, cædibus &c. patiatur insomnium; reverà spiritus animales, quemadmodum tempore vigiliarum, ad animi*

paſ-

passionem quamcunque, variis modis in membra determinantur; & quoniam plerunque celerius versùs unam partem (v.g. hoc in casu, musculos cordis, & respiratorios) feruntur, quàm aliam, idcircò sibi mutuo, dùm influunt, impedimento existentes, convulsiones spasmodicas musculorum istorum pariunt, undè anxietates maximæ, tamdiu durantes, donec continuatâ pressione à tergo aliorum spirituum & humorum, circulatio naturalis fuerit restituta, & homo plenè suscitatus: hoc juxta fundamentum, intelligitur, cur vox articulata, tempore paroxysmi, non procedat, &, quo jure nonnulli vocaverint incubum, epilepsiam nocturnam; *Confer* Willis. de an. brut. part. pathol. cap. vj. *item* Wedel. pathol. med. dogm. sect. iij. cap. x. *Ratio autem, cur capite declivi, & supino corpore decumbentes, magis incubo vexentur, quàm, qui in latus dormiunt, petenda videtur, partim ex eo, quòd viscera, tunc magis premant diaphragma; partim, quòd spiritus per lineam rectam, liberè satis, nequeant undiquaque diffundi, partim denique, quòd plerunque illis os sit apertum, undè phlegmata quædam aëre frigidô incrassata, vel delabuntur super rimam epiglottidis, vel nimis subitò ad asperam arteriam devolvuntur, unde quoque fibrillis ejus nervosis, & membranosis, vehementer expansis & vellicatis, convulsio musculorum respiratoriorum spasmodica (ut suprà dictum) resultare potest, quæ cum tussi ordinariè desinit.*

Dum enim ab humore vaporoso, meatus *a* nervorum respiratoriorum in insomnis occupante, respirationis difficultas, & inde magna molestia, ægro nostro oboritur: hinc spiritus animales in ventriculis cerebri fortius dilatati, & sensorium commune à superioris cerebri pressione, omnia insomnia, omnesque cogitationes alioqui impediente, liberantes, ipsi imaginationem excitant; quâ, quia veram molestæ istius respirationis causam in somno *b* excogitare non potest, *ab invadente aliquo, sibi fauces ac thoracem magna vi comprimi, spirituumque sibi præcludi, imaginatur*. Ille autem magno conatu, ab opprimente pondere vel homine invadente, *c* se, ut putat, insomnio expedire laborans, præ *d* imaginarii periculi timore magnopere angitur; & quia nervi tactorii, per somnum à subsidentis cerebri mole compressi, propter hujus insomnii inquietudinem parum tantum patent, *idcirco tactus ipsi*, in isto agitandi corporis conatu; *e stupet*. Conamine verò isto laborioso diutiuscule perseverante, spiritus animales in ventriculis cerebri vehementius dilatantur, & novi è corde tam copiosè eo propelluntur, ut non tantum sensorium commune, sed etiam ventriculi cerebri & nervi cerebro subjecti, à pressione & subsidentia liberentur, ac humores vaporosi, qui nervos respiratorios angustabant, discutiantur; atque ita *æger noster*, magnopere insomnii istius ludibrio turbatus, tandem *evigilet*, *& ab ista respirationis difficultate liberetur*.

a Nervorum respiratoriorum.) *Cùm tubuli, s. canaliculi horum nervorum (ut supra in Apoplexia dictum fuit) sint valdè ampli & copiosi, humore vaporosô Auctoris, non adeò facilè occuparentur, aut obstruerentur.*

b Excogitare non potest.) *Hæc benè; nimis enim subitò & vehementer ideæ s. perceptiones illæ menti offeruntur.*

c Se, ut putat.) *Familiaris non solùm hominibus est incubus, verùm & brutis; sed nonnisi juxta doctrinam in præcedentibus medicationibus datam: id quod jam olim notavit* Lucretius lib. 4. de rer. nat.

Quippe videbis equos fortes, cùm membra jacebunt,
In somnis sudare tamen, spirareque sæpè
Et quasi de palma summas contendere vireis:

Tunc quasi carceribus patefactis sæpè quiete,
Venantumque canes in molli sæpè quiete
Jactant crura tamen subitò, vocesque repente
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras, *&c.*

Hac de causa, superstitiosum vulgus, in Suecia, NorWegia, (quod scimus) & alibi; solent ad tecta stabulorum, imò & domesticorum cubiculorum, pedes leporinos cruciatim, (nam spectra, dæmones, &c. metuunt figuram crucialem, scilicet!) undiquaque suspendere nexos, vel januis inscribere signum hoc I. H. S. tanquam remedium specificum antephialticum: præprimis eâ die Veneris, quà proximè præcedente festum Paschatos, sagæ & Veneficæ (ut ajunt) Monarchale imperium possident. Sed mittamus has nugas!

d Imaginarii periculi timore.) *Etiam hoc vigilantibus; vel generosissimis, atque bellicosis, non rarò evenire solet, in subitaneo & inopinato aggressu hostium, nebulonum, terriculamenti &c.*

e Stupet.) *In somno semper stupent omnes sensus, verùm hic gradus stuporis major est, ob vehementem animi passionem, qua attentio ad cœtera supprimitur.*

Et quoniam *a* semen copiosum in partibus genitalibus, ex copioso sanguine ab ingluvie & ebrietate natum, quod venereorum insomniorum cogitationes, suo peculiaris temperamenti motu, sæpè excitare solet, nonnunquam in ipso redundat; ideoque molestiam respirationis in somnio percipiens, interdum ab invadente quapiam *se vi ad venerem sollicitari & cogi somniat.*

a Semen copiosum.) *Potiùs & acre.*

Metus est, ne hoc malum ingravescens, in ipso paroxysmo ipsum *a* suffocet, vel sanguinem in ventriculos cerebri, aut ejus substantiam effundendo, vel carotides arterias, vel plexum choroidem, aut earum *b* poros obstruendo, apoplexiam, vel carum, vel alium similem gravem cerebri morbum ægro nostro accersat: ideoque tempestiva *Curatione*, hujusmodi mala sunt præcavenda.

a Suffocet.) *Metus nimis longè petitus est, nisi crebrò incubus revertatur, causamque habeat universalem: & tunc transire potest in alios morbos soporosos; hinc* Willis loc. cit. *ait*, Ephialte crebrò tentari solitos, non rarò Apoplecticos succumbere. *Hoc quoque habet peculiare, quòd terrorem vehementem inferendo, febrem sæpè, imò & majores convulsiones producat, ac sæpiùs revertatur.*

b Poros.) *Potiùs canales.*

Eaque tota in causa procatarctica, antecedente, & continente *a* tollendâ, & intemperie corrigendâ, versabitur.

a Tollenda.) *Gravior & frequentior si fuerit incubus, curandus ferè est, ut Epilepsia.*

Primo itaque talem sumat haustum jejunus:

℞. *Spec. diaturbith cum rhabarb.*
diacarthami, *an.* ℥ſ.
Cremor. tartari ℈j.
Scammonii gr. xij.
Cerevisiæ tenuis q. s.
M. F. *a* Potio.

a Po-

a Potio.) *Nempè, præmissâ infusione calidâ, per horas sex vel octo. Vel,*
℞. Extract. helleb. nigr.
catholici ana gr. viij.
Mercurii dulcis gr. vj.
Diagrid. gr. iv. *aut* vj.
Trochisc. alhand. gr. ij. *aut* iij.
Cum mucilagine tragacant.
Fiant pilulæ pro ij. *dos.*

Postridie *a* aperiatur ipsi vena in brachio dextro, & sanguis educatur ad uncias decem.

a Aperiatur vena.) *Non malè: præprimis in plethoricis & obesis, quibus hoc malum, magis est familiare.*

Postea præscribatur *a* hoc medicamentum:
℞. *Rad. acori, angelicæ, pæoniæ an.* ℥ſ.
Fœniculi, petroselini an. ℥j.
Fol. betonicæ, fumariæ, cuscutæ,
Scolopendrii, acetosæ an. m. j.
Hyssopi, endiviæ, borragin. an. m. ſ.
Sem. anisi, fæniculi, an. ʒiij. *cymini an.* ʒj.
Decoquantur in aq. communi ad lib. j. *ſ.*
Addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℥j. *ſ.*
Rhabarb. agarici, jalappæ an. ʒiij.
Cremor. tartari ℈iiij.
Colaturæ adde syr. de cichorio comp. cum rheo ℥j. *ſ.*
F. Apozema, de quo sumat quotidie ℥jv.

a Hoc medicamentum.) *Laudabile satis est, sed omissis purgantibus add.*
℞. Ligni guajac. ℥vj.
sassafras. ℥iſs.
rad. liquirit. ʒx.
Coq. in aq. q. ſ. colat. ℔ijſs.
adde oxymell. scyllit.
Sal. fixi ℈ij.
Sp. Sal. ammon. ʒijſs.
F. Decoctum.

Corpore his universaliter purgato, utatur *a* errhinis & apophlegmatismis, & sternutatoriis, jejunus, ad particularem capitis evacuationem instituendam.

a Errhinis &c.) *Hæc nihil faciunt ad rhombum.*

In nucha, vel alterutro brachio, excitetur *a* fonticulus, diuque apertus servetur.

a Fonticulus.) *Etiam hic inutilis est, & vexatorius.*

Interim hoc utatur medicamento:
℞. *Spec diarhod. abbatis, aromatici rosati, diambræ, diamusci dulc. an.* ʒj.
Dissolutis in aq. betonicæ, adde sacchari albiss. ℥ij.
& F. *a* Confectio in tabulis, de quibus sumat ʒij. vel iij. post singulos pastus.
Et per plures dies sumat pæoniæ maris semina xv. pulverisata, & cum aquâ betonicæ mixta.

a Con-

a Confectio.) *Nempe pro delicatulis sed add.*
Margar. pp. ℈ij.
Ol. cinnam. gtt. viij. carioph. gtt. vj.

Nocturno tempore hanc *a* cucupham gestet, capitis tegumento inclusam:
℞. *Cortic. citri sicc.* ʒs.
Rad. cyperi ʒiij.
Fol. rorismarini, majoranæ, betonicæ an. m. s.
Fl. lavendulæ, rorismarin. salviæ, stœchad. arab. an. p. j.
Cinnamomi, cariophyllor. maceris an. ʒs.
F. Pulvis, qui excipiatur cotone moschato, & cum panno sericeo interpuncto, formetur *Cucupha.*

a Cucupham.) *Spectat hæc capitis gravitatem, sed potius calidè imponatur abdomini sacculus, ex hord. germin. s. polenta, sem. cumin., flor. camom., bac. junip., sal comm. & arena; isque irroretur Spiritu vini. Vel inungatur calidè abdomen ung. artan. cum ol. camom.*

Singulis septimanis his utatur *a* pilulis, mane jejuno ventriculo:
℞. *Pil. cochiarum* ʒs.
Extracti catholici gr. xij.
Scammonii gr iv.
Cum syr. de stœchad. q. s.
F. Pilulæ N. vij.

a Pilulis.) *Plus tribuendum esset balneis sulphureis & martialibus, sive naturalibus, sive artificialibus: ita etiam* linimentum *aliquod, circa umbilicum, & musculos abdominis, illinatur, ex gr.*
℞. Unguenti de arthanita ʒj.
Theriac. veter. ʒij.
Croci ℈ß.
Flor. Salis ammoniaci gr. viij.
Bals. peruv. gutt. vj. *vel* viij.
Ol. de castoreo q. s.
M. F. *linimentum coram luculento foco illinendum.*
Hic etiam valde convenit empl. spirituosum, *quale in epilepsia, umbilico applicatum: ut &* Ol. destillata aromatica, Lavendulæ, carui, &c. *Illinatur quoque venter* Ol. Nucis Mosch. stillat.

Vesperi, ab istâ purgatione, sumat *a* theriacæ drachmam unam, cubiturn iturus.

a Theriacæ.) *Sit potius aliquis potus sudoriferus potens, addendo theriacam, v. g.*
℞. Salis mixt. gr. xij. *aut* xvj.
succin. vol. gr. viij.
Tinct. croci ʒj.
Bezoard. miner. ℈ß. *aut* gr. xjv.
Ther. ℈ij.
Aq. card. bened. ʒij.
Syr. de stæchade q. s.
F. Haustus; vel simpliciter sumatur sal. vol. C. C. juniperini ʒj. *in conveniente liquore.*

In *victus ratione* aër sit moderate calidus, purus. *a* Cibus sit facilis concoctionis, bonique succi; non flatulentus; hyssopo, serpillo, satureja, aliisque attenuantibus conditus. Potus sit cerevisia tenuis, *b* vinum tenue & parcius sumptum. Cæna sit valde frugalis. Vitet omnem crapulam & ebrietatem. Corpus tempestivè & moderate exerceatur. Inter cænam & somnum tres ad mini-

minimum intercurrant horæ. Decubitus fiat in alterutro latere; nunquam sit supinus. Noctu fidum adjunctum habeat hominem, qui lamentantem & queritantem mox expergefaciat. Alvus respondeat naturâ vel arte. Affectus animi sint pacati.

a Cibus &c.) *Abstineat à cœna, præsertim Romanâ, s. largiore.*

b Vinum tenue.) *Potius generosum, modicè sumptum, sale volatili aliquô nobilitatum.*

XII.

MEDICATIO SENIS

a VERTIGINOSI.

b SEnex quinquagenario major, crassus, obesus, pituitosus, in otio vivens, somnolentus, victu pituitoso & crassa cerevisia diu usus, cum nuper ambulandi causâ foras esset egressus, visus est sibi videre res omnes objectas, ut homines, arbores, domos, celeriter in gyrum agi. Malo, paulò post, ingravescente, cum sese erectum sustinere non posset, in terram est c prolapsus. Ubi aliquandiu jacuit, donec paroxysmus esset finitus; qui ab eo tempore d jam sæpius, per intervalla quædam temporis, rediit. Adest e capitis gravitas, facies inflata & decolor; per os & nares multum pituitæ excernit. Ex intuitu rerum profundarum, vel in orbem actarum, facile novum paroxysmum incurrit.

a Vertiginosi.) *Symptoma ferè individuum est vertigo morborum omnium graviorum capitis, ejusque tres recensentur gradus: (1) quando corpus tantummodò cum exterioribus objectis circumgyrari videtur, subitò pereunte gyro; & est vertigo simplex, dicta Hippocrati* ἴλιγγος: *(2) quando simùl oculi veluti affusâ caligine obscurantur, aut etiam varii colores, flavi, cærulei, virides &c. repræsentantur, & dicitur* σκότωμα *s. vertigo tenebrosa: (3) quandò non solùm vacillant corporis sustentacula, verùm etiam corruunt, & vocatur vertigo caduca, tanquàm principium lipothymiæ vel Epilepsiæ. Nonnulli eam dividunt in idiopathicam, cujus causa immediatè latet in cerebro, & sympathicam, quæ cum aliarum partium, ut ventriculi, uteri, &c. affectionibus combinatur: alii quoque distinguunt symptomaticam morbosam, ab ea quæ forte fortuna oritur ad adspectum præcipitiorum, corporum celerrimè rotantium, ab ebrietate, jactatione navis &c.*

b Senex.) *Vid.* Hipp. s. iij. Aph. 31. *Nempe sanguis eâ ætate non solùm effœtus est & crassus, verùm etiam singularum partium stabilium fibrillæ, sunt rigidiores, & canaliculi angustiores. Muliebris itidem sexus, proportione habitâ, magis est in vertiginem pronus, quàm masculinus, ob causas in antecedentibus datas.*

c In terram est prolapsus.) *Hæc spectant ad prognosin.*

d Jam sæpius.) *Et hæc pertinent ad prognosin: debuisset verò Auctor indicare an paroxysmi illi vertiginosi essent periodici?*

e Capitis gravitas &c.) *Hæc quoque non solùm ad prognosin faciunt, sed & ad diagnosin causarum.*

In

In hoc ægro afficitur *a* *cerebrum:* cum visio, citra oculi, medii, vel objecti vitium, hic lædatur. Afficitur autem, tum *secundum* ejus *substantiam*, quod *b* probant excrementa pituitosa ex ore & *naribus* copiose excreta, item capitis gravitas: tum secundum *spiritus* in ventriculis cerebri existentes, quod, ex symptomate præcipuo ægrum nostrum infestante, vertiginoso sc. est manifestum.

a Cerebrum.) *Sæpè quidem id in vertigine afficitur, sed non semper, v. g. ex adspectu rerum celeriter rotantium, gyratione proprii corporis &c. non enim, hic ortam esse obstructionem aliquam notabilem, dici potest; sed hæc pluribus explicabimus circa causam proximam.*

b Quod probant excrementa pituitosa ex ore & naribus.) *Nulla est hæc consequentia, nam ex glandularum vicinarum vasculis lymphaticis, ea facilius derivari possunt, quàm à cerebro: vid.* Schneid. de catarrh. & osse cribriform.

Morbus, qui eum molestat, est *a* *Vertigo*; sive intemperies frigida & humida cerebri, spirituumque animalium in ventriculis cerebri motus vorticosus; quæ visus fallaciam, sive depravatam visionem, quâ omnia objecta visibilia circumgyrari ipsi videntur, inducunt.

a Vertigo, sive intemperies, &c.) *Quasi verò hæc essent reciprocè eadem, & nulla oriri posset vertigo sine intemperie, quemadmodum intemperies sine vertigine! sed condonemus hæc & talia Auctori nostro, frigidâ & humidâ, confusâ & tautologica ingenii intemperie laboranti!*

a *Procatarctica* hujus affectus *causa*, est otiosa ægri vita, & diuturnus ciborum pituitosorum & crassæ cerevisiæ usus, quibus, adjuvante temperamento ejus pituitoso & senili ætate, magna pituitosorum humorum copia in toto ejus corpore est genita: quæ *antecedentem* hic constituit causam. Ea vero in cerebrum delata, ibidemque per circuitus quosdam temporis in spiritus crassos ac vorticosos conversa, *b* *continentem* huic morbo, & symptomatis, suppeditat causam.

a Procatarctica.) *Vividum solis lumen, præprimis obvio simul nive, aut alio corpore intensè albente, vel rutilante, subitò occurrens, vertiginem sæpè numerò affert: item aspectus rerum celerrimè circumrotantium, præcipitiorum, rerum ingratarum odor & sapor rerum fragrantium s. suaveolentium, ut, moschi, ambræ grys., troc. ol. cinnam. rosar. &c. s. fœtidarum, ut, bituminis, picis, gagatis, sulphuris, carbonum, fumi tabaci, &c. præsertim in inconsuetis; copiosum vinum, præprimis si ritè non fuerint fermentatum, aut si aliàs fumo sulphuris fuerit refertum, cerevisia pinguis diu fermentata & acida copiosa, sp. vini frumentaceus, commessatio, somnus diuturnus, circumagitatio corporis celeris, vid.* Macrob. l. 7. Saturn. c. 7. *tremula sellæ, cui homo insidet, concussio, sedes nimis sublimis, ictus, lapsus, alapa, terror, ira, venus immodica, vomitus & secessus violentus,* (*vid.* Simon. Pauli, quadrip. p. 455.) *dolor cujuscunque partis immensus, fluxus menstruus &c.*

b Continentem.) *Auctorum nonnulli statuunt, primariò & proximè, circumrotationem illam apparentem, esse oculis & visui œconomiæ turbatæ adscribendam, secundariò verò pati phantasiam: imò fieri eam speciatim in aqueo oculi humore asserit* Joan. Antonid.

tonid. van der Linden in disputat. de circulat. sanguinis; *nec non* Etmullerus prax. cap. viij. *sequentem in modum loquitur*: causam vertiginis vulgò rotationem spirituum animalium in cerebro existimant, quod tamen falsum est: in oculis enim fit ista rotatio, sive motus iste inordinatus, qui vertiginem infert. Nam visui res gyrari apparent: in organo ergò visionis necessariò erit vitium, cùm in cerebro non videamus &c. *Sed profectò hæc hypothesis corruit, vel ex eo solo, quòd cœci æquè corripiantur vertigine morbosâ, ac alii videntes: ita apud* Wedel. in patholog. med. dogm. s. iij. cap. x. Magister quidam Philosophiæ, cœcus utroque oculo, satis notus, per integrum annum laboravit verâ vertigine: *ita quoque sæpè tempore somni, delirii &c. multæ ideæ rerum clarissimè menti repræsentantur, quasi per sensus externos illo ipso momento dependerent, cùm tamen nihil iis simile per organa sensuum tunc temporis communicetur: quapropter distinguendum est (1) inter perceptionem eam, quæ in vigilantibus, sive sanis, à naturali partium sensitivarum dispositione, mediantibus objectis, in mente gignitur; sive morbosis, à præternaturali organorum statu exsurgit, v.g. in suffusione, ictero &c. (2) inter perceptionem eam, quæ immediate oritur per organa sensuum: & alteram, quæ sive in dormientibus sive delirantibus, dependet, à vestigiis cerebro altè impressis, & diverso (sæpius confuso) spirituum animalium motu, diversaque versùs sensorium commune repercussione. Quando itaque spiritus animales (à quacunque demùm causa) rectilineum suum cursum, in omnem dimensionem liberè satis continuare nequeunt, clarum est, eos in motus extraordinarios verticosos & circulares (linea enim circularis, omnium minimè deflectit à recta) abripi, eademque cum determinatione motus ad sensorium commune devolvi, cui cùm mens sit immediatè unita, perceptionem acquirit extraordinariæ gyrationis rerum omnium externarum, id est, vertiginis, & quidem cum oculorum caligine & lapsu corporis in terram, si particulæ quædam crassiores simùl versùs canaliculos nervorum opticorum devolvantur, ita ut luminis radii motum suum satis vividè sensorio communi, ope spirituum communicare nequeant, aut si tantus sit motus spirituum rotatorius, ut plurimorum nervorum & musculorum tubuli, satis impleri ipsis nequeant. Et hoc ex fundamento, haud difficulter explicatur, cur vertiginosi, corpora simplicia censeant duplicia, juxta illud* Juvenalis in satyra vj.

——— Vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.

Etenim imagines rerum visibilium, ex oculis ad spiritus animales, in ventriculis cerebri in verticem actos, delatæ, & cum circumgyratione sensorio communi oblatæ, visus illam fallaciam pariunt, quâ omnia *objecta visibilia* eodem modo *in orbem agi videntur*; quo imagines rerum visibilium, quæ per fumos in aëre circumgyratos oculis offeruntur, speciem objectorum circumactorum exhibent. Eodem enim, ad circumgyrationis visionem in sensorio communi faciendam, redit, *a* sive imagines in aëre ante oculos, sive in spiritibus animalibus, in ventriculis cerebri existentibus, ante sensorium commune, circumagantur. Cum utrâque ratione imagines, ad sensorium commune, circumgyratæ perveniant, & ibidem ab anima circumrotatæ percipiantur.

a Sive imagines in aëre ante oculos &c.) *Quando objectum aliquod in orbem celerrimè fertur, radii luminis ab eo reflexi, participant de motu ipsius circulari, adeoque dùm in nervum opticum incidunt, spiritus intra tubulos*

ejus versantes, ad similem motus determinationem cogunt, & menti perceptionem de objecto in circulum moto offerunt; dum vero hi spiritus ita pergunt, alios vicinos eodem modo movent, ita ut rectâ lineâ in musculos prompte determinari nequeant, undè sequitur (post aliquos gressus titubantes) corporis in terram prolapsus, nisi mens sit satis prudens & fortis ad istum motum turbatum reparandum, & contraria determinatione sistendum.

Circumgyrantur autem *spiritus animales*, a *per certos temporis circuitus*, *in cerebri ventriculis* nostri ægri: *b* quia per certa temporis intervalla cerebrum & sanguis in cerebro, ac præcipue in plexu choroide, existens, talem acquirunt intemperiem, ut *c* tam crassi per exhalationem in ventriculis gignantur spiritus, qui, quia satis commodè & copiose per nervos in totum corpus distribui, atque ideo ad lineam rectam tendere non possunt, in gyrum, propter novos spiritus, ibi perpetuo supervenientes, & vehementius ibidem motos, eodem modo aguntur, ut ventus in angulum aliquem, ubi transitus non datur, delatus ab insequente vento in verticem rotari solet. Spiritus autem isti, præterquam quod sint crassi, non possunt ob istam circumrotationem, nervos satis copiose ingredi, nec musculos ad corporis sustentationem sufficienter inflare, atque ideo in vertiginoso hoc paroxysmo, ob spirituum animalium in musculis defectum, *prolabitur noster æger in terram*, *ibidemque* tam *diu jacet*, donec, vertigine cessante, spiritus animales officium rursus faciant.

a Per certos.) *Hoc non extat in historia, dixit enim solummodò per* intervalla quædam.

b Quia per certa temporis intervalla.) *Est hæc explicatio ejusdem per idem*: vid. sup. medic. de Epilepsia.

Aliquando respondet vertigo phasibus determinatis lunæ; aliquandò certis anni tempestatibus.

c Tam crassi.) *Idem præstare valent spiritus impetuosè & confusè moti, licet satis subtiles.*

a *A conspectu rerum valde profundarum oritur novus vertiginis paroxysmus*; quia conspectus ille, terrorem ægro incutiens, cerebri & nervorum poros angustat, quo spiritus, in nervos sufficienter fluere, & ad lineam rectam tendere nequeuntes, in ventriculis cerebri in gyrum aguntur. Idem *spirituum vortex etiam ab aspectu rerum circumrotatarum oritur*; quia ipsa imago rei circumrotatæ, ad spiritus ventriculorum delata, etiam circumrotatur; atque ideo spiritus nostri ægri animales, ad circumrotationem vehementiorem; ob causas jam dictas, valde apti, ab illa imaginum circumgyratione, facile in gyrum moventur.

a A conspectu rerum valde profundarum.) *A conspectu rerum profundarum ex alto, oritur vertigo per accidens, non vero per se; alioquin enim omnes, & singuli, semper deberent ex isto conspectu præcipitiorum vertigine corripi, quod tamen falsum est; sed tantum hoc oritur, in inassuetis & timidis; quapropter concludimus hoc à terrore fieri, qui nihil est quam firma imaginatio periculi jam imminentis, & quasi præsentis lapsus, undè spirituum animalium cursus naturalis sive consuetus turbatur, terminaturque in circularem, & verticosum, prout suprà dictum.*

Sunt qui existimant, imaginationem hic esse læsam. Sed quia hic nulla imaginum antea perceptarum fit prava conjunctio, separatio, vel detorsio, in quibus solis imaginatio depravata consistit; ast tantummodo rei visibilis præsentis prava perceptio, sequitur *a* non imaginationem, sed visionem tantum esse depravatam.

vatam. *Nec obest*, quod forsan nonnulli, hoc affectu laborantes, res objectas revera circumrotari putent. In illis enim non imaginatio, sed præter visum, etiam judicium officio non fungitur.

a Non imaginationem, sed visionem.) *Quomodo hæc sint concilianda, jam suprà tradidimus, ad verba*, causam continentem.

Nisi morbus hîc tempestivè curetur, *metus est*, ne in hoc sene *a* in apoplexiam, carum: vel alium similem cerebri gravem affectum, degeneret.

a Apoplexiam.) *Id est, sanguineam, si causa fuerit plethora, aut nimius sanguinis impetus, pituitosam autem, sive serosam, si præcesserit affectio aliqua soporosa, vel subsequatur: diutina vertigo, auguratur, vel epilepsiam, vel alium affectum soporosum: Senibus & mulieribus semper est gravior, quàm junioribus & viris. Exemplum vide apud* Alexandrum Deodati in valetudinario pag. 12. confer S. 3. Aph. 1[illegible] Hipp. *Quæ cum caligine oculorum sæpè conjungitur, valdè est periculosa, velut hæreditaria incurabilis. Confer* Hipp. S. iij. Aph. 31. *Longos & graves morbos quæ sequitur, equidem periculosa, verùm viribus aliquomodò recuperatis, spontè cessans.*

a Curatio itaque primo quoquo tempore est auspicanda: *eaque* circa causæ procatarcticæ, antecedentis, & deinde continentis ablationem; ac denique circa intemperiem cerebri spirituumque corrigendam, per contraria remedia, versabitur.

a Curatio.) *Ut in aliis morbis soporosis, ita hic, in paroxysmo & extra eundem Medela ritè est instituenda, secundum diversitatem subjecti, causarum, tempestatum, regionum, ætatis, sexus &c. Si sit à plethora, aut nimio sanguinis impetu, administretur protinus venæsectio.*

Sumat igitur omnium primo tales *a* pilulas, mane jejuno ventriculo:

℞. *Pil. cochiarum, de hiera simpl. an.* ʒß.
Scammonii gr. vj. *cum syr. rof. sol. q. s.*
F. pilulæ N. ix.

a Pilulas.) *Vid.* Hippocr. Sect. 4. Aph. 17. *ubi commendat evacuationem per superiora. Pilulæ auctoris nimis sunt molestæ, quia continent integram drachmam & aliquot grana. Præterea non statim accedendum est ad purgationem vehementem, sed sanguis prius est attenuandus decocto aliquo aperiente & incidente.*

Ubi purgandum est.

℞. Extract. pilul. cochiar. ℈j.
Trochisc. alhand. gr. j. *aut* ij.
Mercurii dulc. gr. iv. *vel* v.
Gummi tragacant. in aq. rof. soluti q. s.
M. F. Pilulæ.

Vel ℞. Extract. Cathol. gr. x.
Resin. Agar. gr. xv.
Mercurii Dulcis gr. viij.
Trochisc. Alhand. gr. ij.
M. Fiant s. a. pilulæ N. vij.

Si nauseabundus sit æger, aut dolorem sentiat circa præcordia, vel vomitorium solum, paginam absolvet, vel cum purgante mixtum, v. g.

℞. Extract. aut Resinæ Agarici gr. xij.
Tartar. emet. gr. iij.
Cum Saccharo. *F. Pulvis.*

Postea utatur hoc *a* decocto alterante & purgante:

℞. *Rad. enulæ campan. pæoniæ maris an.* ℥ſ.
Fol. majoranæ, b *hyſſopi*, *ſalviæ*, *lauri*, *betonicæ an. m.* j.
Rutæ, *ſummitat. centaurei minor. an. m. ſ.*
Flor. anthos, *ſtæchados*, *ſambuci an. p.* j.
Sem. aniſi, *fœniculi*, *carui*, *ſileris montan. an.* ℥j.
Decoq. in aq. com. ad lib. I. ſ.
In Colat. infunde per noctem c *fol. ſenæ* ℥j.
Agarici ℥ſ. *rhabarb. jalappæ an.* ℨij.
Cinnamomi ℨj.
Expreſſioni forti adde ſyr. de ſtæchade, *mellis ſcyllitici an.* ℥j.

F. Apozema: de quo ſumat, pro ratione operationis, quotidie, vel alternis diebus ℥jv.

a Decocto.) *Adde*
Ligni guajaci ℥vj. (*quod omittatur tamen*, *ſi adeſt intemperies acris*, *calida*
Salſæ Parill. ℥jß.

b Hyſſopi.) *Loco Hyſſopi ſumatur* verbena, *in caſu calido*, *ſed in frigido*, *ſpecificus dicitur Calamus aromaticus*, *quocunque modo ſumptus*: *vid.* prax. Mayern. cap. v. *Abſinthium & therebintina dicuntur capiti infeſta.*

c Fol. ſennæ.) *Deleri poſſunt* fol. ſenæ, agaricus, rhabarb., jalappa, cinnamomum, ſyr. de ſtæchade, mell. ſcill. &
Col. ℔iij. *adde*
Oxymel. ſcill. ℥jß.
Salis card. bened.
Spiritus ſalis ammoniaci an. ℨjß.

Ut ſpecificum porro habetur ſtercus pavonis & *anſerum* exſiccatum. *Doſis* ℨj. *ſæpius cum ſaccharo exhibitum.*

Antepileptica, & *antapoplectica huc pertinent ut* ſpiritus ſalis dulc. ſpiritus & ſal. vol. cornu cervi *aut* fuliginis, ſpiritus nitri dulcis, ſp. nitri philoſophicus, *pulvis ex cinnab. nativa*: *cujus deſcriptionem habet* Quercetanus, lib. de cap. affect. circa finem.

Olea ſtillatitia intus, & *extra uſurpari poſſunt*, *ſed prius corpus debet præparari*, *quia aliàs nimio motu*, *quem in ſanguinem introducunt*, *particulas craſſas ad vaſa capillaria detruderent*, *unde obſtructiones orirentur.*

Si animi deliquium adfuerit, *prodeſt tinctura caſtor. croc.* & *omnes aquæ ſpirituoſæ.*

Corpore jam aliquoties expurgato, utatur hoc *a* maſticatorio medicamento:

℞. *Uvar. paſſar. enucleatar.* ℥j.
Hyſſopi, *origani an.* ℈iiij.
Rad. acori conditæ, *ſem. ſinapi an.* ℨj.
Piperis, *maſtiches an.* ℈ij. *mellis q. ſ.*

F. globuli maſticatorii, quibus utatur jejuno ventriculo, & à prandio circa horam quartam pomeridianam.

a Maſticatorio.) *Id*, *ſicuti alibi dictum*, *purgabit vaſa ſalivalia*; *nonnulli hic commendant conſerv. flor. calendulæ.*

Ad obſtructiones capitis multum valet elixir propriet. Paracel. cum ol. ſulphuris per camp. præparatum *doſ. gutt.* xvj. *vel* xx. *ex cochleari cum vino.*

Interea utatur hoc *a* electuario:

℞. *Rad. zinzib. conditæ* ℥j.
Conſerv. fl. roriſmarini, *roſar. rubr. an.* ℥jß.

Sp.

Sp. diarhod. abbatis, aromatici rof. an. ℈ij.
Syr. de stæchade q. s. F. Conditum.

De quo sumat, ante cibi sumtionem, drachmæ quantitatem.

a Electuario.) *Si delicatulis tale quippiam sit præscribendum, adde fol.* Lunæ subtilissimè tritor. *N.* xij. *vel* xjv. *ita chymici commendant* crystallos lunæ, & lunam potabilem.

Conducit caput sæpe pectere, & frictiones ejus calidas instituere; cucupha ex aromaticis conflata capiti imponatur, modò æger ferre poterit ingredientium fragrantiam.

Spina dorsi & nucha inungantur unguento aliquo nervino: vide Hoff. med. famil. pag. 91.

Et *a fonticulus* cauterio aperiatur, in cervicis parte posteriore, vel, si ibi molestior sit futurus, in alterutro saltem brachio, diuque apertus servetur.

a Fonticulus.) *Cauterium sincipiti admovet* Zacut. Lusit. prax. admirandæ lib. 1. obser. 38. *alii vero occipiti applicant, ut* Oribasius, &c. *sed tormentum hoc est utplurimùm supervacaneum.*

Hofferus ex Pisone *dicit, appropriatum vertigini remedium, esse bombycem, si pulverisatus vertici inspergatur.*

Gestet quoque in capite hoc tegumentum pileo includendum:

℞. *Fol. betonicæ, flor. a camomill. rosar. an. m.* j.
Sem. nigellæ unc. s. coriandri præpar. ℥iij.
Exsiccata & leviter contusa, consuantur s. art cum cotone in panno serico, & F. Cucupha.

a Camomill.) *Loco* camomill. *substituatur* majorana, *aut* salvia, & *paululum* rorismarini, *adde etiam pauxillum* salis communis, & *irroretur aromatico quodam spiritu.*

Subinde detur sudoriferum ex salibus & mineralibus.

Totâ Curatione *aër* sit temperatus, purus; *a cibus* parcus, eupeptus nec flatuosus: *potus*, *b* vinum & cerevisia mediocrium virium, & parce sumptus. Corporis *exercitium* sit temperatum; sed capiti magis *c* convenit *quies*. *Somnus* sit mediocris. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. Inter *animi pathemata* vitet potissimum *d* iram & tristitiam.

a Cibus.) Crato lib. 1. cons. 3. *commendat* sem. carui *sæpe masticandum, & in cibo potuque frequenter usurpandum. Radices scorzoneræ coquantur in jusculis, cum thymo, majorana, roremarino, &c. vitentur pisces marini, saliti, fumo vel vento indurati, legumina, commessationes & compotationes, vina sulphurata, aut nondùm fermentata, fornacum impurorum calores, odores fragrantes, circumgyrationes corporis &c.*

b Vinum & cerevisia.) *Laudatur salviatum, aut roremarino, per fermentationem nobilitatum.*

c Convenit quies.) *Id est, moderata, nam aliàs tubuli nervorum nimis angustantur, & fibræ flaccescunt, undè produci possent alii morbi frigidi: ita constat somnolentos magis hebetes esse, quàm industrios & assiduos.*

d Iram & tristitiam.) Illam, *quia nimium sanguinis impetum ciendo, facit, ut ex arteriis extrudantur, etiam in ventriculos cerebri particulæ crassiores & viscidiores, poris obturandis aptiores:* hanc vero, *quia motum sanguinis retardando, incrassat.*

XIII. ME-

XIII.

MEDICATIO INFANTIS a HYDROCEPHALI.

PUer *b* triennis jam *c* à duobus annis *d* ingenti conspicitur capite; quod contactum molle sentitur; & digitis fortius pressum in fossulas *e* subsidet; radiisque solis vel candelæ expositum *f* pellucet. *g* Sensibus est stupidioribus, & somnolentus. Quamvis bene edat & bibat, reliquo tamen corpore est macilento & pallido. Pulsus pro ratione ætatis debilior est.

a Hydrocephali.) *Puerilis, & jam pridem natorum, fortè etiam nascentium, est morbus, juxta* Joh. Nic. Pechlinum, obs. phys. med. lib. 1. obs. LXI. *Rationes constabunt ex seqq.*

b Triennis.) *Etiam hanc ætatem prætergressis, non adeò rarò accidit hic affectus, licet rarissimè extendatur ad annum quartum decimum.*

c A duobus annis.) *Hæc spectant ad prognosin.*

d Ingenii.) *Apud laudatum* Pechlinum, tumor invaluit ad mortem usque adeò, ut peripheria capitis, æquaret ulnam ferè & dimidiam: Reliqui corpusculi & ipsius vultus proportio, longè pro isto capitis ossei tumore minima; jurasses, universo trunco, vultuique, detractam humiditatem, in unum caput concessisse, adeo macra omnia & strigosa. Tensa quam maxime capitis cutis, nec periostium ullis aquis rigabantur; ubi tum ossium compages alia apparuit, quàm esse solet. Hiatus ille rhomboïdes, Fontanellam vocant, longè patentior erat, quàm oportet continuato etiam per suturas, sagittalem & coronalem, plus quam digitali divortio. Tenuiora ad hæc videbantur bregmatis ossa, & cornea ferè, in oris etiam quæque suis cartilaginosa ad notabile intervallum, ubi radiantium fibrarum ossearum lusum, pulchrè animadvertere licuit. Nulla interim aqua, neque cranium inter & crassam membranam, neque hanc & tenuem; superficies duntaxat cerebri solitò humidior, hic verò ingens cerebri tumor, complanatâ undique superficie, mæandrorum; qui aliàs distinguere corticem solent, vestigia aboleverat, adeò & venæ, quæ copiosè irrigare cerebrum debebant, paucæ apparuere, & in ampliata propulsaque cerebri convexitate exiles. Itaque, cùm intus ali monstrum videretur, acum admovit Anatomicus (*van Horne*) quâ in paracenthesi uti solemus, cerebrumque, cujus passim crassitudo vix digitum æquabat, pertudit. Fluere statim limpidissimi seri rivus cœpit, quem ad uncias 163. non numerato, quod in anfractus, cerebriq; basin se diffuderat, excepit, &c.

e Subsidet.) *Commune hoc omnis hydropis est symptoma.*

f Pellucet.) *Hæc affert Auctor ad differentiam aliorum tumorum, & contusionum.*

g Sensibus, &c.) *Horum cum seqq. ratio facilis erit ex catena causarum.*

Afficitur in hoc infante *caput*, secundum partes externas, ut docet tactus: *a* atque etiam secundum substantiam cerebri, quod sensus stupidiores & somnolentia indicant: & *b* forsan etiam secundum ipsos cerebri ventriculos: cum experientia doceat in hoc affectu sæpè *c* magnam serosæ materiæ copiam iis contineri. Afficitur etiam *cor* & *totum reliquum corpus*; quod pulsus debilis & macies totius corporis indicant.

a Atque etiam, &c.) *Serosa colluvies, nunc cerebrum atque membranas, nunc membranas & cranium, pericstiumque & cutim inter, sæpiùs tamen in cerebri cavitatibus, ut quæ, lymphæ prementi minus resistunt, deprehenditur, hinc hydrocephalus dividitur in externum & internum: Vid.* Corn. Stalparti vander Wiel. obs. rar. cent. post. part. pr. obs. XIV.

b Forsan.) *Sine dubio.*

c Magnam serosæ materiæ copiam.) *Vide suprà* citat. histor. Pechlini.

Morbus hujus infantis est *Hydrocephalon*, *seu hydrops capitis*; qui est intemperies capitis serosa, illud in *a* magnum tumorem, mollem, & perspicuum attollens.

a Magnum.) Hildanus cent. 4. obs. 10. *Meminit pueri, quintum ætatis annum nondùm prætergressi, cujus capitis peripheria æquabat pedes Geometricos duos, cum sesquipede & pollice; atque altitudo eadem erat: fides sit penes Auctorem. Confer* Tulp. obs. lib. j. cap. 24. & 25. Thom. Barthol. cent. j. hist. xx.

Causa hujus morbi *a prima* est intemperies frigida & humida cordis & reliquorum viscerum; uti ex pulsu debili, & totius corporis colore pallido colligitur. Atque inde *b* serosa materia, cum sanguine copiosior in visceribus sanguificationis genita, & per reliquum corpus diffusa, *antecedentem* huic morbo dedit causam; quæ propter nimis magnam vasorum capitis mollitiem, poros ibi copiosius aperuit, & *c* per diapedesin ac evaporationem extra vasa, partim intra cranium & cutim, partim in substantiam, & forsan etiam in ventriculos cerebri, paulatim sese effundens, causam *continentem* huic morbo suppeditat: *eaque* cerebrum suo pondere gravando; nervosque subjectos premendo, *inducit somnolentiam*; sensoria verò sensationi ineptiora faciendo, producit *d sensuum stuporem*.

a Prima.) *Mala diæta Matris, lapsus, ictus gestationis tempore, obstetricis sæva manus, ossa bregmatis intempestivè in partu comprimens, angustia nimia partium genitalium Matris &c. hujus affectus causæ fortuitæ esse possunt.*

b Serosa materia cum sanguine copiosior genita.) *Nugatoria sunt hæc & anilia: nonnè clarius & distinctius tota res intelligitur, si dicatur, quòd, particulis in sanguine prædominantibus nimis crassis & oblongis, vel cylindricis &c. id est, viscosis, terrestribus, salinis & acidis, fixis, motus massæ sanguineæ, humorumque circularis succumbat, ita ut varii, cerebri canales venosi & lymphatici revehentes, hic & illic obstruantur & comprimantur, dùm autem à tergo alii humores urgent, viamque illàc sibi liberam non inveniunt, aliam quærunt, minus resistentem, id est, colliguntur successivè intra ventriculos cerebri, & morâ suâ in aliis partium capitis internarum & externarum canalibus, humiditate copiosa, producit tumorem aquosum: Idem accidit coarctato ab aliis causis venarum spatio vasisque lymphaticis disruptis.* Vulgato (*inquit* Pechlinus) *experimento, jam olim cognovi, ligatis venis jugularibus internis in vitulo semimortuo, cerebrum copiosè à restagnante sero inundatum fuisse, adeò & remissâ circulatione, lentiusque eunte sanguine, idem fieri probabile est.*

c Per diapedesin & evaporationem.) *Tunc lympha collecta, tantam non haberet crassitiem, quantam in dissectis hydropicis videre licet: nec causa patet transudationis & evaporationis per poros partis affectæ, satis efficax,*

ad

ad tantam seri copiam suppeditandam, nam motus circularis & intestinus valdè est imminutus. Vid. Thom. Barthol lib. iij. cap. vj. Wepser. exerc. de Apopl. p. 60.

d Sensuum stuporem.) *Non hic necessariò Apoplexiam gignit aquosa colluvies, quia (1) aliquomodo subtilis est, proportione servatâ ad alias aquas, undè per ejus poros spiritus animales facilius in nervos penetrant, & eandem in continuo motu servant: (2) aqua hæc in cerebro sensim colligitur, adeoque sensim dilatavit poros tubulosque cerebri; secùs verò accideret si uno impetu colligeretur: ita impraegnatione facta, cum uterus sensim dilatetur, non magnum incommodum infert; si autem subito ita distenderetur, mulier necessario confestim moreretur, ob defectum respirationis, & disruptionem uteri, sed in seqq. Auctor hæc ipse ritè explicat.*

a Nec est, quod quis miretur, serosos humores in ipsis ventriculis cerebri, salvis vel obtusis existentibus sensibus, copiosissimos posse contineri. Cum frequenti constet experientia, aquas quam maxime copiosas ibi fuisse inventas, & substantiam cerebri ac ejus ventriculos in maximam capacitatem fuisse expansos, quod certè subitò, ante hydrocephalorum mortem, fieri non potuit.

a Non est, quod quis miretur, &c.) *Objiciunt aliqui, quod in hoc casu determinationes ab objectis externis non possent deferri per medias aquas ad sensorium commune: sed respondemus, quod hæc aqua sit subtilis, & non coagulata, quare spiritus per ejus poros aliquomodo liberè transeunt: ita natatores & urinatores sub aquis audiunt, quamvis obscurè; aër autem corpus est crassum, respectu pororum aquæ, quos transire debet: nostri verò spiritus longè subtiliores sunt; certum tamen, semper in hoc affectu sensus esse stupidiores.*

a *Sensus autem hic sunt superstites, licet obtusi;* quia aquæ ibi contentæ, valde sunt tenues & spirituosæ, ita ut magna illa spirituum, aquis istis mistorum, copia, cerebrum illud ingens, & tanto onere gravatum, possit attollere, cranium ipsum distendere, & nervos cerebro subjectos à nimia pressione vindicare, eosque ita aperire, ut spiritus per aquas istas in nervos fluentes, illos sensationi & motui qualicunque faciant aptos.

a Sensus superstites.) *Uti soni diffunduntur ad longam distantiam, non obstantibus muris solidissimis & crassissimis, ope auræ subtilissimæ, poros replente, & velut post cymbam contra torrentem fluminis remigio latam, radiatio aquarum ad notabilem distantiam, eam comitatur: ita simile quid in hoc affectu evenire supponendum est.*

Quod verò per medias aquas motus objectorum ad sensationem faciendam possint transire, patet in piscibus, qui per medias aquas *a* olfaciunt, audiunt, & vident, unde intelligimus, etiam per aquas cerebro contentas, motus objectorum sensoriis externis impressos, & in cerebrum delatos, ad sensorium commune, pro sensatione qualicunque modo facienda, posse deferri.

a Olfaciunt, &c.) *Non philosophicè hæc assumenda sunt, loquitur enim Auctor secundùm vulgus.*

Nec obstat, multos, ex subito humorum in ventriculos illapsu, in apoplexiam, omnem sensum & motum adimentem, mortemque accersentem, incidisse. Nam humo-

humores illi apoplecticorum non erant tenues & spiritibus multis perfusi; sed crassi & tenaces, qui principia nervorum & poros cerebri sua crassitie & tenacitate obturantes, perniciem ægris accersiverunt. Et deinde magna est differentia inter humores *a* subitò in ventriculos vasa aut substantiam cerebri collapsos, & paulatim sive lentè ibidem collectos: nam humores apoplecticorum, subitò in istas cerebri partes profusi, non expandunt cerebri poros, sed eos sua copia & crassitie ac tenacitate obturant. Contra verò, humores lente ibi collecti, præsertim si valde tenues fuerint, laxant paulatim vasorum & cerebri poros, eosque ad spiritus transmittendum, aptos reddunt.

a Subitò.) *Vid.* med. de Apoplexia pag. 40. & 41.

Atque ex his jam constat, aquas istas hydrocephalorum, in ventriculis cerebri existentes, nihil obstare, quo minus spiritus animales in istis ventriculis, ad functiones animales peragendas, perpetuo gignantur. Illæ enim non impediunt, quo minus subtilissimi sanguinis halitus, qui spiritus istos constituunt, *a* ex plexu choroïde ibi existente; in ventriculorum cavitatem copiose exhalent, & ita novos spiritus ibidem perpetuo producant.

a Ex plexu choroïde.) *Quemadmodum simùl ex aliis cerebri vasculis arteriosis.*

Morbus hic est a *periculosissimus*, tum propter ejus magnitudinem; tum propter principem partem, quam occupat; tum propter teneram infantis ætatem, quæ generosa remedia, hic necessaria, ferre non potest. Nec tamen planè deserendus æger; sed *Curatio* tentanda. Præstat enim eam, licet incertam, aggredi: quam certo exitio ægrum exponere.

a Periculosus.) *Externus incipiens facilius curatur, quàm internus, quin hic dicitur incurabilis: non enim æquè pueris medicamenta efficacia propinari possunt, ac adultis, nec viæ sunt satis patulæ ad lympham evacuandam: taceo, quòd virtus medicamentorum tunc maximam partem evanuerit, cùm ad partem affectam pervenerint. Vid.* Paul. Æginet. lib. 6. cap. 3. Sennert. lib. j. prax. part. j. cap. 28. Ambros. Paræ. lib. 7. oper. chir. cap. 1.

a *Curatio consistet* in aquarum è capite evacuatione, & intemperiei capitis, & reliqui corporis, per contraria correctione.

a Curatio.) *Curatio hydrocephali consistit in obstructionum solutione; si autem velimus eam subito tentare, ac aquam una vice evacuare, brevi actum erit de vita, quia tenuior sic depromitur aqua, & crassa amurca remanens, adeò fibras partis conglutinat, ut lethales oriantur obstructiones.*

Primò itaque præscribatur tale *a* purgans:

℞. *Syr. rosati solutivi cum fol. senæ* ℥ij.
Cremoris tartari ℈j.
Scammonii ℈ij. M F. Syrupus.

De quo exhibeatur infanti cochleare unum, semel vel bis in die, pro operationis magnitudine.

a Purgans.) *Periculosa est formula pro infante, siquidem singula cochlearia (præter vim purgantem reliquarum) scammonii gr. v., vel* viij. *contineant:*

neant: etiam boli potius, quam syr. consistentia est, si igitur infans sit:

℞. Syr. rof. solut. ℥ij.
Diagrid. gr. v.
Ref. jalapp. gr. iij. *F. Syrupus, da quo detur cochleare unum; sique intra tres horas non operetur, superaddatur cochleare semis.*

Si sit provectæ magis ætatis.

℞. Magist. gummi guttæ gr. ij. aut iij.
Ref. jalapp. gr. iij. vel iv.
M. F. pulvis, sumendus cum vitello ovi, aut aqua cinnamomi: Nutrix utatur attenuantibus, diaphoreticis, diureticis, & purgantibus, ut medicamentorum vis lacti communicetur.

Et subinde ipsi porrigatur cochlear *a* vini Hippocratici.

a Vini Hippocratici.) *Vinum Malvaticum sincerum (quod* Epidaurus *suppeditat) hic optimum est, quia aliquid minerale in se continet, unde quidem lente, sed potenter aperit, uti speciatim in suppressione mensium, præprimis si fuerit attenuantibus medicamentis nobilitatum.*

Deinde foveatur caput hoc *a* fomento:

℞. *Herb. calaminthæ,*
origani,
pulegii,
serpilli,
salviæ,
betonicæ,
sabinæ an. m. j.
Flor. camomill.
meliloti,
stæchados,
anthos,
anethi an. p. j.
rosar. rubrarum.
Furfuris macri, an. p. ij.
Nucum cypressi ℥ij.

Decoquantur *in b lixivii, ex cineribus sarmentorum vitis confecti, & c vini austeri partibus æqualibus, ad* libras ij. F. Decoctum: quo, cum pannis laneis, vel spongiis intinctis, *d* foveatur caput infantis mane & vesperi.

a Fomento.) *Adde rad. bryoniæ & jalapp. an.* ℥ß. *vel si infans sit tenellus, add. ana* ℥ij. *& tantundem sal. ammoniaci & sem. cumini ana.*

b Lixivii.) *Ita: Lixivium sarmentorum, optime nostro scopo conducit.*

c Vini austeri.) *Commendant fere omnes Auctores liquorem stipticum, quod tamen nos non possumus probare: volunt sc. impedire, quominus affluant aquæ, sed ita evertunt œconomiam animalis, potius augeret obstructiones liquor stipticus: sumatur ergo ejus loco, vinum album generosum.*

d Foveatur caput.) Balth. Timæus lib. v. de morb. infant. cas. v. *commendat cataplasma seq.*

℞. Pulv. rad. cucum. asin.
irid. ana ℥ß.
sem. cumin. ℥j.
Farin. fabar. ℥ij.
mell. anthos. q. s.
F. cataplasma capiti raso, calide applicandum.

De puero sexenni curato vid. Misc. cur. an. j. obs. 46.

Una cochlea cum testa & nuce moschata, suturæ coronali applicatur ad exsiccandum catarrhum apud Hoff. in Herc. Med. l. 3. c. 2.

Hydro-

Hydrocephalus, fasciâ Guidonis in infante recens nato, curatus fuit apud Riv. obs. commun. à Sam. Formio, vj.

Postea capiti exsiccato sequens *a* Linimentum illinatur tepidum:

℞. *Pulv. absinthii,*
chamæmeli,
meliloti an. ℥ij.
Butyri majalis,
Olei camomill. anethi an. ℥iiij.
Ceræ parum. Misce pro Linimento.

Vel ℞. *Mellis vulg. lib.* ʃ.
Pul. origani m.j. ʃ.
Salis comm. ℥ʃ.
Misce, in formam b Cataplasmatis, capiti adhibendi.

a Linimentum.) *Si velimus* linimentum, *tunc sit tale.*

℞. Ungt. de arthanita ℥ijß.
nervin. ʒvj.
Pulv. absinth. rom.
abrotani ana ℈ß.
Croci gr. viij.
Salis mixti gr. xxij.
Ol. philosoph. ʒj.
castorei &
rutacei q. s.
M. F Linimentum.

b Cataplasmatis.) Sale volatili aromatico, *vel aquâ Reginæ Hungariæ potius caput sæpe delinatur coram igne luculento post calidas frictiones, sic etiam* spiritu ceparum *madefiant lintea duplicata capiti applicanda.*

Inter optima, quæ apud Auctores occurrunt cataplasmata, tale est:

℞. Styracis
Olibani
Gum. arab. ana ℥v. *liquefiant in vin. alb. s. q. dein adde*
Farin. fænugræci
sem. levist.
lupinor. ana ℥j.
Ol. anethi ℥jv.

Putem tamen horum tenacium loco substituenda, vel addenda esse seqq.

Rad. bryoniæ ℥ijß.
iridis ℥jß.
Herb. card. bened. M. iij.
majoran. M. j.
Gummi guttæ ℈j.
Sulphuris vivi
Sal. Ammoniaci an. ℥ij. *vel* ℥iij.
Pulv. caryophyl. ℈ij.
Decoqu. in lixivii sarmentorum vitis & vini albi Gallici an. p. æqu. pro fotu.

Obstructionibus reseratis & aquis jam ex parte affecta eductis, magis tempestiva esset lenium adstringentium admixtio.

Quia medicamentorum vis plurimum imminuitur, priusquam ad caput deveniant, magna pars curationis peragitur externis.

Deinde caput roboretur hoc *a* Pomo odorato, naribus infantis frequenter adhibito:

℞. *Castorei, benjoini,*
Pulv. rutæ, cyperi, galangæ, nucis moschatæ an. ʒij.
Styracis liquidæ ʒiij.
Subigantur cum s. q. aquæ rosar. in qua gummi tragacantum & arabicum maduerint, & fiat massa, guttis aliquot olei cinnamomi & cariophyllorum imbuenda: quæ in formam Pomi odorati *concinnanda.*

a Pomo odorato.) *Quia fœtens est, abhorrebit ab eo infans, sed præterea parùm efficiet: subinde exhibeantur lenia hydragoga, postea haustus potentiores sudoriferi ex mineralibus & salibus conflati.*

Si hæc morbo superando non suffecerint, a *cutis capitis erit aperienda*, & b *sensim ex eo ducenda est aqua:* quod ut tutò fiat, parvum vulnus cuti erit infligendum, eique cannula argentea, vulnusculo tam exactè respondens, est inserenda, ut aqua ex vulnere egredi non possit, nisi inserta cannula prius fuerit aperta. *Alioqui* enim, si aqua confertim educeretur, certa pernicies, c ob spiritus copiosos cum multis illis aquis evacuatos, infanti immineret.

a Cutis capitis erit aperienda.) *Infelicem apertionis successum vide apud* Tulp. obs. lib. j. cap. 25. *& alios; nam præterquàm quòd facilè superveniat gangræna, novæ succedunt semper aquæ, obstructionibus nondùm reseratis; confer* Hild. cent. 3. obs. 17. M. Aurel. Sever. chir. offic. part. 2.

b Sensim.) *In omni hydrope observatur*, subitam *evacuationem esse lethalem.*

c Ob spiritus copiosos.) *Straminea est hæc ratio: causa verò est, quòd tubuli antea distenti, affatim effluente aqua, collabantur nimis arctè, & tenaci amurca remanente conglutinentur, ut remediis non amplius in eas detur ingressus, neque etiam alimentis.*

Atque hinc jam patet, quam a perniciosum illorum sit consilium, qui ipsum cranium in hoc affectu perforari volunt.

a Perniciosum. *Nempe præsertim aquis intra ventriculos cerebri collectis.*

Quantum ad *diætam* attinet; infans in aëre versetur a calido. Nutriatur pane bene fermentato; ovis sorbilibus; carnibus pullorum gallinaceorum assis; jusculis, roremarino, & salvia alteratis; Cerevisiâ, cum vino temperatâ. Motus, pro ratione tolerantiæ infantis: sit moderatus. A fletibus quantum fieri potest, arceatur, & blanditiis demulceatur. A somno nimio impediatur.

a Calido.) *Rectè: & tempore decubitus, supponantur capiti sacculi calidi, ex aromaticis rad., herb., flor., sem., baccis, lignis, corticibus, sale communi & arena conflati: Nonnunquam caput fricetur, aquâ Elizabethæ Reginæ Hungariæ, spiritu matricali & similibus, sed ordo, series & vicissitudo artificiosa, hic, ut alibi, plurimum possunt. Corpus non est nimis nutriendum, cùm sit copioso humore viscido onustũ; confer* Hipp. S. ij. Aph. x. & S vij. Aph. 67.

XIV.

MEDICATIO VIRI,

a MELANCHOLICI.

b MErcator opulentus, quadragenarius, temperamento c Melancholicus, ex magnæ d pecuniæ jacturâ, ante aliquot menses factâ, in magnum mœrorem & perpetuam solicitudinem, pene omnem somnum ipsi adimentem, inci-

incidit. *e* Mensem hoc affectu tortus, solitudinem quaerere, absurda cogitare, & praesentem egestatem, per quam sibi & familiae suae prae fame sit moriendum, imaginari cœpit. Huc accessit, quod, malo paulatim ingravescente, *f* aeternis inferni cruciatibus à Deo se adjudicatum jam credat, monstrosisque spectris, quae diabolos appellat, se frequenter infestari vigilans & somnians putet, quamvis ipsi mens officio suo *g* in reliquis satis bene fungatur, nulla tamen ratione, haec non vera, sed imaginaria esse, persuaderi à quoquam potest. Atque ideo, perpetuo angore se miserrime excrucians, vitam cum morte commutare exoptat. Ab alimentis & medicamentis est alienior.

a Melancholici.) *Affectus hic vulgò definitur, delirium sine febre aut furore cum metu & tristitia perpetua conjunctum, aliquando sine ulla manifesta causa externa.* Quia vero iidem Medici (*inquit* Laur. Bellin. lib. de morb. capitis) qui hanc definitionem admittunt, dari melancholicos asserunt in quibus per ejusdem morbi vim excitatur risus, laetitia, cantus, securitas, mirum est, quantum se torqueant, ut positam definitionẽ retineant, & cum ipsa has contrarias affectiones concilient: *Melius* (*ut ait*) *describitur Melancholia, quòd sit* delirium sine febre, cum timore & mœstitia, ortum à fixa & constanti specie, sive imaginatione rei timendae & dolendae, quam promovet temperamentum corporis totius, aut aliquarum partium, melancholicum, & si quidem sit capitis, melancholiam idiopathicam, si aliarum partium, sympathicam. *Sed omnium optimè, nostra opinione, definitur, quòd sit unius rei, vel objecti, nimis fixa speculatio, nonnunquàm cum tristitia & desperatione, nonnunquam cum laetitia & persuasione absoluta, sine febre & furore.* Wedelius in pathol. dogm. med. s. iij. cap. ix. *tres distinctos melancholicorum gradus enarrat*, (1) ἀφιλανθρώπους, (2) μισανθρώπους (3) ἀπανθρώπους. *Verùm multò plures ita dari possent: sine ullo dubio ad classes hujus affectus, & maniae, referendi sunt multi mali spiritus s. Dœmones Veterum: variae divinationes & praesagia &c.*

b Mercator.) *Hoc hominum genus, cùm minus philosophari soleat, quàm qui rerum causas & earum concatenationem sobriè inquirendo, tranquillitatẽ animi, quae nec minimis turbetur, nec medioxumis, acquirunt, melancholiae magis obnoxium erit, si damnum aliquod in mercatura, &c. patiatur.*

c Temperamento melancholicus.) *Id est, sanguine gaudens crasso, terrestri & austero; undè solito crassiores & tardiores secernuntur spiritus, qui languidè à vestigiis rerum cerebro impressis ad sensorium commune repercussi menti tristitiam suggerunt, & languorem sine manifesta causa externa, juxta illud* Comici, tristis sum, nescio quid.

d Pecuniae jactura.) *Causa haec est procatarctica, antecedentem in actum deducens, vel augens; hincque vestigia damni, valdè profundè cerebro impressa, menti continuò repraesentantur.*

e Mensem.) *Hoc ad prognosin pertinet.*

f Æternis cruciatibus, &c) *Hec & sequentia significant principium maniae.*

g In reliquis satis bene, &c) *Admiratione dignum est, quòd homo in certo rerum genere deliret, & de omnibus reliquis sanum habeat judicium; causa est, quòd isti soli rerum generi, dum sanus esset, nimium indulserit, & inhaeserit.*

Afficiuntur in hoc aegro, praecipue *a cerebrum & b cor*. Cerebrum uti ex prava imaginatione, & judicii vitio; & cor, sicut ex perpetuo timore & tristitia est manifestum.

a Cerebrum.) *Sine dubio: verùm nonnisi vestigiorum damni illati profundiore impressione.*

b Cor.) *Potius sanguis totus, à cujus labe cor necessariò afficitur.*

Morbus, qui eum torquet, *a* est *Melancholia*; sive intemperies quædam cerebri melancholica *b* maligna, quæ *c* depravatam præsentis egestatis, & æternæ damnationis, præsentiumque interdum monstrosorum spectrorum imaginationem & persuasionem, necnon timorem & tristitiam, *d* citra justam causam, ipsi exhibet.

a Melancholia.) *Melancholiæ essentia consistit in fixa rei alicujus imaginatione & perverso de ea judicio, ita cum pauper imaginatur se esse Regem, revera ille in se percipit ideam Regis cum circumstantiis regiminis, sed est mala applicatio.*

b Maligna.) *Forsan hoc addit, quoniam est gradus ad maniam primus.*

c Depravatam.) *Depravatio hæc consistit in eo, quòd nimis extendat voluntatem suam extra intellectum, uni circumstantiæ nimis inhærendo, cæteras necessarias omittendo.*

d Citra justam causam.) *Hoc facit ad essentiam melancholiæ, si diuturnitatem addas.*

a Causa hujus affectus *prima*, est magna illa pecuniarum jactura, quæ ægrum nostrum, naturâ melancholicum, valde perturbavit. Hinc enim magnopere contristatus, *b* intensius de hoc damno dies noctesque cogitare cœpit; quo spiritus animales, naturâ suâ jam ante ad hanc malignitatem in ipso proni, vehementius & inordinate in ventriculis cerebri agitati, *c somnum ipsi diu ademerunt*; pravamque intemperiem *eo* contrahentes, eam cerebro communicarunt, quod eam perpetuo ipsis spiritibus in ventriculis cerebri nascentibus, & sanguini in cerebrum, & deinde in reliquum corpus, per circularem ejus motum, delato, vicissim communicat. Atque *hinc* non tantum *intemperies illa cerebri* & totius corporis, sed *etiam tristitia illa, & horrendæ cogitationes*, reliquaque symptomata in hoc ægro originem ducunt.

a Causa prima.) *Id est*, externa fortuita, *nam Auctor dixit, jam dudùm* suâ naturâ, *fuisse ægrum melancholicum: omnia ergò, quæ vel spem vel amorem rei vehementer desideratæ auferre possunt, ita ut mens ejus potiri nequeat, melancholiæ causæ procatarcticæ esse possunt: tales sunt deperditi amores, vindictæ, cupiditates infortunia quævis, præprimis subita, utpote quibus mens vehementius percellitur, &c. Sic tessellata fortuna, bona malis interpolat.*

b Intensius de hoc damno, &c.) *Ita ex unius rei contemplatione, statim incidimus in cogitationem alterius rei, connexionem aliquam cum præcedente habentis, juxta ordinem & seriem vestigiorum jam olim cerebro impressorum: nempe paupertatis pedissequa cùm sit ignominia, odium, &c., mens, damno aliquo graviore inductô, nimis præcipitanter judicans, putat corpus suum præ fame jam esse moriendum, nec attendit ad media vel circumstantias licitas & honestas, quibus unusquisque, modò habuerit sanam mentem in corpore sano, victum sibi habere potest & amictum.*

c Somnum ipsi ademerunt.) *Uti maximè admiranda, ita valdè intricata (si non inextricabilis) est passionum illa mentis & corporis reciprocatio: circa quam tamen si aliquid conjecturare liceat, paucis dicam quid sentiam.* Primò, *attendendum esse puto, ad prima illa mutationis momenta, quæ partibus corporis fluidis, passione aliqua*

aliqua mentis vehementiore, vel ad celeritatem & vehementiam, vel tarditatem & debilitatem motus diversam accidunt, undè ratione secretionum humorum, adeòque spirituum animalium, magnam diversitatem resultare certum est, secundùm quam, in passione primâ mens aliquandiu detinetur, & pleræque corporis actiones invertuntur: Secundò, *considerandam esse impressionis istius constantiam & vehementiam, quæ mediante aliquo objecto, sive jucundô, sive tristi, cerebro communicatur: notabiliter enim poris cerebri aliquâ in parte immutatis, spirituum cursus consuetus, sive naturalis, invertitur, ita ut facilius versùs sensorium commune, eâdem cum determinatione motus reflectantur, quâ primò passionis vehementioris instanti: undè usque & usque, affectiones mentis & corporis reciprocantur, præprimis si in sanguine & humoribus, tales lateant particulæ, quales, vel ad celeritatem & vehementiam, vel tarditatem & debilitatem motus diversam, fuerint aptæ natæ. Et hoc ex fundamento, non adeò (meô judicio) difficultèr, diversarum passionum effectus, in diversis hominibus, diversi explicari poterunt, inter quos sæpè miratus fui eum, quem affert laudatus* Joh. Nic. Pechlinus obser. phys. med. lib. iij. obs. iij. *cujus titulus est:* Agones lenti ob defixam phantasiam.

Cum enim, ut in Physicis & *a* Medicina antehac fuit demonstratum, ita nati simus, ut ex vario cerebri & spirituum temperamento varii eorum motus, & ex variis motibus variæ in nobis cogitationes, seu perceptiones & judicia, ac voluntates, oriantur: ideo æger postquam, per continuas & immoderatas solicitudines, temperamentum cerebri & spirituum graviter læsisset, propter pecuniæ jacturam de pauperie & rerum necessariarum egestate, ex magno damno aliis aliquando exortâ, forte fortuna cogitans, ipse de propria inopia cogitare, & eam ob malignum cerebri & spirituum temperamentum, sibi attribuere cœpit, eamque cogitationem sæpius repetendo, & captatâ solitudine *b* corrigere conando, ejus imagines cerebro ita infixit, ut illæ propter suam evidentiam menti ipsius nunc perpetuò obversantes, *ipsum cum familia præ fame moriturum* jam certò ipsi *persuadeant*. Cumque illi deinde, ex peccatorum suorum recordatione, de impiis, ob peccata æternis inferni cruciatibus adjudicatis, cogitatio oboriretur, *cœpit etiam* talem *c damnationem sibi ipsi*, ob pravam illam spirituum & cerebri dispositionem, *attribuere*. eamque cogitationem sæpius reiterare; quo etiam illa imago cerebro firmius fuit impressa; eaque, animo ipsius jam perpetuo obversans, ipsum maximo angore afficit, *mortemque*, in molestiæ istius levamen, *exoptare* cogit. Cumque illi, ob æternæ damnationis cogitationem, etiam de diabolis, æternum damnatos cruciantibus, in mentem veniret, & ipse *d* eorum imagines attentius consideraret, eorum notæ tam profunde fuerunt cerebro impressæ, ut illæ, ex levi cerebri vel spirituum motu, sensorio communi & ibidem animæ tam evidenter jam offerantur, ut ipse, & vigilans, & dormiens, *se diabolos videre* sæpe *existimet*. Et quoniam omnibus his imaginationibus magna, ex cerebri & spirituum motu & imaginum impressione & oblatione, adest apparentiæ evidentia, hinc tam magna in ipso, de earum veritate, est *e* persuasio, ut *à nemine de suâ* circa illas *opinione* hactenus *dimoveri queat*.

a Medicina.) *Vid.* Auctoris medicinam lib. j. cap. xij. & xiij.

b Corrigere conando.) *Potiùs* non conando, *si enim hic mercator ritè observasset, divitias & opes esse dona quædam fluxa, quæ semel amissa, vel assiduitate, vel candore, parcimoniâ, virtute, pietate, &c. recuperari aliquandò possent; reverà tristibus & desperatis passionibus semet obrui, haud adeò*

adeo facile pateretur; bona quippe omnia corporalia, cùm fuerint nobis aliquandò ignota, debetur gratia iis maxima, qui eadem in nostri utilitatem primò detexerunt.

c Damnationem.) *Hinc rursùs cognoscitur præcipitantia judicii extrema, aut saltem ignorantia inexcusabilis mediorum salutis æternæ.*

d Eorum imagines.) *Potiùs, ideas confusas, quæ vel sensu* visus, *vel* auditus, *olim menti fuere communicatæ; hinc ratio petenda, cur diversimodè figurata & modificata pronuncientur à diversis in se hominibus, dœmonum istorum & spectrorum corpora?*

e Persuasio.) *Nempe ægri imaginatio, internè eàdem prorsùs ratione afficitur, quâ solent alii homines externè ab objectis affici, idque tàm forti impressione, ut alia externa objecta motus eos internos supprimere nequeant.*

Quamvis autem in his cogitationibus, ob imagines istas cerebro tam firmiter impressas, *a* deliret: attamen, quia aliarum rerum perceptio & judicium ab illis non impeditur, idcirco *mens ipsi in reliquis* sit satis bene *officium facit.*

a Deliret.) *Alia est hujus delirii natura, ac* phrenitidis, *necnon* maniæ *posteà explicandæ; non enim delirium est continuum cum febre acuta continua, nec ferocitatis magna hic adsunt indicia. Uni saltem rei magis, quam alteri pertinacitèr nimis mens inhæret.*

Quod autem occasio de his vel illis rebus cogitandi, melancholicis oblata, ipsis sæpe sit causa, ut illas sibi cum firma persuasione attribuant, frequens docet experientia; quæ testatur melancholicos, alios de gravibus quibusdam morbis; & eorum signis in medicorum libris attentius legentes: alios de sceleribus, vel turpibus peccatis ex aliis affectuosius audientes; alios de monstris horrendis referri intelligentes, de iis propterea ita fuerunt imaginati, ut tam certò se talibus morbis laborare, vel scelera illa perpetrasse, vel in talia monstra se esse conversos, sibi persuaderent, ut *a* nullis deinde rationibus hujusmodi opiniones ex ipsorum animis deleri, vel cogitationes eorum ad alia converti possent.

a Nullis deindè rationibus.) *Nisi videl. ipsis res objiciantur externæ, tali ratione, quâ indicium evidens habeant ut clarè cognoscant, quòd externæ ab internis repræsentationibus reverâ differant: sed hoc opus, hic labor.*

Atque hinc jam intelligimus, cur nonnulli melancholici, de magno naso fortè intensius cogitantes, *sibi persuaserint se nasum* tam *longum habere*, in quem omnes occurrentes impingerent: *& cur alii*, occasione intensioris cogitationis de butyro, vitro, vel frumento oblatâ, *se butyraceos, vitreos, vel frumentaceos esse* tam firmiter *crediderint*, ut ad ignem, alios homines, & gallinas; tanquam si ab illis essent perdendi, propius accedere non auderent. Et quare alii, de rege & regno fortius cogitantes, *a se reges esse*, & munia regibus digna sibi incumbere, persuasum haberent. Et cur alii de urina tam copiosa, quæ multis hominibus submergendis sufficeret, forte fortunâ ridiculè imaginantes, sibi persuaserint se tam *immensam urinæ copiam in corpore habere*, ac propterea, metuentes ne multos illâ urinæ suæ copiâ emissâ suffocarent, mejere non fuerint ausi. Et cur alii de mortuis, & de eorum necessaria à cibis abstinentia recordantes, *se vitâ jam defunctos crediderint, nec postea ullo cibo vesci voluerint* Nam in omnibus his & aliis similibus contingit melancholicis, ut, propter ipsorum peculiarem cerebri intemperiem, rerum cogitatarum, & ipsis applicatarum imagines, tam firmiter

ipsorum

ipsorum cerebro imprimantur, ut de iis postea recordantes, eas sibi convenire, easque non imaginarias, sed varias esse credant.

a Se reges esse.) *Non sunt hi adeò referendi ad* melancholicos, *quàm ad* fatuos, *quia nulla his Regibus imaginariis est tristitia.*

Ex his etiam ratio reddi potest, *cur melancholici nonnulli sint tristes, & alii a læti*. Nam, præter quam quod hoc sæpe ex eo oriatur, quod spiritus per se apti sunt, tristes vel lætas, per *b* peculiare suum temperamentum, primas excitare cogitationes; frequentissime tamen hoc in illis, ex occasione objectorum, *c* fortuitò oblatorum, originem ducit, ac tum si illi forte fortunâ de rebus lætis cogitare incipiant, imagines istæ cerebro impressæ lætas cogitationes postea excitant, ipsosque gaudio & risu exhilarant. Si vero cogitationes tristes ipsorum menti primò offerantur, tristes istæ imagines cerebro deinde fortius infixæ & animo oblatæ, mentem ipsorum deinceps perpetuâ tristitia miserè torquent.

a Læti.) *Tristitia & lætitia cum sint opposita, valdè impropriè dicuntur nonnulli* melancholici læti; *substituerem ego,* fatuos lætos

b Peculiare temperamentum,) *Ad gaudium, hominem disponere possunt, spirituum subtilitas, mediocris copia, & modicus impetus, & hinc causa petenda, cur serenô cœlo, alacriores, nubilo verò & tenebroso tristiores simus, item cur vinum modicè sumptum acuat ingenium?*

c Fortuitò oblatorum.) *Sic quidem exprimitur externa & occasionalis causa tristitiæ & lætitiæ, sed quæ hoc modò cerebro impressa, postmodum sæpe in cerebro, à spiritibus resuscitatur, & à mente, singulari cum attentione consideratur.*

Atque ita peculiaris illa cerebri & spirituum intemperies, absurdas has cogitationes eo, quo dixi, modo excitans, quam melancholicam cum aliis ex consuetudine appellamus, jam nobis satis nota & perspecta esse videtur. Quod vero nonnulli eam in spirituum tenebricositate, impuritate, frigiditate, & siccitate, consistere ajunt; illi meo judicio, hic nihil agunt. Nullum enim lumen in cerebro ad cogitandum requiritur; cum anima ibi nullos oculos habeat; & deinde, spirituum impuritas, frigiditas, & siccitas, potius *a* ingenii torporem quam adeò multas, varias, & absurdas cogitationes excitarent.

a Ingenii torporem.) *Est quidem in genere melancholicis, aliquis ad certa munia torpor; verùm alioquin judicio pollent summo, ob constantiam meditationum: undè vulgò dici solent* viri tenaces propositi.

Gravissimus & *periculosissimus hic est affectus:* metus enim est, ne æger vel *a* ad maniam redigatur; vel mœrore aut inedia conficiatur; vel sibi ipsi vim inferat.

a Ad maniam.) *Hæc tradetur in* medicat. seq. *lethalis alioquin affectio non est per se melancholia, prout & ejus indoles, & experientiæ fides confirmant. Hæmorrhoïdes supervenientes morbum mitigant; vid.* Hipp. s. vj. Aph. xj. Melancholiæ anniversariæ in maniam degenerantis *historia, vid.* in misc. cur. ann. 2. obs. 121. Ex imaginatione mortem sequutam *vid. apud* Henr. Heers, obs. 6. confer. misc. cur. dec. j. ann. 2. obs. 137. *Item* Hippocr. sect. 6. Aph. 21. & sect. 1. Aph. &c.

a Curatio itaque solicitè, per *b* falsarum istarum cogitationum & malignæ cerebri & reliqui corporis intemperiei correctionem, pravæque materiæ evacuationem, erit instituenda.

a Curatio.) *Triplicis generis remedia hic adhibenda sunt: moralia, chirurgica & pharmaceutica; prima licet ad Theologos magis, quàm Medicos, pertineant, tamen hi curare debent, ut statim ab initio ægro subveniatur, repræsentatione aliorum objectorum externorum, eâ videlicet ratione, quâ indicium habeat, undè clarè cognoscat, quòd externæ ab internis repræsentationibus reverà differant: dixi autem mox ab initio id præstandum esse, dùm vis, quæ objecta illa interna æquè vividè repræsentat ac externa, minus est valida, aliàs omne oleum & opera deperdetur; nunquam sibi solis, & absque consortio relinquantur, nè sibi violentas inferant manus. Uti nec pertinaciter iis contradicendum est, ita nec nimis iis est indulgendum, nam utroque modo malum abire potest in pejus. Aliquando etiam (nempe pro diversitate causarum) caute ipsis imponendum est, ut paulatim ab imaginatione illa fixa distrahantur: chirurgica remedia sunt Venæ-sectiones crebriores vel largiores, præprimis in plethoricis, torvâ facie præditis; præsidium aliquod ponendum est in cauterio ad fontanellam; sed fonticulos hic repudiamus, quoniam corpus nimis exsiccant, sanguinemque acuunt, consumendo sanguinis partem nobiliorem, balsamicam, oleosam & humidam: Pharmaceutica remedia debent esse humectantia nitrosa, martiali virtute roborata: interdum quoque adhibenda emollientia blandiora, præprimis ad levem somnum conciliandum, nam opiata & narcotica potentiora hic valdè sunt suspecta: cave etiam à vehementioribus, aut acrioribus purgantibus, præterquam enim quòd primò sanguinis crassioris motum nimis augendo, maniam producerent, nimiam humidi copiam auferrent, corpusque nimis exsiccarent; potius ergò necessitate urgente propinetur pulpa cassiæ fistulæ, tamarindorum, prunorum damascenorum, cremor tartari, &c. in jusculo vel vehiculo alio diluente & emolliente: aut injiciantur clysteres laxativi.*

b Falsarum cogitationum.) *Impropriè hœc dicuntur: sunt enim omnes cogitationes (quà cogitationes) veræ, sed perversa aliquandò est earum conjunctio & applicatio.*

Ac in primis danda opera, ut, quibuscunque fieri potest persuasionibus, æger ab horrendis istis cogitationibus abducatur, & earum falsitas ipsi prudenter demonstretur; atque ita his notæ aliæ cogitationum, sanarum sc. cerebro ipsius imprimantur.

Medicamenta quod attinet; præscribatur primo *a* tale decoctum:

℞. *Rad. polypod. q.* ℥j. *ſ. hellebor. nigr.* ʒij.
gramin. fœniculi an. ℥j.
Cort. rad. tamarisci, cappar. an. ʒvj.
Herb. adianthi, thymi, epithymi, chamedrios, cuscutæ, fumariæ, borrag. bugloss. an. m.j.
Sem. fœniculi, petroselini, anisi, 4. sem. frigid. major an. ʒj.
*Flor. borrag. violar. an. p.*iij.
Prunor. acidor. passular. mundat. an. ℥ſ.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. *Colaturæ adde syr. de pomis redol. violacei an.* ℥j. F. Apozema.

De quo æger quotidie ter quaterve ℥iij. bibat.

a De-

a Decoctum.) *Adde*
Rad. salsaparill. ℥iſs.
C. C. *limat.* ʒvj. *ſed helleborus niger, feroci delirio urgente prorsùs omittendus eſt cum cœteris acrioribus. Hypericum hìc dicitur ſpecificum, quapropter à nonnullis vocatur fuga dœmonum.*

Ubi biduum hoc remedio fuerit uſus, ex *a* vena in brachio apertâ ſanguis largè, pro ratione virium, ipſi educatur.

a Vena in brachio aperta.) *Benè inſtituitur venæ-ſectio ante purgationem, ſed fiat in artu aliquo inferiore, forte etiam aliquoties erit reiteranda, nam craſſus ſanguis non poteſt aliàs per medicamenta propinanda ſat citò attenuari: vulnus infligendum non nihil majus, ne craſſior ſanguis grumeſcens vulnus illico obturet.*

Poſtridie utatur purgante:
℞. *Syr. roſar. ſol. cum fol. ſenæ* ℥ij.
Cremor. tartari ℈iiij.
Scammonii gr. x. aqu. cardui benedicti q. ſ.
Fiat hauſtus, aliquoties reiterandus.
Vel ſumat ſubinde *a* has pilulas.
℞. *Extracti catholici* ℈j.
Scammonii gr. vj. F. pilulæ Num. iij.

a Has pilulas.) *Hiſce præferimus antecedentem hauſtum, ſed ſcammonii doſis minuenda eſt. In hoc morbo præſertim ſunt uſurpanda digeſtiva.*

Poſt purgationes factas, *a* balneo aquæ dulcis ſæpe utendum, in quo malva, violaria & flores chamæmeli incoqui poterunt.

a Balneo aquæ, &c.) *Optimè hoc Auctor commendat; aliquandò eorum loco inſtituantur pediluvia: capiti & nuchæ imponantur hedera terreſtris cum acetoſa contuſa, & fermento panis acido nonnihil ſalito permixta; vel farina hordei aquâ roſarum ſubacta.*

a Somnus etiam exhibitis gr. iij. vel iiij. *b* laudani opiati, vel tali amygdalato erit excitandus:
℞. c *Amygdalarum, dul. decorticat.* ℥ij.
Sem. papaveris albi, lactucæ an. ʒij.
Contundantur in mortario marmoreo affundendo.
d *Aq. cichorii lib. ſ. Colaturæ adde* e *ſacchari* ℥ij.
Syr. de papavere ʒiij. F. Amygdalatum, quo utatur veſperi cubitum iturus.

a Somnus excitandus.) *Eſt quidem hic ſine dubio inducendus, ſed cum opiatis cautè mercandum eſt; potiùs fiat initium*
à Laud. opiat. gr. j. *aut altero, aut*
à Syr. de papav. ℥ſs. *& omnium optime*
à Tinct. opii *gutt.* xxv. ad xL. aut L. uſque.

b Laudani opiati.) *Præ opio in nimiis vigiliis Camphora præſtat, quia magis ſubtilis eſt, & citius avolat: proſunt hic etiam omnia acida volatilia.*
c Amygd. ℥ij.) *Sufficit*, ℥j.
d Aq. Cichor.) *Potius Aq. hord.* ℔j.
e Saccharum.) *Omittatur.*

Utatur etiam hoc Electuario:

℞. *Conservæ flor. buglossæ* ℥j ſ.
Spec. lætificant. Galeni ℥j.
Diarhodon. abbatis sine moscho ℨſ.
Sem. citri, cinnamomi electi an. gr. xij.
Syr. violar. buglossæ an. q. ſ. F. *a* Electuarium, de quo æger ſumat bis terve in die caſtaneæ quantitatem.

a Electuarium.) *Hoc parùm ad rhombum. Tincturæ mineralium hìc ſubſtituendæ: ſubtiliores autem ſpiritus omittendi.*

In *victus ratione* aër ſit *a* lucidus, bene olens; temperatus. Cibus, corpus mediocriter humectans, boni ſucci, eupeptus ex carnibus gallinaceis, vervecinis, uvis paſſis, petroſelino, endivia, borragine, bugloſſa, lactuca, malva. Potus ſit cereviſia mediocris, *b* vinum album tenue. Exercitii loco deambulet per loca amæna. Somnus ſit longior, & omni ratione provocetur, cum in eo potiſſima curatio conſiſtat. Omnia, quæ metum & triſtitiam conciliare poſſunt, vitentur. Animus contra, quibus poteſt modis, *c* ad hilaritatem componatur.

a Lucidus.) *Pro re nata, mutatio hìc facienda eſt: nam præcepta Auctoris ſunt nimis generalia.*

b Vinum tenue.) *Hoc bene, v. g. Moſellanum maturum.*

c Ad hilaritatem.) *Quibus melancholia eſt à negata Venere, curatio obtingit non rarò ab admiſſo coitu: vid.* Oribaſ. Sympo. lib. j. cap. vj. Aretæus lib. j. c. 5. *Apud* River. obſ. comm. à Formio 32. *malum caſtratione curatum traditur. Muſica præprimis hùc pertinet, quâ itidem Sauli malum ſpiritum fugatum dicit Codex ſacer.*

XV.

MEDICATIO JUVENIS,

a MANIACI.

b JUvenis robuſtus, viginti quatuor annos natus, *c* bilioſus, *d* & poculis largioribus quotidie indulgens, nuper magnâ contumeliâ fuit affectus, quæ ipſum, hinc *e* irâ valde perturbatum, *f* diu de vindicta magnopere habuit ſollicitum. Poſt aliquot dies cœpit ferocior videri, & cum quovis de rebus leviculis rixari, noctes penè totas inſomnes ducere, & miris imaginationibus infeſtari. Cumque malum deinde ingraveſceret, diluculo quodam evigilans, *g* è lecto nudus exſiliit, induſium & lodices diffregit, clamoribus furioſis totam domum replevit, & in occurrentes domeſticos tantum impetum fecit, ut uni, renitentibus aliis, gulam manibus fortiſſime comprehenſam, pene totam confregerit. A pluribus itaque viris robuſtis, in auxilium vocatis, *h* magna cum difficultate, tandem fuit comprehenſus, & vinculis in lecto detentus: ubi jam per biduum clamans, abſurda loquens, cantillans, ridens, dejerans, torvum videns, perpetuo vigilat. *i* Nulla ipſi adeſt febris. Cibos oblatos ſatis avide ingerit. Potum ore hauſtum, in adſtantium vultum, ſi non attendant, labris in fiſtulæ modum ar-

arctatis, impudenter nonnunquam ejaculatur. Sæpissime nudo jacet corpore, *k* nec ullum frigus sentit, nec ab illo læditur. Nullis blandimentis, nullis objurgationibus, nec ullis admonitionibus ejus ferocia frænari vel leniri hactenus potest. Habitu corporis est eusarco.

a Maniaci.) *Hæc affectio, præcedenti, in tantum (ut rectè docet* Willisius de anim. brut. part. pathol. c.xij.) *affinis est, ut sæpè vices commutent, & alteruter in alterum transeat:* Riverius prax. med. lib.j. cap. xiij. *dicit, secundum doctrinam aliorum,* maniam *esse* delirium sine febre, cum furore, & audacia; melancholiam *verò,* delirium sine febre cum timore & mœstitia; *verùm quid* propriè *sit decernendum sive de præsentia, sive absentia febris ejusque naturâ, determinare conabimur loco paulò inferiore. Ratione causarum & symptomatum diversorum mania diversimodè describitur, & vocatur, vel* philtromania vel dœmonomania, Typhomania, furor uterinus, lycanthropia, hydrophobia &c.

b Juvenis robustus.) *Non equidem hæc prorsùs frustrà ab Auctore notantur, veruntamen parùm faciunt ad rhombum: nam & Seniores & macilenti, teneriorisque constitutionis, & puellæ, mulieresque maniâ corripi possunt: Quid autem ad eam conferat* anni tempus, *vid. apud* Hippoc. sect.iij. Aph.xx. & xxij.

c Biliosus.) *Id est, sanguine gaudens valdè acri & fixo s. austero, quem Veteres vocabant atrabilarium & adustum.*

d Poculis largioribus quotidiè.) *Hæc & sequentia Auctoris verba,* magnâ contumeliâ *notatu digna sunt, multum enim faciunt ad cognitionem causæ continentis, sive proximæ, licet absque iis mania oriri possit.*

e Ira.) *Furoris ipsa species hæc est, teste* Senecâ lib.de ira, *qui eum vocat* affectum, maximè ex omnibus tetrum ac rabidum, qui rationem transilit, qui secum rapit. Ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus & stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parùm explanatis vocibus sermo præruptus & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœda visu & horrenda facies depravantium se, atque intumescentium.

f Ferocior videri.) *Sic indicat Auctor principium maniæ, quam ordinariè præcedere solent diuturna mœstitia, cura, solicitudo, dolor capitis assiduus, somni brevissimi & irrequieti, insomnia terrifica, terrores levî de causa, proclivitas in Venerem extraordinaria &c. vid.* River. prax. lib. j. cap. xiij.

g E lecto nudus exilit &c.) *Hiscè notat Auctor paroxysmi incrementum & vigorem.*

h Magna cum difficultate.) *Magnum quidem etiam est robur phreniticorum, sed majus maniacorum.*

i Nulla adest febris.) *Id reverà falsum esse, patebit ex causis; talis autem non est, qualis in phrenitide, nempe non est acuta continua, sed cum lucidis intervallis intermittens, magisque lenta.* Riverius *locô citatô, dicit in* phrenitide febrem esse symptomaticam, in mania essentialem & primigeniam. *Sciat ipse quô jure.*

k Nec ullum frigus sentit &c.) *Accidit hoc utplurimùm maniacis, sed non semper: vid.* Plater. obs. lib. j. p. 82.

a Cerebrum in hoc juvene graviter esse affectum, probat ferox illud delirium: *Cordis & totius corporis* affecti argumentum est iracundia, & frigoris supra naturalem modum tolerantia.

a Cerebrum esse affectum.) *Quomodo hoc unà cum cœteris corporis partibus à sanguine acri & crasso, sed vehementer moto afficitur, mox patebit ex causis.*

Morbus, qui ipsum vexat, est *Mania*; sive *a* peculiaris quædam intemperies cerebri & spirituum biliosa & fervens, quæ à febri immunis, imaginationem & judicium ejus, cum excandescentia, in quoslibet ferociente, depravat.

a Peculiaris quædam intemperies &c.) *Oedipo conjectore, qui Sphingi fuit interpres opus hìc est ad Auctorem ritè intelligendum; forsan nec semet ipsum intellexit: nam & aliis in locis, planè diversis & oppositis, similiter quoque loquutus est; eademque ferè sunt ejus verba in* medicat. seq. de phrenitide.

Causa, quæ huic affectui primo originem præbuit, est *a* magna illa contumelia, qua juvenis iste affectus, in tantum excanduit, ut noctes diesque de vindicta cogitans, & *b* omnem penè somnum sibi adimens, spiritibus animalibus, in ventriculis cerebri existentibus, qui, ex *c* nativo ejus temperamento & præcedente ebriositate, ad hanc pravitatem jam ante erant proclives, per vehementiores illas & iracundas cogitationes intemperiem nimis fervidam, & mentem peculiariter perturbantem, conciliaverit; quæ deinde cerebro communicata, & ab illo sanguini impressa, & inde ad Cor delata, totum corpus hac pravâ intemperiei labe infecit; eaque jam cum sanguine à membris ad cor, & à corde in cerebrum perpetuo rediens, ibique mentem suo peculiarî fervore & pravitate exagitans, est perpetua horum furiosorum *symptomatum causa*.

a Magna illa contumelia.) *Fortuitæ sive procatarcticæ causæ maniæ esse possunt variæ: ita* Bartol. l. 5. de resp. cap. iij. *testatur infusionem solani maniaci, tantum inducere delirium, ut homo per fenestram, se præcipitem dare cupiat: ita sanguinem menstruum pro philtro haustum, furorem inferre posse notant Auctores varii, inter quos conferatur* Corn. Stalpar. van der Wiel cent. post. part. 1. obs xix. *ubi multa ex aliis congessit exempla*: Hippocrates sect. v. Aphor. 40. *inquit*, Mulieribus, quibus in mammas sanguis convertitur, insaniam significat. Forest. lib. x. obs. 24. *mentionem facit puellæ*, quæ post ulcus in crure nimis citò curato, & propter menstruam purgationem longè suppressam, incidit in maniam. Henricus ab Heers obs. xiv. *recenset furorem* in puerpera, ob mammas malè tractatas, quarum pustulis apertis & pure evacuato omnis omninò mania cessavit: *à lochiis suppressis non rarò etiam furorem oriri scimus, quemadmodum etiam à suppressis mensibus, hæmorrhoïdibus, nimis diu retento semine; repulsa amasiæ, damno alicujus rei graviore, &c.*

b Omnem penè somnum.) *Vid. notas ad medic. præcedentem.*

c Nativo ejus temperamento.) *Id est ab hæreditate, sanguis ejus factus est crassior & acrior, undè (proportione habitâ) spiritus secernuntur crassiores & acriores, præprimis cùm continuis potationibus, novus suppeditetur fomes, quem aquæ stygiæ analogum s. æmulum, censet* Willisius loco citato.

Primo

Primo enim fervidi isti spiritus, vehementiori suo motu cerebri ventriculos distendentes, & nervorum principia *a* aperientes, *perpetuas* ipsi *faciunt vigilias*. Iique porro, in sensorium commune vehementius & *b* inordinatius impingentes, *turbant ferocibus, truculentis*, violentissimamque vindictam spirantibus *cogitationibus ejus mentem*. Ut enim blandus & lenis bene temperatorum spirituum motus, blandas, jucundas, lenes & prudentes, ex eo quod ita à naturâ comparati simus, solet excitare cogitationes; ita fervidi, pungentes & maligni spiritus, data occasione vehementius moti, solent hominem, haud aliter, quam si stimulis esset concitatus, facere ferocem, iracundum, temerarium, impudentem, & de vi inferenda cogitantem. Huc accedit; quod noster æger, per diuturnas illas & intensiores de injuria illata & vindicta sumenda sæpius reiteratas cogitationes, earum imagines cerebro tam copiosas & firmas impresserit, ut eæ fere perpetuò ejus animo turbato evidentissime obversantes; eum ad omnem violentam ferociam impulerint. Atque *hinc factum, ut ille è turbulento insomnio evigilans*, quo ille fortè de adversario suo somniabat, *in furorem fuerit actus, & jam*, pro variis imaginibus animo ejus magnâ evidentiâ oblatis, *ita ferociter, inverecunde & impudenter, modò cum clamoribus, modò cum risu, modò cum dejerationibus, modò cum turpibus dicteriis, deliret*. Et quoniam non tantum fervidissimos, sed etiam copiosissimos habet spiritus animales, quos vehementissime in musculos *c* pro arbitrio determinat, idcirco *corpus ejus vestibus denudatum ab aëris frigore non læditur: viresque ejus*, in rebus apprehendendis, depellendis, & retinendis, plurium hominum, adversus ipsum simul agentium, robur longe superantes, *jam nonnullis ab ipso comprehensis perniciem penè attulerunt*. Quia vero malignitas illa, quæ in febribus sanguinem & habitum corporis nutritioni ineptiorem reddit; à fervidissimo ejus abest sanguine, ideoque hic *ejus fervor*, d *ab omni febre hactenus liber, ipsum bene nutriri patitur*. Quia denique hæc cerebri & spirituum intemperies ipsi tam evidentes excitat *e* imaginationes, & simul judicium ejus pervertit; idcirco *deliria sua rationi consentanea, aliorum vero admonitiones & objurgationes contemnendas existimat*.

a Aperientes.) *Et omnes tubulos musculorum, cœterarumque partium corporis, nervis gaudentium, replentes.*

b Inordinatius impingentes.) *Ut clarius paulò & distinctius hæc percipiantur, notari velim (1) quòd conversationibus assiduis, cum hominibus luxuriosis, in rixas, perjuria, cædes & omnis generis scelera pronis, inter pocula, cerebro hujus juvenis, vestigia talibus rebus convenientia, adeò profundè fuerint impressa, ut ad impulsum spirituum vel paulò vehementiorem, menti ideas, s. imagines rerum earundem, constanter & vegetè repræsentaverint; (2) quòd vehementi passione iræ percitus hic juvenis, & ad vindictam adspirans, sanguinem & humores, adeòque spiritus habuerit vehementius solitô motos, præprimis, cum & ab hæreditate, & à Bacchi floribus, quibus sæpenumerò fuit adspersus, acquisiverit multum salis ad mobilitatem occasione datâ valdè proclivis; (3) quòd spiritus animales, diversis motuum determinationibus & secundum consuetudinem, & dispositionem variam cerebri, cœterorumque organorum nativam, non secùs ac in brutis, diversos sortiantur effectus ad quos, non solùm mens nihil contribuit, sed nec in eos ullum habet imperium, utut videantur ad ipsius nutum dirigi; hocque satis clarè elucet in iis, potissimùm ebriis, qui in India Orientali se ingurgitarunt nimia quantitate liquoris inebriantis, Arak vocati, nempe furiosorum instar, omnes obvios invadunt, lacerant & necant, postea nul-*

nullius rei memores. Hinc ergò sequitur, quòd motu sanguinis (sive per passionem animi vehementem sive liquores spirituosos & inebriantes, sive aliam quamcumque causam) vehementer accelerato, crassiores solitô unà cum subtilioribus, in cerebro protrudantur & secernantur spiritus, qui vehementius moti non solùm tollunt æquilibrium consuetum sensorii communis, quod ad rectum de rebus judicium ferendum, est necessarium, sed etiam ordine incomposito ruunt in vestigia cerebro profundè impressa, à quibus rursùs (secundùm consuetudinem) feruntur versùs varia corporis organa, ibidemque tales producunt effectus, quales determinationibus eorum variis respondent, uti suprà explicavimus in somnambulatione: *Quoniam autem spiritus illi, vehementius moti, sunt solito crassiores, idcircò constantius & robustius operantur, juxta Physicum illud effatum, corpora majora ad motum semel concitata, diutius & constantius in motu perseverant, quàm subtiliora, & hinc robur maniacorum admirandum, hinc vigiliæ eorum perpetuæ: hinc tolerantia frigoris vehementis &c. Cum verò mania nonnunquam oriatur sine causa aliqua manifesta externa, & quidem diversis temporibus revertatur, inquirendum nunc erit, undè id fiat? nos putamus causam primariam non adeò tunc latere in partibus corporis fluidis, quàm stabilibus; nam non posset illa cum sanguine & humoribus continuò circumferri, quin in actum deduceretur, quod tamen non fieri observamus; quidam enim quotannis semel, quidam bis, alii singulis mensibus &c. in furorem concitantur; ergò censemus, quòd humores aliqui crassiores & acriores in canaliculis hujus vel alterius (perindè enim est) partis, colligantur & hæreant (licet nullus observetur tumor, nam non adeò quantitas quàm qualitas consideranda est) qui diutina morâ, patiuntur particularum suarum integrantium notabilem secessionem adeòque pororum circa eas immutationem, undè æther, qui liberè & placidè eos olim tranabat, obices tunc varios inveniens, majore cum impetu in latera particularum ruit, eademque diffringit, ita ut ad rarefactionem disponantur: cùm autem majus ita requirant spatium, diffringunt suos carceres, & transeunt ad vicina vasa revehentia venosa & lymphatica, sicque sanguini communicantur; sed quoniam minimè (uti diximus) conveniunt cum diametris pororum sanguinis, non possunt non luctam excitare vehementem, quâ phænomena supra explicata gignantur: variant autem intervalla istius rarefactionis, partim pro diversa crassitie fomitis, partim pro diversa natura ætheris accedentis, nihil enim certius est, quàm quòd & à quibusdam planetis & quibusdam stellis fixis, determinatis anni temporibus, determinati influxus ætheris versùs tellurem nostram (prout propius vel longius iis appropinquat) fiant, qui per consequens determinatos cient effectus: Ratio verò cur iteratò mania revertatur, cùm diximus carceres fomitis fuisse diffractos, petenda est ex eo, quòd haud omnis mali portio fuerit ad sanguinem translata, sed quædam remanserit, quâ succedentes alii humores in ejus naturam mutantur; item notandum est, quod non solùm pori, tubuli & canaliculi, eâ speciatim in parte, cui fomes inhæret, sint detorti, colligendo certo fomiti idonei; verùm etiam, ex sanguine crasso & acri, novæ particulæ in locum ejectarum restituantur.*

c Pro arbitrio determinat.) *Falsum hoc esse jam demonstravimus: videntur quidem fieri pro arbitrio, sed non fiunt.*

d Ab omni febri.) *Equidem hoc falsum esse supra diximus, & ex antecedentibus constare putamus, sive enim dixerimus febris naturam consistere in calore præter naturam in corde accenso, sive in aucta sanguinis circulatione, sive in mixtura sanguinis turbata,*

res erit clara; nonnè enim hìc extraordinariè vehemens est sanguinis spirituumque motus? undè quæso ille nisi vel à calore adaucto, vel circulatione accelerata? num quæso tantus concipi potest spirituum impetus, sine depulsione particularum multarum sanguinis crassiorum ad latera, adeòque turbatâ mixtura; forsan quia sitis non adest, febrim abesse judicant. Atqui satis non est febris signum pathognomicum, cum detur haud rarò sine siti: similiter de pulsu, ardore, &c. judicandum erit. Est autem hæc febris de naturâ febrium intermittentium utpote, quæ cessante delirio cessat: intermissio illa delirii, vocari solet lucidum intervallum, *oriturque sanguine ad motum blandiorem compositô, propter discussionem fomitis maniaci, aliarumque particularum subtiliorum.*

Quod autem *ad hunc furorem excitandum peculiares cerebri intemperies & spirituum fervor requiratur*, manifeste ex febribus ardentibus & vehementissimis corporis exercitiis, sæpissime nullum furorem excitantibus, patere videtur.

Et quamvis hæc intemperies peculiaris nondum ulterius innotuerit; hinc tamen nulla in furore, ex ea explicando, oritur difficultas. Nam etsi ejus natura secundum particularum insensibilium motum, figuram & magnitudinem exquisite & perfecte essent cognita: hinc tamen nihil aliud innotesceret, quam quod talis specifica cerebri intemperies talem mentis turbandæ habeat potestatem: idq; non aliam ob causam, quam quod ita à natura facti simus, quod talis spirituum cerebrique motus tales in mente excitet cogitationes. Atque hoc ex aciculis cutim pungentibus, quæ dolorem; & digitis, plantam pedis fricantibus, qui molestam titillationem excitant, manifestum evadit. Quamvis enim istorum figura & temperies hic satis sint notæ; cur tamen hi in illis partibus titillationem, istæ in aliis dolorem excitent, nulla alia ratio, quam nos ita à natura esse factos, sive nos tali facultate innatâ passivâ esse præditos, ut hinc tales titillationum vel dolorum sensationes in mente nostra excitentur, ulterius dari potest.

Morbus hic, ubi temporis longitudine altas radices egit, *a* nulla ratione curari potest, hominemque sæpe, inter fœtidissimas sordes & summas miserias, ad extremam senectutem deducit; ideoque curatio, licet ob gravitatetem morbi & inobedientiam ægri valde sit difficilis, haud perfunctoriè erit tentanda.

a Nullâ ratione.) *Nempe vestigia rerum cerebro valdè profundè impressa, diuque retenta & fota immutare, nullis remediis (nisi fortè aliquandò moralibus) hactenùs cognitis, datum est: & sanguinem terrestrem & austerum, præsertim hæreditate acquisitum, velle prorsùs corrigere & transmutare, est laterem lavare: hìnc rectè* Willisius cap. xij. de an. brut. part. pathol. *ait*, curatu valdè difficilis est, quia magna in sanguine & spiritibus alteratio facienda est, atque ægrotantes medendi methodo cuivis obnituntur, & Medicis & sibimetipsis inimici. Hippocr. sect. 6. Aph. 21. *inquit*, insanis si varices vel hæmorrhoïdes supervenerint, insaniei fit solutio: *quatenus sanguine copioso evacuatô, reliqua portio adeò crassescit, ut ad motum violentum, pro Mania inducenda, haud facile perduci possit:* Idem sect. vij. Aph. 5. dicit: à mania dysenteria, hydrops vel fatuitas bonum: *Nempe puta similiter hæc esse indicia valdè incrassati sanguinis. Atrophia & convulsio lethales sunt, nam indicant obstructiones adeò multiplicatas, sanguinemque adeò incrassatum & acrem, ut circulatio (à qua dependet vita corporis) suffocetur: solent alias maniaci esse longævi, propter sanguinem crassiorem, ex quo iteratis*

ratis circulationibus, & vehementibus paroxysmi motibus, particulæ satis dividuntur, pro spirituum sufficiente copia suppeditanda: adde quod eorum transpiratio insensibilis tardiùs cùm procedat, minus dispendium subtiliorum partium patiatur. Febris tertiana & quartana itidem maniam solvere dicuntur: ratio esse videtur quod crebrioribus, sed mitioribus sanguinis exagitationibus, materia peccans facilius dividatur & ex corpore eliminetur: si Mania fuerit per consensum uteri, lienis vel alterius partis, nunquàm curabitur, nisi obstructionibus iis in partibus solutis.

Causa vero, ob quam maniaci inter maximos & miserrimos diætæ errores tamdiu vivere queant, consistit in ipsorum corporis temperamento, quod quamvis rectis mentis actionibus adversetur, nutritioni tamen corporis est convenientissimum.

Curatio consistet in *a* pravi sanguinis *b* evacuatione, & intemperiei tum cerebri, tum reliqui *c* corporis correctione.

a Pravi sanguinis.) *Ubi is speciatim in venis hospitat? nonnè universaliter est crassus & acer.*

b Evacuatione.) *Et quidem largâ: ita apud* Etmullerum *juxta* Lindanum *sanguis fuit eductus ad ℥xxx, veruntamen habenda semper ratio est ætatis, sexus, anni temporis &c. Educitur autem sanguis copiosus eum in finem, ut vasorum latera valdè notabilitèr collabantur, minorque pressio subsequatur, quô actu causa quidem mali non tollitur, sed cohibetur.*

c Corporis correctione.) *Potius in sanguinis crassi & acris temperatâ divisione, dilutione & mitigatione, obstructionumque apertione.*

Primo itaque exhibeatur cum potu vel jusculo hic pulvis *a* insipidus:

℞. *Rad. mechoacannæ* ℈ij. ſ.
Scammonii gr. xv. F. pulvis subtilis.

a Insipidus.) *Alioquin his hominibus persuaderi non potest, ut medicamentum sumant. At vero dicimus in paroxysmo, purgationem improbandam esse, quia magis adhuc ciet fermentationes sanguinis, sed extra paroxysmum, præparatione præmissâ, constare deberet ex melanogogis, qualia in medicatione de melancholia habuimus.*

Postridie educatur sanguis per *a* phlebotomiam è brachio dextro ad lib. I. Eaque postea sæpius in variis corporis partibus, pro ratione virium, est repetenda. Docet enim experientia venæ-sectiones largas & *b* frequentes plurimum auxilii hic præbere.

a Phlebotomiam è brachio dextro.) *Nullam ponimus superstitionem in deligendo brachio vel dextro vel sinistro, sed eligatur vena magis conveniens, & vulnusculum infligatur aliquantò majus. Quidam his commendant transfusionem sanguinis, sed nos eam varias ob causas manifestas, planè repudiamus.*

b Frequentes.) *Iterata venæ-sectio etiam hic magis adhuc quam in Melancholiâ necessaria est: & sanguis crassior etiam in pede venæ-sectionem indicaret, sed quia motus à fermento impressus in eo prædominatur, ideo potius in brachio venæ-sectio instituatur, ut subtilior, & magis motus sanguis evacuetur. Riverius ex Platero exemplum habet maniaci, in quo sexagies fuerit vena-secta.*

Ve-

Vesperi ad somnum conciliandum exhibeantur ipsi in potu laudani opiati *a* grana v. cum pauxillo syr. de papavere dissoluta: vel lac amygdalatum, cum syrupo papaveris, ad lib. ſ. Vel talis præscribatur haustus somniferus:

℞. *Syr. violac. papaverini, diacodii ana* ℥ſ.
Aq. stillat. lactucæ ℥iij. M. F. haustus.

a Grana v.) *Equidem magna opiatorum dosis hoc in casu requiritur, præsertim in principio: mallem tamen à mitiori dosi ad majorem progredi: & licet maniaci in progressu paroxysmi videantur robustissimi, tamen quàm primùm ad quietem & somnum fuerint perducti, observantur debilissimi.*

Hic prosunt omnia terrestria acidum absorbentia, ut Corallia, conchilia, margaritæ, oculi cancri, fixa antimoniata, omnia chalybeata, bolus armen. terr. sigill. & alia, quæ acidum sanguinis nimium, possunt imbibere, & motum sanguinis sistere, v. g. nitrata. Etiam emulsiones huc pertinent ex hord. mund. amygd. decort. sem. 4. frig. maj. papav. alb. &c. nec non Tinctura opii, cujus descriptio est seq.

℞. Opii ℥iſ. *exsicca leniter nè contrahat empyreuma, exsiccatum in pulverem redige, cui adde*
Salis tartari ℥ſ.
Sp. vini pint. iij.
Præmissâ digestione in loco calido filtrentur septies, vel octies per chartam emporeticam, & habebis tincturam claram & rubicundam.

Alio modo.

℞. Opii thebaici *ignis calore leni exsiccati ad friabilitatem usque & in pulverem triti part.* x.
Salis tartari part. 1. *affunde*
Sp. vini q. ſ. *ad extrahendam inde tincturam rubiniformem, leni digestione trium, quatuorve dierum, tinct. postea filtra per chartam emporeticam, quæ filtratio octies repetatur, & factum erit, quod oportet.*

Postea præscribatur ipsi hoc medicamentum alterans & purgans:

℞. *Rad. buglossæ* ℥j. ſ. *a hellebori nigri* ℥iij.
b Polypod. querc. ℥vj.
Fol. endiviæ, cichorii, fumariæ, epithymi an. m. j.
Flor. borrag, bugloss. violar. an. p. iij.
sem. melonum, cucumeris, cucurbitæ an. ℥iij.
liquiritiæ rasæ ℥ij.
tamarindorum ℥j.
decoquantur in aq. commun. ad lib. j. ſ. addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℥j. ſ.
cinnamomi ℈ij.
colat. adde syr. rosati sol. violacei an. ℥j.

c F. Apozema, de quo bis in die sumat uncias quatuor.

a Hellebori nigri.) *Durante paroxysmo purgantia talia malum exasperarent; verùm extra eundem, præmissa præparatione legitimâ probantur, ut & vomitoria antimoniata vel mercurialia. Sunt qui usum hellebori albi hoc in casu extollunt, vid.* Etmuller. prax. de delir. in genere, & in specie: *sed propter nimiam sui acrimoniam nobis non arridet, nec vehementer purgandum esse judicamus, cùm nimia humidi copia evacuetur. Specificus quibusdam habetur sanguis arteriosus asininus, propè aures vernô tempore collectus, linteo mundato exceptus & exsiccatus: dos.* ℥j. *Alii cum Quercetano commendant decoctum anagallidis flore phœniceo; quæ herba dici solet salus fatuorum:*

rum: in genere conducunt omnia praescripta in medic. antecedente.

b Polypod.) *Hoc solum sufficit.*

Ad alvum alias laxandam, v. gr.

℞. Decoct. commun. clyst. emoll. ℥x.
in colat. dissolve
Elect. bened. laxat.
diapruni laxat. ana ℥.j.
Nitri ʒij. vitell. ov. N.j.

c F. Apozema.) *Decoctum ex lignis, & corticibus temperatis in declinatione praesertim, prodest, quia particulis suis constantioribus sanguinis motum nimium sistit, & interim sanguinem lente incidit, & obstructiones tollit.*

Non male decocto adderetur acetosa, tartarus crudus rhenanus, &c.

Si hujus usum detrectet, saepius ipsi praebeatur serum lactis, in quo epithymus, & anagallis flore purpureo, sint cocta.

Et frequenter ipsi in potu exhibeatur *a* sal prunellae drachmae pondere; quod peculiarem vim habet maniacum illum spirituum fervorem compescendi.

a Sal. prunellae.) *Subinde sumatur sequens pulvis:*

℞. Boli armeni, *aut*
Terrae sigill. ℈j.
Sal. prun. gr. xv.
Camphorae,
Salis saturn. an. gr. vj.
M. F. pulvis.

Sic prosunt omnia, quae in sanguine graviuscula sunt, ut Fol. lunae, auri, margaritae, & lapides pretiosi.

Ac postea *a* subinde purgetur drachmis sex vel octo confectionis hamech, vel extracti hellebori nigri drachmis duabus, quibus aliquot granâ scammonii sunt addita. Et, si haec propter ingratum saporem respuat, purgetur subinde justa dosi diacydonii purgantis.

a Subinde purgetur.) *Pro purgatione, cum sanguinis impetus paululum fuerit imminutus:*

℞. Extract. hellebor. nigr. gr. xxvj.
Trochisc. alb. gr. iij.
Mercur. dulc. gr. v.
M. F. s. a. Pilulae.

Huc pertinet pulpa cassiae fistulae & tamarindorum in haustu jusculi calidi.

Post purgationes reiteratas hoc *a* linimento tempora ejus oblinantur:

℞. *Olei violar. mandragorae, succi sempervivi an.* ℥iij. *salis prunell.* ʒj.
Misce pro linimento cum linteis adhibendo.

a Linimento.) *Potius*

℞. Unguent. populei ℥ß.
Opii thebaici ℈ß. *aut* gr. xiv.
Ol. papav. q. s. *ad consistent. linimenti; quod etiam carpis manuum & regioni cordis inungi potest, in paroxysmo, vel eodem ingruente.*

Et tale *a* Electuarium assumat:

℞. *Conservae rosar. violarum, borrag. buglоss. melissae an.* ℥ſ.
Cort. citri conditi ʒij.
Spec. diamargariti frigid. diarrhod. abbatis an. ʒj.
Confect. alkermes ʒſ.
Syr. de limonibus q. s.

F. Electuarium, de quo drachmae duae bis quotidie, cum potu mixtae, ipsi praebeantur.

a Ele-

a Electuarium.) *Omnia dulcia hìc nocent; cœteraque electuarii ingredientia sunt nimis calida & acria: substituatur pulvis Dominæ Kent, tinctura martis aperiens, aut simile aliud.* River. prax. lib. j. cap. xiij. *affert remedium ex melissa in spir. vini infusa cum margar. præp. quod in illustri quadam familia Monspeliensi pro secreto gentilitio & hæreditario habebatur. Nos non magni facimus.*

Verùm his non juvantibus, tentari poterit Curatio hujus morbi *per transfusionem sanguinis* vitulini, ex arteria vituli crurali, in venam aliquam brachialem maniaci; qualis nuper Parisiis in maniaco, ope tubuli, unâ parte arteriæ vituli, & alterâ venæ maniaci accuratè insertæ, *a* feliciter fuit facta. Hæc chirurgia etiam in aliis morbis curandis jam satis frequenter adhiberi fertur.

a Feliciter fuit facta.) *Hanc supra repudiavimus, quoniam plura dantur exempla mali, quàm boni successus. Cauterium suturæ coronali applicatum maximè probatur à Gordonio: sed aliquando fallere potest, causâ mali in remotiore parte latente.*

In *diæta* aër sit temperatus. *a* Cibus sit liquidus, sorbilis, & humectans, ex endivia, hordeo, rapis, & carnibus vervecinis. Potus cerevisia tenuis. Somnus sit longior: isque omni ratione provocandus. Alvus sit lubrica vel natura vel arte. Amicorum moderata admittatur præsentia: inimici & ignoti excludantur. Et denique vinculis, admonitionibus, prudenter, *b* pro re nata, erit regendus. & compescendus.

a Cibus sit.) *Commendantur quidem legumina, fabæ, aselli arefacti, & similia alimenta crassa, ad præcavendum paroxysmum: verùm al oquin melancholiam augere solent, obstructionesque multiplicare.*

b Pro re nata.) *Hæc benè: nam etiam aliquando sunt castigandi maniaci.*

XVI.

MEDICATIO VIRI,

a PHRENITICI.

VIr *b* triginta quinque annorum, crassus, obesus, *c* sanguineus, postquam per continuos aliquot dies & noctes *d* vino & cerevisia generosiore sese implevisset, insomniâ aliquamdiu fatigatus est; &, si quando in somnum incidisset, molestis & horrendis *e* somniis fuit turbatus. Tandem post aliquot dies *f* cœpit vociferari, torvum tueri, absurda loqui. Jam, nisi à robustissimis viris vel vinculis in lecto retineatur, ex eo nudus exsilit, & quemvis obvium ferociter aggreditur. Subinde *g* floccos & festucas in stragulis quærit. Oculos habet rubentes, & lemis squallidos. Plus solito & indecenter loquitur. Perpetuò vigilat. Oculi ipsi nonnunquam lachrymantur. Os ipsi est aridum. *h*

Valde

Valde sitit. Pulsus perpetuò est magnus, celer, creber, & *i* inæqualis, Urina pallida.

a Phrenitici.) *Describitur phrenitis, quòd sit delirium continuum cum ferocia, febre continuâ acutâ, & perpetuis vigiliis: dividitur in veram & spuriam: hanc vocant paraphrenitidem, oriundam ab inflammatione partis alicujus infra caput locatæ, ut hepatis, lienis, pulmonum & speciatim diaphragmatis, quod vocabulo Græcô* φρένες *Veteres exprimere solebant: illam autem tradunt oriri ex inflammatione cerebri & meningum; Prætereà phrenitis vera dividitur, apud* Riverium prax. lib. j. cap. xj. *in aliam quæ est in* dispositione, *aliam quæ in* habitu, *&* hectica *nominatur, sed hæc fortè curiosis magis arriderent Logicis, quàm nobis.*

b Triginta quinque annorum.) *Est in flore ætatis meliore.*

c Sanguineus.) *Id est plethoricus, sanguine gaudens crasso & acrî.*

d Vino & cerevisia generosiorî.) *Vid. medic. præced. ubi indicavimus sanguinem hisce mediis notabiliter incrassari, & humore acrî inquinari.*

e Horrendis somniis.) *Hæc sunt ordinaria imminentis phrenitidis signa: hùc quoque pertinent sermo immodicus & vanus, urinæ mutationes mox in crassam, mox in tenuem & diaphanam, cephalalgia calida, rubedo intensa oculorum, aurium frequens sibilus & stridor, responsiones morosæ, lachrymæ involuntariæ &c.*

f Cœpit vociferari.) *Hæc & sequentia sunt signa præsentis phrenitidis.*

g Floccos & festucas.) *Hæc declinante phrenitide magis quàm in ejus vigore observantur.*

h Valdè sitit.) *Alii (inter quos est* Bellinus) *negant ullum dari sitis sensum, cùm raro potum exigant; sed nulla est sequela, mens enim (ut ait* Hippocrates) *ægrotat.*

i Inæqualis, urina pallida.) *Pessima hæc sunt signa prognostica.*

Afficitur in hoc ægro *cerebrum*, quod ex vigilio & delirio est manifestum. Afficitur etiam *totum corpus*, ut constat *a* ex ebriosa intemperantia, quæ præcessit; nec non ex febre præsente.

a Ex ebriosa intemperantia.) *Item ex febre continua acuta & symptomatibus cæteris.*

Morbus, qui eum affligit, est peculiaris quædam *a* intemperies biliosa & sanguinea cerebri & spirituum; ferox delirium, & *b* febrim continuam producens: quæ à Medicis *c phrenitis* dicitur.

a Intemperies.) *Phrenitis oriri potest sine notabili sanguinis intemperie, sed tunc febris non adeo acuta est, quam si intemperies salina adesset.*

b Febrem continuam.) *Per febrem continuam & acutam distinguitur phrenitis à mania.*

c Phrenitis.) *Item* παραφροσύνη, παραφρονία *&* παρακοπή. *Sphacelismi nomine occurrere apud* Hippocratem *nonnulli volunt ex ejus* sect. viij. Aphor. 50. *vid.* Etmulleri prax. part. ij.

a Causa procatarctica morbi est intemperantia illa ebriosa, per plures dies & noctes continuata; qua magna copia sanguineorum & biliosorum humorum in corpore ægri genita, causam *antecedentem*, ac insomniam & somnum turbatum, morbi hujus præludia, produxit: eaque *b* in cerebrum & membranas ejus

ejus delata, ibique in ventriculos exhalans, & in substantiam membranarum & cerebri profusa, ac vehementius incalescens, malignitatemque peculiarem adipiscens, morbi hujus & symptomatum ejus *continentem* causam constituit.

a Causa procatarctica.) *Quid hûc conferat constans ætas, vid.* Hipp. sect. iij. Aphor. xxx. *Ex insufficiente lochiorum purgatione phrenitidem obortam refert* Horstius lib. ij. obs. 25. *& ex retentione hæmorrhoidum idem* obs. 26. *Cum febribus malignis dictis, petechialibus & pestilentialibus phrenitidem conjungi, multiplex docet experientia: aliquandò abit peripneumonia in phrenitidem juxta* Hipp. s. vij. Aph. xij. *Contusiones pericranii, fracturæ & fissuræ cranii, non rarò hunc affectum generant: hûc pertinent omnia acriora, s. alimenta, s. medicamenta, vigiliæ nimis protractæ, passiones animi vehementiores, præsertim ad iracundiam dispositæ. Spurium delirium oriri potest à quibusvis doloribus vehementioribus.*

b In cerebrum & membranas delata.) *Continuò defertur secundum leges circulationis, sed non semper canales obstruit, quod ad hunc affectum producendum requiritur.*

Materia enim biliosa & sanguinea in cerebrum & membranas provecta, ibique *a* incalescens, & putrescens, *facit eorum inflammationem*. Dum verò ea partem quandam *b* in venas perpetuò ex cerebro inflammato pellit, quæ deinde per eas ad cor defertur, ibique vehementius incalescit, & ex eo per arterias in totum corpus distribuitur, facit *febrim*, *pulsumque magnum*, *celerem*, *crebrum*, &, propter inæquales sanguinis partes, *c inæqualem*. Ad *oculos* vero delata facit eos *d rubicundos*, & *e* è poris vasorum, quæ sunt in oculis, egressa, ibique incrassata *tegit extremas palpebras f lemis*. Spiritus, ex fervido illo sanguine in ventriculos cerebri exhalantes, *g* cum sint nimis copiosi, & quasi ardentes, attollunt perpetuo cerebrum, nervosque subjectos distendunt, ita *perpetuas vigilias* gignunt. Dum vero illi vehementius in sensorium commune impingunt, faciunt peculiari impulsu (quia ita à natura comparati sumus) *feroces de rebus objectis cogitationes*. Atque hinc fit, ut ejus *h* perceptio & *i* judicium ita depraventur, ut ille nihil nisi de litibus, pugnis, vulneribus, & vindicta cogitans, *l perpetuo* de iis rebus *inepta & ferocia loquatur*; *& quemvis obvium invaderet eumque læderet*, nisi manibus ab adstantibus, vel vinculis injectis cohiberetur.

a Incalescens & putrescens &c.) *Gratis hæc, si non ineptè, traduntur ab Auctore nostro, cùm nullam nobis claram & distinctam ideam causæ incalescentiæ & putredinis ullibi exhibeat: nos dicimus, quòd acriores quidam humores, sive salini, sive acidi fixi, in poris, tubulis & canaliculis constantioribus & augustioribus cerebri atque meningum hærentes, interstitia quædam juxta se relinquant adeò angusta, ut ætheri paulò crassiori transitum denegent liberum, qui per consequens vehementem in latera eorum impetum producendo efficit, ut non solùm fibrillæ vicinæ ad motum solitò majorem tremulum perducantur, verùm etiam ut particulæ plurimæ sanguinis humorumque in vicinia circulantium, extra centrum illud consuetum notabiliter deturbentur, intra quod moveri solebant, undè valdè confusa resultat earum agitatio (non secùs ac vini vel cerevisiæ particulæ, vi fulminis, intra dolia, quantumlibet occlusa, ad latera depelluntur, totùmque liquorem turbant) præprimis cùm salium rigida & aculeata corpuscula, prementi ætheri difficilius cedant, undè non solùm specialiter subsequitur ardor par-*

tis affectæ, ſed univerſalitèr totius corporis: imò etiam (continuante inflammatione) febris acuta continua & delirium continuum; licet enim non à quavis inflammatione, nec à quavis febri (ut ut continuâ) ſequatur ſemper delirium, attamen hoc in caſu potiſſimùm id evenire debet, primò,*cùm pars inflammata ſit promptuario ſpirituum animalium & ſenſorio communi valdè vicina;* secundò, *cùm pars eadem ſit egregiè ſenſibilis,* & tertiò, *cùm ſingularum particularum ſanguinis, humorum & ſpirituum, vehementiſſima ſit agitatio, qualis nec in omni inflammatione, nec febrî obſervatur; Quoniam ergò ſpirituum & ſenſorii communis æquilibrium conſuetum valdè notabiliter eſt ſublatum, idcircò valdè confusè aperiuntur veſtigia cerebro impreſſa, quæ cum confusè imagines rerum menti repræſentent, efficiunt ut confusè (id eſt, citra conſuetudinem) de iiſdem judicet, hoc eſt, deliret: eadem hæc cauſa eſt perpetuæ vigiliæ, uti conſtat ex fundamentis, in antecedentibus (in* medicat. V.) *datis. Sunt qui ſolam ſanguinis coagulationem, vel extravaſationem, hujus (quin omnis) inflammationis cauſam proximam exiſtere putant: verùm, obſecro! quidni ergò à quavis ſanguis coagulatione & extravaſatione ſequeretur inflammatio, v.g. in contuſionibus &c.? nonne determinata alia circumſtantia id efficere debet? ea verò procul dubio hæc eſt, quam attulimus, præprimis cùm homines intemperie acrî laborantes, in inflammationes & deliria pronos obſervemus.*

b In venas perpetuò &c. pellit.) *Juxta datam doctrinam præcipuè hoc opus tribuendum eſt æthери craſſiori, per lineam, quantumpote rectam, poros, tubulos &c. partis affectæ tranare conanti, ſed obſtacula multa reperienti, adeòque vim magnam inferenti, non ſolùm ſanguini intra venas, ſed liquoribus quibuſvis intra canaliculos, præſertim circa partem affectam, verſantibus.*

c Inæqualem.) *Multæ ſanguinis & humorum particulæ, cùm ſeceſſionem (uti diximus) ab invicem notabilem fecerint, non mirum eſt guttas ſanguinis inæqualiter compoſitas & mixtas, nec non ſpiritus inæqualiter versùs muſculos cordis (hoc enim ex anteced. ſequitur) influentes, inæqualem parere motus cordis & arteriarum reciprocationem.*

d Rubicundos.) *Rubedo hæc partim dependet à ſale copioſo, poris & tubulis anguſtioribus oculorum inhærente, circa cujus poros globuli cœleſtes, inæqualî & veloci ætheris preſſione, celerrimè circa proprium axem rotare coguntur: partim à globulorum craſſiorum ſanguinis, versùs vaſa minima capillaria (quæ naturali in ſtatu non tranſeunt) protruſione.*

e E poris vaſorum.) *Hoc non eſt opus: ſufficit ſalia ſecundum ductus continuatos vaſculorum & tubulorum illàc propelli, ſed præternaturaliter commorari.*

f Lemis.) *Oriuntur hi à particulis craſſis glutinoſis & acribus ſibi mutuò commixtis, preſſione aëris externi circa ſuperficiem oculorum condenſatis.*

g Cùm ſint nimis copioſi.) *Atqui ſupra locô citatô demonſtratum fuit quomodò citra copiam magnam ſpirituum, vigiliæ produci poſſunt.*

h Perceptio depravetur.) *Nunquam hæc depravari poteſt, quà perceptio, verùm cùm mens judicium ſuum extra intellectum, ſive claram & diſtinctam perceptionem extendit, fallitur, uti pluribus patebit in ſequentibus.*

i Judicium.) *Judicium hic propriè quidem non laborat, quamvis anima abſurdos ſermones & effectus in corpore producere videtur: nam cum Phreniticus de jurgiis loquitur, judicium ipſi non vacillat, niſi relativè ad alios: nam revera animę tales ideæ tunc temporis repreſentantur, ut de jurgiis neceſſariò cogitare debeat; ſed in hoc errat, quod putet iſtas ideas excitari à cauſâ externâ aliquâ, cùm excitentur reve-*

reverà tantum à vestigiis cerebro impressis.

l Perpetuò &c.) *Hæc supra explicavimus, δὶς κράμβη θάνατος.*

Et quia *a* crassæ quædam particulæ spiritibus in cerebro mixtæ, & vehementius in ventriculis agitatæ, in sensorium commune ita impingunt, uti flocci ante oculos volantes in illud mediante lumine impingere solent, idcirco *videtur sibi* noster æger, *se floccos ante oculos volitantes conspicere, eosque in lecti stragulis, dum eas intuetur, manibus captat.* Præ febris ardore, œsophagum & os perpetuo exsiccante, *b os ipsi perpetuo aret, & continua torquetur siti.* Materia biliosa, quæ alias urinam tingere solebat, *c* in cerebrum delata, ibi, propter peculiarem cerebri ex hoc morbo dispositionem, manet, atque ideo *urina*, sufficiente copiâ bilis destituta, *pallet*: & quia hæc intemperies cerebri, lachrymalium caruncularum poros plus satis aperit, idcirco *serum*, quod cum sanguine per arterias eo defertur, ibi ab eo separatum, per illas carunculas *ex oculis*, d *lachrymarum specie, erumpit.*

a Crassæ quædam particulæ, &c.) *Equidem non negamus violentâ, propter inflammationem cerebri & meningum, sanguinis humorumq; agitatione, crassiores quasdam particulas devolvi posse super humores oculorum, à quibus radii luminis ferè eâdem cum determinatione motus repercutiuntur, quâ vel à floccis, vel festucis, telis aranearum, &c. fieri solet, undè mens putat similia corpuscula coram oculis externè versari, cùm tamen reverà non dentur; sed tamen etiam censemus, collectiones illas floccorum & festucarum, esse totidem manuum & digitorum convulsiones, quæ non advertente mente procedunt, & in hac opinione tantò magis confirmamur, cùm collectio illa floccorum sit pessimum phrenitidis signum, juxta* Hippoc. prænot. §. 4. *ubi dicit:* quę manus in febribus acutis, aut peripneumoniis, aut phrenitide aut capitis dolore ante faciem feruntur, & frustrà venantur, & festucas legunt, & floccos de vestibus evellunt, & de de pariete paleas detrahunt, eas omnes malas & lethales esse puta[illegible]. *Idem etiam in* coacis prænot. *satis clarè & distinctè inculcat.*

b Os ipsi perpetuò aret.) *Hic adest oris ariditas ob causam duplicẽ: primo, quoniam particulæ sanguinis aqueæ per habitum corporis, vel per alias vias magnâ copiâ (propter ardorem) extra corpus protruduntur, idcirco lympha vix aliqua fluit ad os, & gulam, & hinc sitis oritur, quæ potu potest sedari: vel secundò, quoniam glandulæ salivales sunt obstructę, itaut nihil, vel parum salivæ ad os mittatur; & hæc sitis potu licet largissimo non tollitur, sed augetur, quia obstructionem auget, & ventriculi appetitum, & functionem destruit.*

c In cerebrum delata.) *Bilem sub ratione bilis in sanguine non dari, sed congeriem determinatarum particularum sanguinis quantarum & figuratarum intra glandulas & meatus bilarios hepatis, demùm bilem componere, cùm certificatum sit experientiâ Anatomica, sequitur nullam bilem, quâ bilem, ad tingendam urinam confluere: & reverà si bilis urinæ permixta esset, eam amarô sapore inficeret, quod tamen nuspiam observatum scimus, quod etiam olim rectè Galenicis oggessit Helmontius: Attamen quatenùs maxima bilis portio est naturæ salinæ, & rubicundus splendescens urinæ color à sale copioso depẽdet, dicere possumus, eatenùs biliosas multas urinæ permixtas esse particulas, quatenùs adsunt multæ salinæ. Ergò si tubuli & canaliculi glandularum renalium, ita obstruantur in phrenitide, aliisve inflammationibus majoribus, ut salia cum sero copioso trãsire nequeant, ut evacuentur, sequitur salia eadem in sanguine manentia, uberius versùs partem affectam sive inflammatam, lege circulationis transferri, adeoq; causam proximam adaugere, undè symptomati-*

 bus

bus multiplicatis, vitæ cursus abbreviatur: vid. Hipp. Sect. IV. Aph. 72.

d Lachrymarum specie.) *Prosiliunt lachrymæ hoc in casu, variis de causis: (primò) cùm dolor capitis sit vehementissimus, spiritus animales vehementer in omnem dimensionem, uti ad alias partes, ita versùs glandulas lacrymales circumferuntur, quarum per consequens canaliculos vehementius premendo, serum copiosius expellunt: (secundò) cùm salia acriora itidem in glandulis oculorum hæreant, vellicando, sicut supra dictum, spirituum animalium influxum versùs easdem majorem pariunt; (tertiò) cùm tantô tàmque inregulari motu lympha crassior urgeatur, ut liberè satis per vascula lymphatica ad venam subclaviam excurrentia, propelli nequeat, majorem pressionem facit ad latera minus resistentia, qualia sunt versùs glandulas lachrymales, earumque exitus lymphaticos in cavum oculorum, & narium desinentes.*

Morbus hic valdè *a periculosus* est ob perpetuas vigilias, quæ ægrum valdè fatigant, & spiritus magis incendunt; ac præterea quia princeps pars à bilioso sanguine laborat; & hoc delirium non cum risu, sed feroce studio, est comitatum. Itaque generosissima hic adhibenda *medela*.

a Periculosus.) *Ità rectè* Alexander Trallianus *hunc affectum vocat*, πάθος ὀξύτατον καὶ ἐπικινδυνώτατον, *id est, morbum acutissimum & periculosissimum, nam brevi tempore vel in salutem, vel mortem terminatur, aut ad dies aliquot protracta, transit vel in suppurationem cerebri, vel melancholiam fatuam, vel lethargum, aliumve morbum soporosum itidem plerumque lethalem:* Hippocrates sect. 7. Aph. 50. *ait*, quibus cerebrum sphacelo fuerit affectum, in tribus diebus pereunt, si verò hos effugerint, sani fiunt: *puta tamen aliquandò, non semper hanc prognosin valere, præsertim in regionibus hisce septentrionalibus: si materiæ peccantis sequatur evacuatio per nares, os, vel aures, benè sperandum est. In senioribus periculosior est phrenitis, partim quoniam vires sunt debiliores, partim quoniam totus eorum sanguis ordinarie solet esse acrior, confer* Hippocr. sect. viij. Aph. I. *ubi dicit*, qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non admodum sanantur. *Inflammatio aliqua magna in alia corporis parte, phrenitidi superveniens, vel vice versa, phrenitis inflammationi, non potest non malum ominari: ita* Hippocrates sect. 7. Aph. 12. *ait*, à peripneumonia phrenitis, malum. *Somnus blandus delirium mitigat, juxta* Hippocr. sect. ij. Aph. 2. *Deliria quæ cum risu accidunt, securiora sunt, juxta* Aphor. 53. sect. vj: *nempe risus judicat, moderatum magis esse sanguinis spirituumque motum: verumtamen sardonius risus malum ominari solet, est enim species convulsionis. A plaga in caput, stupor aut delirium malum, secundùm* sect. vij. Aph. 14. *confer* sect. ejusd. Aphor. 18. 10. 9. & 7. *Paraphrenitis mitior est phrenitide.*

Quæ consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei, per contraria, correctione.

Primò itaque hic *a* injiciatur clyster:

℞. *Hordei mundati p. j.*
Fol. lactucæ, violariæ, malvæ, betæ an. m. j.
Sem. 4. frigidor. major. an. ℨij.
Prunor. acidor. ℥j.
Coquantur in aq. comm. ℔j. *in qua dissolve*
Cassiæ pro clysteribus, diapruni an. ℨvj.

b *Salis* ℥j. *Misce*. F. Clyster, mox injiciendus, & quotidie, nisi aliud purgans exhibeatur, repetendus.

a Injiciatur clyster.) *Nempe delirio & febre remittente, nam in furore majore, clysterem injicere vix est possibile.*

Uti in mania, sic & hic purgantia *sunt vitanda, quia sanguis inde nimium movetur. Omnium primò instituenda est Venæ-sectio.*

b Salis. *In Clystere poterunt dissolvi loco salis communis, salis prunell. drach.* ij.

Fæcibus alvi per clysterem hunc vel suppositorium eductis, a aperiatur vena in cubito, vel, si hoc admittere æger nolit, b in fronte, & sanguis large educatur: præsentissimum enim in hoc malo remedium est sanguinis detractio. Atque ideo si venæ-sectio ab ægro non admittatur, fiat scarificatio profunda in cruribus & dorso cum cucurbitulis. Venæ-sectio hic reiteranda quoque erit.

a Aperiatur vena in cubito) *Venæsectio ante omnia maturè debet instituì, & pro re nata iterari, instituenda autem est in brachio, quia sanguis motu, & subtilitate peccat.*

b In fronte.) *Cùm exigua hic sit vena, commodiorem locum alium eligendum esse censemus.*

a Capiti adhibeatur hoc oxyrhodinum:

℞. b *Olei rosacei* ℥ij. ſ.
c *Succi lactucæ, portulacæ, solani an.* ℥ij.
d *Aceti rosac.* ℥j.

F. e oxyrrhodinum, cum linteis capiti tepide adhibendum.

a Capiti.) *Oxyrhodinum sæpius iterandum est, nam parum ex eo ad interiora penetrat: vel intro exiberi potest pulvis aliquis refrigerans qualis sequens:*

℞. Lapid. prunell. ℈j.
Caphur. gr. iij. iv. *vel* v.
Laudan. opiat. gr. j. *vel* ij.
Fol. Lunæ N. viij.
M. F. Pulvis.

Vel ℞. Syr. Papav. errat. ℥ß.
Laudan opiat. gr. ij.
Aq. lactuc. unc. ij.
M. F. Haustus.

b Olei.) *Non potest penetrare poros, quoniam constat particulis nimis crassis, & ramosis.*

c Succi.) *Si æstas est, ut possit haberi. Si non habemus succos herbarum, sumemus aquas destillatas, sic habemus oxyrhodinum optimum.*

d Aceti.) *Ubi morbus fuerit in vigore, non multum aceti sumendum est, quia sua aciditate cum spiritibus salinis conjunctâ motum auget:* repellentibus *etiam locus non est, nisi in principio morbi, & declinatione, adde*

Opii gr. xij. *aut* xv. *si vires nondum sint prostratæ.*
Camphoræ ℈j. *aut* ℥ß. *si ferre vult odorem.*

Pro linimento Temporum:

℞. Ung. Popul. unc. sem.
Laud. opiat. vel opii gr. xij.
Caphur. gr. xj.
Ol. Hyosciami q. ſ.
M. F. Linimentum.

Sub noctem exhibeatur hic haustus hypnoticus:

℞. *Syr. papav. errat.* ℥j.
a *Laudani opiat. gr.* iij.
Aq. lactuc. ℥ſ. Misce.

a Laudani opiat. gr. iij.) *Narcotica minime sunt adhibenda, ubi putamus vires esse attritas, vel à minima semper dosi est incipiendum, ut videamus quid sanguis ferre possi; ita v. g.*

℞. Syr. Papav. ℥ß.
Laudan. opiat. gr. j.
Aq. lactucæ ℥jß. *vel* cum cerevisiâ. *M. F. Haustus.*

Postea semper ad majorem dosin ascendere possumus, si necessitas urgeat.

Subinde ad impetum sanguinis refrænandum,

℞. Terræ sigill. gr. xv.
Sacch. saturni gr. v.
Camphoræ gr. iij.
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.
M. F. Pulvis.

Sed facilius in potu ordinario sumi potest tincturæ *opii cochl. dimidium, aut amplius. Multus sit usus* lap. prunell. *à* ℈j. *ad* ℈ij. *aut* ʒj.

Postridie exhibetur hoc a purgans.

℞. *Spec. diaturbith cum rhabarb.* ʒj.
Scammonii gr vj. aq. cardui benedicti ℥iij.
M. F. Haustus mane propinandus.

a Purgans.) *Rejiciendum est, quia nimiam fermentationem in sanguinem introducit: potius ergo ad clysterem accedendum. Si morbus sit in declinatione, ut omne periculum nimiæ fermentationis præterierit, atque si notabilis adsit cacochymia, tunc*

℞. Extract. rhabarb. ℈j. *aut* gr. xxv.
Res. scamm. gr. iij. *aut* iv.
M. F. Pilulæ.

Ad dolorem & febrim tollendam, sudoriferum dari debet temperatum, v. g.

℞. Aq. meliss. ℥iv.
rosar. ℥j.
tinct. croc. ʒj.
sal. prun. ʒß.
ocul. canc. ℈ij.
laud. op. gr ij.
syr. pap. rhæad. ʒvj.

M. dosis est ad cochlearia iij. *singulis horis, vel sumatur dimidia ejus portio pro dosi. Huc pertinent emulsiones & amygdalata, hordeata, acidiuscula, nitrosa, &c.*

a Pedibus, b ad diversionem materiæ morbificæ, adhibeantur columbæ vivæ dissectæ.

a Pedibus.) *Etiam capiti applicatæ prosunt, quia per poros cutis transmittunt effluvia oleosa & balsamica, quibus humores acres involvuntur & temperantur. Sedum majus contusum, & cum lacte muliebri mixtum, sincipiti raso applicatum mire laudatur.*

b Ad diversionem.) *Id pugnat cum circulatione sanguinis. Mulierculæ pedibus applicare solent fermentum acidum, cum ruta & sale, quod sæpe posteà cùm nigrescat, ardorem ipso mediante à corde revulsum ajunt: Sed reverà est à sale acri exhalato ex plantis pedum, exsiccante fermentum applicatum cum cujus aciditate, forsan etiam fermentationem aliquam excitat.*

Interius usurpetur a serum lactis & tennis cerevisia pro potu, & talem subinde sumat julepum, vel apozema potius.

℞. *Fol. lactucæ, portulacæ, plantag. an. m. j.*
Flor. nymphææ, violar. an. p. j.
Coq. ex aq. hord. ad lib. 1. *adde* b. *syr. violacei* ℥iij.
Salis prunellæ ʒiij. M. F. Julapium pro iij. dosibus.

a Se-

a Serum.) *Serum lactis valdè confert, præcipuè si Mars in eo sit extinctus, nam volatile in sanguine figit ob metallicam gravitatem.*

Nitrum in aquâ dissolutum, summè prodest in omnibus morbis ardentibus, ut & ejus spiritus, qui aperit, & lentè coagulando sanguinis motum retardat, adeòque æstum tollit.

b Syr. violac.) *Potius syrup. de acetositate citri, aut granatorum acidorum ℥iß. vel ij.*

Vel ℞. Hord. mund. M. j.
C. C. limat. ℥ß.
rad. scorzon. ℥ij.
herb. acetos.
meliss. ana M. j.
tamarind. ℥ß.
Coq. in s. q. aq. font. ad libras ij. vel iij. f. colat. & add. vin. mosell. matur. ℥v. syr. de succo citr. ℥iij. vel in liquore suspendatur pomum citri discissum. M. f. julap.

Magnus *a* cordis calor hoc epithemate temperetur.

℞. *Aq. rosaceæ lib. s.*
Nymphææ, bugloss. violar an. ℥j. s.
Santali rubr. & citrin. an. ʒij.
Camphoræ gr. iij. aceti ʒiij.
Croci ʒß. F. epithema cum linteis intinctis cordi tepidè adhibendum. Idem etiam testibus adhiberi poterit.

a Cordis.) *Et aliarum partium totius corporis.*

Ubi malum nonnihil *a* mitescere inceperit, capiti adhibeatur gallina viva dissecta, vel pulmo vervecis à mactatione calens.

Pro potu etiam utatur hoc infuso:

℞. *Aq. fontis lib. 2.*
Fol. acetosæ, papaveris rhæados an. m. s.
Flor. borrag. nymphææ, violariæ an. p. s.
b *Spirit. vitrioli ʒj.* c *santali rubr. limati ℈ij.*
Stent in infuso per horas aliquot, frigidè colentur per chartam emporeticam, & d *adde sacchari q. s. ad saporis gratiam.*

a Mitescere.) *Quidni & in vigore paroxysmi? sed Auctor forte putat ferociâ ægri, non diu talia super caput permansura esse.* Willisius *habet exemplum phreniticæ ancillæ curatæ, per immersionem in aquam.*

b Spiritus.) *Eligatur Spiritus nitri* loco spir. vitrioli, *ad gratum acorem.*

c Santali rubr.) *Sume potius* sant. citrinum aut album, *nam illud nimis adstringit.*

d Adde sacchari.) *Potius syr. de succo citri.*

Urina hic sæpe subsistit, atque ideo monendus æger, ut mingat: quod si hoc non sufficiat, fiat hæc fomentatio supra pectinem:

℞. *Fol. parietariæ, m. ij.*
Petroselini cum radice m. j.
Sem. seselios, petroselini, opii an. ʒij.
Fiat decoctio in s. q. aq. comm. In colatura dissolve a *olei scorpionum ʒiij. pro* fotu, *pectini cum linteis adhibendo.*

a Ol. scorp.) *Hoc solum sufficeret, vel oleo therebinthinæ permixtum.*

Hu-

Hujus decocti residentia frigatur in sartagine cum *a* oleo scorpionum q. s. & post fotum applicetur *b* pectini.

a Ol. Scorpionum.) *Hoc speciatim dicatum est diuresi promovendæ, addi autem potest spiritus terebint.* ℥iß.

b Pectini.) *Item perinæo: clysteribus quoque cum fructu addi possent quædam diuretica. In longa urinæ suppressione, candelam ceream urethræ immittere oportet, inquit* Willis. loc. cit.

In *diæta* aër sit temperatus, mediocriter *a* luminosus. Absint ab oculis picturæ. *b* Cibus sit parcus, ex lactuca, intybo, piscibus saxatilibus. Potus sit *c* cerevisia tenuis. Quies hic conducit. Somnus omni ratione conciliandus. Excrementa alvi & vesicæ bene respondeant. Affectus animi, quantum fieri potest, sint blandi.

a Luminosus.) *Potius obscurus.*

b Cibus sit parcus.) *Sit liberalior, si ventriculus potest ferre, ne sanguis fiat acrior. Conveniunt omnia hordeata, rapæ, & similia.*

c Cerevisia.) *Qui assuevit vino, sumat vinum rhenanum tenue, sed maturum in declinatione morbi, ad vires restaurandum.*

XVII.

MEDICATIO ADOLESCENTIS,

A rabidi canis morsu.

a HYDROPHOBI.

ADolescens, annos natus plus minus septendecim, ruri iter pedes faciens *b* in digito annulari sinistræ manus à cane rabido insiliente, fuit commorsus: Vulnus, qui erat exiguum, nec ulla de caninâ rabie suspicio, brevi à chirurgo fuit *c* consolidatum. *d* Trigesimo à morsu die cœpit de brachii sinistri dolore conqueri, & aquam metuere. Postero die vinum, cerevisiam, & *e* omnia liquida ac fulgida abhorruit. Tertio die *f* nec sonitum, imò nec nomen liquidorum ferre potens, insigniter febricitavit. Pulsus jam est concitatus; multi adsunt sudores. Mens ipsi in reliquis etiamnum sic *g* satis constans.

a Hydrophobi.) *Significat quidem in specie vox hydrophobiæ metum aquæ, sed tamen sumitur pro rabie vehementi, cum qua conjungitur metus liquidorum, rerumque fulgentium, febris continua acuta & difficultas deglutiendi ac respirandi.*

b In digito annulari.) *Notetur magnus effectus ab exigua causa, quod satis docet, non ad quantitatem adeò quàm qualitatem fermentorum attendendum esse:* Hildanus cent. j. obs. 86. *refert, quòd quidam à fele rabidâ scalptura per unguem in dextro pollice læsus, vix epidhermide læsa, hydrophobiâ fuerit correptus. Item, quòd vestis mulieris à cane rabido laceratæ, cùm vestis filo dentibus absciso resarcietur,*

tur, mulier post tres menses hydrophobica similiter evaserit: confer Petr. Borell. cent. 4. obs. 22. Zacut. Lusit. lib. iij. prax. admir. obs. 85. & 86. Dioscor. lib. vj. cap. 36. Cœl. Aurel. lib. 3. de morb. acut. cap. 9. Tulp. lib. 1. obs. xx.

c Consolidatum.) *Rectè hisce culpare vult Auctor incuriam multorum chirurgorum, qui & hic, & aliis in casibus, vulnera & ulcera maligna nimis citò consolidare conantur, mali fomite nondùm evacuatô.*

d Trigesimo à morsu die.) Lindanus super Hartmannum, *refert exemplum hydrophobiæ lethalis, decimo tertio post morsum canis anno evenientis: de hydrophobia annos viginti occultatâ, vid.* misc. cur. dec. 2. an. 9. & 10. obs. 43.

e Omnia liquida.) *Hoc quidem signum pathognomonicum dici solet hydrophobiæ, sed tamen aquæ metum non semper adesse, contendit* Phil. salmuth. cent. iij. obs. 90. *confer* Schenk. obs. p. m. 851. obs. xvj. *Alia species rabiei occurrit apud Auctores, dicta* Chorea S. Viti, *in qua saltando currendoque furunt, & velut ovantes in tantum efferantur, ut geminatis clamoribus, horrendo planè & truci adspectu, spumam ore regerant, quô actu tandem ita fatigantur, ut velut exanimes viribusque omnibus exsoluti, humo se prosternant, mortuis haud absimiles. Vid.* Schenk. obs. p. m. 144. obs. viij. *item* Tulp. obs. xvj. lib. j. *Ad classem horum affectuum pertinet quoq;* Tarantismus, *de quo vid.* Stalp. vander Wiel cent. prim. obs. rar. 100.

f Nec sonitum.) *Hæc circumstantia non semper adest, notatque majorem morbi gradum.*

g Satis constat.) *Sine delirio morbum quandoque esse, tradit* Schenkius loc. cit. *item* Bellinus lib. de morb. cap.

Partes affectæ hinc sunt *a* variæ: *cerebrum*, quod ex aquæ & omnium liquidorum metu: *brachium sinistrum*, quod ex dolore; & *cor, ac totum corpus*, quod ex febri, & pulsu concitato, ac sudore innotescit.

a Variæ.) *Hoc patet ex definitione hydrophobiæ suprà allatâ: confer* Tulp. lib. j. obs. xx.

Morbus est *Hydrophobia*; sive intemperies venenata *a* contagiosa, & calida totius corporis, ac præcipue cerebri; aquæ, omniumque liquidorum, & splendentium timorem inducens. Quod causæ & symptomata testantur.

a Contagiosa.) *Non adeo quidem per insensibilem transpirationem, quàm per communicationem liquoris, sive salivæ, sive sanguinis &c. quanquam* Tulp. obs. lib. j. cap. xx. *ait, nemini fuisse rabidorum sputa detrimento.*

Causa procatarctica hujus affectus est *a* morsus canis rabidi, qui ægrum nostrum in digito annulari mordicus vulneravit. Hinc enim, per contagium, venenum istud rabiosum ipsi, in digito vulnerato, fuit communicatum: quod, è vulnere per venas ad cor, & hinc in cerebrum & totum reliquum corpus, cum sanguine arterioso, distributum, totum sanguinem paulatim infecit; Isque majorem corruptelam indies contrahens, tandem ad tantam pervenit pravitatem, ut *antecedens* hujus morbi evaserit causa. Sanguis autem ille ad cor delatus, ibique præter naturam incensus, per corpus deinde distributus, & in cerebro in pravos spiritus animales conversus, ac *b* perceptionem ibi vitians, *c continens* hujus morbi, omniumque *symptomatum* est causa.

a Mor-

a Morsus canis rabidi.) *Præter canes (qui frequentissimè aguntur in rabiem) etiam feles, galli, equi, muli, tauri &c. huic, aut ipsi similî malo affici, testantur Auctores plurimi, inter quos imprimis vid.* Schenk lib. vij. obs. xiij. *ex quo, tanquam publico fisco,* Cornelius Stalp. van der Wiel loc. cit. *varia alia congessit exempla, quamvis inter ea, multa sint, quæ hydrophobiam vix redolent. Quoniam etiam (ut rectè Logici) progressus nullus datur in infinitum, jure meritô quæritur, undè rabiei hydrophobicæ, citra morsum aut contactum rabidi alicujus animalis primus fons & prima scaturigo? Nos huic quæstioni mox satisfacere conabimur circa causam proximam.*

b Perceptionem ibi vitians.) *Hoc absolutè falsum esse, in medicatione præcedente indicavimus.*

c Continens hujus morbi &c.) *Hactenùs certè Auctor nihil explicavit, utut* corruptelam, pravitatem, incendium, *& nescio quæ non plura, magis obscura effata, in scenam adduxerit: Nos existimamus, similem omninò esse, & hujus affectus, & maniæ causam proximam; eô tamen cum discrimine, quòd in hydrophobiâ peccet humor acrior & magis corrosivus, inflammationem faucium, meningum aliarumque partium cum febre continuâ acutâ, rabie & aquæ metu speciatim producens, secùs ac in mania: supponamus ergò (* primò *) quòd sine commorsione ullâ aut communicatione salivæ in parte aliqua stabili corporis canis (voracissimi bruti) aut alterius cujusdam animantis, collecta fortè fuerit ex gremio sanguinis materia quædam crassa & acris (prout dictum circa causam continentem Maniæ) quæ diutinâ morâ & stagnatione intra canaliculos partis istius angustiores, ad majorem gradum acrimoniæ, & rarefactionis, perducta, carceres sui latibuli diffringit & ope canalium revehentium ad sanguinem transit; undè sequetur, quòd illicò sanguinis motus circularis notabiliter minuatur, nam particulæ humoris illius acrioris accedentis, immensum discrepant à particulis sanguinis, ratione magnitudinis & figuræ, ac per consequens determinationis motus; undè cùm æther, viam sibi liberam per poros singularum particularum, præsertim rigidiorum, non inveniat, non solùm earum plurimas ad latera depellit, massæque sanguineæ mixturam consuetam turbat, verùm etiam impulsu suo continuatô, sed inæqualî, complanat, magisque acuminatas reddit, quæ cùm nequeant canaliculos angustos & constantes partium corporis diversarum liberè transire, sistuntur, pariuntque inflammationes diversas v.g. in cerebro & meningibus, undè delirium ferox cum febre continua acutâ, in musculis laryngis & pharyngis, undè cynanche sive difficultas respirandi & deglutiendi, per consequens crebri anhelitus, exsertio linguæ (ut in canibus æstuantibus) item aquæ metus, licet vehementissimè sitiant, cùm enim deglutire commodè nec respirare possint, pertinaciter reminiscuntur anxietatis maximæ, ex deglutitione fluidorum resultaturæ; quoniam etiam res fulgidæ & splendentes vividam & vehementem globulorum cœlestium, sive radiorum luminis repercussionem versus oculos pariunt, quâ vehementior spirituum motus intra cerebrum resultans, dolorem & delirium auget, hinc non sine ratione quoque aversantur talium rerum adspectum: Quid mirum ergò? quòd (* secundò *) vel per commorsionem, vel alium quemvis modum, saliva furentis animalis hydrophobi, alii animali communicata, similes reddat effectus? est enim reverà fermentorum omnium ea natura, ut alias res appropriatas transmutent in sui naturam. Cum verò dixerim, primariam aquæ metus causam esse anginam, sive deglutiendi & respirandi difficultatem, quæritur quidni & in angina idem liquidorum metus adsit? Resp. reverà etiam metum aliquem eorum tunc adesse, sed non tantum, quantum*

tum

tum in hydrophobia, cum simul in hac, maxima adsit rabies, in qua homines vehementius afficiuntur, quàm anginâ simplicî.

Nam malignus ille sanguis cor ingressus, ibique, ob nimiam suam dilatabilitatem, supra naturæ modum excalefactus, & in arterias & venas totius corporis propulsus, *a febrim, & pulsum concitatam*, febris indicem, *b sudoresque copiosos producit*. In cerebro verò in spiritus commutatus, propter peculiarem suæ intemperiei malignitatem, cerebrum ita disponit, ut *imago lucis, aquæ & cujusvis alius liquoris*, sensibus, reminiscentiâ, vel imaginatione percepti, ingratissimum motum ipsi imprimat; atque hinc eæ res *magnum timorem, & horrorem nostro adolescenti incutiant.*

a Febrim.) *Non aliter ac in phrenitide demonstratum.*

b Sudores copiosos.) *Nempe cum tanta sit sanguinis humorumque, propter inflammationes agitatio, ut plus seri intra glandulas cutis secernatur, quàm commodè per vasa revehentia avehi potest, guttulæ seri per innumerabilia cutis orificia prorumpunt, sudoremque copiosum suppeditant: Posset etiam recte dici, quòd cùm sanguis incrassatus, satis celeritèr ab arteriis per venas reverti nequeat, majorem versùs glandulas cutis faciat pressionem, adeòque seri copiosioris evacuationem.*

Ita enim à natura facti sumus, ut diversi motus diversas in nostrâ mente excitent cogitationes; ut *a* ex frictione laterum & plantæ pedis, titillationem; punctura nervi, dolorem; & ex omnibus reliquis sensibus, per solam motus varietatem, varias sensationum cogitationes in nobis excitantibus, est manifestum. Cum autem omnis motus sive impressionis varietas, vel ab objectis, vel medio, vel sensoriis, vel omnibus simul oriatur, neque hic in objectis liquoribus vel luce, nec in medio, ullum sit vitium, quod per se tales motus producere possit; sequitur motum illum, sive motus istius modificationem, quæ ægro nostro liquidorum & lucis timorem incutit, à peculiari temperie sensoriorum, sive spirituum, cerebri, & reliquorum talium organorum, ubi ab his objectis moventur, originem ducere.

a Ex frictione &c.) *Ita planè loquutus est in* medicat. anteced.

Hinc jam patet hydrophobiam non magis esse occultam, quam est dolor acutus, qui ex nervi punctura: vel scintillatio, quæ ex oculi percussione; vel molesta illa titillatio, quæ ex subita lateralium pectoris musculorum, vel plantæ pedis frictione, percipitur. Nam omnia ista proficiscuntur à varia motarum partium temperie; quæ propter insensibiles partium particulas incognitas, nostro quidem judicio, non magis in uno, quam in alio, specificè explicari potest.

Atque ex his generaliter maniacorum, phreniticorum, melancholicorum, à tarantula demorsorum, & aliorum delirantium deliria satis commode explicari *a* posse videntur. Cum enim ex vario spirituum & cerebri temperamento varii motus, & ex variis motibus variæ oriantur cogitationes; hinc jam facile intelligimus, si motus eorum secundum naturam fuerint, cogitationes etiam esse sanas; contra vero, ubi illi à convenientibus nostræ naturæ legibus recedunt, esse insanas; &, pro varietatis suæ ratione, varia etiam insaniarum seu deliriorum producere genera.

a Explicari posse.) *Sed nimis generaliter & obscurè; vid.* Joseph. de Aromatariis tr. de rabie contagiosa. *Ratio, cur post demorsionem rabidi animalis, vel salivæ ejus communicationem malum aliquandò ad longum tempus lateat quietum? quærenda est partim in fixitate acris fermenti hydrophobici, partim in eo, quòd fibrillis partis læsæ, in cincinnos (ut ita loquar) revolutis, via obstruatur vel præpediatur fermento, ut adeò celeriter massæ sanguineæ communicari nequeat: denique partim à constitutione sanguinis hominis læsi crassiore, ita ut in eo fermentum ad aliquod tempus suffocetur.*

Morbus hic cum sit venenatus, & aquæ aliorumque liquidorum timorem, quibus ægri sitis est mitiganda, jam induxerit, cumque hactenus nulla fere eorum suppetant exempla, in quibus hic morbus, ubi *a* ad aquæ timorem est perventum, remediorum *b* hactenus inventorum ope, sit superatus: huc accedit, quod ægri in hoc affectu fere nulla assumere velint remedia. Itaque *spes hic in angusto est*. Imo metuendum, ne ante mortem in caninam rabiem agatur. Attamen non plane hic deserendus æger: præsertim cum mens ipsi etiamnum constet; quo rationibus eo forsan poterit adduci, ut formidatis liquoribus in medelam utatur.

a Ad aquæ timorem.) *Nempe ille denotat mali fomitem, ad intima penetralia corporis pervenisse, per totum sanguinem diffusum esse, jamque obstructiones inflammatorias peperisse, quæ in diem, vel tertium vel quartum ægrum pessundent, adeò ut non opus sit mortem eorum maturare, sive per stragula, sive per culcitram (ut loquitur vulgus) ori impositam. Vid.* Tulp. obs. xx. lib. j.

b Hactenus inventorum.) *Non video, cur non possit morbus hic venæsectione una aut pluribus, atque dein remediis internis impetum sanguinis, humorumque mitigantibus, acrimoniam involventibus, nec non sudorificis alexipharmacis malignitati, & veneno obviam euntibus, malum sanari: sed solent hos homines, & Medici, & alii, ob contagium & ferociam fugere, undè sibi ipsis relinquuntur.*

Tentanda igitur *a Curatio*: quæ causam antecedentem, & continentem; ac malignam illam venenatamque intemperiem corporis, contrariis remediis impugnabit.

a Curatio.) *Difficultas Curationis præcipua est, quod ægri nolint medicamenta assumere.*

Primo itaque talis injiciatur *a* clyster:

℞. *Rad. hellebori nigri* ℥ß.
Fol. malvæ, lactuc. violariæ, borraginis, endiviæ an. m. j.
Hordei ℥j. *prunor. acidor. par.* viij.
agarici trochiscati ℥iij.
Coquantur in jure carnium ad lib. j. *ß.*
Colaturæ addatur hieræ diacolocynthidis ℥j.
ol. violar. ℥j. ß. *misce* F. Clyster mox injiciendus, & alternis diebus, si alimenta admittat, reiterandus.

a Clyster.) *Nihil facit ad rhombum, nisi forte in intestinis hærerent fæces induratæ; aliàs nulla huic morbo est affinitas cum purgantibus, sed quidem cum sudoriferis. Plenius autem nostram sententiam de methodo curandi dabimus in seqq.*

Deinde *a* vena brachii aperiatur, & sanguis pro ratione virium educatur.

a Vena brachii aperiatur.) *Ut motus nimius sanguinis diminuatur, & ut mali quædam portio cum sanguine evacuetur, item ut portio superstes, melius corrigatur; venæ-sectio, pro necessitate, iterari potest.*

Postea tale *a* fiat vesicatorium:
℞. *Cantharid.* ℥vj.
Sem. sinapi, rad. hellebori albi an. ℥ij.
Fermenti acidi ℥ß.
Aceti scyllit. q. s. Misce F. Massa; de qua portiones, linteis illitæ, *b* brachiis, femoribus, & tibiis apponantur, ibique diutius relinquantur. Ulceraque excitata emplastro diachylo diu aperta serventur.

a Vesicatorium.) *Hoc melius primò demorsionis instanti, parti læsæ applicaretur, præmissis cucubitulis s. ventosis, s. scarificatis, ablutionibus fortibus &c. nullam autem in ipso paroxysmo utilitatem afferre poterit Vesicatorium.*

b Brachiis, femoribus, &c.) *Putat forsan per has vias venenum ejectum iri, sed cur ex his potius quam aliis partibus ejiceretur? nonnè toti sanguini venenum est permixtum?*

Interim, corpore evacuato, de Palmarii celebratissimo hoc *a* antidoto justa dosis ab ægro quotidie est sumenda:
℞. *Fol. rutæ, verbenæ, salviæ, plantaginis,*
Polypod. absinthii vulg. artemisiæ,
Menthæ, melissophyll. betonicæ,
Hyperici, centaurei minor. an. m. j.

Hæc omnia, justo tempore collecta & exsiccata, redigantur *b* in pulverem subtilem: de quo exhibeantur ægro, cum saccharo, drachmæ tres, mane jejuno ventriculo; & tantundem à prandio, circa horam quartam vel quintam pomeridianam. Vel, si per os recipere recuset, duplum mane & vesperi, cum apto & sufficienti liquore, injiciatur *c* per anum.

a Antidoto.) *Tantum præstari posse sale volatili viperino, C. C., tincturâ bezoardicâ, aliisque alexipharmacis existimamus.*

b In pulverem subtilem.) *Post venæsectionem sudoriferum potens exhibeatur, ex mineralibus, & salibus volatilibus, ut malum non tantum ex sanguine, sed omnibus partibus solidis evacuetur: v. g.*

℞. Diascord. sylv. ℈ij.
mandib. luc. pisc ℥ß.
reg. antimon. med. ℈j.
sal. vol. vip. *vel* C. C. ℥j
sal. prun. gr. xv.
M. F. Bolus.

c Per anum.) *Quid hoc sibi velit, non percipimus, exigua enim reverà virtus ea esset, quæ hoc modo ad sanguinem penetraret.*

Magnopere etiam in hoc affectu commendatur, pulvis factus à vulgaribus serpentibus capite, & cauda truncatis, evisceratis cute nudatis, & in olla

vitrata super lento igne perpetuo agitando, exsiccatis. *a* Hujus pulveris sumatur mane à jejuno quotidie drachma una, cum syr. de limonibus, in pilulas redacta; & similis dosis circa vesperam reiteretur. Utilissimum quoque, est *b* antidotum illud illustre Æschrionis, ex cancrorum cinerum partib. x. gentianæ part. v. & *c* thuris part. j. paratum, & duorum cochlearium quantitate quotidie bis exhibitum.

a Exsiccatis.) *Vid.* Franc. Red. obs. de Viperis p. m. 91. *item* Moses Charras nov. exper. de viper. *quem laboris hujus debitum honorem Celeberrimo* Carolo Drelincurtio *suffuratum fuisse ferunt. Ita enim ipse* Drelincurtius lib. de fœmin. ovis p. m. 2. & 3. *loquitur*, fœtas animantes meæ curiositati subjeci, nec ipsas viperas exhorrui. Dùm has, præsertim, centenas inciderem, mirâ jucunditate ovula in illis, à die coitus ad partum usque, singulis diebus attendi, ac pro virilî mysteria generationis, meis Amicis aperui. Præprimis editorem libelli gallici de Viperis, pro illius ingenii aromatarii modulo laboriosè docui. Atque sic deinceps ingratus ille atque calcitrosus, laboris mei tulit honores.

b Antidotum Æschrionis.) *Vide Galen. lib. 2. de simpl. medicamentorum facultatibus.*

c Thuris.) *Omnia hæc ingredientia operantur, acidum sanguinis nimium absorbendo, infringendo, involvendo & præcipitando.*

a Celsus unicum ait hydrophobiâ oppressis remedium esse non opinantem ægrum in piscinam, non ante ei prævisam, projicere, ac, si natandi peritiam non habeat, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus aquâ satietur. Imo passim observatur, quod demorsi à cane rabido, si ante hydrophobiam in mari ter quaterve sub aquis fortiter demergantur, ab omni rabie & aquarum metu maneant immunes: *propterea quod* aqua ita adhibita vim habeat, ad venenum istud ita figendum, ut postea nunquam ullam effervescentiam, rabiem vel hydrophobiam efficientem, excitare possit. Potest itaque etiam hoc remedium in ægro nostro tentari eo modo, quo præscribit Celsus; vel, more nostratibus solito, poterit mari immergi.

a Celsus.) *Vid. ejus* Lib. v. cap. 27. *ubi ipsissima hæc reperiuntur Auctoris verba: Quæritur autem quænam sit istius effectus causa? Respond. (1) quòd, cùm hæc curandi methodus nihil prosit, nisi in principio, nullis liquidorum metus apparentibus signis, terror subitus tantam fortè parere possit sanguinis incrassationem, ut fermentum hydrophobicum ad tempus suffocetur & enervetur, posteà vi circulationis & medicamentorum ejiciendum; ita etiam terrore subitaneô alios graves affectus, sæpius fortè fortunâ curari, quotidiana tradit experientia: (2) quòd immersione violentâ, notabilis aquæ copia, ventriculo tradita, ad sanguinem pergendo, salia ejus acriora temperet ac diluat: (3) quòd eodem in actu, quemadmodum in melancholicis, perceptio prima, (rabiei hydrophobicæ adæquata) contrariò (eoque efficaci) effectu perceptionis contrariæ secundæ invertitur & supprimitur. Sed notandum nos hasce rationes, non ut apodicticas, sed verisimiles tamdiu hic deposuisse, donec clariores affulserint. Suaderemus prætereà, ut in principio commorsa, vel saliva hydrophobi animalis conspurcata pars, illicò ablueretur vel aqua theriacali camphoratâ, vel urinâ propriâ, sp. vini vel quocunque alio liquore appropriato & amanuensi: item optimè fieret scarificatio partis affectæ, impositis postea cucurbitulis, ut omne virus extraheretur; posteà imponeremus cataplasma, ex scordio, phellandrio, ruta, marrubio, abrotano, myrrha,*

rha, rad. valerian., gentian., theriaca, flor. cerevis., vel ferment. panis acido, & similibus; diuque vulnus apertum servaremus, nec remediis sudoriferis internis hic parceremus, sed præscriberemus bezoardica & alexipharmaca, salina & acida volatilia, prout res ipsa variè id postulaverit.

In *a Victus* ratione, aër sit temperatus. Potus sit cerevisia tenuis; ad cujus usum omni ratione est adigendus. Cibus sit humectans & refrigerans, ex jusculis vel carnibus cancrorum, vervecum, & pullorum gallinaceorum, *b* asparagis, acetosa, endiviâ, & cichorio alteratis, & parce exhibitis. Somnus omni studio promovendus. Affectus animum perturbantes fugiendi; omnibus ad gratiam ægri, quoad licet, comparatis.

a Victus ratione.) *Quidam volunt homines commorsos abstinere debere à contactu ligni Corni. Vide* Schenkii obs. xx. lib. vij. *ubi varia ex aliis affert exempla, sed nostro judicio fabulosa.*

b Asparagis, &c. alteratis.) *Hæc omnia tantum præcavent, ne sanguis tentetur nova quadam cacochymia.*

XVIII.

MEDICATIO ADOLESCENTIS, *a* COMATE VIGILI LABORANTIS.

ADolescens quindecim annorum, *b* febre continua, eâque satis fervidâ, laborans, sæpe ex lecto *c* prosilit mutus ac oculis *d* clausis, dormienti similis; quamvis perfectè non dormiat; tumque caput reliquumque corpus in parietes illidit, tanquam exitum quærens. In lectum relatus, corpus *e* varie jactat, oculosque clausos vel conniventes habet. Si quis ipsum alloquatur, vel attingat, nihil articulatè respondet: sed inconditum sonum, instar mugitus, edit.

a Comate vigili). *Describitur, quòd sit affectus, in quo ægri clausis oculis dormire videntur, sed vigilant & delirant, cum jactationibus membrorum crebris & febri continuâ, nonnihil ardente:* Galeni lib. de pulsib. ad tyrones, & 3. de morb. vulg. *dicit hunc affectum esse inter lethargum & phrenitidem medium, vocatque Typhomaniam, quasi diceret delirium fumosum; hæc autem clarius patebunt ex causa continente. Nullam Auctor noster mentionem facit comatis somnolenti, nec cari, huic affectui oppositi, in quo ægri sine febre, saltem manifesta, profundè dormiunt; forsan quia jam supra tractavit lethargum, cujus theoria perspectâ, horum explicatio non est adeò difficilis.*

b Febre continuâ.) *Rectè hanc Auctor affert, secùs ac alii Auctores Practici, est enim de natura, sive essentia comatis vigilis, uti constabit in seqq. In lethargo febris hæc magis est lenta.*

c Prosilit &c.) *Hoc videtur habere commune cum somnambulatione, ut & delirio.*

d Clausis.) *Sæpe numero* conniven-

ventibus: *alioquin potius accederet ad* coma somnolentum, *sed hic morbus magis appropinquat ad nimias vigilias*.

e Varie jactat &c.) *Hæc signa sunt somni imperfecti, ut id etiam contingit hominibus sanis, qui in somno leviore, multum sæpe corpus jactant.*

Afficitur in hoc ægro, præter cor, cujus affectio ex febri est manifesta, etiam *cerebrum*; quod ex *a* mentis stupore, oculis instar dormientium clausis vel conniventibus, & corporis illo inconcinno & inconveniente motu & jactatione, patet.

a Mentis stupore.) *Hæc omnia in antecedentibus medicat. dilucidavimus.*

Morbus, qui ipsum, cum febri continua, affligit, est intemperies pituitosa cerebri, cum magna spirituum animalium, in cerebro & ejus ventriculis existentium, fervore conjuncta; quæ somnolentiam, vereque dormiendi impotentiam, simul inducens, *coma vigil* appellari solet.

Causa *antecedens* hujus morbi est *a* congeries pituitosorum, biliosorum, ac putridorum humorum, in toto corpore existens. Pars verò ejus pituitosa in cerebrum copiosius delata, illudque gravans; & biliosa in spiritus fervidos conversa, & ventriculos cerebri distendens, inordinateque movens, *b continens* hujus morbi, symptomatumque in historia commemoratorum est causa.

a Congeries pituitosorum, biliosorum, ac corruptorum humorum.) *Ita ferè loquuntur Practici omnes: nos dicimus sanguinem esse valdè crassum-viscosum, sed simùl particulis multis acribus refertum, ex quo resultat causa continens jam mox proponenda.*

b Continens.) *Ex symptomatibus in historia & definitione allatis, patet conjunctam hic esse lethargi, vel alterius morbi soporosi, & phrenitidis causam, id est, (ut loquitur* Riverius prax. lib. j. cap. iij.) *adest erysipelas cerebri & meningum œdematosum, vel œdema erysipelatosum; vel (ut clarius loquar) inhæret cerebri & meningum canaliculis humor aliquis crassus-viscosus & acer, quô mediante, libera quidem spirituum distributio, ad omnes corporis partes præpeditur, ut æger planè non vigilet; sed tamen cum fibrillæ cerebri & meningum continuò propter acrimoniam vellicentur, spiritus interruptè moti & ad inferiores corporis partes similì cum determinatione motus lati, interruptam, sive imperfectam, & quasi dimidiam pariunt vigiliam, & quidem cum delirio & febre continuâ, nonnihil ardente, juxta fundamenta in medicatione de phrenitide data: Nec difficile erit attendendi eâdem methodo interruptam oculorum apertionem & occlusionem, jactationes membrorum &c. explicare. Rectè hinc* Bellinus lib. de morb. capitis, titulô de lethargo spurio, *de oculorum occlusione sequentî modô ratiocinatur*: Quoniam oculi occlusio fit per contractionem musculi constringentis palpebras, cujus naturalis vis major est vî naturali musculi ipsas levantis, & in comate vigili invita est oculorum occlusio, imò non solùm invita, verùm insuper talis ut laborans nè quidem volens possit oculos detinere disclusos, igitur vel tanta copia spirituum non suppeditatur voluntati & assuetudini, vel non tanti impetus & facultatis, ut superare possint naturalem contractionem musculi constringentis palpebras per contractionem musculi easdem levantis: quia verò (*inquit paulò post*) aliquid spirituum adest, fluitque per nervos, & illi quidem acerrimi, summeque mobiles, & nervi impensè rigidi defectu humidi, erit Typhomaniacus, ad vividè sentiendum optimè instructus, undè tactus

ctus facile sentiet, & per refluxum ab illo tactu, & voluntatem moventem vehementius, derivato copiosiore liquido in nervos musculi levantis palpebras, oculos aperiet, sed eodem liquido propter sui parvam quantitatem brevi intra nervos quiescente rursus oculi claudentur &c.

Morbus hic, propter cerebrum & cor *a* tam graviter affectum, maximum vitæ periculum; & præterea *b* phrenitidis vel lethargi metum inducit.

a Tam graviter.) *Est morbus hic periculosus, quia ægri alimenta nec medicamenta sæpe capere volunt, nec possunt: adde, quod Medicus licet prudens sæpe hæsitet, an nimias vigilias, an verò nimium somnum hic considerare debeat.*

b Phrenitidis vel lethargi.) *A quorum alterutro (uti dictum) non multum differt; si humor crassus augeatur, fiet major morbus soporosus, si verò acris, phrenitis: minatur etiam hac de causa convulsionem; vid.* Forest. lib. 6. obs. 38.

a Curatio itaque diligentissima adhibeatur. *Eaque* in causæ antecedentis, continentis, & intemperiei, per contraria ablatione, consistet.

a Curatio.) *Rectè* Riverius loco citato, *ait: curatio comatis vigilis idiopathici iisdem instrumentis perficitur, quibus phrenitis & lethargus curari consuevit: Quòd si magis ad phrenitidem deflectat, illius remedia magis adhibentur; contra verò si ad lethargum. Sympathici verò comatis curatio à febris malignæ curatione dependet à qua sumit originem.*

Mox itaque *a* vena secetur, sanguisque pro ratione virium, ad revulsionem & evacuationem, educatur.

a Venæ secetur.) *Venæ sectio potest admitti in principio, sed nonnisi modica: in progressu autē & statu morbi à Venæ sectione abstinendum esse judicamus.*

Talisque *a* clyster injiciatur:

℞. *Decocti emollientis lib.* j.
in qua dissolve el. diaphænici, b *diapruni an.* ℥vj.
c *Ol. violacei, camomill. an.* ℥j. *salis* ʒj.
Misce. F. Clyster, *aliquoties iterandus*.

a Clyster injiciatur.) *Clyster non multum ad causam morbi tollendam efficit, quia sanguinem non multum alterat, sed si fœces induratæ adsint, tunc potest admitti.*

b Diapruni.) *Si affectus magis accesserit ad soporem, vellicante opus est clystere, & loco diapruni, substituatur* confect. hamech, *hiera picra Galeni, &c.*

c Ol. violacei.) *Olea absint, nisi intestina sint exsiccata.*

Vel *a* subinde purgari etiam poterit tali haustu, si eum admittat:

℞. *Diaphœnici, diapruni an.* ℥ſ.
Aq. decoct. hordei q. s. Misce. F. Haustus.

a Subinde purgari.) *Cùm hic sal acre dominium habeat, purgatione, præsertim frequenti & potenti, motus sanguinis nimis augeretur, ideoque potius subsistendum est in clysteribus.*

Aut purgantium loco, nos convertimus

mus ad ea, quæ impetum sanguinis possunt cohibere, & sal refrænare ita tamen nè proclivitas in somnum nimis augeatur.

b Tali haustu.) *Decoctum leniens & sine impetu attenuans lignosum, hic conducit, additis acetosa, hordeo mundato, passulis, C.C. limato, rad. scorzon., taleolis pomor. citri, &c. somnus est leniter inducendus, ne æger in Phrenitidem incidat.*

Contra febrim continuam dari potest mixtura diaphoretica ad unc. vj. *additis mineralibus, & mithridato recenti: vel addi potest*, Caphura, Laudan. opiat. Syr. Papaver. &c.

Oxyrhodinum etiam capiti ex aceto acerrimo, *a* ol. rosar. & camomillino, tepide, *b* per triduum adhibeatur.

a Ol. rosarum.) *Non putem hoc valdè penetrare posse: acetum quoque acerrimum est suspectum, eò quòd vigilias producat: adde castor.* ℥ß. aquæ solani ℥v. lapidis prunell. ℥j. *aut* ℥jß. *add. aceti* ℥ij. *adhibeanturque quotidie* aliquoties.

Si deest somnus, adde Camphoræ *gr.* xij. Opii *gr.* viij. *vel* x.

Curatio porro absolvenda est sudoriferis internis antifebrilibus, prætermissis tamen salinis acrioribus, v.g.

℞. Theriac. aut diascord. ʒj.
Bezoard. miner. gr. xij. aut xiv.
Sal. prun. ℈j.
M. F. Bolus.

b Per triduum.) *Hoc spatium determinari non potest.*

Postea pro cerebri corroboratione & materiæ discussione, fiat oxyrhodinum vel capitis inunctio ol. camomillino, *a* costino, irino, cum aceto, in quo pulegium est incoctum vel maceratum.

a Costino, irino, pulegium.) *Propter inflammationem & febrem, hæc calida minus conveniunt: sed si febris fere nulla adsit, & morbus videatur abire in coma somnolentum aut carum, usurpari illa possunt; alioquin placenta rosacea, memorato statim oxyrhodino, irrorata (tanquam magis temperatum remedium) applicetur.*

Corpore evacuato, *a* cucurbitæ cum scarificatione collo & dorso etiam sunt adhibendæ.

a Cucurbitæ, &c.) *Juvare nonnihil possunt, quatenus* dolorem *inferendo vel somnum possunt discutere, vel sanguinis motum mediante evacuatione sedando, eundem conciliare.*

a Ad sitim & ardorem detur tale julapium:

℞. *Aqu. decoct. hordei lib.* ſ.
b *Syr. violacei, de succ. limonum an.* ℥j.
Rob de ribes ℥ſ. Misce.
Vel ℞. *Rob de ribes* ℥j.
Syr. violacei, de limon. an. ℥ſ. F. c Mixtura: *de qua subinde aliquid detur ex cochleari.*

a Ad sitim & ardorem.) *Exhibeatur pulvis, jam sæpe laudatus, ex lapid. prunell. & Camphor. vel spiritus nitri addatur potui ordinario.*

b Syr. violac. &c.) *Syruporum & rob est nimia quantitas, sufficit pro decocti* ℥xvj. *addendo:*

Lapid. prunel. ℈j.

Spi-

Spiritus nitri gutt. xij. *aut* xv.
Et loco syr. viol. *augeatur*:
Syr. de limonibus *tantundem*.

c Mixtura.) *Mixturæ convenienti adderetur, cum fructu*,
Theriaca *aut* diascord. Fracast.
Bezoard. mineral. &c.

Versetur in aëre temperato. Nutriatur jusculis vervecinis & gallinaceis, alteratis *a* endiviâ, acetosâ, lactucâ, item lacte *b* amygdalato cum decocto hordei facto. Potus sit cerevisia tenuis. Teneatur *c* quietus à turba remotus.

a Endiviâ.) *Hæc amaricat, adeòque suspecta est in febre continua, sed tamen acetosa salem ejus temperare valet.*

b Amygdalato.) *Si ad vigiliam magis inclinet, adde ei* Sem. 4. frigid. major. *vel etiam papaveris* q.s.

c Quietus.) *Nempe si affectus magis tendat ad vigiliam & delirium, secùs autem si ad soporem.*

XIX.

MEDICATIO JUVENIS, AURIS DOLORE LABORANTIS.

JUvenis 28. annorum, robustus, plethoricus, *a* intensissimo afficitur dolore dextræ auris, quo pene ad delirium adigitur. Adest febricula continua; distensionemque, gravitatem, ac calorem; pulsationemque, non tantum foris, sed *b* etiam intus in aure percipit. Rubor & calor ad tempora & malam usque protenditur. Interiora quoque auris aliquomodo *c* tumere & rubere conspiciuntur.

a Intensissimo.) *Hæc verba multum faciunt ad diagnosin causæ continentis nec non prognoseos; datur autem etiam dolor aurium gravativus.*

b Etiam intus.) *Ob connexionem membranarum & nervorum; ita dolente digito, interdum dolet totum brachium.*

c Tumere.) *Non malum signum.*

Afficitur in hoc ægro *auris dextra* secundum partes internas & externas; quod ex querela ægri, item ex rubore, tumore, pulsatione, & calore, circa aurem & in aure perceptis, est manifestum. Afficitur etiam *cor* & *a totum corpus*; ut ex *b* febricula colligitur.

a Corpus totum.) *At verò functiones totius corporis in historia non dicuntur læsæ.*

b Febricula.) *Symptomatica hæc est, à dolore vehementi dependens.*

Morbus, qui ægrum affligit, est intemperies *a* sanguinea & biliosa auris dextræ; quæ dolorem, calorem, tumorem, pulsationem, gravitatem, & tensionem, in ea & vicinis partibus, item febrim continuam producens, à potiore symptomate, *otalgia* græcè, & *dolor auris* latinè appellari solet.

a Sanguinea & biliosa.) *Sine ulla notabili sanguinis, humorumque intemperie, à causis fortuitis externis, obstrui possunt canaliculi partium membranosarum & nervosarum auris.*

a *Causa antecedens* hujus morbi est plethora nostri ægri; pars verò ejus ad aures à corde propulsa, & ibidem, propter poros ibi *b* justo magis patentes, auris partibus internis & externis insinuata, ibique corrupta, & inde *c* cum fervore ad cor delata, *continens* hujus morbi & symptomatum ejus est causa.

a Causa antecedens.) *Causas procatarcticas Auctor omittit: hæ autem esse possunt ictus, lapsus, insecta auribus insinuata, nuclei fructuum, & similia, forte fortunâ cavitatibus aurium impulsa, ita curculionem intra aurem notavit* Trincavellius lib. iv. cap. vi. de ratione cur. aff. corp. hum. *ita grillum in aurem ingressum, vid.* misc. cur. dec. 1. ann. iv. obs. 50. *confer* ann. iij. obs. 166. Marcell. Donat. de histor. med. mirab. lib. ij. cap. 12. *Nonnunquam oritur otalgia à parotidibus ut in febribus malignis & pestilentialibus. Mulieribus familiare malum esse solet, cùm aures tegumentis capitis nimis comprimant.*

b Justo magis.) *Prorsùs* justo *minùs; crassiores enim humores facilius obstruunt canales angustiores.*

c Cum fervore.) *Gignitur fervor in parte inflammata, sed fovetur & continuatur per totum corpus ope salium vehementer motorum.*

d Causa continens.) *Est humor acris, sive salinus, sive acidus fixus, tubulos & canaliculos partium nervosarum & membranosarum auris obstruens, indè cùm fibrillæ vehementer vellicentur, periculum incurrunt ruptionis, propter quod mens vehementem dolorem suscipit, & quidem cum perceptione pulsationis, quoniam arteriæ intus valdè compressæ, expansionum determinationes vegetius fibrillis communicant.*

Dum enim humor sanguineus biliosus, partibus istis insinuatus, nimiâ suâ quantitate partes auris, & vicinorum membrorum replet & expandit: *facit in iis a tumorem, ruborem, gravitatem & distentionem*; & ob *arteriarum* ex quantitate ista nimia illapsorum humorum pressionem, eorum *pulsationem*. Dum verò vehementi suo fervore quem ab ætherea materia, vehementius in poris ejus se agitante, accipit, *b* membranas, nervos, aliasque acutissimo sensu præditas auris, temporum, & malæ partes, vehementissime agitet, cumque motum ad cerebrum defert, *c intensissimum in iis partibus excitat dolorem*, qui ob suam vehementiam, *ægrum nostrum ad insaniam pene redigit.*

a Tumorem.) *Aliquando dolor est sine tumore, tuncque pejor est, nam indicat majorem acrimoniæ fixæ gradum in materia obstruente, hancque profundè latere.*

b Membranas, nervos, &c.) *In hisce ut & glandulis facilius oritur erysipelas & inflammatio, quia habent constantiores poros tubulosque, qui salinis, rigidisque particulis non facile cedunt.*

c Intensissimum dolorem.) *Quia nervi auris breves sunt, & valde tensi, vegetius motum violentum ad sensorium commune transeunt.*

Morbus hic, ob doloris vehementiam, & acutum partium affectarum sensum, & *a* cerebri sympathiam, periculosissimus est. Metus enim est, nè delirium, lipothymiam; cerebri inflammationem, & convulsionem, aliaque gravissima inducat symptomata.

a Cerebri sympathiam.) *Nulla alia, quàm per membranas & nervos ab eadem autem causâ morbificâ, in sanguine oberrante, æquè possunt obstrui canaliculi cerebri & meningum.*

Celeri itaque & accuratissima *curatione* hic morbus est impugnandus; quæ in *a* intemperiei & *b* tumoris, per contraria, ablatione, & doloris sedatione cōsistet.

a Intemperiei.) *Quæ sæpe non est in toto sanguine, sed solùm in humore stabulante in parte affecta; ad quod in curatione est attendendum, nè frustra medicamentis internis totum corpus torqueamus.*

b Tumoris.) *Id est, obstructionum reseratione.*

Primò itaque tali clystere emolliente, refrigerante, & laxante, fiat corporis evacuatio:

℞. *Rad. althææ, lilior. alb. an.* ℥j.
Herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ, lactucæ an. m. j.
Sem. lini, fœnugræci an. ℥ſ.
Coq. ex aq. comm. ad lib. 1.
Colaturæ adde el. diaphœnici, diapruni an. ℨvj.
Ol. violacei, camomillor. an. ℥j. *salis comm.* ℨj.
M. F. *a* Clyster, *mox injiciendus.*

a Clyster.) *Hic nihil facit ad rem, nisi fortè alvus sit constipata.*

Corpore expurgato, & hora unâ atque alterâ intermissâ, *a* vena, in dextro brachio, aperiatur, sanguisque liberaliter, ad uncias decem præter propter, educatur: & clyster atque venæ-sectio sequenti die reiterentur.

a Vena in brachio aperiatur.) *Hoc benè, & quidem omnium primò, ut sanguinis nimius motus sedetur, minorique impetu ad aures fluat. Dolore, febre & vigiliâ continuantibus venæsectio est iteranda, quæ iteratio vices potest supplere arteriotomiæ temporum à Riverio commendatæ, sed nimium periculosæ. Commendatur quoque cucurbitula scarificata juxta* Hipp. lib. 2. epid. sect. vj.

Interea temporis ad revulsionem humorum, ac intemperiem corrigendam, doloremque sedandum tale medicamentum auribus instilletur.

℞. *a Lactis muliebris recentis emulcti* ℥ij.
Albuminis ovi in liquorem agitati ℥ß.
Misce, & instilletur in aurem tepide, citra vehementem auris contactum.

a Lactis muliebris.) *Hoc habet Auctor ex* River. prax. lib. 3. cap. 3. *cum fructu autem additur pulvis millepedum & pauxillum camphoræ, vel instilletur in aurem* tinctura opii, *in qua* camphoræ *aliquid sit solutum; addi etiam potest crocus, ex quo eadem opera extrahitur tinctura, hic magni usus. Confer* Amat. Lusit. in praxi admirand. lib. 1. obs. 69.

a Oleum etiam *b* rosarum cum succo plantag. & *c* solani, si ardor ingens sit, instillari potest, præsertim si ei *d* aselli vivi incocti & expressi fuerint: dolorem enim valde sedant.

Tali etiam utatur fotu:

a Oleum.) *Expertum dicitur sequens* Etmullero ℞. *ol. scorp.* ℥j. *ol. amygd. dulc. vel amar. M. instillentur in aurem: folia nicotianæ, vel recentia, parùm contusa, vel spiritu vini humectata aurium dolorem promptè sedare dicuntur ab eodem Auctore.* Basilius Valentinus *commendat oleum chartæ, cui utiliter admiscetur camphora. Huc pertinet spiritus otalgicus Mynsichti & Pauli Barbette, spiritus matricalis camphoratus, & similia.*

b Ol. rosarum.) *Olea ista sive coctione parata, sive infusa aliquando magis obstruunt partium inflammatarum poros, quàm reserant: potius* Fumus tabaci *excipiatur per infundibulum in aurem, illi enim oleum narcoticum & sal penetrans inest.*

c Succo solani). *Præstat hic succus solus sine oleo, sed cum* camphora & sacch. saturni.

d Aselli incocti.) *Laudatur eundem in finem liquor ovor. formicarum.*

℞. *Malvæ, bismalvæ, violariæ,* a *lactucæ, an. m.j.*
Sem. cydonior. malvæ an. ℥iß.
Flor. camomill. meliloti an. p.j. flor. rof. rub. p.ß.
F. Decoctio, *qua pars affecta leviter & tepide, cum spongia madefacta & expressa, foveatur.*

a Lactucæ.) *Loco* lactucæ *adde*
Solani,
Capit. Papav. N. ij. *fiat decoctio in* sero lactis *aut* aq. hordei, *addendo* Nitri ʒiij. *aut* ℥ß. *sulph.* ʒvj.
Huc pertinet lac dulce, in quo coctum fuit semen hyoscyami, vel ejus radix, & posteà infundatur pauxillum croci. Oleum ligni buxi, acerbissimos aurium dolores subitò sistere dicitur.

Et post fotum tale imponatur cataplasma:
℞. *Herb. malvæ, bismalvæ, chærefolii an. m.j.*
Farin. sem. lini, fænigræci an. ℥ß.
Medullæ panis candidi ℥ij.
Cum lacte vaccino F. Cataplasma, *tepide cum linteis applicandum.*

Hoc Cataplasma resolvit, & si materia resolvi non potest, etiam *a* suppurationem procurat.

a Suppurationem.) *Hæc ubi acceleranda est, adde parùm florum cerevisiæ, vel fœcum vini, cum oleo lini.* Forestus lib. xij. obs. j. *laudat seq.*
℞. Cæpam unam sub cineribus calentibus coctam
Ol. chamom.
butyri rec.
ol. aneth. an. ℥ß.
croc. ℈j. *M. & imponantur auri affectæ.*

Si doloris summa vehementia urgeat, *a* tale narcoticum adhiberi poterit.
℞. *Opii thebaici gr.* iiij.
b *Castorei, croci an. gr. j. s.*
c *Cum lacte muliebri q. s. subigantur, & in aurem instillentur.*

a Ta-

a Tale narcoticum.) *Si æger aliquomodo dolorem perferre possit, ad Narcotica non est deveniendum, ut eo facilius tumor suppuretur.*

Ubi autem iis opus fuerit, cape Ol. camphoræ cum spiritu acido, ut sp. nitri, præparatum; aut tinctura opii genuina, in qua camphora soluta fuit, quæ potentissime dolorem sedant.

b Castoreum.) *Hoc tanquam calidum, in summo dolore est nonnihil suspectum.*

c Lacte muliebri.) *Potius aquâ solani.*

Et sub tempus somni exhibeatur *a* philonii persic. ℈j. vel laudani opiati gr. iij.

a Philon. pers.) *Vel*
℞. Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.
Nitri ℈ß.
Camphoræ, &
Sacch. Saturni, an. gr. iv. *aut* v.
M. F. Pulvis, vel detur tincturæ opii cochleare dimidium in cerevisia.

Ad suppurationem maxime commendatur tale cataplasma ex cæpa factum;
℞. a *Cæpam majorem Num. j.*
Butyri recent. ℥ij.
Ol. camomill. rosac. an. ℥j. *croci* ℈j.
F. Cataplasma, *quod moderate calidum parti adhibeatur.*

a Cæpa.) *Rursùs hæc habet Auctor vel ex* Foresto, *ut supra diximus; vel ex praxi* Riverii. *Sed laudabile est Cataplasma. Si insecta in aure lateant, præmisso auris speculo, adhibeantur instrumenta illa, de quibus loquitur* Hildanus cent. j. obs. iv. *Lac tepidum saccharatum, vel mellitum auribus cum spongia applicetur, ut dulcedine foràs alliciantur; quo etiam pertinet pomum assatum dulce cum melle subactum: nonnulli commendant instillandum succum absinth., centaurei minor. cucum. asin., folior. persicor. chelidonii maj. &c. item ol. nucleor. persic. amygd. amar., turunda illita therebinthinâ venetâ crassiore in aurem immittatur, ut in iis insecta irretiantur:* Galenus *præ cæteris commendat sulphur, calce & melle subactum, cum aceto mixtum & instillatum: plura vid. apud* Etmullerum, *& alios.*

Factâ suppuratione, æger in partem affectam decumbat, ut pus commode effluat; & eluatur auris tali remedio.
℞. *Decocti hordei* ℥. iiij. *mell. rosat.* ℥j.
Misce, & a instilletur in aurem tepide.

a Instilletur.) *Rursùs ex* Riverio: *Potius syphone blandè injiciatur.*

Idem Auctor formulam habet sat convenientem ad ulcus aurium mundandum, & detergendum.
℞. Rad. Cyclamin. unc. j
Myrrh. drach. j.
Croci ℈ß. thuris ℈j.
Viridis æris, ℈ß.
cum vini antiqu. ℔jß. *bulliant, & colluatur auris.*

In ulcere inveterato Riverius *ex* Valesio *commendat seq.*
℞. Mellis ℥x.
Aceti ℥j. *coq. ad ignem & despuma, dein adde* viridis æris ℥j.
Mane & vesperi in aurem instilletur, aut ubi admodum sordidum est ulcus, adde
Unguenti Ægyptiaci *parùm.*

In *diæta aër* fit temperatus, *Cibus* parcus, a refrigerans. *Potus* cerevisiæ tenuis & julapium ex syr. de limonibus & aqua hordei. *Motus* vitetur; concilietur

lietur omni ratione *somnus*; atque ideo utatur lacte amygdalato cum syr. & sem. papaveris albi. *Alvus* quotidie respondeat naturâ vel arte. Vitet omnia vehementiora animi pathemata.

a Refrigerans.) *Attamen sine periculo obstructionis.*

XX.

MEDICATIO VIRI,

SURDITATE, TINNITU AURIUM, ET GRAVITATE AUDITUS

LABORANTIS.

VIr triginta duos annos natus, postquam diu crapulâ se fatigasset, incidit in *a* tinnitum aurium, quem postea, jam *b* à sex mensibus, insecutus est sinistræ auris, primò gravis auditus, & deinde surditas. Huc jam accessit tinnitus & gravitas auditus auris dextræ.

a Tinnitum.) *Familiare symptoma omnibus ferè aurium affectionibus solet esse tinnitus, cum murmure incondito, aut bombis.*

b A sex mensibus.) *Hæc pertinent ad prognosin, ut & ætas, cujus supra fecit mentionem Auctor, vid.* Hipp. S. iij. Aph. 31.

Afficitur in hoc ægro *utraque auris* secundum *a* nervos auditorios; quod ex surditate, gravitate auditus, & tinnitu aurium est manifestum.

a Nervos auditorios.) *Non est hæc sequela necessaria, nam etiam ab affecto tympano, repletione conchæ & alvearii, ope ceruminis, aliarumve rerum crassarum, uti infrà dicemus, hic effectus deduci potest.*

Morbus sinistræ auris est obstructio vel compressio nervi auditorii, *a* ab humore pituitoso facta; quæ auditûs privationem ibi inducens, *surditas* dicitur. Dextræ verò auris morbus est intemperies humida, crassa & flatulenta nervi auditorii; quæ imminutum auditum, & tinnitus sonum, in ea excitans, *gravis auditus & tinnitus aurium* nuncupatur.

a Ab humore pituitoso.) *Hæc materia dilucidabitur circa causam continentem.*

Causa a procatarctica horum morborum est crapula, quâ hic vir se diu fatigavit. Inde enim cruditas, & deinde pituitosi in *b* toto corpore humores *c* ex cruditate fuerunt geniti, qui in vasis cerebri contenti, causam *antecedentem*

ex

ex vasis vero in nervos & vicinas aurium partes postea effusi, *d continentem* horum morborum, & symptomatum, constituunt causam.

a Procatarctica.) *Austrinas constitutiones rectè culpat* Hippocrates Sect. iij. Aph. 5. & 17. *Hùc multùm confert senilis ætas. Surditatis exemplum à pisis, in aurem intrusis, extat in* misc. cur. dec. ij. ann. iij. obs. 62. *à sordibus aurium lapidescentibus, vid.* Casser. lib. j. de aud. org. *à lue Venerea*, Plater. lib. j. obs. p. 119. *Vulgare quoque est, ab vehementi ictu, lapsu, fragore tormentorum, auditus gravitatem, tinnitum & surditatem oriri posse, quemadmodum etiam à suppressionibus fluxionum consuetarum, coryzâ, violentâ sternutatione &c.*

b Toto corpore.) *Hoc non opus est.*

c Ex cruditate.) *Obscurum explicat per æquè obscurum.*

d Continentem.) *Hæc variis in subjectis, secundùm gradus diversos variare solita, locum habere potest tàm in partibus aurium internis, quàm externis, imò etiam in parte cerebri interiore; nempe si contingat, ut tubuli nervorum auditoriorum, ab humore crassiore, sive acrî, sive viscosô, vel obstruantur, vel notabiliter comprimantur, undulationes particularum aërearum, vî elasticâ prædditarum, vibratoriæ, ad sensorium commune ope spirituum propagari nequeunt, pro perceptione sonorum in mente excitandâ: item si vel rupta, vel luxata fuerint à violenta aliqua causâ, ossicula auditus; si tympanum quoque fuerit vel disruptum, vel cartilagineum, vel nimis relaxatum & humore crasso obsessum: si cerumen fuerit vel nimis copiosum, vel crassum; si corpora quædam crassiora fuerint in aurem intrusa vel illapsa, ut pisa, nuclei cerasorum, insecta &c., vel si externæ auris partes fuerint ablatæ: Aliquandò supervenit auditus gravitas & tinnitus menstruantibus fœminis, quatenùs tunc temporis sanguine ad majorem motum concitatô, crassiores solitô particulæ, nervis auditoriis, tympano &c. insinuantur, quibus tubuli angustantur, liberque influxus spiritibus & transfluxus aëri denegatur, qui per consequens ad latera pororum tympani modô inconsuetô allidendo, inconditum illud murmur & sibilum excitat: Aliquandò surditas est critica, vel ad mortem, uti apud* Hippocratem, Sect. iv. Aph. 49. & Sect. vij. Aph. 73. *ubi dicit*, in febre non intermittente, si labium, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, corpore jam debilî existente, quicquid horum fiat, in propinquo mors est: *confer* 1. coac. cap. iij. Aph. 5. & 2. *vel ad salutem, ut apud eundem*, Sect. iv. Aph. 28. *ubi dicit*, quibus biliosæ sunt egestiones, surditate superveniente cessant; & quibus surditas, biliosis supervenientibus, cessat: *confer* 3. Epid. 3. Sect. 3. ægr. 7. *Ratio est in casu priorî, quòd vehementibus febris continuæ & ardentis torturis, particulæ sanguinis subtiles ita sint dissipatæ, ut sanguis præ crassitie nimia jam diutiùs circulare nequeat, undè succumbunt secretiones, à quibus vita nostra aliàs dependere solet: in posteriori autem casu, non quidem per* μετάστασιν, *ut volunt nonnulli, bilis ad aures amandatur, aut vice versâ ab auribus, ad intestina; sed sanguine (à quacunque demùm causâ) modicè incrassatô & cicuratô, cessant fluxus alvini acres, & oritur forte fortuna auditus gravitas; aut vice versâ, sanguine ad majorem gradum motus & acrimoniæ subtilioris perductô, tollitur surditas & forte fortunâ oritur fluxus alvi acris. Aliquandò surditas est nativa, ex eo quòd vel nervi auditorii (naturæ lusu) ad organa auditus non pertingant, vel quòd ossicula auditus sint immobilia, nimisque sibi mutuò coalita, vel quòd foramina, per quæ aëris undulationes vibratoriæ transire debent, sint impervia: Aliquandò surdastri audire possunt sonos violentiores, uti legimus apud*

apud Willisium de an. brut. part. physiol. de muliere, quæ, licet surda fuerat, quousque tamen intra conclave tympanum pulsaretur, verba quævis clarè audiebat; quare maritus ejus Tympanistam pro servo domestico conducebat, ut illius ope, colloquia interdùm cum uxore sua haberet, &c. *talesque homines tympanum videntur habere relaxatum, undè soni vehementioris impulsu ad requisitam expansionem, perducitur: Aliquandò surdastri melius audiunt mussitationes, quatenùs tympanum habet nimis tensum & rigidum, undè languidiores undulationes, distinctius, fibrillas movere possunt & penetrare; forsan etiam hùc aliquid contribuit peculiaris aliqua organorum auditus structura, nondùm satis explicata: ita teste* Verulam. sylv. sylv. cent. ij. exper. 148. Glocestriæ templum est, in quo, si versùs parietem loquaris leniter, alter è longinquo commodiùs, quàm è proximo, tuam percipiet vocem. *Aliquandò pus magnâ copiâ ex auribus effluit, ita ut verisimile videatur tympanum esse erosum & consumptum, salvô tamen auditu, sed tunc potiùs judicandum est inter os petrosum & membranam, materiam evacuari, ita ut hæc maneat illæsa. Aliquandò surdi visu verba aliorum intelligere possunt, quale exemplum satis mirandum extat apud* Tulpium lib. iv. obs. 18.

Dum enim humores isti propter crassitiem suam, & debilitatum *a* cerebri calorem, in flatus circa nervum auditorium convertebantur, impingebant illi vehementius in nervi istius fibrillas, atque etiam in tympanum, atque hinc motu suo excitabant *tinnitus sensationem*: Ii vero postea leviter circa aurem sinistram incrassati, & in nervorum sinistræ auris cavitates impacti, primum nervorum fibrillas leviter ibi compresserunt, & obturarunt; atque hinc ortus est *gravis sinistræ auris auditus*: ab iis verò, postea ibidem magis auctis & incrassatis, tanta nervi auditorii compressio & obstructio est orta, quæ motum omnem, à sono nervis impressum, ad cerebrum deferri impediens, *surditatem in ista aure excitavit*: Humoribus verò ad nervum auditorium dextræ auris delatis, ibique partim *b* in flatus conversis, & in nervi istius fibrillas vehementius impingentibus, *c tinnitus*; in nervum verò nonnihil impactis, & fibrillis nervi iis nonnihil compressis vel obstructis, *gravis auditus dextræ auris* etiam *supervenit*.

a Cerebri calorem.) *Dic potiùs, propter debilitatum calorem sanguinis & humorum naturalem.*

b In flatus conversis.) *Semper quidem in corpore humano, vel sanissimo, adsunt flatus, sive particulæ subtiles celerrimè circa proprium axem rotantes, sed effectus eorum non percipiuntur, nisi factâ obstructione: eò autem plures excitabuntur flatus, quò plures particulæ subtiliores, crassioribus fuerint admixtæ.*

c Tinnitus.) *Aër non solùm in concha auris contentus, tum & qui citra tympanum in Aquæ-ductu Fallopii versatur, semper quidem movet aliquo modo tum tympanum, tum ossicula auditus, sed quia gradus ille motus est consuetus, idcircò mediantibus nervis auditoriis ab anima non percipitur, sed si quis major gradus motus ipsi imprimatur, poris obstructis, tunc demum sub forma tinnitus percipitur.*

Quoniam hic affectus jam sex duravit menses, & paulatim incrementum sumsit, *a metus est*, ne ob diutinam illam moram, materia ita nervo auditorio sinistro sit affixa, ut nunquam inde tolli possit, & surditas ibi maneat perpetua. Et quia cerebrum hic valde est affectum, metuendum, ne auctis humoribus, surditas etiam dextram aurem occupet.

a Metus est.) *Vide* Hippocr. S. 4. Aph. 28. *ubi dicit, quibus biliosæ sunt egestiones, surditate superveniente cessant: & quibus surditas, biliosis supervenientibus cessat: ratio est quòd primo (uti diximus circa causam continentem) in casu massa sanguinea blandè incrassetur, ita ut salia ejus acria non adeò vehementer amplius agant: in secundo verò casu, sanguis crassus viscosus dividatur: Vid. etiam* Sect. iv. Aph. 49. & Sect. vij. Aph. 73. *ubi malum ponit surditatis signum in febribus continuis; indicat enim valdè magnum spirituum animalium defectum. Surditas à rupto tympano, vel eodem cartilaginoso, luxatis vel disruptis nervis & officulis auditus, oriunda, ut & nativa, est incurabilis.*

Quia tamen hæc prædictio non est necessaria; ideoque *Curationem* inchoandam existimo. *Eaque consistet* in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, intemperieique per contraria correctione.

Primo itaque *a* purgetur æger bis terve his pilulis:

℞. *Pil. cochiar., sine quibus esse nolo an.* ℈ſ.
Scammonii gr. xij. *cum syr. rос. sol.* q. s.
F. pilulæ N. v. *mane sumendæ,*
& singulis septimanis bis repetendæ.

a Purgetur.) *Ubi tempestivum erit purgare.*

℞. Extract. pilular. auth. an. gr. viij.
Trochisc. alhand. gr. iv. *aut* v.
Mercurii dulcis, gr. iv. *aut* vj.
M. F. Pilulæ: Vel
℞. Extract. cathol.
Resin. agar. an. *scrup. sem.*
Mercurii dulc. gr. viij.
Trochisc. alhand. gr. iij. *vel* iv.
M. F. Pilulæ N. 5.

Si notabilis, videlicet, adsit cacochymia, tuncque etiam usurpetur decoctum, quale in cephalalgia frigida fuit præscriptum.

Singulis etiam mensibus admoveantur tribus diebus continuis *a* cucurbitulæ sine scarificatione post aures, & utrinque in scapulis, & humeris: ut hac ratione humores ab auribus revellantur, & ex iis educantur.

a Cucurbitulæ.) *Hæ conducunt, quatenus calore stupæ accensæ pori & tubuli cutis non solùm, sed glandularum profundius latentium, magis dilatantur & aperiuntur, ita ut causa morbifica vel dissipetur, vel per vasa lymphatica revehatur.*

Utatur etiam mane & vesperi *a* lotionibus pedum, cum flor. camomillor., meliloti, majoranæ, hyssopi, & rorismarini decocto institutis.

a Lotionibus pedum.) *Potius fotus ex spirituosis, auribus applicetur addito* Sulphure, Nitro, & Sale Ammoniaco.

Juvat caput sæpe pectere coram igne; corpus modice exerceatur sed evitetur subita refrigeratio.

Nocturno verò tempore talem cucupham capiti imponat:

℞. *Rad. iridis florent.* ℥ſ.
calami aromat. cyperi, acori an. ʒj.
Fol. siccor. majoranæ, melissæ, salviæ,
rorismarini an. m. s.

Flor. stæchad. arab. spicæ nardi an. p.j.
cinnamomi, macis, cariophyl. benzoini an. ℥ſ.
Omnia in pulverem redacta excipiantur cotone moschato, & cum panno sericeo interpuncto,
F. *a.* Cucupha, *noctu gestanda.*

a Cucupha.) *Non debet negligi, quoniam à cerebro nervi ortum trahunt: quibusdam autem ad gravitatem auditus & tinnitum sequens est secretum.*

℞. Rad. helleb. nig. ℥ß.
Calam. arom. ℈ij.
Pulp. colocynth. ℈j.
Bacc. laur. elect. excort. ʒj.
Sem. cumin. ℈ijß.
Spir. vin ℥iv.

Infund. in vase vitreo benè obturato, stent in infuso per biduum; posteà colentur cum expressione; Hic ipse spiritus in aurem guttatim instillandus est, aut gossypio exceptus intrudendus; optimè etiam ei additur castor: moschus & zibethum. Vid. Etmull. annot. pract. ad inst. med. phys.

Interdiu sub pileo in capite gerat cucupham ex corio hispanico; quales jam in frequenti usu esse inter juvenes & senes observamus.

Mane jejunus, & vesperi sub horam quartam, hoc utatur *a* masticatorio:
℞. b *Rad. pyrethri, angelicæ, zedoariæ, an.* ʒj.
Sem. staphid. agriæ, sinapi,
Nucis moschatæ, fol. senæ an. ℥ſ.
Pulverisentur, & addatur parum mastiches, ac cum c *ceræ q. s. formentur* Globuli masticatorii:
de quibus masticetur unus prono capite, frequenter expuendo.

a Masticatorio.) *Hoc benè, quia foramen datur intra os, tendens ad aures.*

b Radix pyrethri.) *Sola sufficit cum semine sinapios, nam sem. staphid. agriæ suspectum est ob vehementem acrimoniam, cujus portio fortè ad ventriculum cum saliva deferri posset.*

c Ceræ.) *Hæc inter dentes nimis cùm hæreat, molestiam parit nimiam.*

a Noctu dormitum iturus auribus hanc aquam indat:
℞. *Aq. fæniculi,*
Sem. carui b *post olei extractionem remanentis an.* ℥j.
Spiritus juniperi ℥ſ.
Misce, & de hoc liquore instillet aliquantulum in aures, addendo semper guttam fellis carpionum; & postea sinat effluere, ac deinde indat auribus cotonem, in quo moschus fuit servatus, vel in quo moschi pulvis est dispersus.

a Noctu.) *Quidni etiam interdiu?*

b Post olei extractionem.) *Cur hoc? forsan ut omne viscosum sit separatum: hinc improbamus usum amygdalarum amararum, & crassiorum reliquorum pinguium in omni surditate, adeo ut vix admittatur ol. succini: sed balsam. sulph. anisatum laudamus & ol. chamom. destill. huc pertinet tinct. angel. ver., enul. camp. castor. junip. elix. prop. Par. & similia, cavendo tamen, nè partes affectæ calidioribus medicamentis nimis exsiccentur.*

Cum fructu nonnulli miscent ova formicarum cum felle leporino, urinâ hirci & melle, eaque in mortario benè trita auri instillant, vel mediante gossypio intrudunt: alii solam urinam leporis

poris calidam admovent; alii panem recentem calidum dissectum irrorant aquâ vitæ aromatica, calideque auribus apponunt. Axungia serpentum pro singulari Arcano (teste Etmullero) *à quibusdam habetur; nempe serpentes coquendi sunt in aqua, & supernatans pinguedo spiritui vini rectificato juncta, in usum servatur. Ad tinnitum aurium, antiquum, ceu præstantissimum commendatur seq. remedium*

℞. Helleb. alb.
castor. ana ℥ij.
costi ℥jß.
rutæ ℈ij.
euphorb. ℥ß.
amygd. amar. ℥ß.
coq. in oleo rutæ in duplo vase per horam, postmodùm oleum istud tepidè in aurem instilletur

Essentia fellis humani *per spiritum vini extracta potenter aperit.*

Sub cineribus coctum ovum sumatur, vitellus nonnihil excavetur, & indatur parum Croci, Castorei, Cumini, *& calide cum linteo tenuissimo applicetur.*

Aliqui sumunt succum raphani, vel formant turundam ex radice, & spirituoso aliquo liquore eam imbibunt, & sic intrudunt.

Sumi etiam solet cæpa rubra, cui excavatæ paululum, induntur Sem. cumini partes duæ, Castor. pars una, Olei Rutæ parum. *Torretur supra prunas candentes; succus exprimitur, & tepide auri instillatur; vel etiam cæpa imbuitur spiritu vini, & assatur, postea succus ad usum exprimitur.*

Omnium habebis præstantissimum remedium, si sumas flores aliquos cephalicos, recentes, ut Lavend. Beton. Majoran. Rosmarin. Aurant. &c. *& tincturam extrahas ope Alcohol vini &* Spiritus Juniperi Genuini, additis Benzoë & Styrace; *quæ tinctura est optimi coloris & odoris, ita ut etiam pro suffitu haberi possit; sed si ei portionem alicujus purgantis addideris, ut* Scammon. Colocinth. Hellebor. *incomparabile habebis medicamentum, quia purgantia rarefactionem inducendo potenter reserant, v.g.*

℞. Flor. lavendul.
salviæ,
rorismarin.
aurant.
majoranæ, an. p. j.
Herb. calaminth. mont.
majoranæ, a. p. jß.
menth. p. ß.
benzoes
styrac. an ℈ij.
scammon.
colocinth. an. ℥ß.
alcohol. vini, &
sp. juniperi ana q. s.
F. Tinctura.

Mane suffitum etiam auribus excipiat *a* per infundibulum, ex hoc calido decocto.

℞. *Fol. lauri, rutæ, origani, hyssopi, majoranæ an.* m. j.
absinthii, mentastri an. m. s.
Flor. stæchad. celticæ. m. j.
Baccar. lauri, juniperi an. ℥s.
Sem. anisi, fœniculi, carui, cymini an. ℥j.
Decoquantur in vino albo q. s. ad tert. part. consumptionem, & halitus calidus aure per infundibulum excipiatur.

a Per infundibulum.) *Hoc benè, sed partes affectæ non sunt nimis exsiccandæ, quapropter aliquandò addantur emollientia & aquosa.*

In *aëre* versetur calido & *a* sicco. *Victus* sit tenuis, & paucus: & famem aliquando sustineat. Vitet repletionem, & omnes cibos crassos & tenaces, qualis

qualis caseus & legumina. Cibi condiantur semine anisi, fæniculi, cymini, petroselini. *Potus* sit vinum & cerevisia mediocris. *Exercitium* sit moderatum. *Alvus* sit soluta arte vel naturâ.

a Sicco.) *Modicè, nè humidum & volatile corporis necessarium, nimis dissipetur, & materia obstruens induretur.*

XXI.

MEDICATIO JUVENIS, *a* HÆMORRHAGIA NARIUM LABORANTIS.

JUvenis robustus, *b* viginti duos annos natus, ex *c* intemperantiore diæta, incidit in *d* febrim synocham, ardore febrili continuo, sed *e* blandiore, sese manifestantem. Hic postquam *f* aliquoties post venæ sectionem esset purgatus, & *g* julapiis convenientibus alteratus, ex mulierculanum consilio sumsit medicamentum, nescio quod, *h* vomitum ingentem, cum rosione ventriculi, excitans; quem insecuta est tanta narium hæmorrhagia, ut *i* plus quam 4. libræ sanguinis ex iis jam sit evacuatum; eâque vires ita sunt debilitatæ, ut jam animam agere videatur.

a Hæmorrhagia) *Est hæc ordinariè, vel critica, vel symptomatica: de priorî videatur* Hippocrates Sect. v. Aph. 33. Sect. iv. Aph. 60. & 74. Sect. vj. Aph. 10. Sect. viij. Aph. iij. *de posteriorî dice mus circa causas procatarcticas.*

b Vigintiduos annos.) *Confer* Hippoc. Sect. iij. Aph. 27. *Nempe hac ætate, sanguis & humores acredinem majorem, motumque vehementiorem ordinariè suscipiunt.*

c Intemperantiore diæta.) *Hæc cùm potuisset esse multiplex & diversa, oportebat Auctorem particulares diætæ errores memorâsse: sine dubio, indulsit æger acrioribus, spirituosis vel acidis austeris alimentis & potulentis copiosis, & quoniam juvenilis ætas proclivis est in majora corporis exercitia, & ordinariè dedita venationi, saltationi, sphæristerio, Veneri &c. verisimile est, hunc quoque juvenem iis fuisse deditum.*

d Febrim synocham.) *Quæ semper ut causam agnoscit partis alicujus notabilis erysipelas vel inflammationem, ab sanguine & humoribus acribus resultantem.*

e Blandiore.) *Qualis ordinariè solet in synochis observari: rationem autem hujus rei pleniorem dabimus loco inferiore de febribus.*

f Aliquoties purgatus.) *Etiam hæc circumstantia probè erit notanda, cùm purgantia quævis sanguinem ad acredinem motumque vehementiorem disponant.*

g Julapiis convenientibus.) *Dubitaremus nos an fuerint convenientia, quoniam iis ordinariè solent admisceri acida fixa, ut sp. & ol. vitrioli, sp. sulph., nitri &c.*

h Vomitum ingentem, &c.) *Dupli-*

plicem merentur hæc verba animadversionem: primò enim indicant medicamenti ingentem acredinem; secundò vehementem corporis concussionem.

i Plus quàm quatuor libræ.) *Hæc spectant ad prognosin.*

Præterquam quod in hoc ægro à febri afficiatur *a cor & totum corpus*, afficiuntur etiam ejus *ventriculus & nares*; quod ex vomitu, & sanguine è naribus tam copiose fluente, est manifestum.

a Cor & totum corpus.) *Nempe ratione intemperiei universalis acris, & febris synochæ.*

Morbus præcipuus, qui ipsum jam potissimum affligit, est *a* diæresis & diapedesis vasorum narium; quæ, copiosum sanguinem ex iis emittentes, *Hæmorrhagia narium* appellantur.

a Diæresis & diapedesis) *Id est, divisio & transudatio, quam Veteres putabant per vasorum poros valdè dilatatos absolvi; sed nos dicimus, nullam talem sanguinis transudationem dari posse, sine actuali continui solutione: Ῥῆξιν vocant Medici vasorum à violenta causa externâ, ut ictu, lapsu &c. disruptionem: Anastomosin verò inosculationum arteriarum cum venis solutionem.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est intemperantior illa diæta, qua *b* copiosus sanguis in corpore genitus *c* corruptelamque certam febrilem contrahens, ac synocham febrim producens, *antecedentem* hujus morbi constituit causam. Is vero vomitorio assumpto vehementius agitatus, & in naribus vasorum diæresin & diapedesin excitans, *d* copiosissimumque illum sanguinem ex iis effundens, eoque vires ægri summopere prosternens, *e continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Causa procatarctica.) *A diuturnâ morâ sub solaribus radiis, vid.* misc. cur. ann. 1. pag. 89. *à musti largiore haustu*, Forest. lib. xiij. obs. xij. *à Venere*, Hildan. cent. j. obs. 17. *à verme*, misc. cur. dec. ij. ann. 1. obs. 99. *Ex vehementi sternutatione*, misc. cur. an. 3. obs. 138. *à vibrissarum evulsione*, Stalpart van der Wiel cent. post. obs. 7. *hæmorrhagiam periodicam videre licet*, in misc. cur. dec. ij. an. 2. in scholio ad obs. 94. *Huc pertinent ea quæ supra jam ad historiæ verba attulimus, item esus fungorum, subita & vehemens animi passio, operationes prolixiores chymicæ circa mineralia, suppressio mensium vel hæmorrhoïdum, convulsiones vehementes, invasio Apoplexiæ sanguineæ &c.*

b Copiosus sanguis.) *Hic per se ratione quantitatis, non adeò peccat, quàm qualitatis & vehementioris motus.*

c Corruptelamque certam febrilem.) *Hanc consistere in mixturæ sanguinis consuetæ turbatione notabili, demonstrabitur* lib. ij.

d Copiosissimum.) *Hoc suspicionem movere posset ruptæ arteriæ, præprimis, si impetuosè sanguis floridus & nonnihil spumosus proruat; ordinariè autem ruptio & erosio contingit circa angustiam conjunctionis arteriæ cum vena.*

e Continens.) *Hoc in casu dicere possumus & erosa esse vasorum latera ab humoribus acribus, & ruptionem factam ab impetu sanguinis vehementi. In cavitates corporis vulgò facilius vasa rumpuntur, cùm minor illàc sit resistentia.*

Mor-

Morbus hic, propter prostratas ægri vires, est *a periculosissimus*. Ideoque neglectâ ad tempus febri synochâ, quæ forsan hoc sanguinis fluxu cessabit, *Curatio* ejus protinus est aggredienda.

a Periculosissimus.) *Nempe lipothymiam subitam lethiferam, & hydropem producere potest, nec non in gravidis abortum: quæ præterea huc pertinent, allata fuere in antecedentibus, & speciatim ex* Hippocrate: *quæ supervenit febri ardenti vel synochæ incipienti, salutaris esse solet, sed confirmatæ, vigenti aut declinanti lethalis.*

Eaque in humorum ventriculi acrium attemperatione, solutionis continui vasorum narium unione, & nimii sanguinis fervoris & motus temperatione & moderatione, consistet.

Itaque *a* primò sumat drach.ʃs. salis prunellæ, quod in unc.ij. aq. plantaginis sit dissolutum.

a Primò.) *Parcit Auctor venæsectioni (quam aliàs practici in principio adhibent), quia jam libræ 4. sanguinis effluxerunt, & jam animam agere videtur.*

Si hæmorrhagia esset critica, non subitò, aut ante periculum debilitatis majoris erit sistenda.

Porro præscribatur tale lac amygdalatum, ad acrimoniam humorum temperandam; & vires restaurandas:

℞. *Amygdalar. dulc.* ℥j.ʃ.
Sem. 4. frig. major. an. ℥j.
Papaveris albi ℥iij.
Cum aq. decoct. hord. q.ʃ. F. Lac *a* amygdalatum.
Ad lib.j. de quo subinde sumat ℥ij. vel ℥jv.
Quantitatem.

a Amygdalatum.) *Adde* sem. lin. ℥iij. *& si pergat fluere sanguis, adde* laud. opiati gr.j. ij. *aut* iij.

Subinde sumatur talis pulvis.

℞. Salis prunell. ℈ʃs.
Gumm. Tragacant.gr.x. *aut* xv.
Camphor. gr.iij. *aut* iv.
Sacch. saturni gr.iv. *aut* v.
Laud. opiat. gr.j. *aut* ij.

M. F. Pulvis pro dosi, bis quotidie, spatio aliquot dierum sumendus, sed simulac fluxus incipit minui, sumatur quotidie una dosis: idem observandum circa amygdalatum.

Prosunt etiam spec. diatrag. frig. vel

℞. Boli Armenæ.
Terræ Sigill. ana gr.xv.
Camphor. gr.iv.

Et si necessitas urgeat, etiam adde Laudan. Opiat. gr j. *vel* ij. Misce.

Camphora hic valde prodest, si morbus producatur ab acri, & impetuoso Sanguine.

In sanis quibus forte fortunâ ab ictu, lapsu &c. sanguis è naribus fluit, aqua frigida intro sumta, confert. Eadem quoque in faciem conspergatur, vel genitalibus partibus admoveatur.

Et mox *a* in nares inserantur turundæ ex cotone factæ, & atramento, fuligine fumarii, & aceto rosaceo, imbutæ.

a In nares inserantur.) *Fungus orbicularis in naribus immissus est optimum remedium.*

Porro etiam confert tinctura Lapid. Hæmatit. cujus descriptionem vid. apud chymicos.

At

At diligenter attendendum, an tempestivum sit, adstringentia externa *adhibere, nam* impetu, acredine, subtilitate, fluiditate, & copia *sanguinis eadem manente, vim (plerumque frustraneam aut noxiam) naturæ inferimus & nihil amplius.*

Ubi fortius debemus adstringere, Vitriolum cyprium sumatur, utpote quod potenter adstringit.

Ac præterea *a* acetum rosaceum in aures instilletur.

a Acetum in aures.) *Conducit aliquando olfactus stercoris recentis porcini.*

Item *a* linteum, in aceto madefactum, collo frigide erit obvolvendum, & testibus adhibendum aliud linteum, aquâ plantaginis frigidissimâ imbutum.

a Linteum in aceto, &c.) *Bufo exsiccatus, manibus detentus, & sub alis positus, narium fluxum sæpè cohibet.*

Ac ligaturæ arctiores brachiis & cruribus erunt injiciendæ.

a Cucurbitæ quoque hypochondriis & scapulis sunt adhibendæ; venæ-sectio vero, ob magnam sanguinis emissi copiam, hic prætermittenda.

a Cucurbitæ.) *Plus præstare potest Venæsectio, iterata, vel largior: comprimantur nares diutius, ut balsamicæ sanguinis effluentis particulæ, blandè sibi associatæ, vulnusculum consolident, & reverà talis compressio plus sæpè valet quàm millena adstringentia.*

a Victus sit resumptivus ex ovis sorbilibus, jusculis gallinaceis, & vervecinis, cum pane candido, & vino tenui oligophoro. Motus corporis, & vehementiora vitentur animi pathemata. Somnus sit paulò longior. *b* Alvus sit arte vel natura laxior.

a Victus.) *Sit emolliens ex hordeatis atque (febre non interdicente) lacticiniis, rapis, similibusque; porrò incrassans ex pultibus & leguminibus: si ventriculus ferre potest, etiam non nihil viscosus; non nihil frigidus potius quam calidus.*

Vitentur aromata, & alia omnia acria, cibi sicci potius quam humidi.

b Alvus laxior.) *Si forte esset adstricta, non vehementer moveatur, nè sanguis & ad acrimoniam & impetum perducatur.*

XXII.

MEDICATIO VIRI, POLYPPO LABORANTIS.

VIr quidam crassus & obesus, ex *a* lapsu vehementiore, in nasum *b* aliquando facto, jam in *c* sinistra nare *d* carnem habet mollem, subrubram, totamque

tamque narem adimplentem, eamque valde dilatantem, & ex ea aliquantum *e* propendentem. Hæc brevi crevit, indiesque valde augetur. Adnata est narium *f* interstitio. Reliqua vero istius cavitatis interior superficies, à connexione fere libera, stylum immissum facile transmittit. Quando hæc caro fortius stylo premitur, *g* sanguinem copiosum profundit.

a Lapsu vehementiore.) *Aliquando talis manifesta causa procatarctica non potest reddi: ordinariè autem ab hæmorrhagia narium graviori exoritur.*

b Aliquando.) *Debuisset addere certum tempus, ut prognosin & curationem accuratius instituere possemus.*

c In sinistra nare.) *Aliquando est in utraque. Eidem Homini, idem polypus, quandoque propendet ex naribus, quandoque non, pro varia constitutione aëris, & diversis lunæ phasibus; quandoque in ipsas fauces extenditur, ut loquela ipsis sit difficilis; obstruitque nonnunquam foramen, quod naribus cum palato commune est; in austrina vero tempestate & plenilunio maxime inflari solet.*

d Carnem.) *Cujus substantiæ sit polypus, adhucdùm disputatur: nonnulli cum* Celso lib. 6. c. 8. *dicunt esse carunculam mollem, aliquandò albam, aliquandò subrubram, ex radicibus plerunque tenuibus è naribus propendentem, & in latum sese pandentem versùs fauces: alii dicunt esse carnem fungosam, alii substantiam sui generis, nosque cum his consentimus, nam videtur aliquid intermedium inter carnem, glandulam & adipem: diversum nonnunquam habet colorem album, subrubrum, & lividum unà & diversam consistentiam; quandò tundæ formam refert, dicitur sarcoma.*

e Propendentem.) *Usque adcò non semper excrescit.*

f Interstitio.) *Nonnunquam ossi spongioso ad radicem narium sito, & tunc curatio est difficilior.*

g Sanguinem copiosum.) *Hoc docet vasa sanguifera copiosa per substantiam ejus esse dispersa.*

Afficitur in hoc ægro *narium sinistra*; quod ex carne, ejus cavitatem replente, & interstitio narium ibi adhærente, patet.

Morbus, qui eum affligit, est tuberculum quoddam carnosum, molle, subrubrum, quod radicibus, sive *a* pediculis quibusdam, interstitio narium, in sinistra nare, adhærens, cavitatemque ejus adimplens, & distendens, forisque ex ea aliquantum propendens, à similitudine cujusdam piscis marini, vel à pedum suorum multitudine, *b* *Polypus* vulgo nominari solet.

a Pediculis quibusdam.) *Alioquin simpliciter* sarcoma *fuisset appellatum.* River. *in praxi* sarcoma *ait in imis narium partibus, polypum in summis, juxta radicem naris increscere.*

b Polypus.) Rhases *narium hæmorrhoides vocat.*

Morbus hic ex vehementiore nostri ægri, in nasum lapsu, *originem primam* duxit. Hinc enim *a* pori vasorum, & partium circa interstitium narium, in sinistra nare existentium, ita aperti & male figurati fuerunt, ut inde primum à pauco humorum allapsu, nascerentur hujus Polypi pediculi, sive radices; in quas, cum, propter earum certam conformationem, *b* humores sanguinei copiose influerent, illi ita fuerunt dispositi, ut ibi *caruncula quædam mollis & subrubra*, prmium exigua, & deinde ex copiosioribus, non tantum *c* à capite, sed etiam à reliquo corpore, eò affluentibus humoribus, *grandior*; *narem replens*, *eamque distendens*, *& ex ea nonnihil propendens*, *ac passim magis magisque augescens*,

stylum-

stylumque immissum per naris sinistræ interiorem superficiem ubique, excepto eo loco, ubi ejus pediculi interstitio narium adhærent, facile transmittens, & stylo fortius pressa, sanguinem copiosum profundens, fuerit nata.

a Pori vasorum ita aperti.) *Causa hujus affectus est, quod oscula extrema arteriarum, ita dilatentur, ut prolongentur; nempè sanguis propter ruptionem extravasatus, circa aperturam successivè coagulatur, interim tamen alius à tergo urgens sanguis, vias sibi, per mollem illum sanguinem coagulatum, efformat, undè nova oriuntur vasa tàm sanguifera, quàm alia venosa & glandulosa, quibus nutrimentum suum suscipit polypus, æquè ac aliæ corporis partes: differentiæ colorum & consistentiæ polypi, deducendæ sunt ex varia sanguinis appellentis constitutione, & quo plures terrestres vel acidæ corrosivæ particulæ adfuerint, eò magis color erit vel lividus vel nigricans. Si incrementum polypi, simplicitèr dependeret ab affluxu copiosorum humorum, intra paucos dies immensum excresceret. De polypo cordis aliorumque vasorum, cùm eleganter scripserit* Malpighius, *nec omninò ad hanc medicationem pertineat, hìc silebimus.*

b Humores sanguinei.) *Alioquin solent medici dicere humorem crassum, viscidum, pituitosum, interdumque melancholici aliquid admixtum esse, quo ultimo casu metus est, ne in cancrum degeneret. Polypi autem cancrosi exemplum & infelicem curationem, vide* in actis medicis & Philosophicis, Barth. part. 1. obs. 6.

c A capite.) *Hæc sunt nugatoria, sufficiunt enim vasa naribus vicina.*

Morbus hic *a periculosus* est, quia in cancrum aliquando degenerare solet; & in fauces usque progrediens, suffocationis periculum inducit; & quia, difficulter remedia ad radices hujus excrescentiæ pervenire possunt, *difficilis* ejus sæpe solet esse *b Curatio.*

a Periculosus.) *Sarcoma dicitur curatu facilius, quippe quod simpliciter oritur, ex abundantia nutrimenti, sed polypus ex elongatione vasorum plurimorum.*

Facilius curatur albus, mollis, & doloris expers, difficilius verò si rubicundior & dolorificus, nunquam si lividus, nigricans, aut fœtidus, utpote cancro cognatus. Quanto etiam profundius hæret, latioresque habet pediculos, tanto est periculosior: vid. J. Munniks prax. chir.

b Curatio.) *Sarcomatis & polypi eadem est, cæterum quod velit Auctor humorum allapsum impedire, id omninò pugnat cum circulatione sanguinis & humorum.*

Eaque in humorum allapsu impediendo, & carnis istius exstirpatione, & pororum vitiatorum correctione consistet.

Primum itaque corpus *a* universaliter purgetur tali medicamento catarctico; *b* venæsectio in brachio sinistro pridie præcessit:

℞. *c Pil. Coch. de Hiera an.* ℈j.
Scammon. opt. gr. vij.
Cum syr. ros. sol. q. s. F. Pilulæ Num. vij.
Mane jejuno ventriculo exhibendæ.

a Universaliter.) *Quid sibi velit universalis in hoc casu purgatio, nos videre nequimus.*

b Venæsectio.) *Si magna adest cacochymia aut plethora: quo in casu etiam sumatur decoctum ex* Salsaparill. & China, Guajaco, liquirit. &c. *cavendo tamen ne sanguis acrior reddatur,*

datur, unde metui possit nova hæmorrhagia.

c Pil. cochiarum, &c.) *Extractorum harum pillularum, media dosis erit commodior, addendo loco* scammonii, diagridii *gr.* iij. *aut* iv.

Deinde cucurbitulæ sex vel octo, cum scarificatione, scapulis & summo humero adhibeantur.

Postea forcipe apprehendatur polypus, & satis validâ tractione tentetur ejus, *a* cum radicibus, eductio, quæ in multis ægris satis feliciter cessit.

a Cum radicibus.) *Ne videlicet denuo succrescat: si magis propendeat in nares, tunc extrahatur per eas; si magis in gulam tunc per gulam: ulcus post extractionem polypi aut sarcomatis abscissionem relictum, more solito ad cicatricem deducendum: tentetur primùm, possitne incipiens polypus tolli vel adstringentibus, vel escharoticis, s. erodentibus: v. g. pulv. vitrioli calcinat., colcothare vitrioli, alumine usto &c.*

Si huic chirurgiæ Polypus, propter nimis fortem suam adhæsionem, *a* non cedat, ad Pharmaciam erit deveniendum.

a Non cedat.) *Sæpe ægri abhorrent ab extractione, sed sine causa; vidimus enim mulierem, post momentaneam extractionem magni polypi, eâdem hora sua omnia obiisse munera.*

Polypo itaque *a* oleum vitrioli, cum stylo panno involuto, in eoque intincto, erit adhibendum; & indies bis terve polypus eo erit obiter madefaciendus vel tangendus.

a Ol. vitrioli.) *Dolor ab hujus applicatione, est multo intensior, quam ab extractione: ad polypos & sarcomata* Paulus Ægineta lib. 3. C. 24. *accipit.*

Squammæ æris ℥j.
Vitrioli ʒiij.
Sandarach. ʒß.
Helleb. nigr. ʒij.

M. F. pulvis inflandus in nares per dies 13. commendat etiam atramentum sutorium, id est, Vitriolum cum aceto, gallis, aliisve adstringentibus extractum.

A mitioribus autem incipiendum, ut ab usu succi granatorum acidorum coctione inspissati: item ab usu succi chelidonii majoris, esulæ, vel similium.

Commodissime autem curatio procedit, si spiritus vitrioli aut aqua fortis in aquâ plantag., solani, aut Hyosciami diluantur. Primo parum tantum dissolvendo, dein progrediendo ad fortiorem dissolutionem pro necessitate: huc pertinent tinctura Veneris, crystalli Veneris, aqua mercurialis & succus radicum ari, raphani, pulv. sabinæ, crocus mart. adstring. &c.

℞. Mercur. sublim. gr. xv.
Coq. in Aq. unc. vj.

Aut si fortius cupias, Mercurii quantitatem auge, vel precipitatum rubrum aliquoties cum aquâ lavetur, cum melle misceatur, & sub formâ turundarum applicetur.

Vitriolum album aliquandò hunc affectum incipientem feliciter satis curat.

Butyrum Antim. rectificatum potenter operatur: rectificatum potius sumitur, quia subtilius est, minusque inter fibras carneas hæret, & ideo minores punctiones relinquit; in usu autem horum causticorum medicamentorum observandum, narium partes sanas inungendas esse unguento populeo vel nutrito, eaque caustica per fistulam, quæ tangat tumorem, sunt immittenda, ejus amplitudinis, ut polypum quantum fieri potest,

potest, ambiat, fiat applicatio decrescente luna, tūc enim reliquis paribus, *magis detumescit polypus, &* medicamentum *facilius ad radicem usque pervenit.*

Emplastrum quoque usurpari potest seq.

℞. Virid. æris,
Auripigmenti,
Vitrioli,
Aluminis crud. an. ℥iß.
Antimonii ʒv.

Terantur subtiliter, & macerentur in aceto per dies aliquot, tunc evaporentur: quod octies repetatur, dein aq. plantaginis rursus macerentur, & evaporentur, postea accipe lithargirii ℥iv.
Ol. rosar. ℥ij.
Misceantur & coquantur s. a. ad emplastri satis glutinosi consistentiam, ex quo cereoli naribus sunt indendi.

Et deinde quotiescunque polypus oleo vitrioli ita tactus fuerit, in narem, illic ubi patet, intrudatur exiguum linteolum, inunctum *a* unguento Ægyptiaco, cui pulvis tenuissimus corticum granatorum est admixtus, & parum olei vitrioli est additum; idque ita adhibeatur, ut pars lintei inuncta polypum tangat.

Horum usu polypus denigrari & putrescere incipiet: tumque portio corrupta à chirurgo, ope penicilli indies erit eximenda: eâque exemptâ repetendum erit oleum, & unguentum jam commemoratum: quo sanguinis profusio, quæ hanc corruptæ carnis exemptionem sequi solet, mox sistetur.

a Unguento Ægyptiaco.) Julius Cæsar Arantius lib. de tum. præter nat. cap. 21. *dicit medicamenta admota pro curando polypo, plus molestiæ, quàm utilitatis adferre: adhæc caustica & escharotica, fungosam hanc carnem profundius erodendo, diathesin cancrosam facile accersunt.*

Ubi radix Polypi hac ratione fuerit ablata; ne recrescat, sed integre consolidetur, *a* turundulæ fiant, ex unguento tutiæ, adeo spisso, ut in formam turundæ vel suppositorii, formari possit; talisque una, sequenti *b* aquâ viridi bene intincta, & nari inserta, ab ægro aliquamdiu gestetur:

℞. *Æruginis æris* ℥j.
Auripigmenti ℥iß.
Terantur subtilissime, & coquantur in vini ℥iij.
ad mediæ partis consumptionem: ubi refrixerint, adde aq. rosar. & solani an. ℥iß.

a Turundulæ.) *Nempe, postquam ulcus sit satis detersum: & ad exsiccationem sufficit inflare pulverem rosarum rubrarum in nares.*

b Aquæ viridi.) *Mercurialem habet quoque Hartmannus in praxi, sed quia corrosiva hæc utraque est aqua, illa usurpanda est, cum polypus nondum plene est consumptus:* atqui radix *ejus jam ponitur ablata ab auctore.*

Si polypus postea rursum pullulet, oleo vitrioli *a* rursus erit tangendus.

a Rursus.) *Si Pharmacia non juvet, succedit Chirurgia, de qua vid.* Cels. lib. 7. cap. x. Petr. Marchett. obs. chir. 27. Tulp. obs. med. lib. j. cap. 26. Job. à Mekeren obs. chir. cap. x. xj. xiij. &c.

a *Victus* ratio hic exsiccans est adhibenda.

a Victus exsiccans.) *Exsiccatio parum huc facit, dummodo temperate vivat.*

XXIII.

MEDICATIO VIRI,

a OZÆNA

LABORANTIS.

VIr 32. annorum, postquam antea diu defluxionibus acribus, ad nares & fauces delabentibus, laborasset; incidit in narium & palati erosionem; *b* ossiculumque quoddam putridum, cum fætido pure & sanie, postea excrevit, aliaque deinde ossicula illud sunt secuta. Malum hoc paulatim ita incrementum sumpsit, ut jam in naribus, circa earum interstitium, quod ex parte est exesum, atque etiam in palato, solutio continui satis magna & profunda appareat; fœtidaque sanies frequenter inde exstillet.

a Ozæna.) *Similis fere casus est* obs. 22. Cent. 2. Hildani.

b Ossiculumque.) *Solet quidem fructus esse luis venereæ.*

Affectum fuit in hoc ægro *a cerebrum*; quod destillationes diuturnæ, quas noster æger est passus, arguunt. Afficiuntur etiam *b nares & earum interstitium, item palatum*: quod eorum erosiones, & exulcerationes satis clare demonstrant.

a Cerebrum.) *Dic potius glandulas & vasa circa radicem narium & os spongiosum locata.*

b Nares.) *Speciatim verò exiguæ illæ innumerabilesque glandulæ, quæ collocatæ sunt in tunica, nares investiente, item ossa narium, in quibus morbi hujus est sedes, ut bene advertit* Blasius in therapeutica speciali.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est *a* Ulcus narium & palati fætidum, putridum & saniosum, item latum & profundum, quod à Greco verbo ὄζω, id est, oleo sive fæteo, deductum, vulgo *b Ozæna* dicitur.

a Ulcus narium.) *Vetustum & crustosum.*

b Ozæna.) *Ozæna aliquando oritur à cancroso polypo exulcerato: differt à simplici exulceratione, quod ulcus sit magis inveteratum, & sordidum, item magis fæteat, quam alia ulcera; in simplici exulceratione plerumque prodit pus album bonæ consistentiæ, verum hic lividum aut virescens tenue:* Forest. obs. lib. xiij. obs. 4. & 5. *meminit ozænæ, cum labiis duris, nigris & inflatis, instar carcinomatis.*

Isque ab *a* acribus humoribus *b* ex toto corpore, sed præcipue ex superioribus capitis partibus, tum in nares, tum in palatum decumbentibus, easque partes primum acrimoniâ suâ erodentibus, ac deinde diuturnitate defluxûs, etiam exulcerantibus & exedentibus, & putredinem iis inducentibus, originem duxit.

a Acri-

a Acribus.) *Corrosivis.*

b Ex toto corpore.) *Dic potius ex sanguine per arterias proximas, vasa lymphatica & nervos.*

Aliquando producitur ozæna ex vellicatione crebra narium, mediantibus unguibus, in corporibus cacochymicis: aliquandò à crebris lachrymis, ut in nobili quadam Virgine, nobis videre licuit: aliquandò à suffumigiis acribus antimoniatis, mercurialibus & cinnabarinis, vid. Hildan.cent.ij.obs.23.

Morbus hic *a periculosissimus* est, primum ob diuturnas fluxiones, quæ hunc morbum produxerunt; & deinde propter erosionem, non tantum partium mollium, sed etiam ossium, & putredinem eorum.

a Periculosissimus.) *Quia diuturnitate temporis pori stabilem figuram, & magnitudinem acquisiverunt, adeoque aptam particulis pluribus acribus transmittendis: si in cancrosam degeneret naturam, fere incurabilis est; si ab lepra, Elephantiasi, aut lue venerea ortum duxerit, incurabilis est, nisi curentur simul morbi conjuncti: & utplurimùm efficit, ut paries narium intergerinus, cum subjectis ossiculis consumatur, nasusque collabatur.*

a Curatio in humoris generatione, & illapsu impediendo; & ulceris consolidatione, consistet.

a Curatio.) *Curatio consistit partim in sanguinis, universali acredine temperanda & expellenda, partim in ulceris mundificatione, abstersione & consolidatione.*

Primum itaque utatur talibus pilulis:

℞. a *Aloës rosatæ gr.* xij.
Scammonii ℈ß.
Olei cariophyll. gut. j.
F. Pilulæ Num.iv. *mane sumendæ.*

a Aloës, scammonii.) *Purgantia hæc acria sunt dissuadenda, cum vasa vim inde patiantur erosionis, nec credendum est purgantibus, acrimoniam sanguinis & humorum eliminari; si tamen purgandum esset:*

℞. Extract. Rhabar. ℈j. *aut* gr. xxv.
Resin. agaric. gr. x.
Trochisc. alhand. gr. ij. *aut* iij.
Merc. dulc. gr. viij. *aut* ℈ß.
M. F. Pilulæ cum ol. ligni sassafras.

Postridie *a* venæsectio adhibeatur in brachio dextro, pro ratione virium, ad ℥vj. vel viij.

a Venæsectio.) *Hæc si administranda sit, præcedat; sed & venæsectio & purgatio omittantur, nisi notabilis adsit intemperies.*

Deinde *a* per quatriduum utatur sequenti *b* Apozemate; sumendo ℥iij. vel iv. pro dosi:

℞. *Rad. Cichor. fænic.*
Graminis an. ℥j.
Polypod. querc. ℥ij.
Herb. beton. primul. veris, scabios.
ceterach. veronicæ, agrimoniæ an. m. j.

Sem.

Sem. fœnic. anis. an. ʒij.
Liquirit. ras. ℥ß. Passular. ℥j.
Decoq. in aq. hord. q. s. ad ℔ijß. addendo
sub finem decoctionis, fol. senæ ℥ijß.
Mechoacan. ℥iij. In Colatura dissolve
Syr. de cichor. cum rheo ℥ijß.
Misce F. Apozema.

a Per quatriduum.) *Hæc forsan dicit, quia quædam ingrediuntur purgantia, quæ singulis diebus alvum evacuando, ægrum solummodò debilitarent, sed ozænam non tollerent.*

b Apozemate.) *Apozema transcripsit Auctor ex* Hildano, *ut & alterum decoctum, nos præferremus sequens.*

℞. Ligni guajaci ℥j. *aut* ℥ijß.
Cort. tamarisci.
rad. capp.
Rad. salf. parill.
chinæ an. ʒvj.
polyp. querc. ℥j.
Herb. card. bened. m. ij.
Sem. fænigr. ʒiij.
Liquiritiæ rasæ
Cornu cervi limati an. ℥ß.
Pass. major. *mund. ab arillis* ℥ijß. *aut* ℥ij.
Si amet dulcedinem.
Fiat infusio calida per horas viij. *aut diutius in decoct. secund. aut aq. hord. q. s. postea fiat decoctio lenta, in vase duplici, aut balneo, in colatura dissolve*
Mellis mercurialis ℥j.
Spiritus sulphuris per camp. q. s. *ad gratum acorem.*
M. F. *Decoctum, de quo sumat ter quaterve de die* ℥iij.
Si causa sit calida, sumat salsæ parillæ *majorem dosin loco* guajaci.

Corpore ita expurgato, sequenti decocto *a* sudorifero, prout vires ferent, utetur:

℞. *Scobis ligni guajaci* ℥vj. *cort. ejusd.* ℥iij.
Aq. communis ℔viij. *Macerentur in loco calido per* 24. *horas. Postea lento igne decoquantur ad dimidiæ partis consumptionem. Et colaturæ* ℥vj. *dentur mane, corpore bene tecto, ad proliciendos sudores.*

Et ℞. *Resident. prior. decoct. eique adde scobis lign. guajaci recent.* ℥ij. *& denuo affunde aq.* ℔xiij. *& F. decoctio ad tertiæ partis consumptionem. Colatura usurpetur pro potu ordinario.*

a Sudorifero.) *Sudoriferum sit ex* theriaca recenti, & ex bezoard. min. omissis salinis *acrioribus.*

Consultum etiam erit, non tantum cucurbitas sine & cum scarificatione, collo & humeris: sed etiam setaceum, vel fonticulum cervici, ad humores versus posteriora revellendos, adhibere.

Dum hæc fiunt, quotidie bis ulceri narium, cum turundis illitis, adhibeatur *a* tale Unguentum:

℞. *Lithargyr. aur. plumb. ust. lap. calamin. cerussæ an.* ℥ij. *succor. geranii robertiani, sempervivi, solatri. an. q. s.*
Pulverisanda pulverisentur, eaque mixta indantur in mortarium, quibus primò cochleare plenum olei rosacei affunde, & postquam aliquantum pistillo agitaveris, omniaque probe commiscueris, cochleare plenum ex succis præscriptis admisce, quibus itidem agitatis & commixtis, mox iterum affunde olei parum & agita:

Idque

Idque tam diu alternatim & continuo agitando facito, donec ad ℥iij. olei rosacei, & tantundem præscriptorum succorum impenderis. Atque ita fiet Unguentum, ad hujusmodi maligna ulcera sananda utilissimum.

a Tale unguentum.) *Advertendum primo, an ulcus sit crustosum & antequam progrediaris, crusta non vi est auferenda, ne irritetur ulcus, sed aquâ tepidâ fovenda, aut butyro insulso; adipe anseris aut gallinæ, aut oleo amygd. dulc. inungenda, ut sponte decidat, aut summitate digiti ol. amygd. dulc. inuncti leniter detrahenda, ablatâ crustâ, exsiccantia, & adstringentia sunt usurpanda:*

In simplici ulcere sufficit

Aq. hordei *cum*
Melle rosato, *vel*
Ung. de tutia, *vel*
album rhasis, *vel his cum*
Oleo ex vitellis ovorum *in mortario plumbeo agitatis, fiat Linim.*

Vel ℞. Ung. basilic. ℥ß.
Mell. ros. ℥iij.
Merc. præc. rub. ℈ij.
M. F. Ung.

Pro exsiccatione etiam usurpandum est,

Ung. diapompholigos *addito*
Alumine,
Chalcitide,
Cort. granat. *confer* Riv. & Rondeletium, *nec non* Hildanum cent. 2. obs. 23. Paul. Æginetam lib. 3. c. 22.

Efficacius erit unguentum, recipiens

Plumbi usti & loti ℈iiß.
Aloës,
Myrrhæ an. ℈j.
Ung. nutrit. ℥ß.
albi camphorati
de tutia an. ʒiß.
Ol. camphoræ parùm.
M. F. Unguentum.

Aqua viridis Hartmanni *etiam usualis hic est, confer* Paul. Barbette Chirurg. lib. 3. cap. 7.

Mercurius albus præcipitatus edulcoratus mixtus cum aliquo unguento est omnium optimus.

Riverius *habet satis potens decoctum ex agrimoniâ, alumine, &c. quæ decoquit in aquâ fabrorum ferrariorum, postea addit mel rosarum.*

Paulò post habet adstringens fortius ex flor. balaustior. cort. granator. rad. bistort. alumine, &c.

Vel sumit aquam aluminosam simplicem, & (uti de decocto jubet Riverius) *attrahatur in nares.*

Ad ulceris mundationem etiam convenit unguentum Ægyptiacum: unguentis in fine possunt addi thus, myrrha, mastiche, &c. ut lentor humoribus effluentibus concilietur.

Aliqui suffumigia parant ex Antimonialibus, Mercurialibus, arsenico flavo, Cinnabari, &c. Vel candelam, ex cerâ rubra præparatam, accendunt in conclavi angusto, & bene clauso, ita ut fumus Cinnabaris, quâ ceræ rubedo conciliatur, in nares attrahatur. Paul. Barbett. in Chirurg. *habet seq.*

℞. Benzoin. sandarach., mastich.
Thur., styrac. ana ʒj.
Cinnabar. factit. ʒß.
M. F. Pulv. pro suffumigio, quod cautè, & nonnisi semel, aut bis indies est usurpandum.

Verum hæc cinnabarina ex Mercurio & sulphure conflata potentissime quidem exsiccant, sed metus est, ne curato hoc affectu, alia gravissima symptomata succedant: dùm adhibentur ulceri acria, partes vicinæ sanæ, muniendæ sunt oleosis, & pinguibus.

Ulceri vero palati turundæ, sequenti syrupo imbutæ, subsequente pulvere conspersæ, bis in die etiam imponantur:

℞. *Rad. scrophulariæ majoris* ℥ij.
Fol. & flor. beton. agrimon. veron.

sca-

scabios. fumar. pyrolæ, sanic.
alchimil. an. m. ij.
Coquantur herbæ, & radices in aq. comm.
ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ, prælo expressæ, adde succi geranii robertiani, mellis opt. sacchar. alb. an. ℔j.
Et fiat s. a. Syrupus.

℞. *Rad. angel. aristol. rotund. iridis florent. caryophyllatæ.*
Ligni guajaci an. ℥ß. cinnamom. ʒij.
Hæc mixta contundantur in mortario, ut
F. Pulvis subtilissimus.

Hæc inquam, bis in die reiterari debent; & extractis turundis, antequam recentes imponantur, tota cavitas nasi sequente liquore, syphone injecto, penicillis etiam eo imbutis, erit eluenda.

℞. *Succor. plantag. geranii, aq. ranar.*
Aquaticar. an. ℥iß. Syrupi superius præscripti ℥j.
Misce pro a injectione.

a Injectio.) *Addatur* theriacæ recentis, *aut* diascordii ʒiß. *relicto syrupo; vel hujus loco sumatur mel rosatum venere nobilitatum; plura huc spectantia vide apud* Platerum, Paul. Barbette. Fabrit. Hildan. *& alios*.

Ulcus ubi consolidatum fuerit, si ex palato in nares tanta sit apertura, quæ locutionem commodam impediat, lamella quædam cum ansulâ superiori ejus parti affixâ, cui spongiolâ affigi poterit, erit fabricanda: ea enim ubi cum spongiolâ alligatâ palato rectè erit adhibita, locutionem satis articulatam in hoc viro efficiet.

In victu, vitentur omnia, quæ acres succos gignunt; item exercitia vehementiora, vigiliæ, & vehementes animi affectus.

XXIV.

MEDICATIO VIRI, a OPHTHALMIA LABORANTIS.

VIr b triginta annorum, habitu corporis eusarco, jam ab aliquot diebus laborat utriusque oculi magno dolore, & rubore adnatam tunicam occupante. Præterea palpebræ valde tument. Adest etiam pruritus & ardor magnus, ac lachrymarum continuus & copiosus ex oculis effluxus. Accessit tandem etiam c visionis aliquis defectus, tanquam si fumus oculis objectus accuratam rerum visibilium perceptionem impediret.

a Ophthalmia.) *Denotat hæc vox quidem in genere omnem oculorum affectionem, sed in specie significat tunicæ adnatæ, & palpebrarum inflammationem,*

tionem, quam concomitantur nonnunquam dolor, nonnunquam pruritus, ardor, lachrymæ involuntariæ, &c. Celsus *vocat lippitudinem : Alii plures afferunt divisiones & subdivisiones, v.g. hygrophthalmiam, xerophthalmiam, taraxin, chemosin, exophthalmiam, &c. sed hoc est entia multiplicare citra necessitatem.*

b Triginta annorum.) *Quanquam ætatem in genere parùm ad ophthalmiam contribuere, doceat experientia, attamen certum est, quòd eâ ætate sanguis & humores (ut quoque suprà fuit inculcatum) evadant acriores. Hæreditaria, vel nativa dispositio hùc multùm contribuit : quid autem conferre potest anni tempus diversum, vid. apud* Hippocr. Sect. iij. Aph. 14. 16. 21.

c Visionis defectus.) *Hoc spectat ad prognosin.*

Afficiuntur in hoc ægro *oculi*, secundum *tunicam adnatam*, quod probat ejus rubedo, pruritus & ardor; item secundum *a tunicam corneam*, vel forsan etiam secundum *b humores oculares*, ut indicat ille visus defectus. Afficiuntur etiam *palpebræ*, ut ipsarum docet tumor. Atque etiam *carunculæ lachrymales*, ut constat ex perpetuo lachrymarum effluxu.

a Tunicam corneam vel forsan, &c.) *In historia dixit* adnatam, *quæ corneæ partem facit anteriorem.*

b Humores oculares.) *Hoc non opus est, quanquam id verum esse posset.*

Morbus, qui ipsum molestat, *a* est intemperies sanguinis biliosa, ac serosa tunicæ adnatæ oculorum; quæ ruborem, pruritum, ardorem, & lachrymas, ac palpebrarum tumorem, hic excitans, *Ophthalmia* appellatur.

a Intemperies sanguinis, &c.) *Hæc potius est causa ophthalmiæ, quàm ophthalmia ipsa.*

a *Causa antecedens* hujus morbi sunt humores sanguinei & *b* biliosi, in vasis corporis hujus eusarci contenti; *c* pars vero eorum calidior, in oculorum tunicam adnatam & vicinas alias, ac palpebras, propter eorum *d* poros nimis apertos, sese effundens, *continens* hujus morbi, & symptomatum, est causa.

a Causa antecedens.) *Ubi hæc culpanda est, semper dicendum est sanguinem & humores esse, acres fixos, sive salinos, sive acidos : Causæ procatarcticæ esse possunt ictus, lapsus, festuca in oculum intrusa; commoratio diuturna in fumo; aër acris, sive æstivus, sive brumalis, ipse etiam aspectus creber & diuturnus ophthalmiæ, in alio homine prope adstante, nam effluvia acria ex poris affecti oculi exhalant, quæ se insinuant in poros oculi alterius hominis vicini : Huc faciunt lachrymæ crebræ, frictiones oculorum, præsertim si fiant digitis, cæpas aut salsamenta, aliave acria spirantibus, suppressæ evacuationes consuetæ, usus acrium aromatum; vini, & sp. vini, aceti, &c.* Hild. cent. 2. obser. 12. *ophthalmiam habet ex diuturnâ defluxione ad dentes.*

b Biliosi.) *Id est, acres, quibus pori & tubuli tunicarum oculi, ita obstruuntur, ut per reliquias pororum nil nisi materia primi elementi feratur; quæ in consensum motus sui velocissimi rectilinei, abripit particulas crassiores, sive tertii elementi, quæ cùm violenter in latera pororum obstructorum impingant, tantam faciunt concussionem, ut fibrillæ seorsim singulæ vehementius solito contremiscant, mentique ardoris*

doris ideam præbeant.

c Pars calidior.) *Non fuit antea calidior necessario, sed in ipsis poris partis inflammatæ, fit calidior propter obstructionem memoratam,* Hild. Cent. 5. obs. 18. *pro causa allegat sectionem venæ frontis, nulla præcedente corporis præparatione: porro* cent. 5. obs. 17. *periculosam refert ophthalmiam ex levissimo vulnere palpebræ, etiam ex suffitu cinnabaris, corpore non purgato,* Cent. 2. obs. 24. *Quod tamen potuisset, etiam purgatione præmissâ, fieri.*

d Poros apertos.) *E contrario, obstructos.*

Dum enim *humor* ille in partes illas sese effundit, *a* quantitate sua *facit* in illis *b tumorem*, c colore rubro *rubedinem*, acrimoniâ, & calore *ardorem*, *dolorem*, & d *pruritum*; unde spiritus in cerebro ita determinantur, & *e* pori cerebri tales aperiuntur, meatusque vasorum, qui sunt circa caruncula lachrymales, hinc ita referantur, ut *serum* sanguinis per illos copiose & perpetuo à reliquo sanguine separatum; & ex oculis emanans, *perpetuas & copiosas lachrymas ex oculis ægri effundat.*

a Quantitate sua.) *Quantitas tumorem non facit sine obstructione, alias enim omnes oculi sani deberent etiam tumere.*

b Tumorem.) *Tumor oculi, & lachrymæ in ophthalmia oriuntur, quia circulatio humorum impeditur; similiter ligatâ venâ jugulari copiosas prosilire lachrymas observamus.*

c Colore rubro.) *Oritur hæc rubedo, partim à sanguine intra vasa capillaria stagnante, partim à celerrima globulorum cœlestium, sive materiæ secundi elementi, rotationem circa poros obstructos, dùm æther velocissimè percurrens, eos ad latera depellit, itaut per lineam rectam ferri nequeant.*

d Pruritum.) *Hic dependet ex eo, quod particulæ multæ salinæ hærentes in parte obstructa, fibrillas nervosas blandè vellicent.*

e Pori cerebri.) *Non opus est mentionem hic cerebri facere; causa quippe in propinquo est quærenda lachrymarum involuntariarum: uti supradictum fuit.*

Dum vero *a* humor hic in tunicam corneam ante pupillam, & in oculi humores aliqua sua parte se effudit, induxit aliquam istius tunicæ, & humorum ocularium *b* opacitatem, & hinc *talem visus defectum, quo æger sibi, tanquam per fumum, objecta visibilia percipere videtur.*

a Humor hic.) *Propter obstructionem pororum tubulorumque tunicæ adnatæ, radii luminis liberè pupillam & humores transire nequeunt, præprimis cùm & hi solito magis sint incrassati: undè mirum non est visionis actum succumbere.*

b Opacitatem.) *Quando videlicet multæ humorum particulæ crassiusculæ, sibi mutuo intertextæ, veluti rudimentum constituunt membranaceum.*

Morbus hic *a periculosus est*; cum exulcerationem oculi, & effusionem humorum ocularium, ac cæcitatem inducere possit.

a Periculosus.) *Affectus hic si sit inveteratus, difficulter: hæreditarius nunquam curatur, quia diametri & figuræ pororum vasculorumque diuturnitate temporis adeò constantes evadunt, ut nullis remediis auscultent.*

Hippoc. Sect. 6. Aph. 17. ait: ophthalmiâ laborantem ab alvi profluvio corripi, bonum: *ratio est, vel quòd per crisin materia acris, in sanguine & hu-*

& humoribus abundans, per intestina evacuetur, vel quòd alia ophthalmiâ, ab humore crasso oriundâ, sale volatili dissipato, alvus simùl solvatur, ab eadem causa. Aliquandò transit ophthalmia in cataractam, pannum oculorum, ægilopem, & fistulam lachrymalem.

Ideoque tempestive *a* *Curatio* est inchoanda: quæ consistet in causæ antecedentis, continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

a Curatio.) *Meri potione ophthalmiam curatam* refert Riverius C. 4. obs. 25. *Sed id est ex raro contingentibus, & aliquando succedet, ubi à sanguine viscoso & crasso orta fuerit.*

Primò itaq; educatur sanguis ex brachio, per *a* venæ-sectionem, ad uncias octo.

a Venæ-sectionem.) *Venæsectio hic non indicatur, nisi Plethora adsit & valdè magna inflammatio, uti nec purgatio, nec scarificatio.*
Arteriotomiæ exemplum contra dolorem oculi occurrit in actis med. phil. Barth. part. 1. obs. 4. *Venæ Jugularis apertionem, in oculorum inflammatione utilem vide apud* Hildan. cent. 4. obs. 14. *sed jam ante in cubitu venam aperuerat, itaut nonnisi secundæ venæsectionis loco haberi possit.*

Postridiè *a* purgetur talibus Pilulis:
℞. *Pil. cochiar.* ℈iß.
Scammonii ℈ß.
Cum aq. fœniculi F. Pilulæ Num. vij.
Quas deglutiat mane jejunus.

a Purgetur.) *In omnibus inflammationibus, abstinendum esse à purgantibus acrioribus, jam supra sæpius monuimus: si tamen purgandum sit.*
℞. Extract. pilul. lucis ℈j. *adde diagrid.* gr. iv. *aut* v.
Trochisc. alhand. gr. ij. *aut* iij.
M. F. Pilulæ.
Riv. cent. 1. obs. 7. *malum pertinax curavit pilulis aperientibus & diaphoreticis ex*
Sale tamarisci & absinth.
Magisterio tartari &
Pulvere diaphoretico, *per 4. dies binas doses quotidie exhibens, tribus horis ante prandium & cœnam, postea purgavit, dein rursum easdem pilulas per 4. dies, quas secuta denuo purgatio, malumque evanuit.*
Vid. Hipp. S. 6. Aph. 31. S. 7. Aph. 46. Blasius therapeuticæ specialis S. 50. cap. 3. Wecheri antidot. special. S. 62. lib. 3. Riv. obs. comm. 3.

Nuchæ applicetur *a* tale vesicatorium:
℞. *Cantharidum pulveris.* ℈j
Fermenti acris ʒij.
cum aceto q. s. F. vesicatorium, *ad magnitudinem* b *nummi imperialis, super linteo extendendum, & posteriori cervici, infra capillos, applicandum.*

a Tale vesicatorium.) *Dubium est hoc remedium, quod aliquandò prodest, aliquandò nocet: dici tamen potest, tùm quòd effluvia hujus vesicatori, salino-acidiuscula, per poros & tubulos vicinos, lege circulationis ad partem affectam, penetrantia, humorem crassum & acrem dividant & expellant, tùm quòd af-*

affluentibus versus partem, vesicatorio læsam humoribus, minor versùs oculos fiat pressio; quod autem nonnulli velint, hâc methodo, acidum copiosum evacuari, nimis est puerile & nugatorium, quàm ut hic refutationem mereatur.

b Nummi imperialis.) *Potius denarii minoris.*

Ubi vesicæ excitatæ fuerint, folia *a* brassicæ applicentur; ut ex iis, aliquamdiu apertis, serum copiosum educatur.

a Brassicæ.) *Propter nitrosas ejus particulas.*

Applicari etiam poterunt collo cucurbitæ per biduũ; eæq; tertio die scarificari. Oculis adhibeatur tale *a* Collyrium:

℞. *Aq. plantag.* ℥j.
nymphææ, papaveris,
rosar. an. ℥ſ.
Sief albi, tutiæ præparatæ an. ℈j.
b *Vitrioli albi gr.* viij. *misce* F. Collyrium.
de quo gutta una vel altera oculis instilletur, & petiolæ eo imbutæ oculis noctu, &, si necessitas urgeat, etiam interdiu, imponantur; eæque, ubi exsiccatæ fuerint, rursùs madefiant.

a Collyrium.) *Collyrium Auctoris satis est appropriatum: addatur in magno dolore portio exigua opii, & camphoræ.*

b Vitrioli albi.) *Si magni dolores adfuerint, vitriolum album debet omitti, & ejus loco sumatur mucilago sem. cydonior. in aq. rosar. solut. unc. j. camphoræ gr. v. præprimis si ophthalmia fuerit à variolis.*

Si verò dolor non admodum urgeat, Vitriolum album potest tolerari.

Mynsichtus, *trochiscos habet ophthalmicos appropriatos: item* Horstius in Pharmacopæa Catholicâ, *ubi plurima bonæ notæ habet medicamenta ex omnibus Auctoribus corrasa; in* Pharmacopæa Augustana *habetur sief album, cum vel sine opio.*

Horstius *habet sief citrinum Mesuæ, sief de thure Rhasis.*

Riverius *in praxi habet medicamentum ex albumine ovi unius, in vase stanneo cum frusto aluminis magno exagitato, donec instar unguenti incrassescat: hac ratione etiam acrimonia quædam ex alumine stannum penetrat, & particulas quasdam cum albumine ovi communicat, quod medicamẽtum constituit, nõ contemnendum in principio inflammationis levioris, oculis imponendum, & per duas horas ibi relinquendum.*

Appropriatum medicamentum præparatur ex sale Saturni & camphora,

℞. Sal. Saturni scrup. sem.
Camphoræ gr. vj.
Chryst. vener. gr. iij.
Misceantur & solvantur in aq. rosar. ℥ij. vel iij. *quod Collyrium bonum esse constat.*

Posset quis dicere, quòd Camphora non solvatur in aquosis: respondeo, quod omnis quidem Camphora non dissolvatur, veruntamen aliquam ejus partem aquæ mixtam esse ex odore, & sapore constat; deinde cum aliis etiam antea fuit commixta, ut Saturni saccharo, & cryſtallis veneris, itaut cum ea quodammodo cohæreat, & non tam facile rursum coaguletur

Unguentum de Nihilo vulgare remedium est. Vulgare etiam, (sed ideo non contemnendum) remedium est caro hædina, vervecina: vel alia in frusta dissecta, & oculis superimposita; particulæ enim salinę volatiles oleosę & balsamicę sanguinis inhærentis, humorem acrem fixum peccantem infringunt & involvunt: Aq. rosar. super crocum metallorũ infusa graves sæpè tulit ophthalmias.

Temporibus, supra oculos, applicetur utrimque emplastrum contra rupturam, ad defluxionem cohibendam, magnitudine quadrantis daleri imperialis.

Vel ejus loco adhibeatur tale *a* emplastrum:

℞. *Bol. armeni* ℥ij. *Sanguinis draconis* ℥j.
Mastiches ℥ſ. *Pulv. gallar.* ℥ſ.

Excipiantur ovi albumine & aceto, ac illinantur linteo, & F. duo emplastra, temporibus supra oculos utrimque applicanda.

a Emplastrum.) *Horstius temporibus applicat hoc sequens medicamentum.*
℞. Boli armen. drach. ij.
Mastich.
Thuris an. drach. j.
Lapid. Hæmatit.
Gumm. Tracacanth. an. drach. j.
Ol. Myrtin. Rosar. an. unc. sem.
Cum Therebinth. & cerâ an. q. ſ.
Fiat Empl.

In a aëre versetur temperato. b *Cibus* sit refrigerans & paucus. *Potus* cerevisia tenuis. *Motus* vitetur. *Somnus* sit longior solito. *Excrementa* alvi respondeant quotidie, vel naturâ, vel arte. *Perturbationes* animi vitentur.

a Aëre.) *Vitetur ventosus, nebulosus, acer.*
b Cibus.) *Non assumat allia, nec aromatica, legumina, vel alimenta sale & fumo indurata.*

XXV.
MEDICATIO VIRI,
CATARACTA CONFIRMATA, ET INCIPIENTE
LABORANTIS.

VIr triginta quinque annorum, *a* chymicis operationibus, apud fornaces ardentes incumbere solitus, post visus defectum in sinistro oculo, cum nubeculis ante illum volare visis, & majore obscuritate postea insecutâ, passum, *b* & setonem cervici frustra adhibitum, aliaque remedia; quæ humorum ad oculos defluxum inhibent, incassum usurpata; tandem, incrassatâ in oculo *c* pelliculâ, & albidâ in pupillâ apparente, in cæcitatem istius oculi incidit. Jam vero etiam in dextro oculo similem visus defectum, cum nubeculis, & filamentis *d* ante illum volantibus, observat. Dextro oculo connivente, dilatatur pupilla oculi sinistri, qui excæcatus est.

a Chymicis operationibus.) *Causa hæc est fortuita; quia alioquin fabri ferrarii, & artifices vitriarii omnes, & majorem ob rationem, deberent cataracta laborare: dici tamen potest, quòd & effluvia rerum chymicarum acria, pupillam exasperent, & particulæ ignis dissipent humores fluidiores & subtiliores.*

b Setonem.) *Nota, prius remedium fru-*

frustraneum. Mox sequuntur alia remedia frustranea; quæ omnia conveniunt cum nostris fundamentis: & reverà debebant hinc Practici à posteriori discere id, quod ex nostris fundamentis traditur à priori, quod stante sanguinis & humorum circulatione, illæ externæ torturæ fonticulorum, cucurbitularum, setonum, aliaque similia remedia humores à parte affecta (si Dis placet) revulsura, aut eorum affluxum ad eandem partem interclusura, esse utplurimum inutilia; adeoque imposterum hunc errorem toties repetitum, non amplius esse committendum: & hinc manifeste licet videre, quam cæca sit illorum experientia, qui citra solidam philosophiam semper sua crepant experimenta.

c Pellicula & albida.) *Cataractæ pellicula plerumque albet, quando producitur ab humore viscoso, s. pituitoso, aliquando tamen nigra est, vel castanei coloris, vel livida, quando admixta est portio terræ, & salis acris fixi.*

Pelliculæ hæ apud Auctores distinguuntur in maturas, & immaturas; maturæ dicuntur, cum ægri, clauso oculo sano, nihil vident per oculum affectum: ubi verò aliquantulum vident, dicuntur immaturæ.

Ut ergò sciamus, an ægri per oculum affectum videant, oculus sanus semper in antecessum claudendus est, quia alias motus in nervo optico oculi sani excitatus, majore lumine obscurat minorem motum, in nervo optico oculi affecti, quapropter mens minorem istum motum non satis clare percipit.

d Ante illum.) *Id est*, quasi *ante illum.*

Ista autem dilatatio, signum est facilioris curationis.

Afficiuntur in hoc ægro, *oculus sinister secundum pupillam*, ut ad oculum patet; & *dexter oculus secundum humorem aqueum*: ut constat ex nubeculis, ante oculum dextrum per visus fallaciam volare apparentibus.

Morbus, quo sinister oculus laborat, est *a* obstructio pupillæ, à pellicula albicante in ejus cavitate nata, quæ radios rerum visibilium à sinistri oculi retina excludens, cæcitatemque eo inducens, *cataracta confirmata* dicitur. *Morbus* vero, *qui dextrum oculum afficit*, est intemperies humoris aquei crassa, quæ *b* particulas quasdam opacas in eo dispergens & volare faciens, nubecularumque volitantium imagines in retina & deinde in cerebro excitans, *Cataracta incipiens*, sive *Suffusio* appellatur.

a Obstructio.) *Id est, obvelatio.*

Vid. diversas suffusionum species apud Bart. in actis med. parte 1.

b Particulas opacas.) *Dic potius minus mobiles ob crassitiem & viscositatem, nam membrana densa inde enata magis proprie opaca dicetur.*

Causa procatarctica horum morborum est diutina apud *a* fornaces ardentes mora; qua pori vasorum & membranarum nimis aperti fuerunt, & humores in capite, & præsertim oculis, *b* incrassati; iique in vasis eorum existentes, *antecedentem* his morbis præbuerunt causam: Illi vero in aqueum utriusque oculi humorem ex iis effusi, & primum in parvas quasdam obscuras & opacas nubeculas *c* coagulati, & deinde in sinistri oculi pupilla in membranam *d* coacti, *continentem* hujus morbi & symptomatum constituunt causam.

a Fornaces ardentes.) *Scilicet particulæ igneæ, in oculum irruentes, poros arteriolarum in oculo ita aperuerunt, ut particulas crassas in oculi humorem internum deposuerint, & quidem non tantum in aqueum humorem ut vulgo putatur, sed forsan etiam in humorem vitreum: Hæ ergo particulæ*

humo-

humoribus innatant, ut pisces aquæ aut aëri aves, atque radios solares vel impediunt in eorum progressu, vel eos deflectunt; vel rotationem globulorum imminuunt; vel contra augent, quare objecta videntur apparere in aëre volitantia, & colorata hoc vel illo colore, quia eundem motum faciunt in nervo optico, quem in oculo sano talia objecta facere solent, & hactenus dicitur Suffusio. Sed quando hæ particulæ, sibi invicem ita adhærent, ut massulas quasdam parvulas efforment, quæ tenacitate sua tunicæ corneæ adhærent, tunc primo visus defectum aliqualem inducunt, posteà verò cum aliis continuo à tergo accedentibus particulis, tunicam, vel pelliculam quandam raram efficiunt, visumque magis adhuc impediunt. Nam etsi pellicula magnos habeat poros, & aliquo modo in initio sit pellucida, cum tamen ejus pori poris tunicæ corneæ accuratè non respondeant, radiorum vim infringunt, & impediunt Aucta tandem hæc pellicula, penitus opaca redditur, visumque omnem tollit, & tunc matura dicitur. Fernel. lib v. de part. morb. & symptom. cap. v. *dicit se vidisse suffusionem omninò crassam & consummatam, uno die congestam, sed forsan sumpsit amaurosin pro cataracta, quod itidem innuere videtur* Sennertus lib. 2. instit. med. *innuens, quòd spatio temporis adeò brevî, tàm crassam materiam generatam fuisse vix videatur possibile. Quid hùc facere potest aër crassus & præsertim borealis, vid. apud* Hippocr. Sect. iij. Aph. v. xij. & xiv. *Lunares radios culpat* Henr. ab Heers obs. iv. *metum, tristitiam & mœrorem* Hildan. cent. 4. obs. 15. *violentum vomitum & sternutationem* idem cent. iv. obs. 14. *scorbutum* misc. cur. dec. 2. ann. ij. obs. 183.

b Incrassati.) *Hæc incrassatio in cerebro ut allegetur, opus non est.*

c Coagulati.) *Etiam hâc* coagulatione *intra oculum non opus est, sufficiunt particulæ minus mobiles, & actioni luminis non satis promptè obedientes, in oculi humores ex arteriis & vasculis lymphaticis, nimium dilatatis, expulsæ.*

d Coacti.) *Nonnunquam membrana illa poris tunicæ corneæ firmiter inhæret.*

A nubeculis enim *a* in aqueo humore natantibus, & ex motu oculi in eo dispersis & volitantibus, excluduntur à retina multi rerum visibilium radii, quo *visus imminutio* oritur, *b* pellicula vero alba, quæ pupillæ sinistri oculi est obtensa, & adglutinata, avertit omnes, à retina ejus, rerum visibilium radios, atque ita *integram* inducit istius oculi *cæcitatem*.

a In aqueo humore.) *Sunt qui negant repræsentationem variorum simulachrorum, v. g. pilorum, aranearum, floccorum &c. tribuendam esse corpusculis, aqueo humori innatantibus; nam (ajunt) qui secum reputat, quanta supponi debeat humoris crystallini diameter, vel potiùs diametrorum summa, & quàm parvo, ab anteriore cornea, intervallo disjungatur: is opticâ ratione munitus colliget, imagines rerum in humore aqueo (oculo ante retinam) positarum, prorsùs extra oculum ante crystallinum projici, & nunquam in retina delineari, atque ideò à nobis nullatenùs videri: & si quid oculo tàm prope admoveatur, ut corneam ferè attingat, ejus nulla in oculo excitabitur imago, visio nulla; quare multò minus id videbitur, quod intra corneam conclusum in humore aqueo divagatur: potiùs ergò ajunt cataractam esse densam humoris aquei concretionem; sed hæc materia nimis est prolixa, quàm ut hic ex professo tractari possit; taceo quod Optices fundamenta, ad hanc litem dirimendam necessaria, ad Medicum, quà Medicum, non pertineant.*

b Pellicula.) *Inquirendum est in æta-*

ætatem pelliculæ, ut prænoscatur, an tempestivum sit acum chirurgicam adhibere, alioquin acu potius rumpitur, & per humorem aqueum dispergitur, quàm à pupilla omnino detruditur. In gutta serena nullum est cæcitatis causæ indicium externum.

Periculum hic est, ne in sinistro oculo non tantum panniculus sive pellicula in pupilla sit nata, sed etiam ne humor crystallinus vel *a* vitreus opacitatem contraxerit, atque ita nullâ chirurgiâ per membranæ ablationem hic morbus curari possit. Verum *dilatatio pupillæ oculi cæci* *b* spem sanationis præbet. Et deinde *c* metus est, ne etiam in dextro oculo humores oculares tandem opaci evadant, vel pellicula opaca in pupilla tandem nascatur, atque ita cæcitatem etiam dextri oculi inducat.

a Vitreus opacitatem.) *Si opacitas ibi possit fieri, ergo ab eadem majori & vetustiori causa, etiam pellicula gigni potest.*

a Spem sanationis.) *Spes curationis affulget, cùm æger non omnino cæcutit, cùm corpus iridis dilatari & constringi potest, nam tum partes oculi adhuc sunt mobiles, quod bonum semper signum est.*

Ubi pellicula videri non potest, incertum est, quænam sit pars affecta, vel quo in loco vitium; An in humore vitreo, vel nervo optico sit? sed hoc parum mutat curationem, medicamentis internis peragendam.

c Metus est, ne etiam in dextro &c.) *Alteruter oculus licet sanus sit, facile tamen simul affici potest, quia sanguis eodem modo dispositus, ad utrumque oculum defertur, & tantum fortuitum est, quod pori arteriarum in oculo uno potiùs quàm alio, ita aperiantur, ut materiam peccantem transmittant.*

a *Curatio* tamen tentanda, quæ consistet in *b* pelliculæ ablatione, nubecularũ discussione, humorum ocularium attenuatione, & intemperiei oculi correctione.

a Curatio.) *Si intemperies sanguinis adsit, prius debet illa corrigi apozemate aliquo, quale in intemperie capitis à causâ frigidâ fuit præscriptum, item iteratâ purgatione, antequam ad Medicamenta externa cum fructu pervenire possumus.*

Si huic affectui intemperies crassa & plethorâ conjungatur, tunc primo venæ-sectio instituatur, deinde usurpetur Apozema, antea in hoc capite commendatum, cui addantur herbæ cephalicæ & oculis dicatæ, ut Herb. Chelidon. Majus, Verbena, Euphragia, Sem. Fæniculi, &c.

Millepedum exsiccatorum gr. xv.

Mane sumpta hic prosunt, nam non solum vim diureticam habent, sed prosunt, ubicunque est incidendum, & exsiccandum, uti experientia satis confirmavit, illos multum in oculorum affectibus præstare sale suo volatili.

b Pelliculæ ablatione, nubecularum discussione.) *Hæc duo conjungit, quia pellicula ablata, humores possunt manere crassiusculi intra oculum: secundo quia hæc medicatio loquitur de ambobus oculis, ferè æque graviter affectis.*

Primò *a* itaque acu, à perito chirurgo, in oculum sinistrum *b* prope extremitatem tunicæ adnatæ, adactâ, pellicula, à pupilla separetur, & deprimatur. Ac vulnusculum, cum maxima corporis & *c* oculi quiete, consolidetur.

a Itaque acu.) *Inquirendum est, an cataracta sit matura, nec nè, oculum benè fricando, si enim separationem admittat, immatura est, nec acum exigit:*

git: *vid.* Manual. oper. Corn. Soling. part. j. cap. xxvj. *item* Hildan. Cent. 4. obs. 16. *Acus (quæ sit chalybeata) debet habere manubrium, quo possit firmius teneri & regi, confer* Vigierium lib. 1. cap. 32.

Primo ægri manus, pedesque ligentur, caputque immotum coërceatur, ne se vel minimum movere possit, & ita turbare operationem, cum alias acus facile profundius penetraret, & cæcitatem induceret, deinde pupilla debet dirigi versus nasum, & alter oculus linteo, vel alio modo obligari, ne moveri possit, nam uno oculo moto movetur & alter.

Operatio autem in loco debet fieri, ubi æger (refocillantibus corroboratus) lumen accipit in latus, non directe in oculum: Chirurgus se operationi admoveat, halitum, fœniculi effluviis fœtum, in oculum immittat, blandeque oculum commoveat: tunc acus oleo oblitâ caute est intrudenda, ne nimis altè penetret, & leniter ac sensim secundum ductum pupillæ pellicula abradatur, & à tunicâ corneâ separetur, & partim inferius, partim superius, partim ad latera est deducenda; postea aliquamdiu exspectandum est, antequam acus extrahatur, & bene videndum, an partes detrusæ iterum emergant, aliàs acus extrahatur, & oculis ligatis æger in lecto, situ resupino, collocetur, nec loquatur multum, nec se multum moveat, ut pellicula amota firmam accipiat positionem, & postea non facile redeat.

b Prope extremitatem.) *Id est, oculus, sive pupilla, debet quantum fieri potest, versus nasum verti: hoc autem fit, tùm ut vulnusculum post curationem in cantho oculi exteriori tegatur, tum &, ut acus attingat non medium pelliculæ, sed ejus extremitatem, eaque sic tota possit versus fundum humoris aquei detrudi.*

c Oculi quiete.) *Oculo directe antrorsum directô, dum uterque oculus velamentis obtegitur, æger jaceat supinus per dies noctesque aliquot, & oculus neuter moveatur, quo sic vulnusculum tutius non solum consolidetur, sed etiam pellicula ad fundum oculi detrusa, firmius ibi hæreat, nec facile ad pupillam redeat.*

Eo consolidato *a* curatio incipientis suffusionis dextri oculi est inchoanda. Ac primo tales *b* pilulæ erunt præscribendæ:

℞. *Fol. senæ* ℥ß.
Sem. fœniculi ℨij.
Aq. chelidonii, euphrasiæ, verbenæ an. q. s.
Post levem ebullitionem infundantur per noctem; postea Colatura eousque decoquatur, donec in spissam extracti formam fuerit redacta: eique adde

Aloës rosatæ ℨij.
Rhabarbari opt. ℨijß.
Turbith. ℨj.
Sem. rutæ, fœniculi an. ℨß.
Cubebar. macis an. ℈j.
Mastiches ℈ij.
Scammonii ℨß.

F. massa pilularum, *de qua capiat bis terve in septimana* ℨ. *dimidiam, vel scrupulos duos, mane jejunus.*

a Curatio incipientis suffusionis.) Riverius Prax. lib. ij. cap. iv. *in principio fotum applicat ex* vino rubro austero, *ad adstrictionem vasorum, & simul discussionem, ac resolutionem humorum; constat enim hoc vinum particulis & crassioribus & subtilioribus.*

In processu verò morbi, ait fotum ex vino albo, cui crocus metallorum infusus fuerit, utilissimum esse: nos etiam commendamus, si malum exigat, fotum ex

Fol. rutæ,
euphrasiæ,

faeniculi,
chelidon. major. an. m. j ß.
Sem. faenic. ℥ij.
Flor. chamom.
meliloti an. p. ij.
Salis communis m. ß.
Coq. in aq. fontanae part. duabus (non diu, quia spirituosa sunt) & vini, sub finem additi, part. una, post decoctionem etiam infundatur
Croci ℈j.
Ex eo fiat suffitus per infundibulum, & postea fotus.

Sumunt etiam aliqui massam panis, cum sem. faenic. *contuso & cum*
Ruta,
Chelidonio,
Euphras. &
Melle *subactam, ex clibano adhuc calentem per medium sectam, ejusque vaporem in oculum immittunt, ut oculi ejus vapore madescant, & obstructiones tollantur.*

Nocturno vero tempore cataplasma applicetur ex
Far. faenigr. ℥j.
Aloës ℥ß.
Croci ℥j.
M. F Pulvis subtilis excipiendus vino albo calido, in quo
Crocus metallorum *sit infusus.*

Huc pertinent alia medicamenta externa subtilia, modò non valde acria; ut & spiritus panis similaginei per descensum destillatus, & aqua rosarum, in qua pauxillum salis ammoniaci, & cryst. veneris fuerit solutum.

Sanguis calidus columbae, leporis, ut & hujus urina in oculum instillata prosunt, quia calor junctus multo sali volatili oleoso istius sanguinis & urinae, accommodatus est ad poros partis affectae subeundum, & particulas cohaerentes divellendum, quare etiam pulli columbini vivi dissecti, oculis possunt applicari.

Adhibetur etiam cum fructu fel Carpionum, aliorumque animalium, quod itidem sale suo penetrat; ergo misceatur cum melle, ut ipsi consistentia debita concilietur, & ut pelliculis abradendis, & discerpendis firmiter adhaereat.

Vigierius *probat collyrium Vigonis, quod satis est appropriatum: simile habet* Riverius, *cui addit camphoram, quod proderit, si inflammatio adsit; potius omittatur, quia motum humorum imminuit, & humores incrassat, quod hic non convenit.*

b Pilulae.) *Si nempe massa sanguinis sit intemperata; at molimen magnae hujus formulae nihil nobis largitur singulare.*

Si velimus purgans sit sequens.
℞. Extract. cathol. ℈j. *aut*
pilulae lucis tantundem.
Fiant pilulae.

Praeterea, corpore aliquoties purgato, utatur hac aquâ stillatitiâ, cerebrum, nervos, & oculos *a* corroborante, humoresque oculares attenuante, mane cochlear unum quotidie bibendo.

℞. *Herbarum faeniculi, rutae, euprasiae, verbenae, chelidonii, an. m. j.*
Summit. rosmarini, salviae,
Flor. rosar. an. p. j.
Baccar. juniperi ℥vj.
lauri ℥ß.
Piperis, caryophyllor. an. ℥j.
Cinnamomi ℥ijß.
Ligni aloës ℥ß.
Sem. foeniculi ℥ij.
sileris montani ℥ß.
rutae ℥ß.
Infundantur in vino generoso & destillentur.

a Corroborante.) *Id est, obstructiones tollente, & humores crassos, viscosos attenuante, quod melius fiet decoctis nostris supra praescriptis.*

Ad haec utatur hoc *a* linimento.

℞. *Fellis carpionum, mellis, succi chelidonii an.* ℥ß.
Coquantur parum, donec inspissentur, iisque adde
Tutiæ drach. j. *camphoræ* ℈ß.
b *Axungiæ thymali piscis* ℥ß.
F. linimentum, *pro palpebris extrinsecus, sub lecti ingressum, ungendis.*

a Linimento.) *Ut videlicet ingredientium particulæ acres, ipsi pelliculæ tenacius adhæreant.*

b Axungiæ.) *Hæc potest deleri, vel ejus loco sumi pinguedo serpentum, vel axungia humana: aliàs mel solum consistentiam satis justam linimento conciliat: confer* misc. cur. ann. ij. decur. j. obs. 126.

Versetur in aëre calido. *a* Cibus sit ex carnibus gallinarum, vervecum, & aviculis montanis. Caveat à nimis humectantibus. Condiatur cibus serpyllo, fœniculo, betonica, salvia, majorana, pulegio, cinnamomo. Potus sit cerevisia & vinum mediocrium virium. Exercitium sit moderatum. Somnus brevior. Alvus respondeat quotidie arte, vel naturâ. Mœstitiam fugiat.

a Cibus sit ex, &c.) *In diætâ, non tantùm frigida sunt fugienda, sed etiam omnia calidiora acria, quia poros arteriarum nimis aperire possunt, & sanguini nimium motum conciliare: talia sunt aromata pleraque, imprimis piper, zingiber & vina fortiora.*

XXVI.

MEDICATIO FOEMINÆ, AMAUROSI, SIVE GUTTA SERENA LABORANTIS.

FŒmina *a* 38. annorum, postquam ab *b* ulceribus multis, per totum corpus diffusis, *c* tandem esset curata, incidit in hebetudinem visus utriusque oculi, quâ ad longinqua & propinqua *d* cœcutiebat. Malum ab aliquot septimanis ita est auctum, ut altero jam oculo vix quicquam videre queat. Oculi inspicientibus apparent *e* clari: nihilque vitii in iis animadvertitur; nisi quod *f* pupillæ justo ampliores & nigriores videantur. *g* Alii sensus sunt integri. Materia pituitosa ex naribus copiose excernitur. Gravitatem sentit in syncipite, circa frontem, & supercilia.

a 38. Annorum.) *Ætas adducitur partim ad doses ordinandas, partim ad indicandum, quòd ejus vigore non obstante, obstructio nervorum opticorum fieri possit: etiam oriri potest in ætate minori, sed facilius in senili.*

b Ulceribus multis.) *Hæc significant sanguinis humorumque crassitiem & acrimoniam corrosivam.*

c Tandem esset curata.) *Jure meritò dubitamus, an ritè fuerit curata, id est, an humores crassi & acres fuerint*

divisi & ex corpore eliminati, præprimis cùm malum adeò grave fuerit subsequutum: nec rarò cum refrigerantibus & repellentibus ulcera à Barbitonsoribus tractentur, materia morbifica intus repelli solet: dici etiam potest, quod & ulcera & amaurosis fuerint duo effectus, ab una eademque causa.

d Cæcutiebat.) *Hactenus Auctor gradum duntaxat ad* guttam serenam *descripsit, sed aliquando ea subito invadens, utrumque oculum facit omnino cæcum.*

e Clari, nihilque vitii, &c.) *Ita affectus hic differt à cataracta vulgari.*

f Pupillæ ampliores.) *Ex eo quòd propter obstructionem deficientibus spiritibus, fibrillæ iridis contrahi nequeant.*

g Sensus integri.) *Hinc distinguitur à morbis soporosis, aliisque paralyseos speciebus.*

Afficiuntur in hac ægrâ potissimum *a nervi optici*; quod patet ex tali visus nostræ ægræ hebetudine, in quâ ipsa ad propinqua & longinquâ ita cæcutit, ut oculos ipsius inspicienti nihil vitii in iis appareat. Afficitur etiam *inferior anterioris cerebri pars*; *b* quod gravitas in syncipite circa frontem & supercilia percepta, & *c* materiæ pituitosæ copiosa è naribus excretio evidenter docet. *Reliquum cerebrum* non afficitur: quia reliqui sensus vitio carent.

a Nervi optici.) *Vel fortè cataracta nata est circa humorem vitreum, qui cum crassior sit quam aqueus, aptior est, ut ex eo pellicula gignatur; etiam lenta cæcitatis successio probabile satis reddit, hanc amaurosin potius ex tali cataracta, quam ex nervorum opticorum obstructione productam fuisse.*

b Gravitas.) *Hæc non semper adest.*

c Materiæ pituitosæ copiosa excretio.) *Non sequitur cerebrum necessariò affectum esse, ex eo quòd copiosa materia pituitosa per nares expellatur, uti suprà diximus de catarrho.*

Morbus, quo ægra hæc affligitur, est *amaurosis*, sive *gutta serena*; quæ est obstructio & compressio *a* nervorum opticorum, *b* hebetudinem visus in longinquis & propinquis conspiciendis in uno oculo, & in altero fere plenam cæcitatem, citra conspicuum in iis vitium, inducens.

a Nervorum opticorum.) *Quidni addit Auctor hic affici massam sanguinis, cujus intemperies hic in curatione præcipuè erat spectanda? certe hujus commemoratio potius facienda fuisset, quàm illius supervacuæ partium cerebri affectionis; sic etiam optime addidisset Auctor, quibus remediis illa in sanatione ulcerum fuerit usa, ut eo facilius deveniremus in cognitionem causæ antecedentis hujus amauroseos.*

b Hebetudinem visus.) *Si hic gradus ad amaurosin, non sit ex cataracta in humore vitreo, sed à nervis opticis sive obstructis, sive compressis, arguet non omnes eorum tubulos, sed tantum aliquos, obstructos aut compressos esse, quamquam videatur verosimilius, compressiononem circa nervum factam, omnes tubulos ejusdem nervi, æqualiter afficere. Mentitur aliquandò non ritè attendentibus glaucoma humoris crystallini, amaurosin, sed tamen si, ut oportet, inspiciatur, monstrat maculam utcunque cæruleam vel gryseam: de hoc oculi vitio ita loquitur Cl.* Pechlinus obs. phys. med. lib. ij. obs. xxxiij. *Vidi ex cæcis erutas lentes crystallinas, si tamen lentes dicendæ sunt, fœdata angulis corpora, quæ in illa opacitate (hæc enim plerunque conjungitur) figuram indeptæ erant planè irregularem, tuberosam, triquetram, trifidam, hiante hinc inde, præ nimia siccitate, fissurâ. Sed & alterum ab infarctu aut obstructione lentis opticæ vitium est, quando tartareum quid aut* gyp-

gypseum, intra fibras ejus lamellasve immittitur, namque hinc etiam fatalis cæcitas oritur. Tumet tunc lens illa, seque ipsâ major pupillam opplet, & quod intertexta fibris gypsea materia crassa est & opaca, totum quoque corpus & ipsa opacat, prohibitâ radiorum trãsmissione, atque hoc Veterum est glaucoma; & sic explananda Galeni *definitio,* ἡ μὲν γλαύκωσις ξηρότης μὲν ὅτι καὶ πῆξις ἄμετρ☉ τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ. *Quod non tantùm in decrepita ætate, à nimia exsiccatione, orbatis humido suo fibris: sed etiam ab obstructione morbifica, transposita in eam partem fæce quadam gypseâ, oriri certum est. In variolis certè visus orbitas nõ aliundè, quàm ab ejusmodi fæculentia crassa & opacante, repeti potest. Est lapillorum, ovalium aut lentiformium aliquod genus, quod ubi siccum est, niveum habet candorem, ubi madescit, radios transmittere & lucescere incipit. Huic simile quid, cum serâ ætate, lenti opticæ evenire credibile est. De angulis aliàs & vitiatâ lentis rotunditate, jam tum quoque extat* Clarissimi Drelincurtii, *accuratissimi Anatomici, observatio:* Vidi, *inquit*, in Glaucomate Veterum, crystallinum vel tripertitum, aut quadripertitum, præ nimia ariditate findi vel hiscere.

a *Causa procatarctica* hujus morbi, fuit humorum pituitosorum per ulcera è corpore egredi solitorum, post eorum curationem retentio. Humores verò pituitosi, inde per totum corpus collecti, constituunt ejus *causam antecedentem*. Pars eorum ad anteriores inferioris cerebri partes, b & nervos opticos delata; eosque in una parte magis, in alterâ minus comprimens & obstruens, existit *continens* eorum obstructionis & compressionis, nec non istius jam descriptæ c visus hebetudinis, & cecitatis causa.

a Causa procatarctica.) *A lapsu ortam oculi paralysin vid.* misc.cur.dec.j. ann.j. obs.71. *ex medicamento purgante eundem affectum natum, vid.* Sennert. prax. med. lib.j. *A liberaliori vini haustu, cui venenum fuit inditum: vide* Tulp.lib.j. obs.31.

b Et nervos opticos delata.) *In Zodiaco* med. Gall. ann.j.p.m.81. *narratur amaurosis orta à calculo fabæ cujusdam mediocris magnitudine in origine & substãtia media nervi optici invento.*

c Hebetudinis.) *Tubulis enim nervorum præclusis, fibrillæ flaccescunt, quæ alias circumfluentibus spiritibus animalibus tendebantur.*

Cum enim causa continens tam profunde in oculorum nervis lateat, nec aliæ eorum partes sint affectæ, *nihil vitii in iis inspicienti apparet*; & tamen hic *adest in uno hebetudo visus, & in altero oculo cæcitas*; propterea sc. quod quamvis imagines rerum objectarum in fundis oculorum a pingantur; earum tamen, sive propinquarum, sive longinquarum motus, ob nervorum illam b obstructionem & compressionem, ad cerebrum, & hinc ad sensorium commune, ubi à mente fit sensatio, deferri non potest.

a Pingantur.) *Sed non ibi pingentur, si sit humoris vitrei cataracta.*

b Obstructionem & compressionem.) *Ergo nervi optici hic idem patiuntur, quod in aliis partibus dicitur paralysis.*

Pupillæ autem oculorum *sunt justo ampliores & nigriores*; quod, propter nervorum opticorum obstructionem & compressionem, perceptio objectorum, qua mens ad spiritus ad pupillam arctandam & crystallinum humorem justo modo a ad anteriora movendum, excitari solent, partim nulla, partim exigua hic fiat; spiritusque etiam, propter idem obstructionis impedimentum, ex cerebro

rebro in fibras pupillarum, & ductuum ciliarium, quibus hæ partes moveri solent, fluere satis copiose non possint.

a Ad anteriora.) *Dubito, num hoc unquam fiat, & nescio, quo experimento id Auctor potuerit asseverare; ubinam quæso maneret humor aqueus? cum enim undiquaque omnia sint plena, quomodo antrorsum posset humor crystallinus moveri?*

Morbus hic a *difficillimæ est curationis*; propterea quod humor nervo optico infixus non nisi maxima cum difficultate inde tolli soleat. Quia tamen hoc malum magnam partem à compressione externâ humorum, inferiorem anterioris cerebri partem, circa nervorum opticorum originem, obsidentium, oritur: & observationes medicorum testantur, nonnullos, hoc affectu laborantes, b sanatos fuisse; non penitus desperandum, sed *Curationem* tentandam censeo.

a Difficillimæ.) *Quia medicamenta & externa, & interna, difficillime ad partem affectam penetrant sine maximo virium dispendio; taceo, quòd eorum tantum exigua portio eò deveniat.*

b Sanatos fuisse.) *Aliquandò hic affectus subito oritur, & iterum subito transit, præsertim cum sanguis non sit Cacochymicus.*

Si amaurosis graviores capitis morbos comitetur vel præcedat, plerumque est immedicabilis, vel signum Lethale.

Eaque in causarum, & obstructionis, per contraria ablatione consistet.

Primò itaque, ad totius corporis evacuationem, tale præscribatur a purgans;

℞. *Fol. senæ* ℥ß. vel ʒvj.
Sem. anisi, fœniculi an. ʒß. *euphrasiæ m.* j.
b *Decoq. in* c *aq. hordei q. s. ad* ℥iiij.
Colaturæ adde diaphœnic. ʒij. *misce.* F. Haustus.

a Purgans.) *Nempe si adfuerit intemperies sanguinis humorumque crassa-viscosa, vel terrestris; præmissâ tamen præparatione per universalia, item Venæ-sectione, si æger sit plethoricus, aut si consuetæ aliquæ evacuationes fuerint suppressæ.*

b Decoq.) *Sufficit infusio calida per aliquot horas.*

c Aq. hord.) *Potius aq. fœniculi.*

Post triduum eadem repetatur purgatio, vel hæ exhibeantur pilulæ.

℞. *Pil. cochiarum* ʒß.
a *Scammonii gr.* x. vel xij.
Cum syr. rof. sol. F. Pilulæ Num. vij.

a Scammon.) *Addatur opportunô tempore merc. dulc. ad* ℈ß.

Ubi purgatio prima peracta fuerit, quandoquidem hoc malum ab ulcerum a consolidatione originem duxit, non tantum posteriori cervicis parti vesicatorium est adhibendum, & eo exsiccato fonticulus, circa tertiam & quartam cervicis vertebram, per causticum est excitandus; sed fonticuli in utroque etiam brachio, circa musculum humeri bicipitem, imo etiam in b utroque crure, excitari debent.

a Con-

a Consolidatione.) *Potius præmaturâ repulsione.*

b Utroque crure.) *Hoc dissuadendum est in macilentis, corporibusque siccis.*

Fonticulis excitatis, & corpore aliquoties purgato, a palpebris & extremis oculorum ciliis, bis in die illinatur liquor, qui ex hepate piscis, *punt-ael* Batavis dicti, tegulæ alligato & radiis solaribus exposito, in vitreum scyphum subjectum exstillat. Ille enim summæ efficaciæ in hoc affectu à nonnullis prædicatur.

a Palpebris &c.) *Omissis acrioribus ea adhibeantur remedia, quæ in cataracta adduximus: caput foveatur aromaticis, sæpiusque pannis calidis & asperis fricetur.*

Si malum his non cedat, ad diætam sudoriferam, purgatione præmissa, tali decocto toto mense instituendam, est accedendum:

℞. *Scobis ligni guajaci ℥iij.*
Cort. ejusdem ℥j.
Lign. sassafras,
Rad. salsæparillæ an. ℥jß.
Infund. per noctem in aq. comm. lib. 6. deinde decoquantur ad a *mediæ partis consumptionem, addendo, sub finem decoctionis.*
Herb. chelidoniæ major. euphrasiæ, verbenæ, fœniculi an. m. j.
De colatura per manicam Hippocratis trajectâ exhibeantur ℥vj. vel viij. calidæ, & proliciantur sudores corpus bene tegendo.

a Mediæ partis consumptionem.) *Sic evanescet virtus ligni sassafras, potiùs ergò hoc sub finem decoct. infundatur, & addatur pauxillum tart. crud. rhen. vel sal. tart. singulis dosibus hujus decocti superbibatur sal volat. C. C. ℥j. in vino vel alio liquore spirituoso.*

Sunt etiam, qui per a salivationem mercurio & mercurialibus factam, hunc affectum curari volunt.

a Salivationem.) *Nec certè malè, modo corpora non fuerint nimis sicca, nam vix aliquod datur medicamentum, quod constantius, canales partium corporis permeat & obstructiones tollit, quàm mercuriale, ritè paratum, & hoc infinitis modis præferendum est auro potabili, aut similibus aliis ex auro vel argento paratis.*

Corpore aliquoties per purgantia & sudorifera recte evacuato, saliva tali masticatorio, mane, & vespertinâ horâ quartâ, erit evocanda:

℞. *Rad. pyrethri, ireos flor. an ℥jß.*
Nucis moschatæ; a *fol. senæ,*
b *Sem. staphid. agriæ, sinapi an. ℥ß.*
Pulverisatis adde mastiches drach. j. ceræ q. s. & formentur globuli masticatorii: & masticetur unus mane, & vesperi, prono capite, frequenter exspuendo.

a Fol. senæ.) *Potius sumatur radix bryoniæ, angel. ver., semen sinap. sol. &c.*

b Sem. staphidis agriæ.) *Hoc potius omit-*

omittatur, tanquam valdè violentum, nam aliquid salivæ facile deglutimus non advertentes, undè vomitus oriri posset pertinacissimus.

Quidam etiam *a* sternutatoriis hic, post justas purgationes, utuntur, quale hoc est:

℞. *Pulv. hellebori albi, tabaci an.* ℈ij.
piperis albi ℈j. *euphorbii gr.* vj.
F. Pulvis sternutatorius, *qui vehementius per nares inspiretur.*

a Sternutatoriis.) *Curationis ordo consistit, in purgatione ex plegmagogis penetrantibus, præmissis universalibus; post purgationem verò, si non requiratur decoctum, protinus potens exhibendum est sudoriferum ex salibus & mineralibus, ut constantius ad nervum opticum penetrare possint particulæ, reserandis obstructionibus aptæ: Si hoc non profuerit; Sternutatorium exhibendum erit, quod in aliis casibus semper suspectum habuimus, in hoc autem casu, (quia vix aliquid gravius evenire potest, quam totalis cæcitas) melius est remedium anceps, quàm nullum: Auctoris sternutatorium est fortissimum.* Bartholinus in Act. Hafn. ann. 1671. obs. xxj *laudat sequentem pulverem nasalem pro oculis:*

℞. Tabaci opt. ℥j.
Majoran. ℥ij.
Euphras.
Sem. fænic. an. ℥j.
Trochisc. agar. ℈j.
M.F.P. subtilissimus cum aq. fæn. s.q.

Bartholinus ibidem disputat, an pulvis debeat esse crassus, an verò subtilis: sed parùm id facit ad rhombum, cùm nonnulli subtilem; alii grossum hunc pulverem desiderent; metus autem, quem nonnullos occupat, ut pulvis subtilis ad cerebrum transeat, supervacaneus est.

Si pulvis sternutatorius non prosit, ad salivationem deveniendum est: Experientia enim constat, Mercurialia potentissime per nervos, glandulas, & vasa Lymphatica penetrare, obstructionesque eorum tollere.

In diæta aër sit calidus & siccus. Cibi boni succi; conditi hyssopo, fœniculo, majoranâ, euphrasiâ, salvia, & imprimis nuce moschata. Potus cerevisia mediocris. Somnus mediocris, & quantum fieri potest, supinus. Exercitia moderata. Alvus laxa. Affectus animi moderati.

XXVII.

MEDICATIO PUERI, PTERYGIO OCULI DEXTRI LABORANTIS.

Puer octo annorum, post variolas, non dum satis rectè exsiccatas, cum sese aëri nebuloso & ventoso exposuisset, incidit in oculi dextri *a* inflammationem; qua per collyria adhibita curata, apparuit in eodem oculo *b* membra-

branula densa & alba, per tunicam conjunctivam & corneam, *c* usque ad mediam iridem, sese extendens, eaque visum aliquantum imminuit.

a Incidit in inflammationem.) Claudinus *notat, homines, frequenter Ophthalmiae obnoxios, tunicam adnatam asperiorem habere; quod ratio etiam suadet, nam sale acri, inflammationem producente, tunica adnata quodammodo eroditur, ita ut aliae extremitates aliis magis emineant, aliae depressiores existant, quare palpebrae organa, admodum sensibilia, has eminentias sub specie asperitatis sentiunt; deinde pori vasorum, & tunicarum magis dilatati, facile particulas crassiores transmittunt, quae asperae tunicae adnatae facile adhaerent, & tandem pelliculam efformant.*

b Membrana densa, & alba.) *Haec membrana aliquando carnosa, aliquando adiposa, & membranosa est, aliquando ex filamentis duris constat, repraesentantibus chordas chelydis, aliquando albicat, aliquando rubet.*

c Usque ad mediam iridem.) *Utplurimum ab angulo interno, raro ab externo, rarissime ab alterutrâ palpebrâ protenditur, & nunc magis, nunc minus latè per oculum extenditur.*

Afficitur in hoc puero *oculus dexter*, secundùm tunicam adnatam & corneam, quod ex alba tunica in iis excrescente & conspicua patet

Morbus, qui illum affligit, est dextri oculi *a pterygium*; sive *b* excrescentia quaedam membranea alba & densa tunicae adnatae & corneae dextri oculi adnascens, & ad mediam pupillam sese ibi extendens, visumque in illo oculo imminuens.

a Pterygium.) *Est protuberantia membranosa, & nonnunquam cartilaginosa, procedens utplurimum ab oculi cantho majore versùs pupillam, estque ferè idem externè, quod suffusio, vel cataracta internè.*

b Excrescentia.) *Tumorem vocat* Claudinus pag. 332. cons. 15.

Causa procatarctica, unde hic morbus principium caepit, est aër nebulosus & ventosus, cui hic puer ante justam variolarum exsiccationem sese exposuit. Inde enim pori corporis & praesertim faciei & oculorum clausi, halitus acres & calidos, libere exhalare solitos, in corpore, facie, & oculo dextro *a* retinuerunt: iique in istis partibus retenti, constituerunt hujus morbi *causam antecedentem*. Pars verò eorum calidior in tunicam adnatam dextri oculi, per poros ibi *b* nimis apertos delata, ibique vehementius incalescens, vellicandoque eam suo calore, & acrimoniâ majorem ad eam humorum calidorum affluxum faciens, induxit, tanquam *causa continens*, primum *oculi dextri inflammationem*, quae per adhibitionem convenientem collyriorum fuit quidem sublata; sed quoniam pars *c* allapsorum humorum circa superficiem tunicae adnatae, ob tenacitatem suam, & pororum vicinorum nimiam angustiam ibi fuit retenta, & in membranae albae rudimentum, secundum particulas suas insensibiles disposita & formata. Hinc dum *d* copiosiores humores in illud rudimentum magis magisque affluebant, factum est, ut primum in tunica adnata, membrana alba & opaca fuerit nata; eaque deinde majus incrementum paulatim sumens, & pedetentim per tunicae corneae superficiem prorepens, partemque iridis & pupillae tegens, *jam aliquantum sua opacitate*, justum radiorum ingressum impediente, inducit visus imminutionem.

a Retinuerunt.) *Ab illa halituum retentione solâ, non potest, per se unguis nasci, alioquin crebra esset carnis luxuriantis generatio, sed accedere debet fibrillarum exsiccatio & humorum coagulatio.*

b Nimis apertos.) *Antea culpavit poros oculorum clausos: quo jure igitur nunc prætexit, poros ibidem nimis apertos? dicatur potius, quod sicuti in vulneribus & ulceribus humidis, vasa facile producuntur & elongantur, unde caro luxurians in iis crescit, ita simile quid hic in oculo fieri, sit verisimile.*

c Allapsorum humorum.) *Verisimiliter illi coagulati fuerunt remediis externis, nimium refrigerantibus & repellentibus, imprudenter applicitis, unde pororum illa obstructio, modo ab Auctore culpata.*

d Copiosiores humores.) *Non tàm à copia humorum, quàm ab elongatione vasorum, memorata generatio illius membranæ derivanda est, nam quamvis corpus non esset intemperatum, & consequenter, quamvis nimia humorum copia non afflueret ad oculum affectum, semper tamen & naturaliter sufficiens copia accederet ad unguem gignendum.*

Quoniam hoc malum *a* acria remedia desiderat, quæ ab oculis ægrè feruntur, ideoque *difficilis* ejus curatio est; quæ sæpe non satis feliciter succedit.

a Acria remedia.) *Potest tamen pterygium tolli instrumentis chirurgicis.* Claudinus *putat unguem facile curari posse, quia membranam hanc leviter tantum tunicæ adnatæ affixam esse ait, quod quidem aliquando verum est, & tunc curatio facilis est, sed etiam aliquando satis firmiter tunicæ adnatæ adhæret, & tunc curatio admodum difficilis est.*

Ea tamen in hoc puero, cum morbus non sit antiquus, per membranæ istius ablationem tentanda.

Primo itaque purgetur hic puer tali medicamento *a* purgante:

℞. *Syr. de passulis laxativis* ℥j. *scammonii gr.* iv.
Aq. decoct. hordei ℥jß. *Misce* F. haustulus brevis,
Aliquoties reiterandus.

a Purgetur.) *Nempe si huic affectui Plethora aut Cacochymia adjungatur. Verùm si hic affectus ortus sit, sine notabili intemperie sanguinis, & tantùm dependeat à mutatis poris vasorum ipsiusmet partis affectæ, quorsum tunc purgatio inserviet?*

Deinde adhibeatur oculo bis terve in die tale *a* Collyrium:

℞. *Aq. rosarum* ℥iiij.
Salis ammoniaci q. s. ad levem acrimoniam linguâ percipiendam, eaque mixta indantur pelvi æneæ barbitonsorum, & in ea relinquantur per bidùum vel triduum, donec colorem viridem acquirant.

a Collyrium.) *Hic prius usurpanda sunt emollientia, incidentia, & attenuantia, ut vapores decocti alicujus aromatici & nonnihil emollientis, posteà usurpentur ea quæ in cataracta præscripta fuere: collyrio Auctoris cum fructu addi possunt crystalli veneris.*

Hoc remedium si non suffecerit, *a* ad acriora erit procedendum, quale hoc est:

℞. *Lap.*

℞. *Lap. hæmatit.* ℥ij. *vitrioli alb. usti, virid. æris usti an* ℥iij.
b *Myrrhæ, croci an.* ℥j. *piperis longi* ℥ß.
c *Sacchari candi* ℥ß. M. *Pulverisentur subtilissime.*

Hujus pulveris ℥j. misceatur cum aq. *d* raphani ℥ij. & applicetur bis terve in die, prout puer ferre poterit.

a Ad acriora.) *Talia quoque sunt fella piscium, aut*
℞. Aq. rosar.
euphrasiæ
fœnic. an. ℥ij.
Mercurii sublimati corros. tenuissime triti ℈ß.
M. Cujus gutta una aut duæ instillentur quotidie mane in oculum. Vid. Blasium in therap. speciali.

b Myrrhæ.) *Myrrha hic prodest, & sacchar. candi, si levis sit unguis; aliàs sumatur fel, coctione inspissatum, pumex pulverisatus, & sanguis anguillæ vivæ.*

Quidam applicant collyrium de saturno, vel de thure Rhasis.

Alii sal ammoniacum cum venere calcinant, & in humidum locum reponunt, ut sponte per deliquium solvatur; postea aquam cum aliis temperatam applicant.

c Saccharum.) *Saccharum addit partim ob scabritiem, partim ob acrimoniam salinam & abstergentem.*

d Raphani ℥ij.) *Sit* ℥j. *interim non video, cur chirurgica operatio non esset facilior, quam hæc acris pharmacia.*

Ante & post horum usum, ad dolorem leniendum, oculus fovendus erit decocto *a* emolliente *malvæ, althææ, fl. chamomill. meliloti, sem. cydon. fœnigræci, papaveris.*

a Emolliente.) *Idem suadit* Claudinus loco citato.

Confer. Celsus lib. 7. cap. 7. Aquapendens parte 1. cap. 18.

Si his localibus medicamentis pterygium tolli nequeat, *a* ad chirurgiam, quam Celsus, Paulus, Aërius, Aquapendens, aliique describunt, si placuerit, erit deveniendum

Victus sit attenuans & incidens.

a Ad Chirurgiam.) *De Chirurgicâ operatione* Claudinus *satis appropriatè scribit, & docet, quomodo pellicula instrumento ab oculo divellenda sit; vel si oculo nimis firmiter adhæreat, quomodo filo sericeo debeat ligari, & forcipe abscindi; patiens (modicè refocillatus) ad lumen, in sella appropriata, collocetur; sique sinister oculus affectus sit, caput ad latus reclinandum, vel cubitu in sellam deflexô fulciendum est, si verò dextrum occupaverit unguis oculum, supinus in gremium Chirurgi capite suo æger decumbat: tunc palpebræ sunt diducendæ manibus servi, vel plumbeo annulo, inter palpebras & oculum immittendo: posteà Chirurgus forcipe appropriatô, unguis s. pterygii medium arripiat, illudque elevet (quantum poterit) manu sinistra, tunc trajiciat acum argenteam vel chalybeam (cujus extremitas sit lata & incurvata) filo robusto instructam; quô factô supra filum est constringendum, ut servus unguem elevet; tunc ope lancettæ, vel cultelli myrtiformis, sensim separanda est ungula, incipiendo à parte iridis s. pupillæ, & evitando lachrymalem glandulam, nè stillicidium lachrymarum resultet continuum: factâ aliquali separatione, trajiciatur acus, nervô citharæ instructa, inter pupillam & separatam ungulam, fiatque reciprocatio (quasi cum*

serra) ut commodè hoc modo id solvatur, quod lancettis, vel separatorio fieri non poterat. Dùm instituitur separatio, sanguis emanans, spongiâ est imbibendus & abstergendus, nè Chirurgus in operatione impediatur. Separatâ ungulâ ad punctum corneæ tunicæ, auferenda sunt fila, & forcipe arripiendum est corpus unguis, idemque elevando abscindendum; ita tamen nè lædatur glandula lachrymalis: operatione facta imponatur aq. sperm. ran. cum sacch. saturni. Confer manual. operat. Corn. Soling.

XXVIII.

MEDICATIO JUVENIS, PANNO OCULORUM LABORANTIS.

JUvenis 25. annorum, cum, *a* à variolis non satis accurate curatis & consolidatis se intempestive, sub tempus autumni, aëri aliquot dies foris exposuisset, incurrit in quandam oculorum inflammationem; cui cum remedia convenientia non adhiberentur, excrevit hoc malum in tantum intra paucos dies, ut jam panniculus ex vasculorum sanguine repletorum distentione rubens, tanquam *b* tela carnosa in superficie oculorum, ac præcipuè tunicæ adnatæ appareat. Oculi offenduntur à lumine, & contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ. Visio non tantum est obscura, sed fere tota ablata.

a A variolis.) *Ita etiam loquutus est in* medic. anteced.

b Tela carnosa.) *Sic distinguitur à simplici ophthalmia, cataracta, & ungue.*

Afficitur in hoc ægro, utriusque oculi & præcipue *adnatarum tunicarum superficies*; idque ex præcedente inflammatione, & ex insecuta panniculi in illis excrescentia patet.

Morbus, qui ipsum torquet, est *pannus, sive panniculus utriusque oculi:* qui est, *a* membrana rubicunda, supra adnatam & corneam tunicam præter naturam genita, visusque obscuritatem hic magnam inducens, atque cum intemperie sanguinea, & nimis laxâ utriusque oculi etiam conjuncta.

a Membrana rubicunda.) *Quid sit hæc membrana, dicemus circa causam continentem.*

Causa a procatarctica, unde hic morbus primùm originem duxit, fuit aër autumnalis, externus, cui noster juvenis corpus suum, à variolis nondum satis curatum, foris per aliquot dies exposuit. Inde enim pori corporis, & præsertim oculorum, clausi, halitus acres & calidos exhalare solitos, & etiamnum emittendos, in corpore retinuerunt. Iique retenti b *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in oculorum tunicas adnatas per poros postea

nimis

nimis dilatatos delata, ibique vehementius incalescens, induxit, tanquam *causa continens*, primum *oculorum inflammationem*.

a Procatarctica.) *Hæc eadem esse potest, quæ in ophthalmia, cataracta, & pterygio fuit adducta*

b Antecedentem.) *Intemperies salina acris, quæ post intempestivam variolarum curationem remansit, merito dici potest causa antecedens; sed præcipua sive continens panni causa est, vasculorum capillarium tunicæ albugineæ repletio à sanguine crassiore, qui postea videtur naturam carnis assumpsisse.*

Nempe notandum est, ægros variolis, & morbillis correptos, admodum calidis Hypocaustis, vel aliis mediis foveri, nec non medicamentis curari sudoriferis: hinc pori & canaliculi corporis magis patent; crassioresque humores suscipiunt: ergò cùm æger se subitò frigido aëri exponeret, forte fortuna factum est, ut inflammatio tunicæ adnatæ oculorum orta sit, quemadmodùm suprà in aliis inflammationibus explicavimus: hæc itaque inflammatio cum non curaretur medicamentis convenientibus, sanguis ad vascula antea invisibilia vehementius propulsus ea in latitudinem, & longitudinem extendit, cùm autem ea sibi invicem sint valde intricata, repræsentant telam quandam rubicundam, quasi carnosam.

Cumque illi pori nimis aperti, ob apta remedia neglecta, passim magis magisque aperirentur, hinc deinde factum, ut ex humoribus sanguineis, per poros illos nimis apertos exsudantibus, paulatim *membrana quædam rubens, tanquam tela carnosa, in superficie oculorum fuerit* per partium cohæsionem & conglutinationem *genita*, eaque paulatim magis magisque crassescens inducit jam, per radiorum à pelliculæ istius crassitie factam ex oculis exclusionem, *non tantum obscuram, sed fere penitus ablatam visionem*.

Et quia oculi ex affluxu humorum non tantum foris, sed etiam intus *a* valde teneri sunt facti; hinc contingit, ut *oculi à contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ, item à lumine valdè offendantur.*

a Valde teneri.) *Hæc locutio nimis est vulgaris, & obscura; dic potius, quod fibræ & canaliculi in parte inflammata, sint plus solito tensi, ita ut periculum incurrant ruptionis, propter quod mens dolorem suscipit.*

Morbus hic, quia est in parte, acutissimo sensu prædita, atque ideo à remediorum, præsertim acrium contactu *a* exacerbari solet, difficilis erit curationis; imò si diuturnior sit, Chirurgiâ tantum auferri poterit.

a Exacerbari.) *Nempe salia acria inflammationem fovent & augent.*

a *Curatio* consistet in causæ antecedentis, & membranæ ac intemperiei istius ablatione.

a Curatio.) *Coincidit hæc, cum curatione Pterygii.*

Primo itaque *a* purgetur æger tali Medicamento:

℞. *Pil. cochiarum* ℈ß. *scammonii gr.* x.
F. *pilulæ*, Num. vij *aliquoties reiterandæ*.

a Purgetur.) *Purgatio nihil facit ad rem, nisi forte alvô constipatâ, & tunc quidem cautè, cùm sanguis hic sit valdè acris.*

Postri-

Postridie *a* sanguis educatur è brachio dextro ad ℥vij. & sequente die etiam ex sinistro.

a Sanguis educatur.) *Venæ-sectio (si opus sit in corpore plethorico) præcedat medicamenta alia.*

Cucurbitæ etiam collo & scapulis; primùm sine, & deinde cum scarificatione, sunt adhibendæ, uti & vesicatorium.

Corpore sufficienter purgatô, ad topica veniendum, quæ panniculum absumere valeant; à mitioribus incipiendo, quale hoc est:

℞. a *Ossis sepiæ* ℈j. *sacchari candi* ʒj.
Vitrioli ℈ß. *tutiæ præp.* ʒß. *misce* F. pulvis subtilis, *panno inspergendus.*

a Ossis sepiæ & sacchari candi.) *Ex* River. prax. lib. ij. cap. 18. *Fotus aliquis discutiens, maximè convenit.*

Quod si non sufficiat, ad fortiora est veniendum: quale hoc est, à multis in hoc affectu summopere *a* laudatum;

℞. *Succi fœniculi* ℥iiij. *chelidonii* ℥iij. *rutæ* ℥ij. *malvæ* ℥ijß.
b *Aloës* ℈j. c *æruginis* ℈j.
Zingiberis, cinnamomi an. ℈ß.
Fellis anguillæ ʒß. *bubuli, aut porcini* ʒij.
Sacchari candi ℈ij. *mellis optimi* ʒß.
Bulliant succi, addendo reliqua, & depurentur.
F. Collyrium, *bis in die in oculos instillandum.*

a Laudatum.) *Nempe à* Foresto & Riverio.

℞. Lact. Muliebr.
Croci,
Fell. Carpion. a. p. æq.

Incalescant in vitro aut testâ ovi, & aliquoties calidè in oculum indies instillentur gutt.ij.

Forestus *ait, ab empirico, summo cum successu, usurpatum fuisse seq. hoc:*

℞. Aq. Fænic.
Rosar. a. unc.j.
Salis Gemmæ drach.j.
M. F. Collyrium.

Idem laudat sequens:

℞. Lapid. Hæmatit. drach.ij.
Vitrioli Alb.
Virid. Æris Ust. a. drach.iij.
Myrrh.
Piperis Longi.
Croci an. drach.j.
Sacchar. Cand. unc. sem.
M. F. Pulvis.

Hujus pulveris accipe drach.j. dissolve in aquæ raphan. unc.j. vel unc.ij. quod si nimis adhuc acre existat, plus aquæ alicujus stillatitiæ ut euphrasiæ, &c. addatur, & pro rata oculo applicetur.

b Aloës.) *Habet hæc vim erodendi, unde cavendum, nè præsertim ærugine addita, inflammatio augeatur.*

c Æruginis.) *Ærugo usta sola lacti commixta adhiberi poterit. Ob scabritiem levem laudatur pollen. lapid. Pumicis, & ossis sepiæ.*

Forestus *maxime laudat liquorem ex formicis rubris, in arboribus degentibus, expressum in oculos instillatum.* Hartmannus *laudat oleum Saturni.*

Pro pueris accipe mellis pauxillum, & eo illinatur interior superficies pelvis æneæ; pelvis leni igni imponatur, donec mel virescat, & oculi eo inungantur.

Ante

Ante usum talium remediorum, pars fovenda est decocto emolliente *malvæ, fol. violariæ, sem. malvæ, cotoneor. papav. sem. fænigræci, meliloti, & similium,* quod etiam post eorum applicationem, est ad dolorem leniendum.

Si his topicis pannus absumi non possit, *a* ad *chirurgiam* est veniendum.

a Ad chirurgiam.) *De operatione chirurgica vide* Ætium, & Celsum.

In *diæta*, luminosum aërem vitet æger; tenui utatur victu; abstineat ab omnibus *a* fumosis; quies corporis hic laudatur; alvus sit lubrica, natura vel arte.

a Fumosis.) *Id est, à salsis, & fumo conditis, alliis, cæpis, similibusque acribus, item à crassis, viscosis, multoque aromatum usu.*

XXIX.

MEDICATIO FOEMINÆ, ÆGILOPE, CUM PALPEBRARUM, ET MALÆ INFLAMMATIONE LABORANTIS.

FOEmina quadraginta annorum, plethorica, cum, diu fluxum sanguinolentum & purulentum ex *a* nare sinistra esset passa, tandem *b* fluxu illo cessante, incidit in dolorem, sinistrum capitis latus occupantem: Apparuitque tuberculum, in oculi sinistri cantho sive angulo interiore, durum, rubrum & ex contactu dolens: Ac deinde, cum hujus mali curationem neglexisset per aliquot dies, subsecuta est inflammatio in palpebris & mala, tumore, dolore, & rubore comitata.

a Nare sinistra.) *Hoc in principio indicare posset ozænam, nisi sequentia conjungerentur symptomata.*

b Fluxu illo cessante.) *Debuisset addere causam, cur fluxus ille cessaverit, an sponte, an forsan ex medicamentis intempestive repellentibus, & refrigerantibus. Vide historiam* pterygii.

Afficitur in hac ægra *sinistrum capitis latus*; quod ex ejus dolore: Item *caruncula lachrymalis*, quæ est in cantho interiore oculi sinistri; quod ex ejus tuberculo, rubore, & dolore: Nec non ibidem *palpebræ & malæ*; quod ex earum inflammatione, & symptomatis hanc comitantibus, & enarratis, & manifestum.

Morbus, quo hæc fœmina affligitur, est *a Ægilops*, sive intemperies sanguinea & biliosa, carunculam lachrymalem, in cantho majore oculi sinistri existentem, in tuberculum dolens, rubrum, & *b* durum attollens. Eaque, in hac ægra, inflammatione palpebrarum & malæ est comitata.

a Ægi-

a Ægilops.) *Ægilops dicitur tuberculum carunculæ lachrymalis exulceratum: sed aliquando cum Anchilope confunditur, nec adeò magna est inter hos affectus differentia: nempe tumor glandulæ, quasi vesiculâ inclusus dicitur Anchylope, sive anchylops, cum verò tumor exulceratur, dicitur demùm ægylops: cum ulcus inveteratum est, in fistulam lachrymalem degenerat.*

b Durum.) *Hoc licet magis in anchilope locum habeat, quàm ægilope, attamen latera partis exulceratæ, hic quoque sunt renitentia & dura.*

Causa, unde hic morbus primò originem duxit, est *a* plethora, in hujus ægræ corpore observata. Inde enim, accedente sanguinis nimis copiose affluentis *b* corruptela, *sanguinolentus & purulentus ille fluxus ex nare sinistra*, propter poros circa illam præ cæteris magis *c* apertos, fuit ortus: eoque cessante *d* materia biliosa & sanguinea in toto corpore, & præcipuè in sinistro capitis latere, redundans, easque capitis partes distendens, & vellicans, induxit *in iis dolorem*. Ad carunculam verò lachrymalem canthi majoris oculi sinistri, & postea, neglectâ hujus mali curatione, etiam ad palpebram & malam sinistram, per vicina vasa, hic plus satis secundùm poros aperta sese effundens, ibique vehementius effervescens, produxit *tuberculum illud oculi, Ægilops dictum, inflammationemque palpebrarum & malæ*, hoc comitantem.

a Plethora.) *Hæc causa* antecedens *valdè longè est petita, & planè accidentalis,*

b Corruptela.) *Ex plethora hæc corruptela per se non sequitur, tunc enim totum deberet corpus laborare, sed verisimiliter inflammatio aliqua præcessit, quæ non fuit insensibiliter discussa, quod Auctor in historia omisit.*

c Apertos.) *Id est, detortos, & corrosiva vi salis vel acidi erosos.*

d Biliosa & sanguinea.) *Dic potiùs ab acri, nonnihil corrosiva salina aut acida materiâ (quam tamen in toto corpore redundare, non est necesse) non solùm, partes quasdam narium primo inflammatas, & postea exulceratas fuisse, sed etiam glandulam lachrymalem tanquam valdè partem propinquam idem pati.*

Morbus hic propter acutum partis affectæ sensum, & remediorum commodè adhibendorum difficultatem, satis difficulter curatur: &, propter inflammationem vicinarum partium, satis est periculosus. Præterea suppurari hoc malum sæpe solet, & *a* haud raró in fistulam lachrymalem abit.

a Haud raró.) *Est videlicet principium fistulæ lachrymalis, & ordinariè comitem habet cariem ossis subjecti, quam satis indicat puris vehemens fœtor, color subater, aut ex Viridi-cœruleus, nec non consistentia valdè tenuis.*

Diligenti itaque *Curatione* hic morbus erit impugnandus, quæ in plethoræ ablatione, biliosorum humorum è toto corpore evacuatione; & deinde in humorum ad partes affectas affluentium revulsione; allapsorum discussione vel suppuratione: ac denique in ulceris, *a* forsan superventuri, mundatione, exsiccatione, & consolidatione consistet.

a Forsan.) *Atqui jam adesse ulcus, patet ex puris per nares effluvio.*

Primò itaq; venæ sectione ex brachio sinistro educatur sanguis ad uncias octo vel decem, habitâ ratione virium; ad alterandum, evacuandum, & revellendum.

Ad-

Adhibeaturque partibus affectis faciei hoc *a* cataplasma.

℞. *Herbar. Malvæ,* *Farin. sem. lini*
Altheæ, *Fœnigræci, ana* ℥ß.
Chærefolii ana M.j. *Medullæ panis candidi* ℥ij.

Cum lacte vaccino q. s. fiat Cataplasma , *de quo mane & vesperi sumatur pars sufficiens, quæ linteo intensa tepide adhibeatur.*

a Cataplasma.) *In principio morbi discussio est tentanda: quę tentari potest spiritu panis siliginei subacidi, per descensum destillati, & in mortario ęneo aliquandiu relicti.*

Riverius *in praxi suâ medica* lib. 2. cap. XV. *decoctum commendat, ex myrrhâ, aloë, croco, & melle, coctis in aqu. commun. lento igne ad mediæ partis consumptionem.*

Primo itaque adhibeatur spiritus panis siliginei, tum decoctum Riverii, *& si tumor ita induruerit, ut discuti nequeat, tum est maturandum, & suppuratio promovenda: ad quod cataplasma Auctoris confert.*

Secundo die tale præscribatur *a* purgans:

℞. *Pil. cochiarum* ℈ij.
Scammonii opt. gr. v.

Cum syr. ros. sol. q. s. Fiant pilulæ Num. viij. *sæpius, pro ratione affectus, repetendæ.*

a Purgans.) *Iterum bene, si peccet intemperies crassa.*

℞. Extract. Pil. coch. ℈j.
Diagrid. gr. iij. *Fiant Pilulæ.*

Sub vesperam scapulis & colli posteriori parti admoveantur cucurbitæ sex, cum scarificatione.

Potest etiam vesicatorium collo adhiberi; locusque excoriatus *a* diu apertus servandus, imposito folio brassicæ, vel emplastro diachylo.

a Diu apertus.) *Hoc satis arguit, vesicatorium hoc in casu inutile esse tormentum.*

Imò, in pertinacia hujus mali, cauterium vel setaceum in nucha erit adhibendum.

Si prædicto cataplasmate; aut aliis remediis, tumor *a* resolvi nequeat, sed ad suppurationem tendat atque perveniat, tum abscessus, *b* si sponte non aperiatur, *c* ferro aperiendus est; idque quam primum; si enim apertio differatur, pus partes vicinas erodit, & fistulam incurabilem sæpe producit.

a Resolvi nequeat.) *Qui posset resolvi, cum tot usurpata sint emollientia?*

b Si sponte non aperiatur.) *Ubi ad os pertingit, (inquit* Hier. Fabr. ab Aquapend.) *sive vitiatum; sive nudatum tantùm sit os subjectum, adurentibus ferramentis succurritur. Cancrosam fistulam chirurgiâ non esse attingendam, à Celso sumus admoniti, quoniam mortem curatio hæc maturat.*

Primò ulceri imponatur particula cauterii potentialis, cumque escharam induxerit, hæc est removenda, ad quod digestivum Auctoris convenit, ex

Resin. Therebinth. &
Vitell. Ovor.

Remotâ escharâ adhibeatur seq.

℞. Mercurii prœcipitati rubri gr. xij.
Aluminis usti gr. ij.

Excipiantur unguento aureo, vel basilico & melle rosar. sicque applicentur.

Ab hoc medicamento iterùm producetur Eschara, quæ est removenda digestivo Auctoris ex therebinth. & vitell.

ovor. tum denuò præcedens unguentum imponatur, & eschara (ut ante) removeatur, hocque toties repetatur, donec ad os usque perventum fuerit, ut constet, an os læsum sit, nec nè; si os sit illæsum: tunc solummodo est exsiccandum linteis carptis, aquâ aluminosâ madefactis, bis in die mutatis, & ulcus consolidandum, & cicatrisandum est.

c Ferro aperiendus.) *Si nempe locum affectum digito palpantes, advertamus pus intus latere, forcipe utendum est.*

Abscessu in cantho oculi majore sponte vel arte rupto, ulceri imponatur tale medicamentum:

℞. *Resinæ therebinthinæ,*
Vitelli ovi ana ℥j.
Misce & extendatur super linteo; de quo abscissa pars adhibeatur in forma a Emplastri, *cum parva turunda.*

a Emplastri.) *Omni laude dignum quoque est hoc in casu* balsamum Arcæi.

Si oculus a valdè rubeat, pannus intinctus sequenti Collyrio, supra oculum clausum ponatur tepidè:

℞. *Aq. still. rosarum,*
fœniculi an. ℥iß.
Tutiæ præp. ʒj.
b *Lapid. Hæmatitis ℈ß.*
Mucilag. sem. fœnigræci ʒj.
Misce cum s.q. albuminis ovi.

a Valdè rubeat.) *Si oculus valdè rubeat, pauxillum spiritus vini theriacalis camphorati valet, item aqua nitrata cavendo tamen ne oculum subintret.*

b Lapid. Hæmatitis.) *In vehementi inflammatione, qualis hic ponitur, valide adstringentia sunt suspecta; adde potius* Camphoræ gr. viij. *quæ terantur primò* cum Tutia, *& postea cum* Mucilagine *illa misceantur.*

Ad abstersionem ulceris, emollitionemque reliquiarum tuberculi, & cicatricis inductionem, applicetur hoc emplastrum:

℞. a *Aloës hepaticæ,*
Mellis ana ʒj.
Myrrhæ ʒß.
Croci,
Fellis ovilli an. ℈ß.
Misce cum resina terebinthinæ q.s. in formam Emplastri.

a Aloës, Mellis, Myrrhæ.) *Hæc sunt* mundificantia & abstergentia, *cæterùm mel addi potest præcedenti digestivo ex terebinth. & vitello ovi.*

Ad escharæ supernascentis a separationem adhibeatur emplastrum, superius præscriptum, ex terebinthina & vitello ovi.

a Separationem.) *Ad separationem aliquandò sufficit butyrum recens insulsum.*

Eschara a si difficulter cedat, prudenter debet exscindi, vel forcipe extrahi.

a Si difficulter, &c.) *Satis feliciter decidet, si applicetur unguentum rosatum, alb. camph. vel pomatum cum Mercurio præcip. alb. edulcorato. Si commodè pus externè evacuari nequeat, consilio* Aquapendentis *terebrâ perforandum est os narium, ut pus evacuetur.*

Victus

Victus ratio sit tenuis, *a* & ad frigidum declinet. Quieti opera danda. Alvus sit lubrica arte, vel natura.

a Ad frigidum.) *Sit temperatus.*

XXX.

MEDICATIO FOEMINÆ,

FISTULA LACHRYMALI, IN OCULI SINISTRI ANGULO MAJORE LABORANTIS.

FOemina viginti quinque annorum *a* ex ægilope sinum habet in majore sinistri oculi angulo, *b* ad os usque penetrantem; unde pus crassum & fætidum, cum multis lachrymis, fere continuo effluit. *c* Per annum integrum à chirurgis quibusdam miserè fuit afflicta, & per diætam valdè extenuata.

a Ex ægilope.) *Idem ferè est cum antecedente affectus, adeòque entia hic multiplicantur citra necessitatem.*

b Ad os usque.) *Quod ut plurimum carie efficitur.*

c Per annum integrum.) *Hæc faciunt ad prognosin.*

Afficitur in hac ægra angulus major oculi sinistri: quod ex pure crasso & fœtido, item ex lachrymis inde perpetuo effluentibus, patet.

Morbus, qui eam affligit, est *a* ulcus purulentum profundum & angustum canthi majoris oculi sinistri; quod ad os usque, cum multa lachrymarum profusione, penetrans, *Fistula lachrymalis*, vulgò appellari solet.

a Ulcus.) *Aliquando foris apertum est, ordinarie autem perterebrat os narium, itaut pus per nares evacuetur.*

a *Isque* originem duxit ex Ægilope, sive tuberculo bilioso & acri, carunculam lachrymalem canthi majoris oculi sinistri antehac occupante. Illo enim suppurato, & vicinis partibus ab acri materia ad os usque exesis, natum est hoc profundum & angustum ulcus, pus & lachrymas *b* ob poros, tum sanguinem, tum serum, ad illas partes perpetuo deducentes, nimis apertos, continuò effundens.

a Isque originem duxit.) *Fistula hæc gignitur, dùm materia purulenta, ratione particularum suarum acrium & corrosivarum, fibrillas & vascula per lineam rectam ita consumit, ut sinus continuatus producatur, & quoniam acres multæ particulæ, laterum poris sunt infixæ, idcireò crassities callosa ibidem resultat, quæ ferè omnibus fistulis communis est.*

b Poros nimis apertos.) *Potius ob eosdem obstructos, & circulum humorum in vicinia impeditum, unde debet extrorsum erumpere; ad lachrymas continuas faciunt etiam vasa lachrymalia erosa.*

Morbus hic quia tam altas egit radices, ut annum integrum duraverit; *a* osque subjectum à pure & lachrymis corruptum esse videatur; *b* difficilis erit curationis ac vix sine cauterio auferri poterit.

a Osque subjectum, &c.) *Aliquando materia acris purulenta per malas descendens eas exedit; bene autem Auctor hic ossis subjecti mentionem facit, ut notet, an os sit denudandum, & cauterizandum nec ne.*

Difficultas curationis in ægilope inveterata, dependet ex eo, quod pori induruerint, adeo ut ad naturalem figuram & magnitudinem vix reduci possint; item quod vel minima humoris acris corrosivi portio superstes, alios à tergo succedentes humores, in sui naturam commutare possit.

b Difficilis erit curationis.) *Vid. quę notata sunt ad prognosin ægilopis.*

Curatio in humorum in toto corpore peccantium evacuatione, allabentiumque revulsione: item in ulceris mundatione, *a* ossis corrupti eductione, carnis generatione, cavitatisque consolidatione consistet.

a Ossis corrupti eductione.) *Id est, separatione lamellarum ossis, carie corruptarum, per cauterium actuale, & posteà eductione: Hæc autem proposita sunt in medicatione præcedente.*

Primò itaque exhibeantur hæ pilulæ purgantes:

℞. *Pilular. cochiarum,*
aurearum an. ℈j.
Scammonii optimi gr. vj.
Cum syr. ros. sol. q. s. Fiant Pilulæ Num. vij. *mane exhibendæ, & subinde reiterandæ.*

Postea sex *a* cucurbitulæ collo utrimque sine sectione applicentur per biduum; & tertio die cum scarificatione.

a Cucurbitulæ.) *Hæ (si Dis placet) miraculum præstabunt.*

Deinde usurpetur talis *a* injectio, bis in die in fistulam syringâ injicienda:

℞. *Lixivii, aquâ communi ex cineribus ligni quercini facti* ℔ß.
Aceti ℥j.
Rosar. rubrarum,
Balaustiorum, ana ℥ß.
Gallarum ℥j.
Fol. rutæ M. ß.
Decoq. & colentur pro Injectione.

a Injectio.) *Non diu persistendum est in pharmaceuticis, sed quanto ocyus pergendum est ad chirurgica: si foramen fistulæ non fuerit satis magnum, amplietur vel forcipe, vel spongiâ præparata oleo illitâ & cathæreticis cōspersâ: tunc sumatur cannula exigua ferrea vel cuprea & super periostium, vel os denudatum applicetur, & secùdùm ejus ductum immittatur cauterium actuale, quô mediante separetur mēbrana & os cariosū: deniq; usurpetur* balsam. Arcęi.

Si,

Si, post aliquot dierum hujus injectionis usum, forsan portio ossis maxillæ superioris in oculi angulo ad nares cum parte carnis putridæ & fœtidæ per nasum *a* in palatum sive cavitatem oris erumpat; tum continget, ut nullum pus, nec ullæ lachrymæ amplius ex oculi sede foras effluant; sed omnia per nasi amplitudinem in palatum decident.

a In palatum.) *Confer* Aquapend. loc. cit. in med. præced.

Tumque tale *a* unguentum in ulcus immittatur:

℞. *Thuris*,
Sarcocollæ,
Sanguinis draconis,
Aloës an. ℨj.
Antimonii crudi,
Plumbi usti & loti,
Tutiæ.
Lapidis hæmatitis an. ℨij.
Balaustiorum,
Aristolochiæ rotund. ana ℨiß.
Aluminis ℨij.
Æruginis ℈j.
Subtiliter pulverisata excipiantur s. q. mellis & therebintinæ, & fiat s. a. Unguentum.

a Unguentum.) *Unguentum simile vide apud* Hartm. in Praxi, *Juvat hic unguentum fuscum Felicis Wurtz. Adstringentia non nisi in principio & fine sunt utenda; in statu vero digestiva, postea exsiccans unguentum & detergens, denique consolidans.*

Perseveret Chirurgus in usu hujus unguenti & lixivii, bisque in die usurpentur.

Nuchæ etiam, inter horum usum, adhibeatur, ad revellendos ab oculis, affluentes humores, cauterium potentiale. Et ubi eschara ablata fuerit, servetur fonticulus aliquamdiu apertus imposito piso, & superposito Sparadrapo pro fonticulis Pharmacop. Ultrajectinæ.

Detur quoque, ad promovendam ulceris hujus sanationem, *a* tale decoctum:

℞. *Fol. tanaceti*.
b *Caulium rubr.*
Agrimoniæ,
Filicis majoris,
Filipendulæ,
Pimpinellæ,
Ceterach. ana m.j.
Myrthi ana m.ß.
Rad. liquiritiæ ℨj.
Cicerum rubror. p. ij.
Decoq. in aq. communi q. s. ad ℔jß. *Colaturæ addatur sacchar. q. s. & Fiat* Apozema, *pro quinque vel sex dosibus.*

a Decoctum.) *Si videlicet acer viscosus sanguis peccaverit, sumatur decoctum guaj. salsap. chin. & liquirit. Auctoris decoctum est* mundificans *& vulnerarium sed eliminetur saccharum.*

b Caulium rubr.) *Si sanguis sit valdè acer loco caulium rubrorum & tanaceti.*
℞. Fol. hyoscyami
solani an. m.jß.
Sem. papav. ℨß. *sc. pro* ℔v. *aut* vj.

a Purgatio quoque subinde instituatur his pilulis, quas de duobus appellare soleo:

℞. *Aloës pellucidæ*
Scammonii optimi ana gr. xi.
Cum ol. cariophyll. gutt. j. *& syr. rof. sol. q. s.* F. pilulæ N. iv.

a Pur-

a Purgatio.) *Potiùs*
℞. Aq. fœn. ℥ij.
elect. cholag.
hydr. Sylv. ana ℥ij.
tart. vitriol. gr. xv.
Syr. rof. sol. ℥ß.
M. F. Hauft.

Ubi ulcus ſanari inceperit, ſi intus illud tunicâ ſuccingatur, nè ſinus apertus ibi maneat, portiuncula *a* cauterii potentialis erit immittenda; quæ mirè quidem uret, ſed illico *b* remittet dolor.

a Cauterii potentialis.) *Raro fiſtula curatur ſine cauteriis, uti ſupra diximus. Si æger ferrum candens admittere nolit, cauterium potentiale ſumi debet, ſed cavendum ſedulò eſt, ne tale cauterium ſuâ acrimoniâ nimis penetret ad partes vicinas ſanas.*

Ubi materia acris inter os genæ, & muſculos oſſi ſuperſtratos proſerpit, Aquapendens *vult, os narium, ſubtili terebello, perterebrandum eſſe, ut ita per nares materia acris effluat.*

b Remittet dolor.) *Modò ſucceſſerint remedia* mitigantia, *huc facit unguentum diapomph. officin. tanquam exſiccans alb. camph. roſ. &c.*

Poſtea, ad carnem generandam, hoc ſarcotico unguento erit utendum.

℞. *Rad. ariſtolochiæ rotundæ,*
iridis,
Cortic. thuris ana ℥iß.
Maſtiches,
Myrrhæ.
Sarcocollæ,
Aloës,
Lapid. calaminaris ana ℥j.
Mellis q. ſ.
Miſce F. Unguentum.

Victus ratio ſit tenuis & *a* ad frigidum declinans. Atque eo magis, quo ſymptomata fuerint graviora. Præſertim ſi forſan chirurgia per ferrum vel *b* ignem actualem vel potentialem ſit adminiſtranda.

a Ad frigidum.) *Sint omnia temperata.*

b Ignem actualem.) Celſus lib. 7. cap. 7. ait, *hamulo ſummum foraminis excipiendum eſſe, deindè totum id cavum, uſque ad os excindendum, oculoque & cœteris junctis partibus benè obtectis, os ferramento adurendum eſt vehementius: quod ſi jam carie vexatum eſt, quo craſſior huic ſquamma abſcedat, quidam adurentia imponunt, ut atramentum ſutorium, vel chalcitidem, vel æruginem raſam, quod & tardius & non idem facit. Oſſe aduſto curatio ſequitur eaſdem, quæ in cæteris uſtis.*

XXXI.

MEDICATIO JUVENIS, *a* CATARRHO CALIDO ACRI, ET SALSO MOLESTATI.

Juvenis viginti octo annorum, euſarcus, plethoricus, & vino largiore ſæpiuſculè ſeſe oblectans, poſtquam diu æſtu ſolis ſub dio incaluiſſet, incidit in

in magnam capitis incalescentiam & gravitatem. Eam jam comitatur copiosus, acris, *b* tenuisque & salsi humoris, per nares & in os defluentis, descensus, ejusque copiosa & frequens cum screatu per os rejectio. Adest faciei rubedo, atque etiam tussicula, vesperi sub lecti ingressum ingravescens: & noctu sæpe omnem somnum ipsi adimens. Pulsus adest celer, creber, magnus. Plus justo sitit. *c* Urina est rubicundior.

a Catarrho.) *Catarrhus est nomen generale, significans defluxionem humorum determinatorum à partibus supernis & speciatim cerebro versùs infernas; sed hæc opinio circulatione sanguinis inventâ exolevit, nam semper, & in statu naturali, defluere debent humores, juxta suos canaliculos in omnem partium corporis dimensionem tuncque nihil mali partibus affertur, sed viis eorum præclusis, incommoda multa partibus demùm contingunt: adde quòd viæ à cerebro versùs partes inferiores sint nimis angustæ, quàm ut crassiorem aliquem humorem transmitterent. Confer.* Schneiderus de catarrhis *item* Helmont. de catarrhor. deliramentis. *In specie autem catarrhus habetur fluxus materiæ serosæ & acris copiosæ ad nares & fauces, tuncque etiam dicitur coryza:* Cardilucius in officina sanitatis *item* Grulingius in med. pr. *catarrhos hos distinguunt sequentibus versiculis.*

Si fluit ad pectus, dicatur rheuma catarrhus,
Ad fauces bronchus, ad nares esto coryza.

b Tenuisque & salsi.) *Bene hoc Auctor exprimit, nè in curatione respiciatur ad catarrhum simpliciter pituitosum & crassum.*

c Urina est rubicundior.) *Hæc indicat salem copiosum & acrem totius massæ sanguineæ.*

Pars in hoc ægro præcipuè *affecta* est *caput*; ut patet ex nimia ejus incalescentia & gravitate. Item *pulmo & aspera arteria*, ut docet tussicula. Item *a cerebrum, nares, os, & fauces*; ut indicat copiosa & frequens humoris tenuis & salsi cum screatu per os rejectio. *b* Atque etiam *cor*, ut constat ex pulsu celeri, crebro & magno cum siti. Et *totum vasorum genus*, ut probat urina rubra.

a Cerebrum.) *Hoc & nares afficiuntur ab una eademque causa antecedente.*

b Atque etiam cor.) *Hoc dicit ratione febriculæ, quæ dicitur catarrhalis.*

Morbus præcipuus, qui eum affligit, est intemperies calida & serosa & *a* nimis laxa cerebri, & glandularum vasorumque *b* circa nares, fauces, & palatum existentium; quæ copiosos humores acres, tenues, & salsos, in nares, palatum, fauces *c* & pulmones demittens, screatumque & tussiculam sæpe excitans. *Catarrhus* calidus acris & salsus à Medicis synecdochicè nuncupatur.

a Nimis laxa.) *Laxitas non intemperies est, sed affectio organica, neque video laxitatem pororum culpandam, sed potius laudandum esse, utpote quæ facile transmittat copiam materiæ peccantis, adeoque non facile obstructiones pateretur, quæ tamen in omni catarrho locum habent.*

b Circa nares.) *Aliquando etiam circa glandulas aurium, unde postea, per vasa salivalia humores derivantur in os.*

c Pulmones.) *Hoc quandoque fieri potest & potissimum in iis quibus larynx est magis directe posita sub eo foramine, quod à naribus ad palatum tendit*

tendit

tendit, unde durante somno, epiglottide connivente, catarrhi facile ex naribus in asperam arteriam delabuntur. At vero tussicula, aut derivanda est à memorata faucium vellicatione, aut ab humore acri, (lege circulationis sanguinis & humorum) delato ad musculos abdominis, & in iis, levem convulsionem, adeoque tussim excitante.

Si humor crassus copiosus epiglottidis rimam claudat, aut si nervi diaphragmatis vel musculorum pectoris, & intercostalium obstruantur, vel si polypus major vasa pulmonum, & cordi vicina, repleverit, vel si subito ab humore crasso rima epiglottidis occludatur, catarrhus oritur suffocativus.

Causa procatarctica hujus morbi est vinum largius ab hoc juvene ingestum; unde multi *a* humores calidi & serosi geniti, & per totum corpus diffusi, causam *antecedentem* huic morbo præbuerunt: iique in caput reliquasque partes jam enarratas delati, & serosis suis partibus, à reliquo sanguine, vi *b* æstus Solis humores attenuantis, porosque cerebri, faucium, glandularumque narium, & vasorum nimium aperientis, separati, atque per nares & foramina palati in os, fauces, & pulmones delabentes, & in capite putrescentes, *continentem* ejus, & *symptomatum* omnium, causam constituunt.

a Humores calidi & serosi.) *Id est, acres crassi, qui non solùm vasorum multorum venosorum ramificationes, circa radicem narium obstruunt, ita ut sanguis majorem versùs glandulas membranæ narium, ejusque vasa lymphatica, osculis suis illàc hiantia, pressionem faciat, verùm etiam cum lymphæ sive seri consuetum denegent versùs venam subclaviam cursum, undè majus sequitur ejus per cavitatem narium, tanquàm locum minus resistentem profluvium.*

b Æstus Solis.) *Potiùs hunc subsequens subitanea corporis mutatio ad frigus: vid.* Hippoc. Sect. v. Aph. 24. Sect. iij. Aph. 13. *Vita deses & otiosa catarrhorum feracissima est: hinc apud Persas, teste Xenophonte, exspuitores ac mucosi malè audiebant, tanquam vel voraces, vel otiosi.*

Materia enim serosa, *a* in caput cum reliquo sanguine copiosius delata, ibique à Sole incalescens, produxit *capitis nimium calorem, & gravitatem, &* b *faciei ruborem*. Eaque ibi putrescens & *c* majorem calorem concipiens, ac deinde ex parte in cordis ventriculos, cum reliquo sanguine ad cor redeunte, reversa, producit *cordis & arteriarum pulsum crebrum, celerem & magnum, urinam rubram*, & d *sitim*, febriculæ symptomaticæ indices. Dum vero serosus ille sanguis ab æstu Solis nimio attenuatus & ex parte in vapores est dissolutus, porique vasorum & cerebri *e* nimium sunt aperti, magna copia istorum humorum & vaporum, à reliquo sanguine sese separans, & in liquorem concrescens, in substantiam & ventriculos cerebri, reliquasque partes affectas, sese effudit, & etiamnum effundit. Quæ ibi, propter angustiam loci, & *f* minorem ejus calorem, in serum acre & salsum coagulata & densata, ac ad cerebri basin in glandulam pituitariam glandulasque & ductus aquosos narium, & alias vicinas spongiosas & porosas partes descendens, *perpetuam humoris tenuis, acris & salsi, in nares, palatum, ac fauces delabentis, parit defluxum, ejusque frequentem excreationem*. Pars autem hujus seri ex palato & faucibus, per conniventis epiglottidis rimam, in arteriam & bronchia pulmonum descendit, & partes illas ita vellicat, ut fibrillæ nervorum asperæ arteriæ & pulmonum, in ventriculos cerebri, extremitatibus suis, desinentes, poros ejus copiosius & fortius subinde aperiant, spiritusque

tusque animales copiosos modo g in musculos thoracis & faucium inspiratorios, modo in exspiratorios vehementius & inordinatius transmittant; atque ita thoracem inordinate & vehementer dilatando & contrahendo, aëremque contentum per vices vehementius & inordinatius cum strepitu expellendo, *tussiculam illam molestam* producant.

a In caput.) *Non ad caput magis, quàm reliqua corporis membra materia illa serosa defertur, sed incommoda hic magis, quàm alibi ob pororum, & canaliculorum angustiam parit nimiam.*

b Faciei ruborem.) *Hic oritur partim à sale poris cutis inhærente, partim à nimio sanguinis humorumque impetu, quo fit, ut plura vascula capillaria faciei, sanguine rubicundo impleantur, quam aliàs.*

c Majorem calorem.) *Febricula hæc catarrhalis dependet ex eo, quòd subitaneâ corporis mutatione à calore ad frigus, multæ particulæ crassiores extra sphæram consuetam (circa quàm in statu sano movebantur) depulsæ fuerint, adeoque mixturam sanguinis turbaverint.*

d Sitis.) *Hæc oritur partim, quia multum humidi ab æstu Solis, per insensibilem transpirationem, aut etiam sudores amissum est, partim quia vasa salivalia sunt obstructa, ab humore salso viscido.*

e Nimium sunt aperti.) *Potiùs apertionis præcedentis ab æstu Solis subitanea constrictiò sequens esset culpanda; nam non fiunt hæc incommoda, dum adhuc sub radiis solaribus versamur, sed potius ubi ad umbrosa loca reversi, subito & multum refrigescimus.*

f Minorem ejus calorem.) *Hoc non cohæret cum antecedentibus.*

g In musculos thoracis & faucium inspiratorios, modo in expiratorios.) *De his agemus loco inferiori circa tussim*, lib. ij. cap. xxj.

Ingravescit autem hæc *ægri tussicula vesperi, sub ingressum ejus* a *in lectum frigidum*, quia vapores & humores cerebri & pulmonum, aliarumque partium affectarum à lecti & advenientis noctis frigore copiosius coagulati & densati, & à cerebro aliisque partibus affectis, sese ob frigus superveniens magis constringentibus, in pulmones copiosius tum deturbati, augent tantopere defluxum humorum, & hinc orientem tussiculam, ut illa, propter humorum, ad pulmones copiosius defluentium eosque vellicantium, & cerebrum vehementiùs agitantium, illudque attollentium & pandentium copiam, sæpè ipsi *omnem somnum adimant*.

a In lectum frigidum.) *Atqui sæpius è contrario tussis ingravescit à calore stragulorum, dùm humores crassiusculi & acres, antea quiescentes, solitô magis tunc agitati, fibrillas nervosas asperæ arteriæ, pulmonum, musculorumque pectoralium vellicant & expandunt, ita ut spiritus animales solitô celerius & vehementius illac influere coacti, contractionem convulsivam pariant, quâ aër vibrationibus soniferis ex pulmonibus expellitur, id est, tussim parit.*

Morbus hic est valde *periculosus*, quia est humoris acris & salsi ac copiosi, non tantum in nares & palatum; sed etiam in fauces & pulmones defluentis destillatio: unde exulceratio pulmonum, ac inde *a* tabes imminet. Benè tamen sperandum, quia æger est validus, & malum non est inveteratum.

a Tabes imminet.) *Cum nempe humor acris in pulmonem delapsus, fibrillas & vascula erodit, ut oriatur collectio materiæ purulentæ: sed de hâc materia agemus* lib. ij. med. ij. *Confer* Hippoc. sect. vij. Aphor. 38. sect. ij. Aphor. 20.

Curatio igitur haud perfunctoriè est instituenda: *quæ* consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac *a* intemperiei cerebri, aliarumque partium affectarum, per contraria ablatione.

a Cerebri intemperiei ablatione.) *Potius obstructionum ablatione, & humoris acris mitigatione & evacuatione.*

Primò itaque *a* purgetur æger hoc medicamento:

℞. *Fol. senæ* ℥iij.
Rhabarb. electi ʒj.
Sem. anisi, fœnic. an. ℈ij.
Infundantur in decocto hordei q. s.
In colatura dissolve cremor. tartari ℈ſ.
Scammonii gr. iiij.
M. F. Haustus, mane exhibendus, & pro re nata postea reiterandus.

a Purgetur.) *Purgantia, ut acria, hic in principio nocent, præprimis cùm particulas crassiores versùs partes affectas magis præcipitent: sed si alvus sit adstricta, subducatur laxante. V. g.*

℞. Mann. calab. ℥j.
tamarind. ʒvj.
coq. in cerev. dulc. s. q. & add.
syr. sambuc.
de liquirit. ana ʒiij.
M. F. Haustus.

Sub vesperam sumatur de hoc *a* lacte amygdalato, ad somnum conciliandum, & humores acres & salsos temperandum, eorumque fluxum sistendum.

℞. *Amygd. dulc. excortic.* ℥ij.
b *Sem. quat. frig. major. ana* ʒj.
c *Papav. alb.* ʒiij.
Aq. hord. ℔j.
F. Emulsio amygdalata.

a Lacte amygdalato.) *Nos præferremus sequentem haustum.*

℞. Diascord. Sylv. ℈ij.
Sper. cet. ℈j.
tinct. croc. ʒß.
Aq. hord. ℥iß.
fœnic. ʒx.
syr. samb.
& pap. rh. ana ʒiij.
M. F. H.

b Sem. quat. frig. maj.) *Semina hæc non sunt per se frigida, sed quatenus mucilagine suâ particulas acres obtundunt, & sanguinem nonnihil incrassant, ardorem vehementem mitigant.*

c Papav. alb.) *Hoc additur, ut vi suâ Narcoticâ sanguinem blande incrasset, & acrimoniam salium temperet; etiam addi posset semen lini ad* ʒij. *aliquandò sumatur sub ingressum in lectum, massa pill. de cynogl. ad gr. xij. vel xv. cum pauxillo syr. pap. rhœad.*

Vel sumat subinde vesperi *a* pilulam gr. iv. laudani opiati: *b* vel pil. de cynoglossa gr. xvj. quæ in pilulas duas formentur: vel syrupi de papav. unc. ſ. vel drach. vj.

a Pilulam gr. iv. laudani.) *Potius à gr. j. ad ʒß.*
b Vel pil. de cynoglossa gr. xvj.) *Aut tinct. opii à gutt. xxv. ad cochl. dimid. aut etiam ultra.*

Magni etiam usus ad catarrhi *a* defluxum sistendum, & acrimoniam ejus temperandam, est cochleare sequentis syrupi, postquam corpus benè est purgatum, vesperi sub ingressum lecti sumtum.

℞. *Syr. de papav. albo*, b *de hyssopo*,
Oxymell. simpl. an. ℥j.
Misce.

a Defluxum sistendum.) *Sisti propriè nullus potest catarrhus, repugnaret enim id circulationi sanguinis & humorum, sed catarrhi nimis tenues & acres modice incrassari possunt, ut facilius expectorentur.*
b De hyssopo.) *Nimis calidus est in hoc casu.* Oxymel simplex *præstat.*
Spiritus Sulphuris cum syr. de papavere mixtus ad guttas aliquot hoc in casu improbari non potest: sed perniciosus est, ubi catarrhus est viscosus & crassus: Potest etiam misceri cum elect. requiei Nicolai.

Postridie *a* aperiatur vena & educatur sanguis satis largiter; cum æger noster sit plethoricus.

a Aperiatur Vena.) *Et quidem in principio, si ardor adsit corporis totius & febris continua.*

Deinde si malum perseveret, humor est alterandus & incrassandus tali decocto:

℞. *Fol. lactuc. portul. plantag. an. m. j.*
Sem. quat. frig. maj. papav. alb. ana ʒij.
flor. viol. nymph. pap. rhæad. an. p. j.
Coquantur ex aq. comm. ad lib. j. in colatura dissolve
a *Syr. violacei, rosar. siccar. an.* ℥j.
Misce. F. Apozema, pro tribus dosibus, bis in die sumendis.

a Syr. violar.) *Hujus loco sumatur Syr. de acetos. citri:*
Hic etiam prosunt decoctum hordei mundati, salsaparillæ cum liquiritia item pultes culinares, gummi tragacanth. &c. quia lentorem blandum humoribus inducunt: morsuli aliqui sublinguales præscribantur, ad expectorationem facilitandam.

Ad materiam defluentem ulterius incrassandam, & fluxum inhibendum, atque acrimoniam ejus temperandam, hunc sequentem liquorem *a* in ore teneat:

℞. *Flor. rosʃ. rubr. p. j.*
Cortic. cap. papav. Num. j. *vel* ij.
Jujub. recent. p. j.
Decoquantur in aqua communi pro lib. j.
Colaturæ adde syr. papav. ℥ij. *diamori* ℥ß.
Boli arm. veri ʒj. Misce.

a In ore teneat.) *Commendatur potus fabarum Coffe, radicibus liquiritiæ, vel saccharo candi edulcoratus.*

Tum etiam trochisci sequentes in ore frequenter erunt detinendi:

℞. *Gum. tragacanth. & arab. an.* ℥ij.
a *Boli armen. terræ sigill. lotorum in aqua rosacea an.* ℥j.
Sem. papav. alb. succi liquiritiæ an. ℥ſ.
Sacch. penid. ℥j.
Cum mucilag. sem. cydon. extracti cum aq. rof. p. f.
F. orbiculi parvi, quos diu noctuque in ore detineat.

a Boli armen.) *Horum adstringentium loco adderemus massam pill. de cynogl. vel styrace ad* ℈ij.

Interdum etiam ad Catarrhum sistendum, & materiam tenuem incrassandam, & acrimoniam ejus temperandam, commodè a utetur hoc linctu:

℞. *Loch. de papav.* ℥j.
Syr. papav. ℥j. & ſ.
de jujub. ℥ſ.
Spec. diatragac. ℈ij. M. & lambatur cum bacillo liquiritiæ.

a Utetur linctu.) *Nempe quando pro catarrho fauces exasperantur. Cave interea ne hæc dulcia deglutiantur subitò, alioquin enim ad ventriculum (ubi lentore suo appetitum & concoctionem imminuendo, plus nocent, quàm prosunt) non autem per epiglottidem conniventem ad asperam arteriam & pulmones, perveniunt.*

Ad materiam aliò a revellendam, adhibeantur lotiones brachiorum & crurum in aq. decoct. flor. nymph. fol. salicis, cap. papav. alb. & flor. chamom. Frontem & tempora inungat, ad somnum conciliandum, oleo nymph. papav. & ung. popul.

a Revellendam.) *Pediluvia aliquando profuisse, observatum est, & ideò Auctores putarunt, ea catarrhos revellere à capite; sed hæc circulationi non quadrant; potius id efficient, ratione particularum mollium flexibilium lubricarum atque ramosarum, quæ poris partium insinuatæ, humoribus & sanguini permixtæ, eorum acrimoniam temperant: Vapores etiam talis pediluvii, cum fructu ope stragulorum in faciem suscipiuntur.*

Ad caput roborandum, a fluxionem sistendam, ejusque reliquias absumendas, convenit hæc cucupha.

℞. *Gum. junip.* ℈j.
Rof. rub. p. ij.
Myrtill. ℥j.
Macis, nucis mosch.
Thuris, sem. pæon. cort. cap. pap. an. ℈ij.
Nucis cupressi. ℈ſ.
Pulverisentur, & cum floccis panni coccinei, ac syndone rubrâ,
F. Cucupha interpuncta, perpetuo in capite gestanda.

a Ad fluxionem sistendam.) *Promovenda potius est circulatio naturalis, quàm sistenda per intempestivam pororum adstrictionem, hæc enim naturæ vim infert.*

Pleraque hujus cucup hæ ingredientia, cùm sint acria & calida, nonnisi in fine, & casu frigido, admitti possunt, uti constabit ex medic. sequenti.

Si his malum non cedat, fonticulus est aperiendus in brachio, vel etiam circa nucham; ubi etiam *a* vesicatoria poterunt adhiberi.

a Vesicatoria.) *Hæc sunt hic nimis operosa, si non supervacanea.*

In *diæta a* aër sit temperatus, aquilonaris, austrinus, ventosus, & pluviosus vitetur. Cibus sit concoctu facilis, ex piscibus saxatilibus, lactuca, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, hordeatis. Cibi quantitas sit moderata. Cœna prandio parcior. Sub finem refectionis sumantur portio carnis cydoniorum: sumantur etiam uvæ passæ, & amygdalæ dulces. Potus sit cerevisia tenuis, parce, quantum potest, sumpta. Lectum vesperi ingrediatur moderatè prius calefactum. Somnus sit moderatus & nocturnus. Tegatur caput mediocri tegmine. Excrementa alvi quotidiè vel arte, vel naturâ respondeant. Motus immodicus & animi perturbationes vitentur.

a Aër.) *Vitentur radii solares æstuantes, nec non acria quævis.*

XXXII.

MEDICATIO JUVENIS, CORYZA LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum cum excalefactus ad ignem, & postea foras in aërem frigidum & humidum *a* subitò esset egressus, cœpit in parte nasi, *b* quæ os frontis attingit, sentire *c* gravitatem, & respirationis per nares faciendæ difficultatem. Malum hoc postea auctum jam per biduum durat, *d* humorque acris ex naribus exstillans, easque exasperans, magnam molestiam ipsi parit.

a Subito.) *Hæc vocula præprimis est notanda, utpote quæ maxime facit ad cognitionem causæ continentis.*

b Quæ os frontis, &c.) *Hic locatæ sunt variæ glandulæ, & vascula lymphatica.*

c Gravitatem.) *Hæc utplurimum etiam simul caput vexat, reliquaque corporis membra.*

d Humorque acris.) *Habet nempe semper serum sanguinis salem acrem sibi permixtum: sed tamen variant acrimoniæ ejus gradus pro diversa hominum constitutione, sive per hæreditatem, sive malam diætam acquisitâ.*

Pars, quæ in hoc juvene præcipuè afficitur, est *a nasi radix & os ethmoïdes*: idque ex gravitate circa radicem narium percepta, & ex respirandi per nares difficultate, patet.

Mor-

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies narium & ossis ethmoïdis, ac vicini cerebri frigida, humida, & acris, cum obstructione eorum conjuncta; quæ gravitatis sensum in iis, respirandique per ea difficultatem pariens, latinè *gravedo*, & græcè *coryza* dicitur.

b *Causa* hujus morbi est corporis, & præsertim capitis calefacti, in aërem frigidum & humidum subita delatio. *c* Inde enim partes jam commemoratæ fuerunt refrigeratæ, poriq; circa nares & anteriorem cerebri partem ab igne antea aperti, per frigus superveniens externi aëris, *d* profundius in cerebrum ingredientis, subitò clausi, impediverunt, quo minus *e* vapores copiosi, in cerebro calido existentes, satis abunde ex eo & naribus exhalare possent. Illi autem ibi retenti, & vehementius agitati, aperuerunt in anteriore cerebro & naribus ita poros, ut copiosum serum & pituita salsa à reliquo sanguine eorum ope separaretur, ac ad nares deflueret. Cumque illi pori cerebri etiamnum ita dispositi maneant; hinc fit, ut humores, etiamnum eò defluentes, obstructionem narium, gravedinem, & asperitatem ac rosionem in iis pariant.

a Nasi radix & os ethmoïdes.) *Hæc impropriè nimis: potiùs dicamus (ut in medicatione præcedenti) non solùm obstructas esse ramificationes quasdam venarum circa radicem narium ad os sphœnoïdes & ethmoïdes locatarum, verùm etiam vasorum eorum lymphaticorum, quæ lympham ad venam subclaviam ducere solebant, undè major seri resultat versùs cavitatem narium, tanquam locum minus resistentem pressio & evacuatio.*

b Causa.) *Hæc aliquandò est universalis & quasi epidemica præsertim sub vernum & autumnale tempus; hùc pertinent vina immatura & acria, vina otiosa, &c. quæ allata sunt* medic. præced.

c Inde enim partes refrigeratæ.) *Id est, pori, tubuli & canales totius corporis calore anteà dilatati, jam subitò pressione majore aëris frigidi constringuntur, humoresque in vicinia incrassantur, aut saltem viam liberam ad circulationem conservandam amittunt.*

d Profundius in cerebrum.) *Canaliculi cerebri cùm sint valdè angusti facile obstrui possunt; sed afficiuntur hic multæ partes ab una eademque causa.*

e Vapores copiosi, &c.) *Hæc sunt nugatoria.*

Hoc *malum* plerumque, si diæta recte instituatur, *a* sponte cessare solet. Verùm quia hoc nostro juveni magnam molestiam parit: & *b* non sine periculo est, ne catarrhus hic auctus etiam ad pectus, aliasque partes defluat; idcirco *Curatio* mox est adhibenda.

a Sponte.) *Id est, continuatâ aliorum humorum pressione à tergo successive obstructiones solvuntur.*

b Non sine periculo.) *Hoc nimis longè petitum est, nisi tota massa sanguinis intemperie acri laboret: aliàs metus esse potest violentæ tussis, quâ vel hæmoptoë, vel aliud malum eveniret.*

a *Eaque* in humorum superfluorum, ex toto corpore, & partibus affectis, evacuatione; pororum clausorum apertione; & intemperiei per contraria correctione consistet.

a Eaque.) *Curatio ferè est eadem, quæ præcedentis affectus.*

Mane itaque purgetur talibus *a* pilulis:

℞. *Aloës rosatæ*,

Scam-

Scammonii optimi an. gr. xiij.
Olei cariophyllor. gutt. j.
Cum syr. ros. sol. q. s.
F. Pilulæ Num. iv.

a Pilulis.) *Hæ sunt nimis acres & fortes, nec unquam observatum fuit purgans coryzam tollere aut mitigare, sed quidem alvum adstrictam solvendo levamen aliquod afferre, nos præferremus laxans aliquod ex fol. sen. & manna Calab. vel rob. samb.*

Interdiu hunc nodulum sæpe naribus admotum olfaciat:
℞. *Sem. nigellæ, cymini,* a *thuris, cariophyllor. an.* ℥ß.
Contusa includantur linteo & f. Nodulus.

a Thuris.) *Hæc omnia benè, modò sal sanguinis & seri non abundaverit, aut tussis vexaverit: Cum fructu etiam hic usurpari potest cucupha aromatica.*

Purgato jam corpore, vesperi & mane caput mantili injecto & undique dependente tegat, a excipiatque pronis naribus, fumum à cariophyllis indicis sex vel septem, in ignem patellâ exceptum, & naribus supposítum, aliis post alios conjectis, exhalantem. Nares interius, ad asperitatem tollendam & exulcerationem præcavendam, oblinat b unguento rosato, vel pomato.

a Excipiatque fumum.) *Hujus loco commendamus sudoriferum aliquod temperatum.*
b Unguento.)
℞. Ungu. ros. vel pom. ℥ß.
Merc. præcip. alb. edulc. ℈j.
M. F. Ungu.
Vel simpliciter sumatur Ungu. alb. camphorat.

Vapor etiam, à majoranæ, chamæmeli, meliloti, & sisymbrii decocto; vel ab aceto rosaceo, in laminam ferream ignitam injecto, exhalans, & naribus exceptus, a multum hic conducit.

a Multum hic.) *Non semper.*

Versetur domi in aëre moderatè calido; & caput tegat integumento, quod ad frigoris sensum tollendum sufficiat. Vesperi cubitum iturus sumat cochleare spiritus vini cum saccharo albo.

XXXIII.

MEDICATIO MULIERIS, ODONTALGIA LABORANTIS.

Mulier 28. annorum, a plethorica, postquam b aëri frigido & ventoso se imprudentius exposuisset, incidit in ingentem dentium, inferioris maxillæ

xillæ sinistrum latus occupantium, dolorem; qui ipsam pene ad insaniam redigit. Usa fuit, *c* purgatione universali neglectâ, variis remediis localibus calidis, dentibus & malæ ejusdem lateris adhibitis: unde multa quidem pituita ex ore fluxit, *d* sed sine ullo doloris levamine. *e* Faciem supra modum tumidam & rubram habet.

a Pletorica.) *Id est, sanguine gaudens crasso, & acri.*

b Aëri frigido.) *Hic præsupponit congeriem particularum crassiorum, quibus superficies corporis nostri vehementer premitur, ita ut ostiola illac desinentia occludantur, humoresque condensentur.*

c Purgatione neglecta.) *Rectè Auctor improbare conatur, quod ad topica protinus eant nonnulli, peccante tota massa sanguinis.*

d Sed sine ullo doloris levamine.) *Quia continuo iterum è sanguine intemperato humores acres & crassi ad dentes affluunt: dantur tamen casus (infrà nominandi) in quibus odontalgia vexat, sine ulla sanguinis labe notabili.*

e Faciem supra modum tumidam & rubram.) *Hæc spectant ad prognosin.*

Partes affectæ ex querela ægræ sunt manifestæ; nempe *a* *dentes* in inferiori maxilla sinistri lateris; uti & *mala sinistra*; quod ex ejus rubore & tumore patet.

a Dentes.) *Non semper dentes afficiuntur, sed fibrillæ nervosæ & membranosę gingivarum circa radices dentium: aliquando etiam afficitur os maxillæ.*

Morbus, qui eam affligit, est intemperies dentium inferioris maxillæ serosa, & acris, cum tumore malæ conjuncta; quę ingentem dolorem in iis excitans, à molesto hoc symptomate, *dolor dentium* latinè, & *a* *odontalgia* gręcè appellari solet.

a Odontalgia.) *Minor ejus gradus dicitur Grecis hæmodia, & Latinis stupor dentium.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est aër frigidus & ventosus, cui ægra nostra imprudentius sese exposuit. Inde enim pori corporis fuerunt constricti, & transpiratio justa impedita, humoresque serosi totius corporis, qui *antecedens* hujus morbi sunt causa, à reliquo sanguine separati, ac partim *b* ad caput delati, ibique ad nervos dentium inferioris sinistræ maxillæ, tum forte ex laxitate debiliores, prolapsi, ac ab intempestivis topicis calidis copiosius eò prolecti, eos acrimoniâ suâ rodendo, & copiâ sua distendendo, *continens* hujus morbi, gravissimique symptomatis sunt causa.

a Causa procatarctica.) *Confer* Hipp. Sect. v. Aph. 18. *Novimus etiam mulieres, quæ imprægnatæ odontalgiâ vexantur, ad ultimum gestationis tempus usque. Aliquandò oritur à sordibus & dentium mucilagine, cui ipsi vermes innasci demonstravit assiduus* Anton. à Leuwenhoek, in obs. microscop. *Aliquandò denti cavo inhærent portiones alimentorum, quæ tractu temporis putrefactæ, acore suo fibrillas nervosas vellicant: nonnunquam dolor dentium oritur ab saccharatis, allio, caseo antiquo, &c. vid.* misc. cur. ann. 2. obs. 24. ann. 10. obs. 187. decur. 1. ann. 1. obs. 5.

b Ad caput delati.) *Hæc nituntur fundamento catarrhorum.*

a *Periculosus* hic est affectus, propter doloris vehementiam; qui nonnullos ad vim sibi inferendam adegit.

a Peri-

a Periculosus.) *Tensi valdè cùm sint nervi circa radices dentium, cùmque hàc disseminentur fibrillæ membranarum cerebri, mirum haud est, motus impressi determinationem vivacius ad sensorium commune transferri, ut acutissimum menti communicet doloris sensum, præprimis cum causa sit humor valdè acris & corrosivus: cum ergò eodem actu spirituum animalium motus consuetus intra cerebrum perturbetur, ita ut ordine incomposito versùs vestigia cerebro impressa ferantur, mens delirare dicitur. A dentium dolore maxillæ cariem, vide apud* Johan. Nic. Pechlin. obs. phys. med. lib. ij. obs. 37. *Meminimus & nos materiam purulentam, propter odontalgiam genitam, viam sibi stravisse sub lingua ad partem oppositam, magnumque sibi sinum efformasse. Tumor ordinariè præsagit bonum & brevem doloris eventum.*

Ideoque diligenti & celeri *curatione* erit impugnandus; quæ in causæ antecedentis, & intemperiei, dolorisque ablatione consistet.

Mox itaque *a* vena aperiatur, & sanguis liberaliter educatur, & sub vesperam cucurbitulæ scapulis cum scarificatione adhibeantur; postridieque *b* purgetur ægra tali purgante medicamento:

℞. *Diacathol.* ℥vj. *diapruni* ℥ij.
Dissolve in aq. cichorii q. s. F. Haustus *brevis, aliquoties, si necessitas urgeat, reiterandus.*

a Vena aperiatur.) *Et quidem rectè hoc in casu, cùm plethora adsit cacochymica, rubor partis affectæ, vehementissimus dolor, & gradus ad delirium.*

b Purgetur.)

℞. Extract. cathol. gr. xv.
Resin. jalap. gr. vj.
Trochisc. alhand. gr. j. *vel* ij.
Mercurii dulcis gr. vj. *vel* viij.
Ol. carui gutt. j.
M. F. Pilulæ.

Ubi corpus bene purgatum fuerit, utatur hoc *a* masticatorio:

℞. *Staphid. agriæ, mastiches an.* ℥j.
Sem. hyoscyami ℈j.
Fiant cum linteo raro globuli masticatorii, Num. iij. *quorum unum post alterum masticet, pituitamque ex ore eliciat.*

Vel ℞. b *Ol. ex charta combusta collecti gutt. j.*
Olei mari Syriaci, sive origani, gutt. ij.
cum cotone F. pupellæ Num. ij. *denti cavo inserendæ.*

a Masticatorio.) *Hoc cùm sit acre & calidum, debet esse suspectum hoc in casu: sed tamen quatenùs admixtam esse magnam copiam pituitæ Auctor jam monuit, tolerari potest, modò loco staphid. agriæ sumatur semen angelicæ aut simile aliud.*

Aliquando juvat Radix pyrethri, *aceto macerata.*

In casu viscido valde proficua sunt olea destillata calida.

Vide Deodat. Panth. Hygiast. lib. 3. pag. 36. *ubi tanquam præstantissimum habet* Semen lentisci *contusum, sacculo linteo inclusum, dolentique denti applicatum.*

Inter remedia externa prosunt folia tabaci masticata, vel etiam eorum fumus & oleum.

b Ol chartæ.) *Quod ita parari potest: Charta convolvatur in cylindrum cavum, tunc una extremitas incendatur, altera extremitate duobus cochlearibus comprehensa, sic fumus, ad cavum cochlearium penetrans, in oleum condensatur.*

Nonnulli spiritum vitrioli vel alium quendam acidum, in dentem instillant, ut

ut dens & nervus consumantur, sed id non faciendum est, nisi dens planè corruptus sit, nam spiritus vitrioli dentes vicinos sanos ita corrodit, ut friabiles evadant; & frustulatim decidant. Plurimæ autem cùm sint odontalgiæ causæ, maxima est medicamentorum varietas & farrago, circa quam requiritur bonum Medici judicium.

Spiritus vini camphoratus ore detentus, & temporibus illitus in casu calido valet.

Ol. camphoræ, mediante gossypio, denti affecto itidem potest applicari.

Ol. heraclinum, quod vulgo putatur ol. ex corylo, aut buxo paratum, specificum habetur.

Temporibus imponantur emplastra ex gum. elemi cum pauxillo tacamah. op. crud. ol. carioph. & bals. sulph. anis. Fel vitri aceto maceratum & coctum, dicitur specificum, si ore detineatur. Multos juvit sal decrepitatum ore detentum & naribus attractum. Petrus Borellus cent. 3. obs. 27. *commendat bursam pastoris contusam & auribus inditam. Pix Burgundica cum pulvere nucis moschatæ subacta, multis solamen attulit. Amara vermes necant, ut & aq. mercurial. hæc si non juverint, sitque dens cavus, adhibeatur sclopomachærium candens, vel dens (si possibile) extrahatur. Vid.* Scultet. armam. chir. obs. 27.

Maxillam exterius inungat oleo camomillor. & liliaceo.

Temporibus sinistris imponendum emplastrum ex gummi tacamahaca, mastiche, myrrha, gummi elemi, ad defluxum humorum *a* impediendum.

a Impediendum.) *Id est, ad obstructiones tollendum.*

Si ob doloris vehementiam perseverantem majus periculum metuatur, *a* narcotica usurpentur; quale hoc est:

℞. *Philonii romani* ℥j.
Opii gr. vj. ol. vitrioli gutt. v. misce, ex mixtura hac aliquid dentibus dolentibus, cum bombace, b *applicetur.*

a Narcotica.) *Etiam hæc internè usurpanda sunt:*

℞. Diasc. Sylv. ℈ij.
* Mass. pil. de cynogl. ℈ß.
Croc. gr. vj.
M. F. Bolus.

b Applicetur.) *Intrudatur, si cavus sit dens.*

Vel tale balsamum cum cotone adhibeatur:

℞. *Opii thebaici,*
Spec. diambræ an. ℈j.
Camphoræ gr. iiij.
Ol. caryophyllor. gut. vij.
Ol. nuc. mosch. expressi ℥j. F. *mixtura ad formam* Balsami.

Dolore sopito, post opiatorum usum *a* os eluatur decocto salviæ, rorismar. majoranæ, hyssopi, ut opii noxa corrigatur.

a Os eluatur.) *Præsertim nocte ingruente, metus enim est ne opiata non correcta deglutiantur.*

Cœterum ad dentes nigros & vacillantes, ad gingivas tumidas & hæmorrhagiæ obnoxias:

℞. Terræ porcell. subtiliss. tritæ ℥j.
Tartar. vitriol. ℈ij.
Alum. gr. xvj.
Aloës gr. viij.
Myrrh. ℈ß.
Mell. scyllit. ℥j.

M. ad

M. ad consist. Opiatæ, vel
℞. Tart. vitriol. ℈ij.
Alum. usti gr. viij.
Sang. drac. gr. v.
Aloës ℈ß.
Mell. rosac. ʒß.
scyll. ℥j.
Spiritus salis dulc. q. s. *ad gratum saporem, hisce singulis septimanis bis, aut semel fricetur & eluatur os. Internè usurpentur antiscorbutica, & præprimis sal. vol. C. C. ad ʒj.*

Si vermes adsint, educantur iteratâ collutione oris cum aqua tepidâ, vel ut vult Petr. Borell. cent. 3. obs. 96. *mediante sevo hircino liquefacto.*

His nihil proficientibus, dens cavus est extrahendus;

In a diæta, aër sit temperatus; cibus parcus, mollis; potus cerevisia tenuis, alvus sit lubrica; quies motui præferenda; vitet curas.

a In diæta.) *Abstinendum est ab omnibus aromaticis acrioribus in casu salino, & ab omnibus saccharatis & viscosis, in casu pituitoso: caput bene muniatur ab injuriis aëris.*

XXXIV.

MEDICATIO VIRI, PTYALISMO LABORANTIS.

VIr 40. annorum, postquam diu *a* ventriculi cruditate laborasset, incidit in tam copiosam *b* salivæ in ore collectionem, ut fere singulis momentis illam exspuere cogatur. Hujus affectus molestiâ jam per 14. dies laborat.

a Ventriculi cruditate.) *Ptyalismus & ventriculi cruditas, videntur hic esse duo effectus ab una eademque causa; sed hæc forsan etiam Auctor addit, ut distinguat hunc ptyalismum, ab alio ex mercurialibus oriundo. Vidimus etiam in dysuria, nec non obstructione mensium, atque fluore albo, ptyalismum pertinacem.* Forest. lib. 4. obs. 23. *affert criticum & epidemicum ptyalismum. Melancholici dicuntur etiam sputatores: ratio constabit ex seqq.*

b Salivæ in ore collectionem.) *Veteres eam derivabant à vaporibus ventriculi in ore condensatis & collectis, sed recentiorum* (Stenonis, Warthoni Bartholini, Nuckii) *industria, rivos detexit alios.*

Afficiuntur in hoc ægro *tonsillæ*, *ductus salivales*, *aliæque* oris carnosiores, & porosiores *partes*; quod ex frequenti exspuitione patet.

Affectus, quo afficitur, est partium istarum jam commemoratarum intemperies serosa & nimis rara, nimiaque laxitas; quæ frequentem copiosæ salivæ in ore collectionem, ejusque exspuitionem excitans, *Ptyalismus* vulgo appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* est diutina illa *a* ventriculi cruditas, qua æger noster laboravit. Ex ea enim multi serosi & aquosi humores in corpore ægri collecti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum à corde ad partes *b* carnosas aliasque oris perpetuo propulsa, & eas la-

xans, in iisque à reliquo sanguine separata, ac in os continuo defluens, *c continens* hujus morbi, & exspuitionis frequentis, est causa.

a Ventriculi cruditas.) *Hæc dici nequit causa procatarctica: sed quidem diæta crassa, viscosa & serosa, imò etiam austera, propter quam non solùm ventriculi tonus imminutus est, sed etiam tota massa sanguinea, copiosâ materiâ viscosa-serosâ referta, undè variæ ortæ sunt in canalibus partium stabilium obstructiones, & speciatim in ramificationibus venarum circa partes oris & aurium, locatarum, imò etiam in iis vasculis lymphaticis, quæ serum in statu naturali revehere solebant ad venam subclaviam, undè major resultat salivæ pressio versùs cavitatem oris, in cujus circumferentiam, cùm multa desinant ostiola vasorum salivalium, eorum ope ibidem continuò magna copiâ salivæ colligitur, non secùs ac copiosum serum in coryza.*

b Carnosas) *Partes hæ sunt magis papillares sui generis, variis glandulis, vasculisque salivalibut instructæ.*

c Continens.) *Ubi ptyalismum producunt mercurialia, non solùm modò prædictô agunt, ramificationes venosas, lymphaticasque collaterales obstruendo, verùm etiam vellicando, quatenùs iis multa sunt adjuncta salia fixa.*

Quia hic affectus ex cruditate, magnam pituitosorum humorum copiam producente, originem duxit; ideo, nisi diligenti cura impugnetur, satis erit pertinax.

a *Curatio* consistet in causæ antecedentis, continentis, & intemperiei, & laxitatis nimiæ, per contraria ablatione.

a Curatio.) *Si sit criticus, non est subitò sistendus, aut repellendus.*

a Primo itaque æger talibus pilulis subinde purgetur:

℞. *Pilular. de hiera, mastichinarum an.* ℈j.
Scammonii gr. vj.
Cum syr. de menth. q. s.
F. Pilulæ Num. vij. *mane sumendæ, & subindè reiterandæ.*

a Primo purgetur.) *Ordinariè ptyalismus mitigatur, & tollitur per purgantia, sed cautela opus est, circa eorum usum, mercurialibus propinatis.*

℞. Resin. Agar. gr. v. *aut* vj.
Cremor. Tartar. gr. xv.
Magist. Gutt. Gamb. gr. viij.
M. F. Pulvis.
Vel ℞. Resin. Jalapp. gr. v. *aut* vij.
Magist. Gutt. Gamb. gr. viij.
Ol. carui q. s.
M. F. Pilulæ.

Si salivatio à Mercurio procedat, non nisi urgente necessitate supprimenda est, sed os eluendum est lacte tepido, cui additus fuerit crocus; vel usurpetur decoctum hordei, vel salsapar. & liquiritiæ. Nummus etiam aureus ore detineri poterit, donec dealbetur, postea in ignem injiciatur, ibique leviter candefiat ut mercurius avolet; hocque sæpius repetatur.

Postea ventriculus, *a* circa os scutiforme, illinatur tali Linimento:

℞. *Ol. mastichini, nardini an.* ℥ſ.
Ol. macis ʒj. *cariophyll.* ℈j.
Ceræ parum. M. F. Linimentum.

a Circa

a Circa os scutiforme.) *Vomitorium hic conducit nisi vires sint prostratæ: externè ventriculi regioni imponatur ceratum de cumino, balsamo sulphuris nobilitatum, vel Empl. de bacc. lauri.*

Hoc etiam *a* decocto os suum frequenter, *b* citra gargarisationem, colluat:

℞. *Fol. plantag. m. s.*
Myrti, salviæ an. m. s.
Ligni aloës, ℥s.
Flor. ros. rubr. sicc. m. j.
Balaustiorum p. j.
F. decoct. in s. q. aq. & vini, in fine additi, ad lib. 1.
In Colatura dissolv. aluminis ℥j.
Syr. ros. ℥j. s.
M. pro oris lavatione.

a Decocto os &c.) *Ubi tempestivum erit adstringere, fiat decoctio è foliis plantag. flor. rosar. rub. balaustior. cui addi potest bolus armeniæ, succus catechu &c. in aqua ferrariorum, colat add. Diasc. Sylvii.*

b Citra gargarizationem.) *Ne nimia pressione saliva copiosius prosiliat.*

Et de hoc *a* electuario sumat, ante & post pastum, magnitudinem castaneæ majoris.

℞. *Conserv. rosar.*
beton. an. ℥j.
b *Zinzib. in India cond. ℥ß.*
Spec. diarrhod. abbatis.
aromat. ros. an. ℥j.
Corall. rub. ppt.
Mastiches an. ℥ß.
Cum syr. cydonior. q. s.
c F. Conditum.

a Electuario.) *Add. ther. rec. vel Diasc. Sylv. ℥j.*

b Zinzib. spec. diarrhod. abb. aromat. rosac.) *Hæc ut acriora sunt suspecta.*

c F. Conditum.) *Hujus loco præferimus sudoriferum, quale sequens:*

℞. Mithrid. vel ther. rec. ℥j.
Bezoard. miner. gr. xv. *aut* xviij.
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.
Syr. de acetos. citri ℥ij. *aut de papavere tantundem.*
M. F. Bolus vel cum vino rub. calido Haustus.

Posteà ut Sanguini, & humoribus lentor modicus concilietur, gumm. Arabic. tragacant. & similia assumi possunt.

a *Cibus* sit paucus & exsiccans; ex assis potius, quam elixis; & *b* pane bis cocto. *Potus* sit etiam parcus, ex vino rubro & ex absinthite. *Exercitia* sint talia, ut corpus exsiccent. *Alvus* sit lubrica.

a Cibus.) *In diæta pedes vervecini, & vitulini ad emolliendum conferunt.*

b Panis bis coctus.) *Imbibit serum in ventriculo abundans, ideoque prodest illis, qui mane laberant nauseâ.*

Prosunt diuretica, ut multus petroselini usus, sic etiam spiritus terebinth. *cum* spiritu salis dulcis.

XXXV.

MEDICATIO VIRI,

a ANGINA LABORANTIS.

VIr triginta quinque annorum, temperamenti ſanguinei, genio, liberaliore & generoſiore potu, indulgere ſolitus, ſubito incidit, *b* in ſpirandi & deglutiendi difficultatem, paulatim magis magiſque ingraveſcentem. Hæc *c* intra paucas horas ita crevit, ut quicquid ore hauſtum deglutire conatur, naribus rejiciat, ſpiritum non niſi *d* rectâ cervice, *e* ore hiante, & lingua exſerta, eumque difficillimè, cum metu ſtrangulationis, ducat. *f* Facies rubet. *g* Collum rubrum & tumidum valdè calet. Ore aperto & linguâ depreſsâ, faucium conſpicitur tumor & rubedo. Pulſus adeſt celer, creber, & validus, Valde ſitit.

a Angina.) *Variæ hujus ſunt ſpecies aut gradus majores & minores, nempe* cynanche, *quæ peſſima, affectis muſculis laryngis internis,* paracynanche, *externis,* ſynanche *affectis muſculis Pharyngis internis, paraſynanche externis:* Lordoſin, cyphoſin & ſcolioſin *ut rariſſimas anginæ ſpecies, luxationes & diſtorſiones vertebrarum colli varias ſignificantes, nec niſi cum morte terminandas, conſultò hic prætèrimus. Ratione cauſarum & ſymptomatum dividitur etiam Angina in* veram, & ſpuriam, *quarum primæ ſemper conjungitur febris continua acuta, huic non item.*

b Spirandi & deglutiendi.) *Sic diſtinguitur ab relaxatione uvulæ.*

c Intra paucas horas.) *Hæc faciunt ad prognoſin.*

d Rectâ cervice.) *Tunc dicitur orthopnæa.*

e Ore hiante.) *Ergò eſt cynanche.*

f Facies rubet.) *Non eſt faciei rubor ſignum anginæ pathognomonicum, nam etiam in peripneumonia adeſt.*

g Collum rubrum & tumidum.) *Non hæc præciſè indicant cynanchen, quam prius Auctor indicare videbatur, ſed plures muſculi afficiuntur ſimùl, ut conſtat ex §. ſeq.*

Partes affectæ in hoc ægro ſunt *a muſculi faucium*, tum interni, tum externi; quod tum ex tumore & rubore, foris & intus conſpicuis; tum ex deglutitionis & reſpirationis difficultate, ſatis eſt manifeſtum. Afficitur etiam *cor*, ut patet ex febri, quam pulſus celer, creber & validus, inflammationem hanc comitans, nec non magna illa ſitis indicat.

a Muſculi faucium.) *Laryngis & pharyngis, interni & externi.*

Morbus, ægrum infeſtans, eſt muſculorum interiorum & exteriorum, gutturis & gulæ phlegmone, quæ, difficultatem magnam reſpirandi & deglutiendi efficiens *a Angina* vulgò appellari ſolet.

a Angina.) Hippocrat. 6. Epid. Sect. 7. text. 4. *diſtinguere videtur inflammationem faucium & anginam, inquiens,* quibuſdam verò faucium inflammationes aderant, aliis anginæ: *Et rectè quidem non enim omnem*

nem faucium inflammationem comitatur spirandi & deglutiendi difficultas, uti nec omnem anginam faucium inflammatio.

Causa a *Procatarctica* hujus morbi est genialis vita, quam æger noster, potui liberaliori & generosiori indulgendo, ducere solebat. Hinc, adjuvante sanguineo ejus temperamento, magna copia *b* sanguineorum, in toto ejus corpore genita, *c Antecedens* hujus morbi fuit causa. Eaque in corpore incalescens, & poros vasorum circa guttur & gulam *d* nimium aperiens, & in musculos eorum internos externosque sese copiose effundens, ibique valde effervescens, *Continentem* hujus morbi & ejus symptomatum constituit causam.

a Procatarctica.) *Vid.* Hippocr *Sect.3.Aph.16.* Assiduis imbribus morbi fere fiunt, febres longæ, fluxiones alvi, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ. *Quod præcipuè intelligendum est de angina epidemica, conf.* Aph.20 22. *item* Barth. cent.1. obs.81. *Lethalem anginam à morbillis, vid.* misc.cur. ann.6. & 7. obs.42.

b Sanguineorum humorum.) *Potius acrium fixorum.*

c Antecedens causa.) *Aliquando est symptomatica, febribus superveniens, aliquandò oritur à suppressione consuetarum evacuationum in utroque sexu; aliquandò à rebus incautè deglutitis, ita Anacreon Poëta, acinô uvæ passæ suffocatus est, & Fabius Senator poto in lactis haustu pilo strangulatus fertur: Hadrianus Pontifex à musca involante suffocatus: confer* misc. cur. dec.1. ann. 2. obs. 153. Sennert. lib. 2. med.pr. p. 349. Joh.Rhod.obs.p.92.

d Nimium aperiens.) *Potest quidem illa apertio præcessisse, uti à magno calore, sed tamen non necessario, & semper: sufficit enim obstructionem oriri posse in canaliculis musculorum faucium angustioribus, à sanguine & humoribus crassioribus acribus.*

Dum enim, per illum humorum sanguineorum in musculos illos copiosè influentium, ibique vehementius *a* incalescentium, influxum, tumor circa collum & fauces nascitur, gula & guttur arctantur, eaque justâ dilatatione, in deglutitione & respiratione necessariâ, satis aperiri nequeuntia, *magnam respirandi & deglutiendi pariunt difficultatem.* Dumque æger liquorem ore haustum magno conatu versus gulam tumidam musculis oris, deglutiendi causâ, premit, *liquor* pressus fauces clausas inveniens, impetumque è pressione habens, magnâ vi per foramina, ex palato *in nares* patentia, *erumpit.* Et quia ab hoc tumore, tanta gutturis est angustia, quæ à musculis tumidis satis aperiri non potest, hinc *ore aperto,* b *lingua exsertâ & extensâ, ac erectâ cervice, conatur æger gutturis apertionem inter respirandum juvare.* Cumque hic conatus respirationi vix sufficiat, hinc *tanta oritur respirationis difficultas, ut ea strangulationis metum ipsi incutiat.*

a Incalescentium.) *Hoc jam antea explicavimus med. de phrenit.*

b Lingua exserta.) *Sic videlicet basis ejus extenuatur, faciliorque resultat aëri ingressus ad asperam arteriam.*

Nec mirum est *faciem, collum, & interiora oris valdè rubere, pulsumque esse celerem, crebrum, validum;* cum illud *a* rubicundo & valde effervescente sanguine, partim in illas partes copiose illapso, partim à parte affecta per venas perpetuò ad cor refluente, ibique vehementi & malignâ suâ incalescentiâ febrem symptomaticam excitante, originem ducat.

a Ru-

a Rubicundo sanguine.) *Quomodo febris continua acuta oriatur ab inflammata parte notabili, supra etiam diximus loco citato, & plenius infra dicemus circa febres in specie.*

Morbus hic cum sit acutus, & strangulationis *a* periculum inducat, celerrima *Curatione* est impugnandus. *Eaque* in causæ antecedentis & continentis ablatione, ac respirationis auxilio, consistet.

a Periculum inducit.) *Huc spectant seqq.* Hippocratis Aphorismi.

Sect. II. Aphor. 43. Ex iis, qui strangulantur, & resolvuntur, necdum mortui sunt, non se recolligunt, quibus spuma circa os fuerit. *Ratio est, quòd fauces propter inflammationem musculorum laryngis & pharyngis vehementem adeò sint angustatæ, ut nullus aër impelli ad pulmones possit, pro eorundem cellulis expandendis, ut & vasis sanguiferis premendis, quò fluiditas sufficiens, adeòque circulatio sanguinis humorumque continuetur: adde quòd cùm particulæ aëris vi elasticâ præditæ, sanguini communicari amplius nequeant, motus intestinus singularum particularum ad fluiditatem conservandam necessarius imminuatur, ita ut secretiones humorum succumbant, id est, homo moriatur.*

Confer. Sect. IV. Aphor. 34. Si febre detento suffocatio derepente supervenerit, nullo in faucibus apparente tumore, lethale. *Ratio est, quòd obstructio sit valdè magna in musculis internis, ad quam virtus medicamentorum satis subitò penetrare nequit, præprimis cùm æger deglutire nequeat.*

Sect. IV. Aph. 35. Si febre detento repentè collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo existente tumore, lethale. *Quia morbus magnus supervenit alteri magno, & tumor profundius hæret.*

Sect. V. Aphor. 10. Quibus, ex angina liberatis, ad pulmonem mali fit conversio, ii intra dies septem moriuntur: si vero hos effugerint, purulenti evadunt. *Rursùs quia morbus magnus alteri magno supervenit, id est, peripneumonia, quâ vires adhuc magis atteruntur, ratio autem, cur aliàs purulenti evadant, dicetur* lib. ij.

Sect. VI. Aphor. 37. Angina correpto, si tumor oriatur in collo, bonum: foras enim morbus vertitur. *Quia exterius non ita afficit asperam arteriam, & remediis etiam externis locus est.*

Mox igitur *a* educatur sanguis ad revulsionem & evacuationem *b* ex dextro brachio ad uncias decem; & nisi malum mox levetur, reiteretur venæsectio intra horas duas; imo vel tertia repetatur post tres horas.

a Educatur sanguis.) *V. S. uti in omnibus inflammationibus magni momenti, ita hic in principio semper debet institui, & quidem in Brachio, ut sanguinis impetus melius sistatur, quæ etiam sæpius iterari poterit, & quia hæ inflammationes sanos aliàs homines, robustosque, & plethoricos aliquando invadunt, ideo venæ-sectio larga potest institui, præprimis quoniam vasis nonnihil exinanitis per ramos vicinos liberiùs undiquaque fluit, minoremque versùs partem affectam pressionem parit. An autem venæ raninæ sint incidendæ nec ne? dubia est responsio, cùm & ratio & experientia, militet pro utraque.*

b Ex dextro brachio.) *Non necessariò requiritur ut sit dextrum, neque quantitas definiri potest.*

Et postea injiciatur talis *a* Clyster:

℞. *Rad. althææ* ℥j.

Herb.

Herb. violariæ,
mercurialis, parietariæ an. m. j.
Flor. violar.
rosar. an. m. j.
Fol. senæ ℥j.
b *Sem. lini*
fœn. græc. an. ℥ij.
fœniculi ℥j.
c *Decoq. in aq. comm. In colaturæ ℥x. dissolve*
Diaphœnici, diapruni ana ℥ſ.
d *Ol. camomillor. ℥j. ſ. salis comm. ℥ſ.*
Fiat Clyster, *mox injiciendus.*

a Clyster.) *Non exhibentur hic purgantia per os, primo quia id fieri non potest ob faucium angustiam, secundo, quia in morbo acuto (qualis hic est) non tutum est purgantia per os sumere, nisi in principio & declinatione morbi. Clyster sit acer, ut facilius & citius fæces versus inferiora devolvantur.*

b Lini, fæn. græci.)
Add. sem. nigell. ℥iij.

c Decoquantur.) *In decoctione nodulus suspendatur ex*
colocynth. ℥ß.

d Ol. camomill.) *Si nempe fæces sint induratæ, alioquin non opus est glabritiem intestinis conciliare.*

a Utatur etiam hoc gargarismo:
℞. *Fol.* b *plantaginis,*
bellidis majoris ana m. j.
flor. rosar. rubrarum p. j.
balaustior. gallæ ana ℥j.
sem. cydonior: ℈iiij.
Decoq. c *in aquæ plantaginis ℔j. solani, equiseti ana ℥j. ſ.*
d Fiat gargarisma, quo e gargariset; Vel fauces saltem humectet, & capite retrorsum inclinato lavet.

a Utatur gargarismo.) *In principio morbi Gargarisma adstringens potest adhiberi, ne plus materiæ peccantis canaliculis insinuetur: ubi autem morbus increverit, cave ab adstringentibus, nè materia poris & canaliculis contenta ita incrassetur, ut ægerrimè, aut nunquam inde removeri possit: vitriolum alb. aquâ plantag. solutum solum, cum pauxillo syr. diamor. aliquandò sufficit.*

b Plantaginis.) *Adde*
Fol. prunellæ m. j.
solani m. ß.

c In aq. plantaginis.) *Decoctio est nimis pretiosa, si non inutilis in aquis destillatis.*

d Fiat gargarisma.) *In Gargarismate ad ℥x. vel viij. dissolvatur* Lapid. prunell. ℥j. *aut ℈jv. vitriol. alb. gr. vj.* Mell. rosar. ℥jß.

e Gargariset.) *Non semper suadenda est agitatio faucium, sed supino capite, liquor detineatur aliquamdiu, & in fine paululum duntaxat gargarizandum est:* Thomas Sydenham *hoc in casu laudat seq. gargarisma.*
℞. Aq. plant.
rof.
sperm. ran. ana ℥jv.
album. ov. agitatione in aq. redact. num. iij.
sacch. cand. alb. ℥iij.
M. F. Gargar.

Faucibus *a* oleo amygdalar. dulc. illitis, adhibeatur foris hoc Cataplasma:

℞. *Rad. althææ* ℥j.
Fol. malvæ, bismalvæ,
Chærefol. ana m. j.
Far. sem. lini,
fœnigræci ana ℥ſ.
Flor. camomillor. meliloti ana p. ſ.
pulv. b *nidi hirundinis* ℥j. *Cum lacte vaccino, Fiat* Cataplasma, *calidè adhibendum.*

a Ol. amygd. dulc.) *Si ſit angina ſpuria, elige ol. amygd. amar.*

b Nidi hirundinis.) *Specificum hoc cenſetur ad anginam, propter ſalem volatilem copioſum, fimo hirundinum contentum; cui adde album græcum, & coq. in aq. fabrorum ferrariorum.*

Si malum his nondum levetur, *a* aperiantur venæ ſub lingua, & cucurbitæ multæ ab humeris per univerſum corpus deorſum adhibeantur, & cutis multis locis ſcarificetur.

a Aperiantur venæ ſub lingua.) Tulp. lib. 1. obſ. 51. *ita de ſectione harum venarum loquitur. His præproperè exſolutis, elicitur quidem frequens ſanguis, ſed non tam ex parte affecta, quàm à corpore univerſo, per truncum videl. venæ jugularis, cujus ſanguis attractus uberiùs, versùs locum per ſe ſatis anguſtum, ſuffocat facile hominem; uti ejus infortunii exempla aliquando à nobis viſa.*

Si ſtrangulationis metus perſeveret, *a* laryngotomiâ reſpirationem adjuvandam cenſeo: cum ea tutò, cum certo ægri levamine, uſurpari poſſit, ſub tertio vel quarto aſperæ arteriæ annulo, infra guttur.

a Laryngotomia.) *Preſtat videlicet anceps remedium in caſu deſperato, quàm nullum; vid.* Scultet. in App. arm. chir. tab. XXIV. fig. 1. Corn. à Solingen manual. oper. lib. 1. cap. 56. *Modus autem procedendi ſequens eſt: ponatur æger adverſo lumine in ſella adaptatâ, capite ſupino, & à ſervo firmiter detento, ut collum permaneat expanſum, tunc cutis atramento notetur à principio laryngis, inferiora versùs ad longitudinem digitorum trium: poſteà ſiniſtris primoribus digitis chirurgus, & dextris famulus cutim elevet, cultroque acuto ſimùl & ſemel cautè eam incidat à parte ſuperna ad infimam atramento notatam continuando identidem inciſionem lateralem, ut repræſentet crucem: deindè vulnere ſpongiâ ablutò ſeparentur muſculi ſterno-hyoidei, diductiſque digitorum ope integumentis, & collo magis expanſo, vulnus infligatur inter tertiam & quartam, vel quartam & quintam cartilaginem (cavendo tamen ſubſtantiæ ipſius læſionem) tunc mox tubulum aureum, argenteum, vel plumbeum lævem, extremitate rotundum, & parumper incurvatum, variis foraminibus perforatum & alatum immitte, fixumqe ſerva ope emplaſtri alicujus glutinoſi, donec angina fuerit curata: poſteà vulneris labia arctè mutuò adducantur, evitando illapſum materiæ alicujus humidæ, oleoſæ, vel acris, & poſteà fiat conſolidatio methodo vulgari per balſamica & nonnihil adſtringentia.*

Et, ſi deglutiendi impedimentum diu continuetur, injiciatur bis in die talis Clyſter *a* nutriens:

℞. *Ju-*

℞. *Juris caponis lib. 1.*
Vitellos ovorum ad mediocritatem coct. Num. ij.
Cinnamomi ℈ſ.
Fiat Clyſter, nutriendi cauſa bis in die injiciendus.

a Nutriens.) *Licet pauciſſima & minima ſint in inteſtinis craſſis vaſcula lactea, quorum ope vires talis clyſteris ad ſanguinem deferrentur, attamen, non obſtante valvula coli, vapores blandè aſſurgentes perveniunt ad vaſa lactea inteſtinorum tenuium, nec non poros inteſtinorum immediatè pertranſeunt, ita ut vitam prolongent ad aliquod tempus.*

Ubi aliquid deglutire poterit æger, hoc utatur *a* decocto:

℞. *Rad. cichor.*
dentis leonis, ana ℥j.
b Herb. Cichor.
Endiviæ,
dentis leonis ana m.j.
Card. benedicti,
Scabioſæ,
Malvæ ana m.ſ.
Sem. 4. frigid. major. ana ℥ſ.
Aniſi,
Fœniculi ana ℈iv.
Tamarindor. ℥j.

Fiat decoctio in aq. comm. addendo ſub finem decoctionis fol. ſenæ ℥ſ. *cinnamomi* ℈ſ.
Col. pro Apozemate, *de quo ſumat quotidie uncias quatuor, mane jejuno ventriculo.*

a Decocto.) *Huic præferimus ſudoriferum, quale ſeq.*
℞. Diaſc. Fracaſt. ℈jv.
Sal. prun. gr. xv.
Ocul. canc. ℈j.
Aq. card. ben. ℥ij.
Syr. ſambuc. ʒvj.
Tinct. croc. ʒj.
M. Fiat Hauſtus.
Poſtea autem ad intemperiem ſanguinis craſſam & acrem corrigendam, uſurpetur decoctum ex lign. ſaſſafr. rad. chin. ſalſap. liquirit. & ſale tart.
Raſura dentis apri hic, ut in Pleuritide ſpecifica habetur, dari autem poteſt à drach. ſem. *ad* ſcrup. ij. & ʒj. *addito pauxillo ſal. prunell. & abſinth.*

c Senæ.) *Purgantium rivulos hic ſæpiùs eſſe claudendos, & non niſi mitiora exhibenda, optimè monet* Horſtius, *præterquàm enim quod ſanguinem reddant acriorem, mixturam ſanguinis turbant. Si ad declinationem vergat angina, ſequens purgatio detur.*
℞. Extr. rhab. drach. j.
Mercurii dulcis ſcrup. ij.
Diagrid. gr. xij.
M. F. S. a. Pilulæ.
Majores vel minores pro lubitu, & dividantur in quatuor doſes æquales.

Si tumor in abſceſſum mutetur, & rumpatur, tali utatur oris collutione:

℞. *Rad. glycyrhizæ* ℥ſ.
Herb. malvæ,
meliloti ana m.ſ.
Florum camomill. p. ij.
Paſſular. ℥ſ.
a caric. pingu. Num. iij.

Coq. in ſ. q. aq. comm. ad lib. 1. Colaturæ adde mellis roſar. ℥iſ.
Miſce fiat b Gargariſma.

a Caric. pingu.) *Abſceſſu ad ruptionem vergente, caricæ pingues ore detineantur: ſalia enim earum pinguiora & oleoſa, poros nonnihil replendo & quaſi obſtruendo, efficiunt ut intus contenta materia ad rareſactionem magis perducatur, adeoque latera apoſtematis diffringantur.*

b Gargarisma.) *Non opus est gargarizatione, sed resupino ore, collutio tantum instituatur.*

Abscessu rupto os eluatur vino albo, cui addita fuerit aq. theriacal. vel infund. rad. arist. rot. bacc. laur. rad. bistort. & sim. in vin. alb. & posteà addatur theriaca: huc quoque pertinet Tinctura herbæ Thée.

In *diæta* aër sit temperatus. Cum æger deglutire poterit, cibus sit liquidus & mollis, ex ovis sorbilibus & jusculis. Vitentur omnia, quæ sanguinem *a* calefacere possunt, ut piper & alia aromata. Potus sit cerevisia tenuis. Corporis imperetur quies. *b* Somnus sit solito brevior, ne eo malum exasperetur. Alvus solvatur arte vel naturâ. Sollicitudines, quantum fieri potest, vitentur.

a Calefacere possunt.) *Id est, acrem reddere & inflammationes parere.*

b Somnus brevior.) *In casu videlicet pituitoso, hic autem ex adverso, sit longior, & venæ-sectio sub vesperam potius, quàm manè celebretur.*

XXXVI.

MEDICATIO PUERI, *a* APHTHIS LABORANTIS.

b PUer duorum annorum jam à quatriduo magnam *c* acrium humorum patitur *d* ad os defluxionem; *e* linguamque, & fauces plurimis *f* albis *g* ulcusculis, magnum *h* dolorem inferentibus, obsessas habet. Magnus *i* oris etiam ardor adest. Atque etiam insomnia perpetua.

a Aphthis.) *Frequentes adeò & familiares cùm sint nostris regionibus aphthæ, jure meritò mirari licet, quòd adeò eas steriliter hactenùs Auctores tractaverint, ut unus saltem (quod sciam)* Vincentiur Ketelaar. *M. D. & Rector Ziriréensis, exiguum de iis ex professo conscripserit tractatum: nec convenit inter Auctores de Aphthis Veterum & nostratium, præprimis cùm* Hippocrates *non solùm eas extendat ad superficiaria oris ulcera, infantum præprimis, ut in* Sect.iij. Aph.24. *sed etiam ad superficiarias & fervidas diversarum partium exulcerationes, ut* in lib. de nat. muliebri, §. 56. & 80. *item* lib. de morb. §.48. *nec non* lib. 1. de morb. mul. §. 127. *confer* Auctoris lib.ij. Medic.xx.

b Puer.) *In adultis symptomata sunt graviora, & febris acutior, quàm in pueris esse solent: sed aphthis pueri eò magis vexantur, quod partes oris habeant teneras, quas acrimonia seri lactis facilius lædit; undè etiam in his dici solent lactucimen.*

c Acrium humorum.) *Cum Aphthis semper aliqua acrimonia conjungitur, sed in uno casu major quam in alio.*

d Ad os.) *Dic potius quemadmodum ad alias partes, sic etiam ad os, quamvis in aliis partibus non ita id sentiatur.*

e Linguamque.) *Lingua sola non est hujus morbi subjectum, verum etiam œsophagus, ac interdum etiam ventriculus & intestina.*

f Albis.) *Aphthæ rubræ, purpureæ, lividæ & atræ longè pejores sunt albis; dantur etiam aphthæ cinericiæ.*

g Ulcu-

g Ulcusculis,) *Partes singulæ sunt asperæ ab erosione acrium humorum.*

h Dolorem inferentibus.) *Dolor ingravescit, cum ulcuscula aperta sunt, quia caro tum nuda est, & medicamenta acria exhiberi debent, ut ulcuscula detergantur.*

i Oris ardor.) *Hic dependet à sale copioso papillis palati, linguæ, & faucium inhærente.*

a Ulcuscula hæc, pueri hujus linguam & fauces, cum humorum acrium defluxu & ardore, obsidentia, *Aphthæ* vocantur.

a Ulcuscula.) *Ita quidem Veteres hactenùs censuerunt, erantque ipsis Aphthæ* ἕλκωσις ἐπιπόλαιος ἐν ςόματι γινομένη. Celso, serpentia oris ulcera: *sed* Vincent. Ketelaar, *describit eas, ut* pustulas albicantes, summis ac internis oris, ac interdum vicinis respirationis ac deglutitionis partibus insidentes, plerunque per lentam ac imperfectam crisin, febribus supervenientes; borealibus his tractibus familiares: quid quæso, *inquit*, aphthis cum ulcere ? non hic solutio continui, non imminuta, sed aucta magnitudo est: pariter non exedendo escharam, seu crustam tenellis partibus inducunt, sed vel maturę frustulatim decidunt, vel interiora repetendo, non manifestiora sui vestigia, quàm si nunquam fuissent, in ore relinquunt. *Nostro autem judicio, cùm adeò varient & naturâ suâ & phœnomenis aphthæ, nonnunquàm dici merentur pustulæ, nonnumquàm ulcuscula arida, nonnunquam crustulæ mucosæ diversimodè coloratæ, quæ prout vel major, vel minor copia acrimoniæ corrosivæ, aut pituitæ ex sanguine per oscula papillaria & lymphatica, undiquaque in superficiem faucium (ordinariè primò tonsillarum & uvulæ) linguæ, labiorum, gingivarum, œsophagi ventriculi & intestinorum, ope agitationis febrilis, s. continuæ, s. intermittentis, deponitur; diversa generant symptomata. Certe nigricantes aphthæ, & in quibus lingua rimarum siccarum plena est, utplurimùm præsentis, vel imminentis gangrænæ & mortis sunt indicia; nec rarò aliàs livescentes aphthas, palati & linguæ partes depasci observavimus, ita ut pus fœtidum notabili copia appareret.*

Eæque ex humoribus *a* serosis & acribus in toto corpore redundantibus, tanquam *causa antecedentes* sunt ortæ. Pars vero eorum ad os, linguam, & fauces delata, ibique propter istarum partium mollitiem & pororum *b* nimiam laxitatem separata, easque erodens, vellicans, & exulcerans *c* ardoremque in iis excitans, *continens* hujus morbi, & symptomatum est causa.

a Serosis.) Joh. Nic. Pechl. obs. phys. med. lib. 2. obs. 71. *censet causam aphtharum esse partim humorosam, partim halituosam, nec certe sine ratione.*

b Nimiam laxitatem.) *Nos potius diceremus ob nimiam angustiam crassiores, & acriores humorum particulas in superficie papillarum remorari, non aliter, ac in scabie, pustulisve aliis.*

c Ardoremque.) *Pororum hic talis est obstructio, qualis in erysipelate.*

Morbus hic propter defluxionis & doloris magnitudinem, ætatisque puerilis teneritudinem, satis est *a* gravis.

a Gravis.) *Nigræ & crustosæ aphthæ sunt pessimæ & lethales. vid.* Riv. in praxi: *singultus solet esse signum lethale, nec non aphtharum retropulsio & evanescentia sine causa evidenti, hæc enim virium, motusque circulatorii debilitatem denotat tantam, ut mali fomes ad circumferentiam corporis expelli*

pelli nequeat; hinc sufflaminantur secretiones, id est, mors instat: In pueris inquit laud. Pechlin. *morbus est ἀκίνδυνος, ratio esse videtur, quòd in iis serum viscosum, aphtharum acrimoniam magis temperet & involvat. Quae aphthae, cum mitigatione cœterorum symptomatum prodeunt, salutares esse solent.*

Curatio consistet in causæ antecedentis, & continentis; item in intemperiei, & ulcusculorum, ac doloris ablatione.

a Primò itaque purgetur infans, de sequenti syrupo quotidie aliquid exhibendo:

℞. *Syr. ros. sol. cum fol. senæ & rhabarb.* ℥ij.
Scammonii pulv. gr. vij. *ol. vitrioli gutt.* vj.
Misce F. *b* syrupus, *pro* iij. *vel* iv. *dos.*

a Primo purgetur.) *Non debemus hìc facile purgationem commendare, ne diarrhæa sequatur, quæ admodum periculosa est in omnibus aphthis, nisi sit cum restauratione virium critica.*

Alvus si sit adstricta, eluatur clystere emolliente: in corpore plethorico, nisi maturè Venæsectio fuerit instituta, aphthæ summas pariunt faucium & præcordiorum angustias, hominemque plerunque extinguunt: imminentibus aphthis sudorifera temperata, ut & emollientia & humectantia conducunt, salina autem acriora nocent: decoctum scorzoneræ simplex & compositum egregium est sine acido, ut & decoct. cicer. rub. C. C. lim. liquirit. ficuum, hord. mund. in Pauperibus, quibus medicaminum usum fortunæ conditio negat (ut loquitur Pechlinus) *Aphthas sæpè profligari vidimus, modò raparum, brassicæ capitatæ rubræ, aut pastinacę tenuifoliæ detersivo jure in gargarismatis modum: internè etiam commendantur pulveres acidum absorbentes ut C. C. ustum, vel philosophicè præparatum, corall. extractum lapidis porcini, &c. Mixtura aliqua temperata sudorifera continuò sit in promptu, ut lentè materia morbifica ad circumferentiam expellatur, non enim hic nimis festinandum.*

Sudoriferum pro tenerâ ætate adhibeatur sequens.

℞. Bezoar. Mineral. gr. v.
Lapid. Bezoar. gr. viij.
Croci gr. vj.
Sacch. perl. ℈ß.
M. F. Pulvis.

Exhibeatur cum pulte, aut lacte materno, vel quod præstat, cum jusculo calido.

b Syrupus pro iij. vel iv. dos.) *Nimia dosis est syrupi pro puero duorum annorum: sit pro 6. vel 8. dosibus.*

Aliquando levis diarrhęa critica supervenit, & aphthæ copiosæ excernuntur; & tunc conducit Syr. mannatus, osque colluatur aq. ros. cui additi fuerint vitelli ovorum, & saccharum cantum, vel mel. ros.

In os ingeratur frequenter de *a* de tali mixturâ: eâque, cum linteo bacillo alligato, aphthæ sæpius *b* illinantur.

℞. *Syr. granator. acidor. cydoniorum,*
Mellis rosacei ana ℥j.
c *Spiritus vitrioli q. s. ad gratum acorem.*
Misce.

a Tali mixtura.) *Alii decoquunt saturejam in vino pro collutione oris, aut veronicam, & adjicitur aliquid mell. rosac. & spiritus vitrioli quantum fert lingua & palatum.*

b Illinantur.) *Et differenda est quantum fieri potest exspuitio, ut liquor diutius agat in aphthas. Etiam subinde addi potest portio aluminis usti, aut Ægyptiaci, si ulcuscula sint maligna.*

c Spi-

c Spiritus vitrioli.) *Cautè cum hoc procedendum est.*

Malo perseverante: ubi corpus rursus purgatum fuerit, exhibeatur, ad doloris sedationem, & fluxionis cohibitionem, *a* laudani opiati gr. j. in syr. rosaceo dissolutum.

a Laudani opiati.) *In puerulo, nè nimis subita fiat mutatio, cape gr. ß. sacch. saturn. gr. j. cum syr. conveniente.*

Interim *nutriatur* puer carnium *a* jusculis, acetosâ, lactucâ, & endiviâ alteratis.

a Jusculis.) *Sine sale, sed alterentur pauxillo cremoris tartari.*

XXXVII.

MEDICATIO JUVENIS, *a* UVULÆ RELAXATIONE LABORANTIS.

JUvenis viginti sex annorum, *b* plethoricus, postquam aliquot dies *c* liberaliori vini & cerevisiæ potui indulsisset, incidit in magnum dolorem faucium, quo nonnisi cum dolore & difficultate *d* quicquam deglutire potest. In faucibus etiam aliquid, *e* instar boli deglutiendi tumens, ab ipso perpetuò percipitur. In ore ejus, cum linguæ depressione aperto, apparet *f* uvula valdè tumida & *g* laxata, vicinæque partes valdè tumentes & *h* rubentes.

a Uvulæ relaxatione. (*Vid.* Forest. lib. 15. obs. 1. usque ad 7. River. prax. lib. 6. cap. 6.

b Plethoricus.) *Jam sæpius supra notavimus hâc voce indicari sanguinem crassum & acrem.*

b Liberaliori vini, &c.) *Causa hæc merè est accidentalis & fortuita: aliquando oritur à frigore corporis subitaneo, in coryza, aliquando ab ostreis crudis, fumo tabaci immodico, suppressis mensibus, lactuca cum aceto, & simil.*

d Quicquam deglutire.) *Sic distinguitur ab angina, in qua simul adest difficultas respirandi: aliquandò simul tument tonsillæ, & vicinæ glandulæ, tuncque gradus est ad anginam.*

e Instar boli.) *Hoc aliquando est à glandulis œsophagi tumefactis.*

f Uvula tumida.) *Hoc signum est pathognomonicum.*

g Et laxata.) *Cum Uvula relaxata planam figuram habet*, columella *vocatur; cum est figuræ rotundæ, & pediculum habet angustum*, uva *vocatur.*

h Rubentes.) *Hic rubor nobis significat naturam causæ internæ, seu antecedentis, videlicet salinæ: ubi aliàs à pituitâ, uvula obstruitur, albescit.*

Affi-

Afficitur in hoc ægro *uvula*, ac præterea *fauces*, quod ex dolore, deglutiendi difficultate, & tumore, instar boli fauces prementis, in illis partibus percepto: item, ex ipsâ fauces ejus inspicientium autopsiâ; est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est tumor faucium, & præcipue uvulæ, à sanguine *a* calidiore & pituitoso ortus; qui partes illas vicinasque suâ *b* copiâ distendens, uvulamque nimium relaxans, atque hinc dolorem & deglutiendi perpetuam difficultatem, suffocationisque subinde invasuræ metum, inducens, *Uvulæ relaxatio*, à præcipuo hujus tumoris symptomate, reliqua alia symptomata potissimum producente, vulgò appellari solet.

a Calidiore & pituitoso.) *Id est, ut mox diximus, acri, crasso, & viscoso: ex quo cùm similis naturæ humores secernantur, qui viam liberam per canaliculos uvulæ, & ligamentorum ejus non invenientes, obstructiones pariunt, propter quas fibrillæ flaccescunt, totumque uvulæ corpus elongatur, itaut super linguam aliquando dependeat.*

b Copiâ distendens.) *Sed nonnisi post obstructionem factam in poris & canaliculis dolor est partim à sale acri, partim ab expansione magna fibrillarum inter deglutiendum.*

Procatarctica hujus morbi *causa* est potus ille generosus & liberalis, cui hic juvenis per dies aliquot plus justo indulsit; inde enim multi humores sanguinei & pituitosi, in ejus corpore geniti, *a antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum in corpore incalescens, & poros vasorum circa fauces, uvulam, vicinasque partes plus justo, ex præcedente *b* potatione illas partes præ cæteris magis laxante, apertos inveniens, & per eos se in partes illas copiose effundens, *continentem* hujus morbi, ejusque symptomatum, constituit causam.

a Antecedentem causam.) *Aliquando etiam à lue venerea, uvulam totam exedente producitur.*

b Potatione.) *Hac occasione sanguis incrassatur & acescit.*

Dum enim per illum humorum sanguineorum & pituitosorum, in partes illas copiose illabentium, ibique vehementius incalescentium, influxum, tumor in faucibus vicinisque partibus & uvulâ nascitur, gula & guttur ita arctantur, *ut ea, non nisi magnâ vi, magnum dolorem necessario inferente, in deglutiendo* aperiri queant. Uvula verò hinc justo longior & latior evadens, & fauces suâ nimiâ mole replens, facit *in iis perpetuum, tanquam boli ibi hærentis, sensum*. Interdum verò illa plus solito intumescens, & humores quosdam *a* in asperam arteriam per rimas epiglottidis copiosius immittens, tantam subinde inducit respirandi difficultatem, *ut æger* b *suffocationem metuat*. Hæc autem omnia in ore tam sunt evidentia, ut *inspicientium oculis cerni possint*.

a In asperam arteriam immittere.) *Quoties respirandi difficultas simul cum uvulæ relaxatione adfuerit; tumor peccat partium adjacentium, ita ut aspera arteria vicina comprimatur: aliquandò tamen simùl copiosa phlegmata in ore collecta, devolvuntur super epiglottidis rimam.*

b Suffocationem metuat.) *Hoc non habet in historia.*

Morbus hic, cum deglutitionem & respirationem tollere, & *a* uvulæ corruptelam inducere possit, satis est periculosus.

a Uvulæ

a Uvulæ corruptelam.) *Nempe si inflammatio non insensibiliter discutiatur, sed refrigerantibus & adstringentibus, sive repellentibus intempestivis ejus tentetur curatio, non rarò succedit uvulæ gangræna, aut cancer præsertim à lue venereâ, atque tunc color transit, ad obscurum, aut lividum: Aliquando totum uvulæ corpus arescit & planè marcescit, instar fructus alicujus calore exsiccati.*

Diligenti itaque *Curatione* erit impugnandus. *Eaque* in causæ antecedentis, & continentis, item in tumoris & intemperiei, per contraria ablatione consistet.

E *a* venâ igitur in brachio dextro apertâ mox educatur sanguis ad uncias decem. Idque etiam postea repeti potest.

a E vena aperta educatur.) *Præsertim si plethora adsit, & notabilis inflammatio ad partes vicinas sese extendat; tuncque etiam curationis ordo idem servandus, qui in Anginæ vera.*

Paulo post talis injiciatur *a* clyster:

℞. *Decoct. emollientis lib. 1.*
Elect. diapruni, diaphænici an. ℥vj.
Ol. violar. lilior. an. ℥j. *salis* ℥j.
Misce, F. Clyster.

a Clyster.) *Ob deglutitionis difficultatem, interna hic ab Auctore non præscribuntur purgantia, & rectè quidem; hæc enim utplurimùm inflammationes augent.*

a Cucurbitulæ etiam scapulis & humeris sunt adhibendæ.

a Cucurbitulæ.) *Hoc in casu eas multum præstare, rariùs observatum. Raram relaxationis uvulæ curandæ methodum, sed (ut ajunt) infallibilem, solâ brachiorum frictione, videre licet in* misc.cur.dec.2. ann.iij. obs.50. *barbitonsores hoc malum curare annituntur pulvere aluminis, salis communis & piperis, uvulæ admotô, & attractione pilorum capitis verticalium.*

Et utatur tali *a* gargarismo:

℞. *Hordei mundati p. j.*
Fol. violariæ, portulacæ, plantag. an. m. j.
myrti m. ß.
Cort. malor. granat. ℥jß.
Flor. rof. rubr. malvæ arbor. an. m. ß.
Sem. cydon. malvæ an. ℥j.
Auricular. judæ ℈j.
*Decoq. in aq. comm. ad lib. j*ß. *in colatura dissolve*
diamori, dianuci, mell. rof. an. ℥ß.
Misce pro Gargarismo, *quo sæpius in die gargariset.*

a Gargarismo.) *Gargarismus Auctoris convenit in principio: colaturæ adde*

Salis prunell. drach. j. sem.
Succ. semperviv. maj. ℥ij.
Syr. diamor.

Mellis rosar. ana unc. sem.
Misce pro Gargarismate.
Ubi relaxatio uvulæ fuerit ab humore viscoso, aromaticum sit gargarisma ex aquis destillatis & tincturis.

Et sæpe lambat de hoc linctu:
℞. *Diamori, dianuci,*
a *Syr. violacei an.* ℥ß. Misce.

a Syr. violacei.) Add. sal. prun. ℥ß.

In ingenti dolore, interdum gargarisandum cum *a* lacte recenti.

a Lacte recenti.) *Addatur crocus.*

Postridie purgetur tali haustu, si tum deglutire possit; nam alioqui *a* repetendus esset præcedens clyster:
℞. b *Senæ* ℥ß.
Sem. anisi ʒj.
Decoq. in aq. hordei q. s. ad ℥iiij.
In quibus dissolve el. diapruni ℥ij.
Misce. F. c potio, *mane exhibenda: & subinde, malo perseverante, iteranda.*

a Repetendus clyster.) *Si videlicet alvus maneat adstricta.*
b Senæ ℥ß.) ℥ij. *senæ sufficiunt.*
c Potio.) *Vel*
℞. Aq. cichor. ℥ij.
elect. diaprun.
cholag. ana ʒij.
crem. tart. ℈j.
syr. de cich. cum rheo ℥ß.
M. *F. Haustus.*

Corpore benè purgato, uvula *a* cum pulvere sequenti, cochlearis, ab *Hildano centur. 2. obs. 21.* descripti, vel alterius convenientis ope, sæpius in die erit sublevanda:
℞. *Rosar. rubr. balaustior. cort. granat. an.* ℥ß.
Rad. bistortæ, tormentill. gallar. immatur. irid. florent. an. ʒj. *aluminis usti* ℈ij.
M. F. Pulvis.

a Cum pulvere.) *Tentetur primo curatio per leniter adstringentia: aliquando juvit alumen ustum solum.*

Pulverem nucum cypressi, cum cochleari applica. Sed cavendum sedulo, ne lædatur uvula ab instrumento, quo ad applicandum utimur, secus enim malum exasperatur, Harthmannus *habet sequens.*
℞. Pulver. Piper. Long. ℈j.
Succ. Acaciæ.
Rad. Tormentill. an. ℈ij.
Misce, Fiat Pulvis.
Piper non debet adhiberi, nisi in mero pituitoso casu, ut & rad. iridis.

In casu pituitoso prodest etiam fumus tabaci, præsertim in non assuetis.


Spiritus vini simplex vel aromatizatus ore detentus, item sp. sal. ammon. linteis carptis relaxatæ uvulæ admotus, præsentaneam sæpè opem attulerê. In casu pertinaciori, juvat aq. mercurialis. Hisce non juvantibus, & apparente vel ulcere maligno, vel scyrrho, gangrænâ, vel marcore, nonnulli aureo nummo ignito, cochleari imposito uvulam adurunt: alii extirpationem

nem ejus instituunt ope volsellæ & forcipis: confer Scultet. arm. chir. tab. viij. fig. 7. *Aliud instrumentum eundem in finem à Rustico NorWego inventum vid. apud* Barthol. cent.ij. obs. anat. hist. 88. *Hæmorrhagia, si quæ post extirpationem, vexet chirurgum & ægrum, adhibeat vel vitriol. cyp. vel camph. vel cauterium actuale. Reliqua pars curationis absolvitur melle rosaceo. Confer.* Aët.lib.8.c.41. Amat. Lus. cent.3. curat.65. Paul.Ægin. lib. vj. cap.iij.

In *diæta* aër sit temperatus; cibus ex jusculis & ovis sorbilibus: *a* vitentur omnia aromata: potus sit tenuis cerevisia: corpus quiescat: somnus sit moderatus: fugiantur animi affectus.

a Vitentur omnia aromata.) *In casu pituitoso possunt concedi aromata, non autem in casu salino, sive biliosio.*

FINIS LIBRI PRIMI.



PRAXEOS MEDICÆ,

LIBER SECUNDUS.

De Medendis Morbis Pectoris.

I.

MEDICATIO VIRI, SPUTO SANGUINIS LABORANTIS.



IR robustus, *a* 40. annos natus, postquam diu intemperanter, in copioso, & *b* generoso cibo, potuque ingurgitando, vixisset, cœpit *c* de dolore quodam thoracis gravativo, *d* & tussi sicca comitato conqueri; qui deinde *e* per aliquot menses duravit. Tandem ipsi nocte evigilanti oborta est *f* tussis vehemens; ex qua post aliquot horas incidit in *g* sanguinis exspuitionem tam copiosam, ut ea nocte pelvim integram sanguine, cui multum *h* puris fœtidissimi erat admixtum, impleverit. Postea exspuitio illa nonnihil quidem fuit imminuta; verùm *i* redeunte postridie vehemente tussi, rursus pelvim sanguine, spuitione rejecto, implevit. Jam valde sitit; nec *k* à febri est liber.

a 40. annos.) *Vid.* Hippoc. Sect. iij. Aph. 29.

b Generoso.) *Hic præsupponit copiosum salem.*

c De dolore gravativo.) *Hic indicat, mali fomitem in pulmonibus esse, non alibi; pulmo enim cùm paucos habeat & laxos nervos respectu suæ magnitudinis, obtusi sensus est.*

d Et tussi sicca.) *Hisce verbis indicare vult hæmoptoën imminere, sed mali causam, adhuc latere in remotioribus pulmonum cellulis.*

e Per aliquot menses.) *Hæc spectant ad prognosin.*

f Tussis vehemens.) *Absque tussi ortam hæmoptoën vid. in* misc. cur. ann. 2. obs. 45. *item apud* Joh. Rhod. cent. 2. obs. 32. *sed aliàs tussis solet esse hujus affectus symptoma individuum.*

g Sanguinis exspuitionem.) Tulp. lib. ij. cap. xij. *observavit surculum arteriæ pulmonalis expectoratum; &* ibid. cap. xiij. *integram venam à pulmone rejectam; item* cap. xiv. *frustum pul-*

pulmonis, fauces occludens: confer Barthol. cent. iij. hist. 98. Zacut. Lusit. lib. j. prax. obs. 110. *Notetur autem quòd sanguis ex pulmonibus prodiens, sit spumosus & floridus, qui verò ex ventriculo evomitur, nigricet grumefactus, qui verò ex faucibus emanat, solet esse serosior, sine tussi aut gravitate pectoris.*

b Puris fœtidissimi.) *Fætor indicat ulceris vetustatem.*

i Redeunte vehementi tussi, &c.) *Hæc quoque faciunt ad prognosin.*

k A febri.) *Sine dubio hecticâ, siquidem jam dixerit Auctor pus fœtidum cum sanguine rejectum fuisse, sic hæc medicatio est preparatio ad medicationem secundam, tertiam, nonam, decimam, & decimam nonam.*

Afficitur in hoc ægro a *substantia pulmonum, & eorum vasa*, uti ex sanguine, & pure illo copioso, tussiendo rejecto, est manifestum; afficitur & *b* cor, ut patet ex febri.

a Substantia pulmonum.) *Id est, & ramificationes variæ bronchiorum, & vasculorum sanguiferorum, & cellularum, sunt erosæ, & consumptæ.*

b Cor.) *Potiùs primariò sanguis, ex quo secundariò afficiuntur partes corporis solidæ omnes, adeoque etiam cor.*

Morbus, qui eum infestat, est *pulmonis* & ejus vasorum *exulceratio*, sanguinis & puris copiosi exspuitione comitata.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est intemperans illa cibi & potus copiosi & generosi ingurgitatio; quâ *b* magna copia humorum sanguineorum & acrium, in toto corpore, & pulmonibus collecta, *antecedentem* huic morbo præbuit caussam. Pars verò ejus magna *c* ex vasis pulmonum in eorum substantiam effusa, (causa hujus morbi *continens* existens) produxit suo pondere primum d *dolorem gravantem*; & acrimoniâ ac quantitate suâ bronchia pulmonum irritando, excitavit *tussim*; qua primo nihil expectorabatur, quia materia illa, pulmonum poris contenta, primò erat *e* nimis crassa, & substantiæ eorum nimis firmiter affixa, quam ut de ea quicquam ex pulmonibus expectoraretur. Postea verò lapsu temporis fuit ille sanguis extravasatus *f* in pus conversus, quod lapsu temporis putredinem & hinc fœtorem & tantam acrimoniam contraxit; ut illud ipsi dormienti tam vehementem concitaverit tussim, qua pulmonum bronchia & vasa, materiæ isti purulentæ & fœtidæ, in cavitate pulmonum collectæ, vicina, ac ab ejus acrimonia pene exesa, diffregerit, atque ita & *puri & sanguini copioso* in bronchiorum cavitates fenestram tantam aperuerit, ut vi vehementioris tussis tanta fœtidi puris & *g* sanguinis floridi copia fuerit excreta, quæ jam aliquot pelves hactenus implevit.

a Causa procatarctica.) *Vid.* Hipp. Sect. 4. Aph. 23. Sect. v. Aph. 24. *ab hirudine deglutita hemoptoën. vid. apud* Petr. Borell. cent. j. obs. 61. *à duobus claviculis forte fortuna deglutitis, vid. in* act. Hafn. Barthol. vol. v. obs. 28. *à vehementi corporis motu in* misc. cur. ann. iv. obs. 63. *à suppressionibus fluxionum consuetarum apud* Salmuth. cent. 2. & Highmor. disquis. anat. p. 172. *ubi refert sibi notam fuisse virginem, quæ intermedio inter mensium fluxus spatio, sanguinem spuere solebat, præsertim si irâ, aut aliis passionibus turbaretur, vel si odores suaveolentes naribus admoveret, statim movisse tussim cum sputo sanguineo, erumpentibus verò menstruis hemoptoën cessasse: hùc pertinent quævis acriora & scabra per asperam arteriam ad pulmones delapsa, quævis violenta, ut vulnus, ictus, lapsus, &c.*

b Ma-

b Magna copia humorum acrium.) *Copia humorum crassiorum & acrium plethoram significat, propter quam, vasa pulmonum sanguifera & nimis distenduntur, & eroduntur*. Diapedesin *dixere Veteres transudationem sanguinis per poros vasorum, sed hæc nobis est imaginaria*: anastomosin *vocarunt ubi extremitates arteriæ aut venæ separabantur*, diabrosin *ab acrimonia*, rexin *ab impetu violento rei externæ*.

c Ex vasis pulmonum.) Riverius in *praxi sanguinem aliquandò à liene, hepate & utero transmitti ad thoracem censet, sed id circulo sanguinis manifeste repugnat: sano tamen sensu dici potest, quòd obstructis illis in partibus vasis sanguiferis multis & magnis, sanguis versùs alia loca, adeòque pulmonem pressionem faciat majorem & vasa ibidem rumpat: hâc eâdem de causa hæmoptoë comitari solet pleuritidem veram*.

d Dolorem gravantem.) *Non quod sanguis sit necessariò acredinis expers, sed quod (uti supra diximus) substantia pulmonum sit obtusi sensus*.

e Nimis crassa.) *Hùc quoque contribuit paucitas sanguinis extravasati, quæ tamen sufficit ad gravativum sensum inferendum: aliquando tanta est crassities membranæ abscessum continentis, ut diu materia purulenta & sanguinolenta lateat, antequam rejiciatur*.

f In pus, quod putredinem &c.) *Est ipsum pus jam factum per putredinem, sive valdè magnam particularum secessionem, quæ dùm sensim accrescit, fætorem induit & majorem acredinem, quæ apostematis membranam attenuat, & tandem perforat*.

g Sanguinis floridi.) *Id est, sanguinis arteriosi & recens extravasati, qui etiam cum impetu ejicitur: floridus autem ille color, dependet à copiosis particulis aëris, vi elasticâ prædítis, quibus tanta conciliatur particularum minimarum circa centrum agitatio, ut globuli cœlestes celerrimè, in superficie pororum rotentur*.

Et quoniam pars puris putridi *a* poros vasorum pulmonum intrat, & cum sanguine ibidem mixta ad cor defertur, in eoque vehementius & *b* malignius incalescit, producit ea hic *febrim*; ex qua deinde oritur, ob œsophagi *c* exsiccationem, molesta *sitis*.

a Poros vasorum.) *Etiam oscula vasorum lymphaticorum*.

b Malignius incalescit.) *Id est, ob particulas puris valdè heterogeneas & acres, advehentes materiam æthe-ream valdè peregrinam, mixtura consueta sanguinis turbatur, motusque resultat inæqualis*.

c Exsiccationem.) *Etiam à copioso sale*.

Morbus hic, propter exulcerationem pulmonum & majorum vasorum, magnam copiam sanguinis effundentium, est *a periculosissimus*. Hinc enim vel subitæ mortis, vel phthiseos est periculum. Quia tamen historiæ testantur nonnullos à tali morbo fuisse curatos; spes nondum plane decollavit.

a Periculosissimus.) *Vide* Hipp. Sect. 4. Aph. 25. Sect. 7. Aph. 15. & 16. *quia omnis consolidatio requirit partium quietem, clarum est, sanationem pulmonum, nunquam quiescentium, fore difficillimam: aliquando magna sanguinis effluentis copia hominem obruit, & repentè suffocat. Sputum sanguinis triginta annorum vid. apud* Tulp. lib. 2. cap. xj. *confer* Joh. Rhod. cent. 2. obs. 30. & 31. Act. hafn. vol. j. obs. 16. *ut plurimùm, nisi tempestivè curetur, parit empyema & phthisin veram: Vomitionem & dejectionem cruentam in Gravida sine periculo, vid. apud* Joh. Nic. Pechlin. obs. phys. med. lib. j. obs. 37.

Cu-

Curatio itaque tentanda; eaque consistet in sanguinis aversione & *a* eductione, vasorum apertorum clausione, ulceris detersione, ejusque consolidatione.

a Eductione.) *Ratio habeatur virium ægri: & præstat sanguinem apertâ in brachio, vel pede venâ evacuari, quàm per pulmones: attendendum etiam est ad evacuationem, s. expectorationem sanguinis in cellulas pulmonum extravasati.*

Mox igitur *a* sanguis per venæsectionem è dextro brachio educatur ad unc. viij. Et venæsectio postridie, imo necessitate urgente, vel post tres horas, reiteretur.

a Sanguis educatur è brachio.) *Ut videlicet venâ in viciniâ pulmonum apertâ, minor illicò sequatur versùs partem affectam pressio.*

In nostro casu cùm ejecerit jam æger ad minimum sanguinis lib. iv. *vel* v. *adeo ut vires sint valdè labefactatæ, venæ-sectio haud vacat periculo: deinde cùm hæc hæmorrhagia conjunctam habeat exulcerationem, venæsectio hic vel parum proficiet, vel saltem dubia erit: atqui propter incertum levamen non est inferendum certum damnum.*

Utaturque continuò pro tussi diatragacantho frigido tabulato, in ore detento. Et hoc *a* Eclegmate utatur, lambendo:

℞. *Syr. de liquiritia* ℥iß.
Syr. capill. ven. ℥j.
Loch sani & experti ℥ij.
Syrup. violacei ℥ß.
Misce, F. *b* Linctus, *quem lambat cum bacillo liquiritiæ.*

a Eclegmate.) *Vel*
℞. Syr. pap. alb. & jujub. ana ℥ß.
conserv. ros. rub. ℨvj.
gumm. arab. pulv. ℈ij.
sang. drac. ℈ß.
M. F. Condit. dos. ad magnit. nuc. mosch. in vino dulci rubello, vel lacte dulci.

b Linctus.) *Linctus huic casui valde sunt accommodati, quia diu in ore tenentur, priusquam deglutiuntur, ut ita sensim ad pulmones particulæ eorum activæ dilabantur per conniventem asperam arteriam.*

a Purgetur etiam tali purgante haustu:
℞. *Rhabarb. elect.* ℨiß.
Myrobalan. citrin. ℥ß.
Tamarind. ℥ß.
Infunde in aq. plantag. s. q. expressioni adde rhabarb. pulv. ℨß.
Syr. de ros. sicc. ℥j. *scammonii gr.* iv.
Misce F. potus, *qui sumatur mane.*

a Purgetur.) *Purgationes hic non quadrant, quia sanguinem nimis movent, & acrem reddunt.*

Si autem aliquo utendum sit lenissimum id esse oportet
ex Pulpa cassiæ fist.
Manna aut
Infusio: sennæ, & rhab. *sed præstat purgationem differre, usque ad cessationem hæmoptoës, sique alvus non respondeat, elvatur clystere.*

a Post

a Post biduum *b* reiteretur purgatio hoc haustu:

℞. *Elect. lenit.* ℥vj.
Diacathol. ℨij.
aq. c *ungul. caball.* ℥iij.
Misce. F. Potio.

a Post biduum.) *Si ventriculus & intestina sint obsessa, aut si Cacochymia in sanguine sit, æger per aliquot dies quiescat, ut interim vasa consolidentur, priusquam tendit ad purgationes, sed purgatio Auctori sufficit pro* ij. *dos.*

b Reiteretur purgatio.) *Si purgatio sit iteranda, cur erit mutanda? forsan nè natura priori adsuescat.*

c Ungul.caballin.) *Id est, Tussilaginis.*

Pro potu utatur hac *a* ptisana:

℞. *Hordei mundi pugill.* ij.
Glycyrbizæ rasæ ℨij.
Uvar. passular. ℨj.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. I. *addendo colaturæ sacchari q. s.*

a Ptisana.) *Auctoris ptisana hic convenit, sed. add. flor. ros. rub. & hyper. ana p.* ij., *& loco uvar. passar. sumantur siliquæ dulces, vel caricæ pingues.* Riv. in praxi *Julapium parat ex* Aq. plantag.
papaver. rhæados. ana ℥vj. *aut* viij.
Syr. de symphyto *aut* de rosis siccis ℥ij. *vel* iij.
Salis prunell. ℈ijß.
M. F. *Julapium.*
Huc pertinet tinctura succi catechu, facta cum vino rubello adstringente, & saccharo canto, vel syr. de alth. Fern. edulcorata.

Utatur etiam frequenter hoc amygdalato:

℞. *Amygdalar. dulc. excorticatar.* ℥ij.
Sem. 4. frig. maj. ana ℨj.
cum aq. hordei q. s.
a F. emulsio amygdalata *ad lib.* I. *sacchar perlato q. s. edulcorata.*

a F. emulsio.) *Addantur ei sem. papav. drach.* j. *& colaturæ syr. papav. rh. drach.* ij. *Pro pauperibus sufficiunt rad. consol. maj. cum limacibus rubris contusis, coctis in lacte dulci edulcorato.*

Si sputum sanguinis copiosum perseveret, utatur frequenter hoc *a* decocto:

℞. *Rad. symphyti maj.*
Tormentillæ, ana ℥j.
Herb. bellidis min.
Millefolii,
Pulmonariæ,
Tussilaginis,
Portulacæ,
Plantaginis,
Pyrolæ,
Bugulæ, ana m. j.
Sem. Hyoscyami,
Acetosæ,
Portulacæ, ana ℨij.
Decoquantur in aq. communi ad lib. I. *in qua dissolve syr. de portulaca, myrtill. ana* ℥j. F. Apozema.

a Decocto.) *Vide plurima pulmonum, pectorisque vitiis dicata remedia apud* Fernelium lib. 3. method. med. cap. 20. Grülingium *& alios. Nota non esse subito nimis adstringendum, ne ex tussi sicca & marasmo ægri intereant.*

Hic

Hic, ut in dysenteriâ prodest simplex decoctum herb. millefolii & flor. bellid. cum ficubus pinguibus. Pectus benè muniendum est ab injuriis aëris, ope pellis cygni, vel felis sylvestris, &c.

Sumat etiam *a* subinde de his tabellis:

℞. *Sem. hyoscyami alb. subtiliss. pulv.* ℈ij.
Gummi arabici ℈j.
Coralli rubr.
Boli armeni an. ʒß.
Succi berberis ʒij.
Sacchari albi ℥ij.
Aq. rof.
plantag. ana q. s.

F. *tabellæ* ʒ. *quantitate, quarum unam teneat in ore, donec sensim liquescat.*

a Subinde.) *Usurpetur subinde pulvis sequens.*

℞. Corall. rubr.
Sang. drac.
Marg. præp. an. ʒß.
Gummi arab.
tragacanth. an. ʒij.
sacc. penid. parum

M. F. *Pulvis pro* x. *aut* xij. *dosibus, de quibus binos de die sumet patiens.*

Margaritæ in hoc pulvere pro pauperibus omitti possunt, si augeatur pulv. coralliorum in duplum.

aut ℞. Mucilag. gummi arab. & tragac. extractæ cum aq. plantag. aut papav. ʒij.
Mass. pill. de cynogl. ℈ij.
Mumiæ.
Mastichis an. ʒj.
Sacch. rosati *q. s.*

M. F. *Pillulæ sublinguales. vide* Riverium; *aut.*

℞. Requiei Nicolai ℈j.
Theriac. recent. *aut*
Mithridat. ℈ij.
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.
Camphoræ gr. iij. *aut* iv.
Syr. pap. rh. vel de alth. Fer. ʒj.

M. F. *Bolus.*

Hùc facit Tinctura opii. *confer* Plater. in prax. & observ.

Magnopere hic etiam *a* prosunt trochisci de alkekengi cum opio in lacte drachmæ quantitatæ sæpe exhibiti.

a Prosunt trochisci &c.) *Hi quoque fieri possunt ex sanguine draconis, gum. arab. & trag. cum saccharo ad consist. tabul. cocto.*

Amatus Lusitanus *amat semen urticarum.*

Laudatur etiam lac asininum chalybeatum, sed quia tale lac non ubique semper habetur, lac bubulum potest substitui: pleraque chalybeata hic conducunt.

Sub noctem etiam sumi potest *a* hoc Medicamentum:

℞. *Syr. de rof. sicc.*
de succo portulacæ.
papav. alb. ana ℥j.
Misce.

Capiat cochlear unum singulis duabus horis, ita ut una nocte *b* totus syrupus ille absumatur.

a Hoc Medicamentum.) *Habenda est ratio ventriculi, & sexus, dulcia enim hæc fœminis ciere possent passionem hystericam.*
Cape potius Tinct. opii cochl. ij.
Syr. de papav. albo ℥ß.
Camphoræ gr. iij.
Cum pauxillo cerevisiæ aut vini, præsertim rubri,
F. Haustus.

b Totus syrupus.) *Nimium est dulcedinis pro tantillo temporis.*

a Cucurbita magna hepatis regioni potest adhiberi; & frequenter reiterari.

a Cucurbita.) *Inutilis eo magis, quia hepati exequiæ jam sunt decantatæ, vide* Riv. cent. primam obs. 28.

a Oxycratum etiam potest testibus applicari.

a Oxycratum.) *Alii nitrum aqua solutũ iisdem partibus cum fructu applicant.*

a *Aër sit* ad siccum & frigidum declinans. *Cibus* sit refrigerans, *b* siccans, *c* adstringens, paucus, *d* ex pedibus vitulorum, lacte, carnibus vervecinis, gallinaceis, piscibus saxatilibus. *Potus* sit cerevisia tenuis, vinum aquosum, rubellum; lac caprillum, amygdalatum. Fugiat *exercitia* & quiescat. Aërem leviter inspiret. *Excrementa* alvi respondeant quotidie arte vel naturâ, e *Somnus* sit nocturnus, moderatus. Abstineat à *Venere*. Vitet omnes *affectus*; præsertim iram.

a Aër.) *Sit temperatus, ut & cibus.*

b Siccans.) *Modò non sit nimiùm humectans, non nocet: ventriculum copiâ alimentorum aut potulentorum non oneret, abstineat à tabaco; vino generoso, aromatibus aliisque acribus.*

c Adstringens.) *Modicè.*

d Ex pedibus vitulorum.) *Benè: nonnunquàm usurpetur gelatina C.C., ut & puls hordeata.*

e Somnus sit nocturnus.) *Hic sit pro re nata, secundum consuetudinem & necessitatem indifferens.*

II.

MEDICATIO MULIERIS,

a PHTHISI INVETERATA

AFFLICTÆ.

b FŒmina *c* triginta quinque annorum, jam *d* ab octo annis laborat tussi, cum expuitione sanguineâ, interdum etiam purulenta, alias quoque *e* aquosa. *f* Huc accedit febricula, quæ se, à cibo præsertim sumpto levi calore præternaturali & *g* pulsu celeriore *h* manifestat. Corpus ejus de die in diem magis magisque *i* marcescit. Quamvis multorum Medicorum consilio sit usa, morbus tamen hactenus sanari *k* non potuit.

a Phthisi.)

a Phthisi.) *Conferatur phthisiologia* Richardi Morton.

b Fœmina.) *Phthisi veræ magis obnoxii sunt mares.*

c Triginta quinque.) *Observatione dignum est, quòd determinatô ætatis tempore & phthisis vera, & alii consimiles morbi homines infestent, si sint hæreditarii.*

d Ab octo annis laborat tussi.) Benedictus in vestibulo theatri tabidorum, *refert exemplum tussis 16. annorum.*

e Aquosa.) *Serum hoc ex Vasculis faucium lymphaticis petendum est.*

f Hùc accedit febricula.) *Individuus est hujus affectionis comes febris lenta s. hectica, cujus ratio constabit ex seqq.*

g Pulsu celeriore.) *Hic licet ab Auctoribus habeatur signum febris essentiale & pathognomonicum, attamen non esse verum ejus indicium demonstrabitur loco inferiore.*

h Manifestat.) Id est, *invalescit.*

Intentionem autem febris post pastum aliquando non sentiunt ægri, quia diuturnitate morbi tandem huic symptomati assuescunt: atqui de consuetis non judicat anima.

i Marcescit.) *Interdum capilli defluunt ex toto corpore, quod signum est lethale.*

Significat enim sanguinem tam acrem esse, ut radices capillorum s. glandulas subcutaneas consumat.

K Non potuit.) *Vide* River. obser. de Henrico Ruffo communicatam tertiã.

Afficiuntur in hac ægra *a pulmones, eorumque vasa*: quod ex sanguinea, purulenta & aquosa expuitione, tussi facta, constat. Afficitur etiam *cor*, ut patet ex febricula illa continua subinde ingravescente. Afficitur *totum* etiam *corpus*; ut ex ejus marcore est manifestum.

a Pulmones.) *Phthisis vera oriri potest ab exulceratione quavis majore visceris alicujus notabilis.* vid. Paul. Barbett. prax. lib. iij. cap. ij. misc. cur. ann. 1. obs. 16. & ann. 3. obs. 50. Kerkring. spicileg. anat. obs. 32.

Morbus, qui eam affligit est ulcus pulmonum; *quod* tussi, expuitione sanguinea & purulenta, ac febri hectica comitatum, *a Phthisis* appellatur.

a Phthisis.) *Alia dicitur vera, s. legitima; quæ est ab exulceratione pulmonum, alia spuria, quæ dicitur tabes & atrophia, quæ nonnunquàm est nervosa, dorsalis dicta; nonnunquam ex inanitione, hæmorrhagiâ, gonorrhæa simplici & fluore albo, à lactatione nimia, à vermibus intestinorum, à dysenteria & diarrhæa, à diabete, à salivatione, ab hydrope, à sudoribus immensis, à scorbuto, asthmate, melancholiâ hypochondriaca & hysterica, calculis pulmonum, lue venerea, tumoribus mesenterii, chlorosi, arthritide & rheumatismo, febribus, ictero, &c. vid.* Hipp. Sect. v. Aph. 15. Sect. vij. Aph. 16. 78. Sect. vj. Aph. 12.

a *Causa* hujus morbi est *b* humor acris in pulmonibus *c* genitus, & ob ejus *d* poros, nimis apertos, à reliquo sanguine separatus, ibique collectus, vel ab aliis partibus per destillationem, eò delapsus. Hic bronchia irritans *tussim*, & substantiam ac vasa pulmonum erodens, ibi *e ulcus* produxit; quod nunc modò sanguinem, modò pus in bronchia deponens, eaque tum quantitate, tum acrimonia sua stimulans f *expuitionem sanguinis* & g *puris tussiculosam excitat.*

a Causa.) *Vid.* Hipp. Sect. iij. Aph. 13. 16. 22. 29. Sect. v. Aph. 9. Sect. viij. Aph. 7.

b Humor acris.) *Aliquando malum*

est

est hereditarium, quod se non prodit ante pubertatis annos, quatenus eâ ætate solent humores omnes nostri corporis reliquis paribus acriores fieri.

c Genitus, ibique collectus.) *Scilicet primò à sanguine acri, posteà autem stagnatione majorem acrimoniam adipiscitur.*

d Poros.) *Cellulas potius erosas.*

e Ulcus.) *Aliquandò pus membranâ crassâ includitur, & vomicam gignit, cujus hiatus non ad asperam arteriam est, sed versùs interiora pulmonum vasa.*

f Expuitionem sanguinis.) *Aliquandò per totum hujus morbi decursum nihil sanguinei in phlegmatibus spectatur.*

g Puris.) *Pus dignoscitur à phlegmate, quod pus in aquâ subsideat, phlegma ei innatet; illudque dissolvatur, hoc vero non. Pus præterea prunæ injectum fœtet, non verò similiter phlegma.*

Pus aliquando cum urinâ excernitur, ubi magnâ copiâ sanguini permixtum fuerit; sed est & alia via, per quam pus à pulmonibus transire potest ad vesicam, nempe per poros diaphragmatis satis magnos transeunt subtiliores & acriores puris partes in cavum abdominis nonnunquam, & per poros vesicæ foras intus spectantes penetrant, ibique rursus in purulentum liquorem resolvuntur, & cum urina excernuntur.

Urinis aliquando supernatat pinguedo, quæ satis notat febrem colliquativam: oritur autem quia acrimonia puris multas particulas pingues, & oleaginosas cum aliis particulis solidarum partium abradit, quæ cum urinâ secernuntur, & excernuntur, & quoniam ob sui levitatem cum urina rite permisceri non possunt, superficiei innatant.

Materia autem purulenta & saniosa, ulcus circumstans, & in eo contenta, inficit sua putredine sanguinem; è dextro ventriculo in sinistrum, per pulmones transeuntem: Qui deinde in cor perpetuò delatus, vitiat ibi sanguificationem; effervescentiamque justo celeriorem & *a* malignam ibi excitans, facit *b febriculam continuam*; quibus *totum corpus sensim in dies magis magisque* ob defectum boni nutrimenti *contabescit*.

a Malignam.) *Per malignitatem intelligenda est vis corrosiva.*

b Febriculam continuam.) *Febris hectica hic nunquam intermittit, propter continuam puris cum sanguine admixtionem, sed quidem remittit, iterumque duas, aut tres horas post pastum ingravescit, quia crassior chylus ad sanguinem tunc delatus, valdè diversam & peregrinam materiam subtilem, per particularum suarum poros fluentem, secum ducit, & sanguis pure onustus etiam alienam materiam per suos poros transmittit, quæ duæ materiæ subtiles valdè diversæ luctam excitant mutuam, & febrim augent: febris autem est lenta, quia particulæ subtiles & impetuosæ deficiunt.*

Invalescente febre ungues digitorum incurvantur, malæ livescunt, costarum extrema intorquentur præ siccitate, oculorum orbitæ sunt valdè profundæ & lividæ, nasus acutus.

Febricula illa intenditur à sumpto cibo: quia particulæ alimentorum assumptorum crassæ, nondum satis benè coctæ, ubi cum reliquo sanguine sunt mixtæ, vehementius moventur. Illæ enim tales ibi faciunt in sanguine & corde poros, ut subtilis materia illas vehementius movere possit; atque ideò hæ *a* vehementiorem in corde sanguinis *b* effervescentiam excitant: quæ deinde, partibus alimenti magis ab ulteriore coctione attenuatis, paulatim imminuitur; & assumpto rursus novo alimento, iterum intenditur.

a Ve-

a Vehementiorem.) *Sicut ligna viridia, ubi ardere incipiunt, vehementius, ardent quàm sicca.*
b Effervescentiam.) *Potiùs simpliciter dicatur motum sanguinis intestinum esse solitô majorem, qui non necessariò præsupponit circulationem sanguinis universaliter auctam.*

Ulcus hoc, tum ob febrim hecticam comitem, tum per se, tum quia jam multorum præstantium Medicorum consilia sprevit, *a* non videtur posse sanari.

a Non posse sanari.) *Quia sufficiens quies pulmonibus, sive interdiu, sive noctu, ad consolidationem requisita deficit. Vide* Hipp. Sect. 5. Aph. 11. 12. & 14. Sect. 7. Aph. 15. & 16. *quòd autem phthisici, consumptâ ferè totâ pulmonum substantiâ, diu & ad multos annos supersint, id satis indicat, tantum non esse expansionis cellularum pulmonalium usum, quantum quidem multi sibi imaginantur, hereditaria palliari, non autem curari potest.*

Attamen, ad vim morbi mitigandam, & vitam prolongandam, *medelâ palliativâ* uti poterit; quæ consistet in materiæ acris attemperatione, ulceris detersione, &, quanta fieri potest consolidatione, febrisque mitigatione. Præsertim cum Historiæ testentur phthisicos, plane consumptos, *a* fuisse sanatos.

a Fuisse sanatos.) *Rarissima certè sunt phtiseos veræ inveteratæ curationis exempla, adde quòd non semper agant Observatores bonâ fide.*

Ad hos scopos utatur hoc pulvere, qui Haly Abbati à Valesco de Taranta adscribitur.

℞. *Gummi Arabici, tragacanthæ,*
Amyli ana ℥iij.
Sem. papaver. alb. ℥x. portulacæ, malvæ ana ℥v.
cucurbitæ, melonum, cucumeris, citrullorum, cydoniorum mund. an. ℥vj.
Succi glycyrhyzæ, spodii an ℥iij.
Penidiorum ad pondus omnium.
a *F. pulvis, de quo dentur omni mane ℥ij. cum syrupo papaverino, vel jujubino. Eo etiam utatur ægra in hordeatis, amygdalatis, aliisque cibis.*

a F. pulvis.) *Ingredientia ejus omnia cum sint emollientia, mundificatione præmissâ, multum præstare, potest: nonnulli in principio utuntur balsamo sulph. thereb. Locatelli, Peruvia no. Copaivæ & similibus.*

Noctu dormitum itura utatur de his trochiscis:
℞. *Gummi tragacanthæ, Arabici,*
Thuris ana ℈j.
Amyli ana ℥j.
Medulla sem. melonum,
Sem. papap. albi recent. hyoscyami an. ℥ſ.
Coralli rubri, oculorum cancri, ana ℈ij.
a *Opii in vino generoso dissoluti gr. vj.*
Mucilag. rad. altheæ & consolid. q. s.
Sacchari penidiati mediam partem ponderis reliquorum omnium.
F. Trochisci ℥. dimidiæ, ponderis; quorum unum, inter b *dentes & buccas retentum, contineat, sicque super dormiat, & sponte eum dissolvi sinat.*
a Opii.)

a Opii.) *Probamus modicum hujus usum, præsertim si vires satis constiterint, & vigilia continua ægrum vexaverit: massa pil. de cynoglossa prærogativam tamen hoc in casu habet pre Opio solo.*

Usus sacchari rosati & a conservæ rosatum diuturnus, continuus ac multus, multos restituisse dicitur.

a Conservæ rosarum.) *Nimirum antiquæ, sic enim sensim acceditur ad lenem ulceris adstrictionem. Mirifice hic Auctores commendant usum lactis asinini, caprilli, & humani, quod melle rosato, vel syrupo de alth. Fernelii edulcorandum est.*

a Syrupus de symphyto hic etiam est optimus: nam deterget, consolidat, & adstringendo roborat. b Radix etiam symphyti decocta in jusculo est magnæ efficaciæ. Vel

℞. *Sacchari rosati* ℥iij.
Flor. sulphuris ℥ij. Misce.
Sumat mane & vesperi magnitudinem castaneæ. Vel
℞. *Pulv. millefolii* ʒj.
Juris pulli ℥iij.
Sumat in aurora per aliquot dies. Vel ex eo pulvere cum sacchari s.q. F. tabellæ, quarum unam semper in ore gestet.

a Syrupus de symphyto.) *Præsertim ubi ulcere deterso ad consolidationem acceleramus.*

b Radix symphyti.) *Modò consolidationis tempus sit tempestivum, tunc quoque conducit balsamum copaïvæ, Peruv., Locatelli, Italicum, gelat. Corn. Cerv. &c.*

Hartmannus *commendat &* flores sulphuris albos: & Quintam essentiam sulphuris, & lac sulphuris: *quæ reverà valdoperè conveniunt in principio, ubi detersione s. mundificatione opus est.*

Utatur etiam hoc decocto:
℞. *Rad. chinæ* ℥iij.
Santali citrin. ℥ij.
b *Decoq. in aqua borrag. & capill. ven. ana lib.* iij.
Post infusionem decoquantur ad tertiæ partis consumptionem. De colatura sumat mane ℥iiij. *& tantundem bibat* c *in prandio & cœna.*

a Decocto.) *Vid.* Riv. cent. 1. obs. 99. *item* cent. 2. obs. 78.

Proficuum est decoct. rad. alth. consol. maj. bistort. herb. malv. alth. sanic. pyrol. alchym. fruct. fic. ping. silig. dulc. sem. hord. &c. in aq. com. coctis.

b Decoquantur.) *Hæ aquæ nil faciunt ad rhombum, sed pretium augent, colat. add.*

Mell rosacei ʒj. *aut* ʒij.

c In prandio & cœna.) *Potius ante & post prandium & cœnam vacuo ventriculo.*

Versetur in a aëre sicco, temperate calido. b *Cibus* sit panatella, ex pane in jure pulli cocto, c ex pulli carnibus, ovis sorbilibus, ptisanâ ex integro hordeo deglumato coctâ. *Potus* vini sit oligophori. Procuretur *alvi* humectatio prunis decoctis, ante cibum exhibitis; aliquando cum mannæ vel syrupi violacei solutivi uncia una. d Lacte asinæ, vel capræ, vel nutricis, non videtur utendum,

dum, ob febrim. Attamen multi ejus usu dicuntur restituti; & quidem in tantum, ut teste Platero, nutrices dicantur ex ipsis concepisse.

a Aëre sicco.) *Potius in humido, sed non frigido.*

Diætam hic tantum posse contendit Benedictus in vestibulo theatri tabidorum, *ut tussim* 16. *annorum suffusione & destillatione natam, sola cœnæ inhibitione curatam fuisse referat.*

b Cibus.) *Oryza, cremor, ptisanæ, pruna, rapæ, lacticinia, similiaque lenientia valdè prosunt.*

c Ex pulli carnibus.) *Tum & ex pedibus vervecinis & vitulinis.*

d Lacte asinæ.) *Vide* Hipp. Sect. 5. Aphor. 64. *verùm hunc aphorismum generalem non esse, testatur experientia.*

III.

MEDICATIO VIDUÆ, a PHTHISI INCIPIENTE LABORANTIS.

Vidua vigintiquinque annorum jam ab aliquo tempore graviter afficitur defluxione tenui & acri, quam in pectus sibi b ex capite delabi sentit. Hanc comitatur tussis sicca, ferè perpetua; cum macie, febri lenta, & genarum rubore. Ante duos menses ejus maritus Phthisi periit; cui noctes diesque adhærens, c pravum aërem, quem exhalabat, inspirare fuit coacta.

a Phthisi incipiente.) *Ordine certè præpostero, hic sequitur phthisis incipiens Conf.* Riv. cent. 1. obs. 15. Hoffer. tom. 2. lib. 3. obs. 13. & seq. *ut & lib.* 7.

b Ex capite.) *Id est, quasi ex capite.*

c Pravum aërem inspirare.) *Inconsideratè Auctor omittit illud temporis spatium à quo vidua hæc cum marito suo vixerat ante contagium, item temperamentum, atque diætam: posset etiam aliquid latere hæreditarium.*

In hac ægra *afficiuntur pulmones; ut patet ex* a *tussi*, b caput, *quod indicat destillato:* cor, *quod probat febricula:* & totum corpus, *quod constat ex macie.*

a Tussi.) *Hęc non præbet affectionis pulmonum signum pathognomonicum.*

b Caput.) *Hoc refutatum est supra* lib. 1. cap. de catarrho, & coryza.

Morbus, quo ægra præcipuè laborat, est intemperies maligna pulmonum serosa, & acris, non diuturna; quæ febriculam lentam, a tussim siccam ac perpetuam, ac totius corporis maciem, cum genarum rubore, inducens, *phthisis incipiens* appellari potest.

a Tussim siccam.) *Hæc significat phthisin incipientem: præprimis si phlegmata oris valdè sint salsa, thorax angustus aut gibbosus.*

Causa

Causa & origo hujus mali est *a* conversatio perpetua cum marito phthisico; qua aërem ab illius halitu corruptum hauriens, malignam qualitatem per contagium impressit cerebro, pulmoni, sanguini eum transeunti, & cordi: unde orta est hæc destillatio acris, ad pulmones delabens, & tussim excitans; item pulmonum & sanguinis totius corporis corruptela, cum fervore conjuncta, unde *b* genarum rubor: & cordis maligna intemperies calida; atque hæc febricula, lenta, & hectica, est profecta.

a Conversatio perpetua.) *Hâc occasione; inter comedendum & bibendum salivæ acris portio notabilis sanguini alterius hominis communicatur, quâ mediante successivè in ejusdem naturam transit, & commutatur: adde quòd inspirationis & concubitus actu, aliæ ab homine phthisico expiratę particulæ acres sanguini & humoribus suscipiantur.*

b Genarum rubor.) *Hic explicabitur in peripneumonia.*

Morbus hic, propter malignitatem & principes partes affectas, est *a periculosissimus*.

a Periculosissimus. *Vide Medic. præced.*

a *Curatio* itaque circumspecte aggredienda. *Eaque* consistet in pravis humoribus leniter evacuandis. & partibus affectis alterandis.

a Curatio.) *Confer* Cratonem C. 5. pag. 44.

Primo itaque purgetur *a* tali potione:

℞. *Foliorum senæ* ʒij.
Rhabarbari ʒj.
b *Cinnamomi* ℈j.
Infunde per noctem in decocti pectoralis ℥jv.
Colaturæ adde mannæ Calabricæ ʒij.
Syr. rosati soluti ℥ſ. *M.* c *fiat* haustus,
Manè exhibendus.

a Tali potione.) *Hanc formulam purgationis habet* Riverius.

b Cinnamomi.) *Cinnamomum cùm sit acrius, omittatur.*

c Fiat haustus mane &c.) *Nisi alvus valdè esset adstricta, sufficeret pro duabus dosibus.*

Postridiè per venæ sectionem *a* educatur sanguis ad ℥vj.

a Educatur sanguis.) *Venæsectio aliquid conferre posset ad febris mitigationem, sed habeatur ratio virium.*

Posteà utatur jusculis pectoralibus ex *capillo Veneris*, *pulmonaria*, *scabiosa*, *tussilagine*, *prassio*, *aliisque similibus*, per dies duodecim, quibus quarto quoque die incoquatur *a* senæ uncia dimidia.

a Senæ.) *Inconsultum.*

Post jusculum utatur *a* balneo ex hordei & amygdalarum dulcium decocto.

a Bal-

a Balneo.) Riverius *commendat balnea aq. dulcis, & rectè quidem, quia aqua tepida sanguinis particulas acres involvit & diluit.*

Sub noctem sumat cochlear unum hujus syrupi, fluxionem & tussim cohibentis:

℞. *a Syrupi violacei, jujubini, de rosis siccis, de papav. alb. ana* ℥j. M.

a Syr. violacei, & de rosis siccis.) *In principio phthiseos veræ multum valet seq.*
℞. Thereb. ven. lot. ℈ij.
dissol. cum vitello ovi, posteà add.
Lact. dulc. coct. ℥ij.
mell. rosf. drach. iij.
succ. catechu pulv. ℈j.
M. F. H.

Si malum perseveret, adhibeatur causticum utrique axillæ ad *a* fonticulos faciendos, quibus derivabuntur humores ad pectus delabentes.

a Fonticulos.) *Vide* Riverium cent. 2. obs. 61. & 78. Cratonem lib. 3. fol. 76. *Nostro autem judicio sanguis hoc modo acredinem suscipit majorem.*

a Diæta sit similis illi, quæ in præcedente medicatione fuit præscripta.

a Diæta.) Verulamius in Sylva Sylvarum cent. j. experim. 45. *notat, quod grana & radices plenius alant quàm folia, undè ordo Foliatanorum à Papa Romano rejectus est, utpote qui frondes nutritioni corporis humani ineptas censeret; porrò ait, medullam largius alere pinguedine, quapropter decoctum ex ossibus & nervis contusis & probè percolatis probat: observat etiam pulpam cancri, quæ aromatibus & butyro conspersa coquitur, magis nutritioni aptam esse, quàm cancri carnem: vitellum magis nutrire quàm albumen, &c. sequentia etiam præscribit tanquam valdè nutrientia:*
℞. *Capon. magn. n. ij. coq. lento igne circiter horæ spatio aut diutius, decoctioni adde corticem dulcis pomi medici aut bonam partem cort. citri parumque macis: abscissa crura rejice, deindè minutim disseca utrumque caponem cum ossibus, impone magno mundatoque cribro, tunc sume doliolum pravo odore non imbutum, capacitate quatuor amphorarum cerevisiæ, recentis & mustæ amplum, quodque satis sit, vasculo apta orificium, cui injiciatur cribrum cum caponibus: macerentur in eo per tres dies & noctes, aperto ad fermentationem orificio, deinde claude, sicque permaneat ad diem & dimidium, postea in lagenas effunde, tertioque post effusionem die potabilis est, sexque septimanas durabit: valdè conducit tabescentibus.*

IV.

MEDICATIO VIRI, ASTHMATICI.

VIr *a* quadraginta annorum, sanguineus, Veneri & Baccho gnaviter operam dare solitus, abhinc aliquot annos, per aërem gelidum, plusculis mil-

milliaribus, rhedâ vectus incurrit exiguam quandam respirationis difficultatem: quæ postea ita sensim fuit aucta, ut per temporis intervalla, dense, crebre, sive anhelosè, & *b* cum sibilo spiret, *c* præsertim ubi acclivia ascendit loca, vel alio celeriori & *d* vehementiori motu corpus exercet. Malum hoc durare solet, *e* donec multum crassi & viscidi sputi tussiendo excreverit. Jam nunc *f* morbi sui exacerbationem patiens, non tantum anhelo sibilo spirat; sed etiam, præ metu suffocationis, *g* erectus, ad aërem facilius ducendum, sedere cogitur.

a Quadraginta annorum.) *Vid.* Hippoc. Sect. iij. Aph. 30. & 31.

b Cum sibilo.) *Hæc verba, præcedentibus tribus annexa, distinguunt asthma ab aliis speciebus respirationis difficilis: prout alia & diversa symptomata conjunguntur, dicitur asthma vel siccum, vel humidum, convulsivum, &c.*

c Præsertim ubi &c.) *Hoc indicat non solum angustari pulmonum cellulas ab humore crasso, sed etiam ex frigore, nervorum respirationi inservientium multos tubulos fuisse obstructos, ad quam causam vulgo attendi non solet.*

d Et vehementiori motu corpus exercet.) *Hujus phœnomeni ratio constabit ex seqq.*

e Donec multum crassi.) *Ergò est asthma humidum.*

f Morbi sui exacerbationem patiens.) *Præsertim ingruente aëre frigido, pluvioso & nebulo, nec non tempore nocturno.*

g Erectus sedere.) *Tunc dicitur orthopnæa.*

Afficiuntur in hoc ægro *pulmones*, tum secundum substantiam, tum secundum bronchiorum asperæ arteriæ ramos & cavitates: quod ex difficili respiratione, & sputo tussiendo rejecto, ac malum hoc sua evacuatione levante, est manifestum.

Morbus, qui eum affligit, est *a* pulmonum intemperies pituitosa & serosa, cum bronchiorum obstructione & compressione conjuncta; quæ difficilem, crebram, anhelam, sonoram, & erectam respirationem hic excitans, *Asthma*, imo *Orthopnæa*, jam appellari potest.

a Pulmonum intemperies.) *Intemperies potiùs tribuenda est sanguini & humoribus, à quibus pulmones potissimùm afficiuntur.*

a *Causa Procatarctica* hujus morbi fuit aër gelidus, per quem hic vir aliquot milliaribus jam pridem fuit vectus: ille enim pulmones, ex nimia Venere & Baccho debilitatos, sanguinemque copiosum iis contentum (qui *antecedens* hujus morbi est causa) ita refrigeravit, ut partibus quibusdam pulmonum *b* à frigore coarctatis, pori multi in eorum substantia & vasis plus justo fuerint *c* aperti; *d* quo serosæ & pituitosæ sanguinis, in pulmones delati, & magnâ copiâ eos, ob sanguinis circulationem, perpetuò transeuntis, partes, à reliquis separatæ, & in pulmonum substantiam cavitatesque bronchiorum effusæ, hujus morbi & omnium symptomatum *continentem* jam sæpius antehac præbuerint, & etiamnunc præbeant causam.

a Causa Procatarctica.) *Accedente præprimis malâ ab hæreditate conformatione,* (*vid.* Forest. l. 16. obs. 9.) *nocent omnia incrassantia, sive fuerint suâ naturâ terrestria & viscosa, sive volatilia, salina & acida:* Sennertus de consensu & dissensu cap. 9. *causam procatarcticam refert congeriem pul-*

veris

veris metallorum in fossoribus; idem etiam evenire solet lapicidis, prout testatur Diemerbroek l. 2. anat. cap. 13. *ossa aliquandò in pulmonibus fuisse reperta, testatur* Columbus, *animalcula* Avenzoar, Alzavar, *Vermes* Corn. Consent. progymn. phys. p. 90. Sennert. lib. j. med. pract. p. 133. *calculos* Dodonæus obs. c. 23. Plater. l. 1. obs. p. 180. Kentman lib. de calc. Thom. Barth. histor. c. 1. Kerkring. obs. 27. Johan. Rhod. cent. ij. obs. 3. *confer* Pison. lib. de morb. à serosa colluvie Sect. 3. cap. 4. obs. 46. misc. cur. ann. 4. obs. 11. *item* dec. 2. an. 2. obs. 303. Hippocrat. Sect. iij. Aphor. 22. *à suppressis mensibus vid.* Zacut. Lusit. lib. 3. med. hist. 2. *à passione ignominiæ, mœroris, iræ, &c. vid.* Willis part. 2. pharm rat. Sect. 1. cap. 2. & 12. *ex retroacta scabie* Brendel. consil. 13. *ex repulsa podagra* Craton. consil. 367. *à glandulis mesenterii tumefactis* Rolfink l. 2. diss. anat. c. 13. *à ventriculo & intestinis* Welsch. dec. x. consil. 1.

b A frigore.) *Asthma sæpe producitur à frigore, præsertim si calorem subito subsequatur, quia frigore in poros apertos penetrante, omnes humores magis incrassantur, hinc obstructiones oriuntur; quæ, si sint in pulmonibus, aut nervis respiratoriis, asthma producunt.*

c Aperti.) *Hoc non cohæret cum præcedentibus: culpavit enim coarctationem.*

d Quo serosæ, & pituitosæ sanguinis, in pulmones, &c.) *Cum humores peccantes primo in pulmones deponuntur, sunt quidem sæpe tenues, sed aër inspiratus, & exspiratus particulas subtiliores secum in auras abire facit, ita ut crassæ remanentes hunc affectum producant.*

Cum enim in principio hujus mali pauca materia serosa & pituitosa in bronchia & substantiam refrigeratorum pulmonum, per poros paucos ex refrigeratione, eâ quâ dixi, ratione *a* apertos, sese effunderet, eaque nonnihil angustaret, *respirandi difficultas fuit exigua*. Cum verò, ex prima illa pulmonum intemperie, concoctio eorum, qua sanguinem, eos perpetuo transeuntem, debent concoquere, ex serosorum & pituitosorum humorum, ibi à reliquo sanguine separatorum & incrassatorum, copiâ, magis magisque debilitaretur; hinc serosi, pituitosi, & viscidi humores sensim in pulmonibus incrementum in tantum sumpserunt, ut eorum meatus, ab iis arctati & obstructi, *non nisi paucum aërem, eumque sibilantem, & crebrum, seu anhelum, intromittere & emittere potuerint*. Atque hoc jam aliquoties tamdiu duravit, donec *b pituita illa copiosa & acris*, per tussim vel alio expectorandi conatu satis copiosè, ex irritatis pulmonibus, *ejecta*, eorum bronchia & poros ab obstructione & compressione liberaverit, *respirationemque liberiorem fecerit*.

a Apertos.) *Ex refrigeratione pororum apertionem sequi concipere nequimus: sed quidem, præcedaneâ corporis totius incalescentia, poros tubulosque per totum corpus, adeòque pulmones solitô magis fuisse dilatatos, in quos propulsi fuerunt humores solito crassiores, qui superveniente frigore, magis condensati, cellulas pulmonum replent, ita ut aëri liber denegetur transitus, qui per consequens angustiorem viam inveniens, ad latera allidit vehementius, sibilumque cum respiratione difficili parit.*

b Donec pituita &c.) *Hoc non eveniet, si peccaverint vermes, calculi & exsiccatio pulmonum, vel si phlegmata lateant in cellulis ab aspera arteria remotioribus.*

Postea vero, quia ab illa *a* pulmonum intemperie, antehac à gelu contractâ, rursus nova in pulmonibus gignitur materia pituitosa, quæ meatus eorum

rursus angustat; hinc *deinde nova, hujus mali nascitur exacerbatio:* quæ, post sufficientem ejus expectorationem, novas hujus mali adducit inducias, aliâ exacerbatione, ex pituitâ postea rursus sensim genitâ & collectâ, rumpendas.

a Pulmonum intemperie.) *Dic potiùs ab angustatione & obstructione canaliculorum, & cellularum pulmonum.*

Augetur hæc difficultas respirandi cursu, acclivium ascensu, alioque vehementiore corporis motu; a quia materia, quæ pulmonibus continetur, iis dilatata, bronchia pulmonum magis arctando pauciorem aëris in pulmones ingressum permittit.

a Quia materia &c.) *Cùm non solùm cellulæ pulmonum materiâ crassâ sint refertæ, sed etiam nervorum ad pulmones, & diaphragma excurrentium canales sint obstructi, spiritus animales, durante corporis motu celerius & vehementius solito influentes, liberum non inveniunt transitum, undè majorem pariunt & celeriorem solito contractionem musculorum, propter quam oritur anhelitus.*

Jam autem in paroxysmo, quem æger noster patitur, non tantum difficulter, sonorè, velociter, densè, & anhelosè ille spirat; sed, ad suffocationem vitandam, etiam *erectus spiritum ducere cogitur:* quia tanta copia pituitæ in pulmonibus ejus jam est collecta; ut, si jaceat, pulmones collapsos, & eo corporis situ magis arctatos, ad respirandum minus dilatare queat, atque ideo *a* corporis erectione eorum dilatationem juvare cogatur.

a Corporis erectione.) *Tunc minus premitur diaphragma, & cavitas thoracis ampliatur.*

Velocitas autem & frequentia anhela respirationis, quæ in asthmaticis his exacerbationibus animadvertitur, ex eo originem ducit, quod cum, ob arctatos & obstructos pulmonum meatus, multum aëris in thoracem inspirari non possit, & spiritus sit sic satis validus, inspiratio necessariò valdè brevi hic peragatur tempore, quâ peractâ, mox per spontaneam musculorum inspiratoriorum contractionem pauci spiritus, qui in iis sunt, brevi temporis spatio in exspiratorios musculos ad exspirationem vicissim perficiendum, per *a* valvulas sublatas & poros in eos spectantes, in Physicis antehac explicatos, transmittuntur. Cumque hi musculi tantum paucos spiritus ab illis musculis accipiant, hinc fit, ut ob paucitatem suam, per spontaneam exspiratoriorum musculorum coutractionem; brevissimo tempore per alias valvulas & poros in inspiratorios musculos remittantur, atque ita celerem faciant exspirationem; quam deinde, ob causas jam dictas, alia nova celeris & brevis inspiratio & exspiratio vicissim insequuntur.

a Valvulas sublatas.) *Hæc gratis dicuntur.*

Huc accedit, quod in hoc affectu, ob bronchiorum pulmonum *a* compressionem & obstructionem, tantùm aër paucus eorum cavitates possit ingredi, qui cum sanguinem, ex dextro ventriculo in pulmones iteratis vicibus propulsum, sufficienter *b* refrigerare non possit, hinc sanguis solito calidior ad ventriculum sinistrum cordis, & inde in *c* cerebrum & plexum choroïdem à corde propellitur; qui, ob caliditatem suam solito majorem, in cerebro, in spiritus animales solito

lito celerius motos conversus, necessariò etiam solito celeriores spirituum animalium in musculos inspiratorios & exspiratorios facit reciprocationes, quæ inspirationis & exspirationis solito celeriores in hoc affectu proximè efficiunt vices. Idque fere eodem hic contingit modo, quo ex cursu calefactus in corde sanguis solito celeriores in cerebro producit spiritus animales, & hinc celeriores etiam inspirandi & exspirandi alternationes, in omni cursu passim observabiles.

a Compressionem.) *Rectè hoc dicitur, nam sanguis crassior in hoc plethorico, vasa pulmonum expandendo cellulas angustat: materia viscosa repletas: In iis qui exsiccatos & aridos habent pulmones, clarum est, quòd aër cellulas satis expandere nequeat.*

b Refrigerare.) *Hoc falsum esse, multis experimentis evinci potest; saltim id non fit in statu naturali.*

c Cerebrum.) *Melius dicitur in cerebri arteriis innumerabiles.*

Et quia hæc ratio est sufficiens & manifesta, idcirco *nequaquam occultæ naturæ providentiæ hic est attribuendum, quod illa*, quia propter viarum angustiam & obstructionem sufficiens aëris quantitas hic inspirari non potest, *ea, quæ magnitudine sufficienti respirationis desunt, frequentiâ, & velocitate respirandi compenset*, atque ita frequentem & velocem respirationem, pro occulta suâ providentiâ, hic faciat. Omnis enim utilitas, quæ in rerum naturalium operationibus observatur, ubi intellectus immediatè non concurrit, *a* ea à solâ mechanicâ partium dispositione proficiscitur; atque ideo etiam ab eâ, non autem à naturæ occulta providentia, quippe quæ nulla hic immediatè concurrat, explicatione ejus est repetenda.

a Ea à sola, &c.) *Imò certè eæ actiones, quas in statu naturali ad nutum & voluntatem mentis fieri posse observamus, maximam partē sunt automaticæ.*

Quia hic morbus, aliquot annis durans, radices tam altas egit, ut in orthopnæam excreverit; & æger jam ad senectutem vergit; idcirco non existimo illum *a* penitus sublatum iri. Imo metus est, *b* ne æger in ipso paroxysmo, aliquando suffocetur *c* ideoque tum in paroxysmo, tum extra illum diligenti *Curatione* erit laborandum, ut causa antecedens & continens auferantur, & obstructio ac intemperies pulmonum, quantum potest, tollantur, vel saltem imminuantur.

a Penitus sublatum.) Hippocrates Sect. 6. Aph. 46. *inquit*, qui gibbi *ex asthmate, aut tussi fiunt ante pubertatem pereunt: confer* Sect. iv. Aphor. 34. 50. & Sect. vj. Aph. 46. Willis. de convuls. cap. 12. Act. Hasn. vol. 1. obs. 82. *Hæreditarium & à mala pulmonum conformatione dependens asthma incurabile est.*

b Ne æger suffocetur.) *Tali in casu vocari potest catarrhus suffocativus.*

c Ideoque diligenti curatione, &c.) *Morbus hic non subito, & violenter curari potest, sed continuo & crebro usu medicaminum, quia simul obstructi sunt tubuli diaphragmatis, & nervorum respiratoriorum plurimi, qui non nisi lentè & constanter aperiri possunt; deinde pulmonum viscus est tenerum, quod multam vim non patitur.*

Cum itaque æger jam *in paroxysmo* versetur, & sanguis in ipso abundet *a* sanguis ex aperta vena, pro ratione virium, mox erit educendus. Si vero sæpius ille esset eductus, venæsectio planè esset omittenda.

a San-

a Sanguis educendus.) *Optimè hoc jubet cùm plethora & magna cacochymia adsit, docuit enim multiplex experientia venæ-sectionem subitum levamen attulisse.*

Venæ-sectione peractâ, tales *a* pilulæ exhibeantur:
℞. *Mass. pil. cochiarum* ʒs.
Scammonii gr. xij.
cum syr. ros. sol. q. s. F. Pilulæ Num. vij.

a Pilulæ.) *Vel*
℞. Specier. diacarth. gr. xvj.
Mercur. dulc. gr. v. *aut* vj.
Trochisc. alhand. gr. iij. *aut* iv.
Ol. carui gutt. ij. *si velis pulverem; aut q. s. si velis pilulas.*

Sed præstantius erit tale *a* vomitorium:
℞. *Vini emetici, ex infusione croci metallorum facti,* ℥js.
Salis vitrioli ℈s. Misce.

a Vomitorium.) *Etiam hoc rectissimè Auctor innuit, concussione enim pectoris inter vomendum, etiam phlegmata ex pulmonibus facilius rejiciuntur: sed cave tibi à vomitoriis in asthmate sicco & gibbositate: confer* act. Hafn. vol. 5. obs. 86.

Vomitus enim hic non tantum ea evacuat, quæ circa ventriculum existunt; sed etiam illa, quæ sunt in ipsis pulmonibus: eaque vomendi conatu, partim ex bronchiis pulmonum per asperam arteriam & os foras rejiciuntur; partim ex pulmonum *a* carne in eorum vasa & inde per cor & arterias in intestina & ventriculum felicius deturbantur. Atque hinc sæpe contigit, ut unico vomitu tollatur paroxysmus.

Lambat etiam à vomitu sæpius de hoc eclegmate:
℞. *Aquæ stillatit. cinnamomi opt.* ℥ij.
b *Oxymell. scyllitici unc.* j. Misce.

a Carne.) *Malè hoc dicitur, non enim pulmonum substantia est carnosa aut musculosa, sed vesiculosa & cellulosa.*

b Oxymell. scyllitici.) *Sumatur potius mel scylliticum, oxymel enim sua acredine acida nocet.*

Hofferus *in summo metu suffocationis, jubet ut ægri pedes ponant in aqua calida, undè statim commodius sunt spiraturi.*

Forsan semel hoc successit, & inde mox regulam format generalem.

Usurpari etiam poterit vinum, in quo *a* millepedes seu aselli, panno lineo inclusi, fuerunt immacerati & expressi. Uti etiam croci scrupulus unus cum *b* vino malvatico exhibitus.

a Millepedes. *Ob salem, quo gaudent, penetrantem volatilem, pituitam viscidam dividentem: ergò ubi sal acre & pituitæ immixtus peccat, non usurpentur.*

b Vinum malvaticum sincerum cum croco.) *In ipso paroxysmo graviore, multos juvit spir. carm. sylv. saccharo canto edulcoratus, vel quivis alius spiritus aromaticus.*

Grulingius in florilegio *inter alia thoracica habet oleum sacchari.*

Inter

Inter horum usum adhiberi poterunt brachiorum & crurum frictiones, & ligaturæ subinde solvendæ & reiterandæ; quibus materia ad pectus fluens ad illas partes revelletur.

Ubi æger *à paroxysmo* erit liberatus, humores, in pulmonibus & reliquo corpore existentes, erunt alterandi, & præparandi *a* tali remedio:

℞. *Rad. helenii* ℥j. ſ.
Glycyrhizæ, b *petroselini an.* ℥j.
Herb. marrubii, betonicæ, capilli vener. pulegii,
Hyssopi, tussilaginis an. m. j.
Sem. fœniculi ʒiij.
caricar. pinguium. par. vj.
passular. ℥j.
Decoq. in aqu. hord. ad lib. j.
In Colat. dissolve syr. de hyssopo, glycyrhiza an. ℥j.
M. F. Apozema, de quo bibat haustum bis terve in die.

a Tali remedio.) *Adde* ligni & cort. guajaci an. ℥j. (*sed omittantur si materia peccans sit nimis tenuis, & salsa*)
salsaparill. ℥iß.
sassafras ℥ß.
rad. bryoniæ
ireos nostrat. an. ℥ß.

b Rad. petroselini.) *Constant sale volatili oleoso, attenuante.*

Postea ii subinde purgentur tali *a* potione:

℞. *Agarici* ʒiij. *fol. senæ* ℈j.
Cremor. tartari ℈j.
Cinnamomi, zinzib. an ℈ſ.
Infundantur per noctem in aqu. cardui benedicti ℥iiij.
Mane colaturæ adde elect. diaphœnici ʒij. *oxymell. scyl.* ℥j.
Misce Fiat Haustus.

a Potione.)
Vel ℞. Extract. agaric. gr. xv.
mercurii dulcis gr. viij. *vel* x.
trochisc. alhandal. gr. ij. *vel* iij.
M. F. pulvis, aut pilulæ cum ol. carvi.
Vel ℞. Elect. diacath. drach. ij.
trochisc. alhandal. gr. iij. iv. v.
Syrup. rosf. solut. ℥ß.
Aq. cichor. ℥ijß.
Spiritus salis ammoniaci gut. vj. *aut* viij. (*si non adsit acredo salis* (*alioquin sit*
Spiritus sulphuris dulcis ℈ß.
M. F. haustus.

Vel his pilulis singulis mensibus corpus ejus evacuetur:

℞. *Pill. de hiera cum agarico* ℈ij.
Scammonii gr. vij. *cum* a *syr. rosf. q. s.*
F. pilulæ Num. vij.

Et quotidie ad intemperiem pulmonum corrigendam de hoc electuario sumat castaneæ quantitatem, bis in die:

℞. *Rad. helenii condit.*
Conservæ violar. betonicæ, an. ℥j.
Pulv. liquiritiæ ʒj. *ſ. pulmon. vulp.* ʒij.
Cum syr. de hyssopo q. s. misce in formam b Electuarii.

Utile hic etiam est decoctum guajaci, sassafras, salsæ, & chinæ, cum pectoralibus factum, & *c* citra sudores, sæpius & diu usurpatum.

a Syr.)

a Syr.) *Potiùs cum ol. fœnic. vel carui.*

b Electuarii..) *Add. flor. sulph.* ℥iß. *carioph. condit.* ℥ß. *ol. fœnic. gutt. iv. & omittatur pulmo vulp. Etiam loco conserv. viol. sumantur rad. zinzib. cond. ad* ℥ß.

e Citra sudores.) *Nempe potentes & multos, ne affligantur vires; adde, quod subitanea sudoriferorum actione violenta, crassiores humores, nondùm ritè attenuati, cellulis magis insinuarentur.*

Neque hic omittendi *a* fonticuli, in brachio & crure gestati.

a Fonticuli.) *Horum loco sudorifera subinde sumantur ex* theriaca *&* mithridatio, *nec non* bezoardico min. (*sed demum post crassa partim attenuata, partim ex corpore per alvum educta repetitis purgationibus*) *quibus, si nullus sal acris peccet, possunt salina sudorifera addi.*

In *victus ratione* aër sit calidus & *a* siccus *Cibus* sit ex carne vervecina & gallinis: ex fæniculo, thymo, hyssopo, calamintha. *Potus* sit *b* vinum tenue, aqua mulsa. *Exercitium* sit lenta ambulatio, ante cibum ad lassitudinem usque facta; & *c* partium infernarum frictio. *Somnus* sit moderatus. Vitentur *animi* vehementiores perturbationes.

a Siccus.) *Sit temperatus & serenus.*

b Vinum tenue.) *Potest esse generosum, modo dulce; & maturum nec non hydromel, modò ferat dulcedinem.*

c Partium infernarum frictio.) *Hæc parùm facit ad rem.*

V.

MEDICATIO JUVENIS, PALPITATIONE CORDIS LABORANTIS.

a JUvenis viginti quinque annorum *b* biliosus, dùm æstivo tempore se vehementius exercebat, incidit in *c* vehementissimum & inordinatum cordis, arteriarumque motum, qui ipsum adeò torquebat, ut penè in syncopen incideret. Postea ex levi excandescentia, vel alio vehementiore animi motu, eodem affectu *d* sæpiùs correptus fuit; & jam novum patitur paroxysmum.

a Juvenis.) *Fœminino sexui magis familiaris est cordis palpitatio, propter sanguinem, quô gaudet proportione habitâ, magis, quàm masculinus, crassiorem viscosum & austerum: vid.* Hippoc. lib. de morb. virg. Sect. 2.

b Biliosus.) *Id est, sanguine gaudens acri.*

c Vehementissimum.) *Vid.* Tulp. lib. 2. cap. 25. Harvæus de gener. an. exerc. 2. Forest. lib. 17. obs. 8.

d Sæpiùs correptus.) *Hoc facit ad prognosin.*

Affi-

Afficiuntur in hoc ægro *cor & a arteriæ*, quod ex vehementi inordinato eorum motu, & syncopes periculo patet.

Morbus, qui ægrum torquet, est intemperies biliosa, & acris sanguinis; quæ in corde, & arteriis vehementem & inordinatum motum intumescentiæ, sive diastoles & systoles, efficiens, *Palpitatio cordis* vulgò appellari solet.

a Et arteriæ.) *Uti spiritus animales, in cor inordinatè influunt, ita similiter inter fibras arteriarum influunt.*

a *Procatarctica* hujus morbi causa est ætas juvenilis, & intemperies biliosa nostri ægri. Hinc enim multi biliosi & acres in ipsius corpore fuerunt geniti humores, qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum, primò vehementioribus illis exercitiis ab ægroto nostro, tempore æstivo, factis, & deinde etiam vehementioribus animi pathematis, à reliquo sanguine separata, vel ex loco aliquo, in quo extra vasa antea existebat, in venas propulsa, sanguinique commixta, & postea ad cor delata, illudque vellicans, & effervescentiam pravam ibi efficiens, b *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Procatarctica.) *Acriora aromatica ut cinnamomum, &c. palpitationem cordis vehementem producere posse vid.* in misc. cur. an. 3. obs. 134. *quid autem illàc contribuat dispositio hæreditaria, vid. apud* Hipp. lib. de morbo Sac. Sect. 5. text. 8. & Thom. Burnet thesau. med. pract. tom. 1. cap. 345. *Hùc pertinet aër nebulosus & pluviosus, nec non æstuans, æstivus, motus corporis subitaneus & vehemens, suppressiones evacuationum consuetarum, febres omnis generis, legumina, animi pathemata quævis vehementiora.*

b Continens.) *Quando à quacunque demùm causâ fibrillæ musculorum cordis aut vellicantur aut expanduntur, spiritus animales solitô celerius & vehementius illàc influendo contractionem convulsivam & spasmodicam pariunt, adeòque palpitationem, non enim satis liberè secundùm ductum fibrillarum ad antagonistas fluere possunt, sed quasi regurgitando fibrillas solito vehementius & celerius contrahunt, ut ita in periculum ruptionis incurrant, hinc dolor semper conjungi solet & aliquandò lipothymia, non enim tunc sanguis æqualiter (modo consueto) canaliculis cerebri arteriosis insinuari potest, ad spiritus animales sufficientî copiâ suppeditandum: talia ergò vellicantia & expandentia esse possunt sanguis acer & malè mixtus, polypus cordis, vermis cordis, lapilli, serum pericardii copiosum, &c. quanquam etiam dici possit, serum hoc pericardii copiosum esse alterum cum palpitatione cordis effectum, à sanguine & humoribus crassioribus.*

Ex vellicatione enim ista, à biliosis & acribus humoribus in corde facta, defertur iste motus pravus per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum, cerebrique spiritus; quo pori cerebri ita aperiuntur, ut spiritus, in cordis fibras vehementiùs inordinatiùsque fluentes, inordinatum vehementemque illum motum, qui a *Palpitationis cordis* nomine vulgò indigitatur, inducant.

a Palpitationis cordis.) *Nonnullis dicitur spasmus & tremor cordis.*

Quia autem per vehementem inordinatumque illum motum spiritus, & utiles sanguinis partes valde *a* dissipantur, sanguisque reliquus ad dilatandum ineptus evadit, hinc parùm abfuit, quin *in Syncopen* noster æger incideret.

a Dissipantur.) *Non adeò dissipantur, quàm suffocantur, uti suprà explicavimus.*

Morbus hic *a* periculosissimus est, quia cor, omnium partium pars nobilissima, adeò graviter afficitur, ut lethalis Syncope inde sit metuenda.

a Periculosissimus.) *Vide* Galenum lib. 50. de locis affectis cap. 2. *confer* Hipp. Sect. 2. Aph. 41.

Curatio itaque diligenter est instituenda. *Eaque* in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, & intemperiei ablatione, consistet.

a Primò itaque per triduum tali utatur medicamento:

℞. *Syr. de suc. acetosæ, de acetosit. citri, de ribes an.* ℥j. *aq. cich. borrag. bugloss. ana* ℥iij. *M. F. b* Julapium, *quod sumat quotidie jejunus, per triduum.*

a Primò.) *In plethorico corpore V. S. primas teneat: posteà adhibeantur temperata attenuantia sive salina sive acida volatilia, sive etiam pro re nata scabra, acidum absorbentia: diluentia itidem, sed volatilibus permixta sunt utilia, sed emollientia ut & narcotica cuivis palpitationi cordis nociva esse docuit experientia.*

b Julapium.) *Julapio auctoris adde* lap. prunellæ ℈ij.

Postea tali purgetur potione:

℞. *Rhabarb. select.* ℥ß. a *spic.* ℈ß. *aq. cichor.* ℥iiij.
Post levem ebullitionem infundantur per noctem.
Colat. add. diaprun. ℥iij. *syr. rof. sol.* ℥j. *M. F.* Potio.

a Spicam.) *Addunt quidem hanc ut correctorium rhabarbari, sed hic nullius est utilitatis: ordinariè etiam purgantia affectionem hanc augent, nisi ortum traxerit ex immunditie prægrandi viarum primarum: Urgente itaque necessitate, clystere præmisso*

℞. Extract. rhabarb. gr. xvj. *aut* ℈j.
Diagrid. gr. iij. iv. v.
Mercurii dulc. gr. v. *aut* vi.
M. F. *pilulæ.* vel
℞. Aloës Succotrin. gr. xvj.
Mercurii dulcis *scrup. sem.*
Resin. scammon. gr. iv. *vel* vj.
Ol. caryoph. gutt. ij.
M. f. P.

Evacuato corpore, matutino tempore quotidie utatur *a* tali electuario, tribus horis ante pastum, magnitudine castaneæ majoris:

℞. *Conserv. rof. violar. buglos. ana.* ℥ß. *melis.* ℥iij.
Spec. diarrhod. abbat. diatriumsant. diamarg. frig. an. ℥ij.
Ossis de cord. cervi, sem. citri an. ℈j.
Corallor. rubr. præp. ℈ß. *cum syr. de limon. q. s. F.* Electuarium.

a Tali electuario.) *Pulveres hujus electuarii soli præstant; saccharata enim omnia hic nocent.*

Sudorifera hic adhibeantur ex theriacâ veteri, antimonio diaphoretico, aut bezoar. minerali: addito sale prunellæ; acriora autem & subtiliora salia (præsertim majore dosi propinata) minus conveniunt: multum aliquandò proficit elixyr camphoræ, cujus præparatio vid. apud Jacob. le Mort in chym. phys. med.

Subinde assumatur sequens

℞. Lapid. prunell. scrup. j.
Camphoræ gr. iv.
M. F. Pulv.

Et hoc epithema cordi *a* manè, & vesperi, admoveatur tepidum:

℞. b *Corall. rubr. & alb. sant. omnium, spec. diamarg. frig. an.* ℨj.
Croci ℈j. *camphor. gr.* iij.
Aq. rof. lib. ʃ. borrag. bugloʃʃ. an. ℥ij.
Acet. vin. opt. parum. M. F. *c* Epithema.

a Manè & vesperi.) *Potius quoties exsiccata fuerint linteamina.*

b Corall. rub.) *Hæc parùm aut nihil efficient: addatur potiùs theriaca, spir. sal. ammon. ambra & moschus.*

c Epithema.) *Aliqui regioni cordis sub mamillâ sinistra, cum fructu applicant emplastrum aliquod aromaticum, theriacâ & balsamo sulph. anisato nobilitatum.*

Post usum epithematis talem sacculum cordis regioni admoveat:

℞. *Flor. rof. rubr. exsiccat.* a *bugloʃ. borrag. siccor. ana* ℥j.
Fol. b *meliʃ. exsiccat.* ℨj. *santal. omnium, ana* ℨiʃ.
Oʃʃis de cord. cervi pulv., coral. rubr. pulv. ana ℨj.
c *Behen alb. & rubr. ana* ℨʃ.
Omnia in pulverem redacta includantur sacculo sericeo, multis locis intersuendo, qui d *aq. rof. irroratus, & in olla munda calefactus applicetur regioni cordis.*

a Borrag. buglossa.) *Nihil prosunt.*

b Meliss. exsiccat.) *Adde fol.* majoranæ, menthæ, rorismar

c Behen.) *De radicibus hisce vertitur controversia; vid.* Schrod. pharm. med. chym. lib. 4. class. 1. *substituantur potiùs rad. gentian. vel contraj. torment. vel tales aliæ.*

d Aq. rof.) *Eligatur aq. vit. Matth. vel theriac. camphorata.*

In *victus ratione aer* sit temperatus. *Cibus* eupeptus, elixus potiùs quam assus, succo limonum conditus. *Potus* sit cerevisia, & vinum mediocre. *Fugiat* vehementiorem corporis motum, & vehementiora animi pathemata. *Somnus* sit mediocris. *Alvus* respondeat naturâ & arte.

VI.

MEDICATIO MULIERIS, SYNCOPE LABORANTIS.

a MUlier triginta annorum, temperamento biliosa, videns ancillam suam cum infante, quem ulnis gestabat, periculosissimo lapsu ex scalis decidere, magno tremore fuit perculsa. Inde mox incidit in *b* ventriculi rosiones, vomitum biliosum & serosum concitantes; atque etiam in magnos artuum dolores, quos paulo post insecutus est cadaverosus totius faciei pallor; membrorum flaccidorum *c* refrigeratio, & sudor; pulsus rarus, obscurus, & interdum quasi abolitus; omnis penè sensus & motus ablatio. Ab hac anxietate difficulter postea liberata, jam sæpius similes passa est insultus. Quoties ad se redit, de magna *d* oris conqueritur amaritudine.

a Mulier.) *Multæ sunt rationes, ob quas fœminæ magis quàm mares animi deliquiis vexantur; suntque attendenti obviæ.*

b Ventriculi rosiones, vomitum biliosum, atque artuum dolores.) *Tria hæc symptomata, licet esse possint fortuita, tamen confirmant temperamentum positum biliosum, sive acre.*

c Refrigeratio.) *Hæc & sequentia faciunt ad prognosin.*

d Oris amaritudine.) *Non hæc indicat adeò bilem sanguini permixtam esse, quàm sal acre & terrestre; nec non bilis materiam vomitu rejectam papillis linguæ & palati inhærere.*

Afficitur in hac ægra *ventriculus*, ut constat ex rosionibus, in ea circa os ensiforme perceptis, & oris amarore: item *artus*; quod docent eorum dolores: nec non a *cor*; quod ex pulsu languido, & totius corporis refrigeratione: & denique b *cerebrum*; quod ex abolito sensu & motu patet.

a Cor.) *Sine dubio conjungitur ejus palpitatio.*

b Cerebrum.) *Quatenùs nempe spirituum secretio intra illûm succumbit.*

a *Morbus* præcipuus; qui eam jam aliquoties torsit, est b intemperies cordis frigida, quæ pallorem vultus cadaverosum; frigidum totius corporis sudorem; pulsum rarum & pene abolitum; nec non omnis penè sensus & motus c abolitionem accersens, *Lypothymia* vel d *Syncope* nuncupatur.

a Morbus.) *Si quis symptomata vocare mallet, per nos licet, logomachias enim non æstimamus.*

b Intemperies cordis frigida.) *Effectus est frigidus à causa calida, secundum demonstrata in* medic. præced.

c Abolitionem.) *Ex eo quod non adsit stertor, distinguitur syncope ab Apoplexiâ, ut & ratione durationis brevioris paroxysmi: convulsionibus distinguitur ab epilepsia & suffocatione hypochondriaca virorum & mulierum.*

d Syncope.) *Idem est quod Latini vocant animi deliquium, quanquam nonnulli gradus statuant differentes.*

Nec obstat, quod ea à biliosâ materiâ, in cor effusâ, oriatur. a Nam oleum nimis copiosum, in ignem injectum intemperiem frigidam in foco inducit.

a Nam & oleum &c.) *Comparatio hæc est satis frigida; hoc in casu, non enim bilis in cor majorî copiâ infunditur, sed spiritus animales impetu majore inter fibrillas cordis influendo convulsionem pariunt; aliquandò tamen fieri potest, ut sanguis crassior ad vehementem motum subitò concitatus, cor obruat, id est, rhythmum ejus naturalem invertat.*

a Causa *prima* sive *procatarctica* hujus morbi fuit terror, quo hæc fœmina, ex infantis periculosè labentis conspectu, vehementer fuit perculsa. Causa b *antecedens* est congeries biliosorum, acrium, & serosorum humorum, in vasis & circa ventriculum collecta. Ea verò ubi à perturbatione spirituum, ex vehementi terrore excitatâ, in ventriculum & artus, nec non in cor copiosius defertur, *continens* ejus est causa.

a Causa procatarctica.) *Syncopen a rebus fragrantibus, ut rosis, moscho, &c. vid. apud* Angel. Sal. de art. med. cap. 42. *à fumo candelæ & carbon.* Forest. lib. 6. obs. 13. in schol. *Ex frigore subitaneo, & vehementi, corpore æstuante*, Schenk. lib. 2. p. 277. Hild. cent. 5. obs. 29. *Ab alapa*, misc. cur. ann. 2.

ann. 2. dec. 2. obs. 122. *à gaudio subitaneo & vehementi*, Liv. lib. 22. 77. *ab ira*, Camer. memor. cent. x. par. 52. *ex anguillarum & pomorum odore*, misc. cur. dec. ij. ann. 3. obs. 24. *huc spectat adspectus sanguinis proprii, dolor vehemens & subitaneus, febris quævis vehementior & malignior, constitutio hæreditaria, &c. ita rarum est, quod occurrit in vita magni* Verulamii *edita à D.* Rawley, *nempe, quoties luna eclipsin patiebatur, repentino corripiebatur animi deliquio, idque etiamsi nullam præviam defectionis Lunaris notitiam habuisset, quamprimùm autem luna priori lumini restituebatur, confestim refocillatus convaluit.*

Syncopen terror parit aliquandò, dum maxima vi spiritus per totum corpus influunt, & ex tubulis quibusdam partium solidarum humores quosdam vitiosos expellunt, & ope vasorum lymphaticorum ad cor deferunt, quibus pro varia eorum constitutione & commixtione, varii oriuntur sanguinis cordisque motus.

b Antecedens.) *Ordinariè sanguis est crassus & austerus, undè scorbutici & hypochondriaci sæpissimè syncope afficiuntur, præcedente palpitatione cordis graviore: post mortem etiam polypi in atris cordis aliisque vasis reperiri solent.*

Ex magno enim illo terrore spiritus in cerebro ita primum fuerunt determinati, & pori cerebri, *a* in nervos spectantes, ita aperti, ut spiritus in totum corpus magnum impetum fecerint, quo humores *b* serosi & biliosi, in corpore collecti *c* vel geniti, à reliquo sanguine fuerunt *d* separati; iique, ex receptaculis suis in varias partes propulsi, excitarunt in *ventriculo* rosiones & vomitus biliosos & serosos; in *artubus* *e* dolores articulares; in *corde* verò, copiâ & crassitie, aliâque ad dilatandum ineptitudine, refrigerationem inducentes impediverunt justam sanguinis effervescentiam: & præterea peculiari suâ acrimoniâ, moverunt ita nervos sextæ conjugationis, cordi implantatos, ut per poros cerebri, eâ apertos, spiritus animales copiosius *f* in fibras cordis constrictorias fluxerint, & sufficientem cordis dilatationem impediverint. Atque ita, propter duas illas causas, justa sanguinis calefactio, & cordis justus motus, & calor, impedita fuerunt. Atque hinc factus est primo *pulsus langxidus, rarus, & pene abolitus*: qui cùm corpus calefacere & sanguinem satis copiosè per corpus distribuere non posset, idcirco hunc deinde, ob defectum sanguinis rubicundi, insecutus est g *cadaverosus faciei pallor*, item (ob defectum caloris) *omnium membrorum refrigeratio*: & (ob vaporum, ex corpore perpetuò alioquin exhalantium, ex eâ refrigerationem & incrassationem) *sudor frigidus*: nec non, (ob spirituum animalium, in cerebro ex tam debili cordis motu deficientium, inopiam) *omnis sensus & motus ablatio.*

a In nervos spectantes.) *Sunt reverà ductus glandularum cerebri versùs nervos continuati.*

b Serosi & biliosi.) *Cur sodes hi præcisè, non alii? forsan secundùm illud* Euripidis in Tragœdia: Tu vise latas properè ripas Inachi: Tu perge, Thebas, modò quas Cadmus condidit.

c Vel geniti.) *Num gignerentur, nisi colligerentur?*

d Separati.) *Sine nullo dubio: non secùs, ac fulmen, dolium cerevisiâ vel vino repletum perruens, liquorem contentum turbat.*

e Dolores articulares.) *Hoc symptoma prorsùs est fortuitum, sed tamen facile deducitur ex antecedentibus.*

f In fibras constrictorias.) *Putem ego quasvis cordis fibras esse constrictorias, non obstante diastole.*

g Cadaverosus faciei pallor.) *Nempe imminuta contractione cordis naturali, sanguis ad extrema vasa capillaria sanguinea propelli nequit.*

Ubi

Ubi autem materia illa prava tandem à corde & ventriculo magnam partem fuit discussa, vel aliò translata, *a* sanguis melior, ad cor paulatim rediens, majorem concepit effervescentiam; & spiritus, ex cerebro copiosius in fibras cordis dilatatorias fluentes, auxerunt cordis motum, sanguinemque calidiorem per totum corpus distribuentes, *revocarunt ægram nostram ad se*. Quæ deinde, aliis partibus pravorum humorum, ad cor & ventriculum subinde redeuntibus, vel ibi auctis, vel genitis, *in lypothymiam* b *rursus subinde incidit*.

a Sanguis melior.) *Undè sodes? dic potiùs successivè cursum spirituum reddi æqualem; hocque fieri potest, varias ob causas.*

b Rursus.) *Hoc phœnomenon facilè explicatur tùm ab vestigiis rei terrificæ cerebro impressis, tùm à causa posita antecedente.*

Amaror autem, *quem in ore percipit*, oritur à bile, tum in ventriculo, tum *a* in vasis existente, & in linguam & palatum sese inde effundente.

a In vasis existente.) *Jam antè dictum fuit bilem, quà bilem, nullis in vasis contineri, extra hepar.*

In hoc affectu, quia cor tam graviter afficitur, *a* magnum imminet periculum. Quia tamen ex animi pathemate est ortus, bene de illius *Curatione* est sperandum. *Eaque* tum *in paroxysmo*, *tum extra eum*, consistet in pravorum humorum discussione, & sanguinis & cordis intemperie corrigenda: *extra paroxysmum* verò, etiam in pravorum humorum *b* evacuatione.

a Magnum periculum.) *Potiori jure hæc affectio soror mortis, ejusve imago dicitur, quàm somnus naturalis: Variat autem ejus prognosis, prout jungitur diversis aliis morbis, magis vel minus malignis. Confer* Hippocr. Sect. 2. Aphor. 41. & Sect. 5. Aphor. 56.

b Evacuatione.) *Præmissâ nempe sufficiente præparatione.*

Ubi itaque *in paroxysmo* versabitur ægra, *a* aquæ frigidæ in faciem sparsione, sternutatoriorum in nares inflatione, extremorum frictione & ligatione, nec non aquæ cinnamomi in os infusione, ad se erit revocanda.

a Aquæ frigidæ in faciem.) *Hæc conducit in quavis lipothymia, ab animi pathemate vehementiori oriundâ, vel ardore corporis subitaneo & vehementi; motum enim spirituum animalium confusum tollit. Naribus, temporibus, regioni cordis, ventrique applicetur linimentum sequens:*

℞. Theriac. drach. iij.
Flor. sal. ammon gr. vj. *vel* viij.
Ol. succin. gutt. x.
Croci gr. vij. *aut* ix.
Balsami Peruviani gutt. vj.
Misce fiat linimentum.

Hic etiam prodest spiritus salis ammoniaci super calce vivâ destillatus in phiala angusti orificii apertâ naribus admotus.

Resupinus decumbat æger ad lineam horizontalem, sic enim sanguis facilius fluit à corde ad cerebrum.

Hic omnia prosunt, quæ in Apoplexiâ, Epilepsiâ, & Lethargo habuimus.

Si fœmina sit, & metus sit passionis hystericæ, linteum lividum accensum teneatur coram naribus.

Et fœtentia mulieribus etiam prosunt, ut assa fœtida, galbanum, castoreum.

Extra paroxysmum verò, *a* primò exhibeatur tale purgans:

℞. *Fol. senæ ℥iij.*
Rhabarb. ʒj.
Fol. absinthii ʒj.
Sem. anisi, fœniculi ana ʒß.
Aq. hordei ℥iiij.

Post levem ebullitionem, macerentur simùl per noctem in loco calido.
Forti expressioni manè factæ.
Addatur syr. rosʃ. solut. ℥j.
Misce F. Haustus, aliquoties reiterandus.

a Primo purgans.) *Valdè benè ad evacuandam primarum viarum saburram, quæ nonnunquàm per se lipothymiam producere posset.*

Si amaror oris perseveret, utatur *a* tali vomitorio:

℞. *Vini emetici ℥iß.*
Salis vitrioli albi ℈ß.
Vini albi ℥ij.
Misce pro Vomitorio.

a Tali vomitorio) *Etiam bene præsertim si malum in ventriculo hæreat, & æger facile vomat, vomitorium detur: sed in delicatioribus cautè cum vomitoriis mercandum est:*
Tart. emet. gr. v.
Conserv. rosar. ʒß.
M. F. bolus, sumendus cum pauxillo vini.
Si sit à veneno occulto, opus est antidoto. Vide Joëlis opera lib. de venenis & antidotis; *sed si à veneno manifesto & corrosivo, propinentur oleosa & pinguia.*

Interim utatur hoc medicamento cardiaco, quod etiam in ipso paroxysmo exhiberi poterit:

℞. *Aq. cinnamomi ℥j.*
Succi limonum ℥ij.
Spec. cord. ʒß.
Misce. Capiat tribus vicibus.

Quo consumpto utatur hoc julepo.

℞. *Julepi rosati ℥ij.*
Aq. cinnamomi,
Syr. de limonibus ana ʒß.
Manus Cristi ℥ij.
Misce, & capiat frequenter cochleare unum vel alterum.

Pro oris amarore uti etiam poterit subinde de *a* hac potione:

℞. b *Syr. de limonibus,*
de agresta ℥iß.
Aq. cinnamomi ℥ij.
Misce.

a Potione.) *Potius os sæpius colluat aqua, cum aceto & lapide prunellæ.*
b Syr. de limonibus.) *Sit syrupus de acetositate, sive succo citri.*
c Aq. cinnamomi.) Spiritus salis *ammoniaci & sal vol. C. C. vel Viperin. debet sæpius usurpari, ut sanguis reddatur subtilior: Ita* spiritus nitri *gutt. xij. aut xv. commendantur hora una ante pastum, ubi acrimonia peccat salina.*

Uti etiam poterit *a* vino absinthite pro eodem amarore.

In *diæta aër* sit temperatus & modicè lucidus. *Cibus* sit concoctu facilis, ex jusculis carnium, hordeatis, & amygdalatis. *Potus* sit vinum tenue, cerevisia tenuis. *Motus* vehementior vitetur, & quiescat moderatè. *Vitet* vehementes animi perturbationes. *Utatur amicis jucundis.*

a Vino

a Vino absinthite.) *Qui ergò amaror unus alterum tollet? certè nonnisi, viscidum acidum, quod hoc in casu peccare potest, dividendo.*

VII.

MEDICATIO JUVENIS, PLEURITIDE LABORANTIS.

a JUvenis viginti duorum annorum, ex cursu æstuans, ac sudore madens, cerevisiam tenuem frigidam copiosè hausit: undè paulò post b atroci dolore lateris c dextri in pectore correptus fuit; cum tantâ respirandi difficultate, ut suffocari videretur. Accessit deinde horror, quem secutus est calor totius corporis perpetuus, & magna sitis. Pulsus est celer, creber, & inæqualis. Tussis adest etiam molesta; & d sputum sanguine tinctum.

a Juvenis.) *Confer* Hipp. Sect. 3. Aph. 30.

b Atroci.) *Hic dolor acerbus, fixus, cum febre continua acuta, tussi & sputo sanguinis, distinguit pleutitidem veram à spuria.*

c Lateris dextri.) *Aliquando utrumque latus afficitur.*

d Respirandi difficultate.) *Respirandi metus & difficultas, hìc non adeò oritur à pulmone affecto, quàm à membrana pleura, propter expansionem pulmonum, compressione, undè actio musculorum intercostaliū supprimitur.*

Afficitur in hoc ægro *membrana*, pulmonem dextrum investiens; a & forsan etiam *pleura*, in dextra pectoris laterali parte; atque etiam *pulmo*. Idque, b ex dolore illo atroci, pectoris latus dextrum occupante, item ex maxima illa respirandi difficultate, & sanguinolento sputo nostri ægri patet. Afficitur etiam *cor*; ut ex pulsu celeri, crebro, & inæquali, item ex totius corporis horrore, & insecuto perpetuo calore, ac siti, febrim continuam indicantibus, est manifestum.

a Forsan etiam pleura.) *Titulus hujus medicationis cum significet pleuritidem, potiori jure Auctor dixisset, certò certiùs affici membranam pleuram, sed forsan etiam membranam pulmones investientem.*

b Dolore atroci.) *Qui non potest esse in pulmonibus, utpote qui sunt obtusi sensus; dolor verò ille atrox, partim est ob exquisitum sensum pleuræ simùl inflāmatę, sed partim etiam, quia in respiratione pulmones feriunt hāc pleuram.*

Morbus hujus ægri est membranæ pulmonem dextrum investientis, & forsan etiam pleuræ ejusdem lateris, inflammatio: quæ atrocem dolorem lateris dextri in pectore; respirandique maximam difficultatem; nec non febrim continuam inducens, a *Pleuritis* vulgo appellatur.

a Pleuritis.) *Pleuritis dicitur vel vera, vel notha: vera est, ubi peccat inflammatio membranæ pleuræ, notha verò utplurimùm oritur à flatibus & humore viscoso: notha distinguitur à vera, quòd in illa dolor magis sit distensivus & vagus, in verâ autem punctorius & fixus: ubi simùl afficitur membrana pulmonum, vocatur, pleuroperipneumonia.*

a *Causa* hujus morbi *procatarctica* fuit potus cerevisiæ frigidæ, copiosè ab hoc juvene æstuante, & sudore madente, haustus. Cerevisia enim illa frigida per œsophagum in pectore copiosa transiens, & in ventriculo existens, clausit, suo frigore, multos in pulmonibus & pectore, valde cum reliquo corpore, æstuantibus, plurimosque vapores undique emittentibus, poros; quo magna vaporum istorum pars per alios meatus egressum, cum aliis vaporibus, eodem tendentibus, sibi parare, meatusque illos pectoris & pulmonum *b* plus justo aperire cogebatur. Præterea ab illo frigido ingesto potu forsan fuit sanguis, in pulmonibus & pectore existens, in quibusdam vasis aliquantum condensatus & coagulatus, quo justa sanguinis circulatio nonnihil fuit impedita, unde vasa vicina à sanguine impulso valde intumuerunt, eoque pori eorum nimium fuerunt dilatati & expansi. Poris autem plus justo in pulmonibus & pleurâ, propter duas, vel singulas has causas, plus justo apertis, & expansis, humores quidam fervidi, ex sanguine totius corporis copioso (qui *antecedentem* huic morbo præbet causam) à corde extra vasa in membranam pulmonem dextrum investientem, & forsan etiam in dextram lateris pleuram, propter majorem ipsarum præ cæteris laxitatem, copiosè fuerunt impulsi & etiamnum impelluntur: iique ibi corrupti, & tales ex corruptela poros adepti, ut à subtili æthere ibi vehementissime & varie agitentur, eoque valde incalescant, inducunt jam, tanquam causa *continens*, inflammationis, in dextri lateris membranis pulmones & costas investientibus, *tumorem*; unde omnia *symptomata* hunc ægrum gravissimè infestantia, nunc porro consequuntur.

a Causa procatarctica.) *Confer* Hippoc. Sect.iij. Aphor.v. & 23. *item* misc. cur. ann. 2. obs. 258. Forest. 16. obs. 26. *Ex suppuratis glandulis subalaribus, ortam fuisse pleuritidem, observavit* Barthol. in act. Hafn. vol.ij. obs. 85. *ex risu, subortâ sternutatione,* idem obs. 96. *à suppressis lochiis,* Binning. cent. 3. obs. 29. *à morbillis,* misc. cur. ann. 4. obs. 7. *à lumbricis,* River. cent. 1. obs. 75. *Lethalem pleuritidem, Rex Illyricorum Agro, ex ebriositate & ingluvie, sibi contraxit, teste* Polybio, lib. 2. hist. cap. 4. *Nativam constitutionem, multùm hùc contribuere, monet* Willisius pharm. rat. part. ij. Sect. j. c. 9. *Epidemicus nonnunquàm est morbus, teste* Schenkio, l. 20. obs. pag. 773. Valleriola l. 6. obs. 2. *Aliquando transit angina vera in pleuritidem, teste* Hippocr. Sect. 5. Aphor. 8.

b Plus justo aperire.) *Pori & canaliculi vasorum circa pleuram ab æstu fuerunt quidem primò nimis aperti, atque eo tempore particulæ sanguinis humorumque crassiusculæ, præsertim salinæ fixæ, ipsis fuere insinuatæ, sed superveniente subitâ incrassatione à potu frigido, circulum suum non continuare potuerunt; undè suborta est inflammatio: ita* Willis. *testatur, in vasculorum pneumonicorum angustiis, polypos frequenter hærere, & turbando sanguinis cursum, dyspnæam, pleuritidem, peripneumoniam, & ruptiones vasorum, sputaque cruenta excitare, atque sic in partibus aliis, affectus alios sæpenumerò producere: cui consentiens* Malpighius tr. de polypo, *pleuritides ultra febrem acutam, polyposas concretiones esse in pulmonibus judicat, idque ex cadaveribus & rejecto sputo, extractoque sanguine ait patere.*

Cum enim, propter inflammationis tumorem, pectus & pulmones inter respirandum sufficienter dilatari non possint, hinc oritur *respirandi* in nostro ægro *difficultas*; & quia, propter respirationem qualemcumque nostri ægri, membrana pulmones investiens & pleura, quæ valde hìc tument, & acutissimi sensus sunt instrumenta, vehementius distenduntur, hinc oritur in inspirando *ve-*

hemens ille punctorius pectoris dolor lateralis; & quoniam pars fervidorum & pravorum humorum ex partibus inflammatis per venas, ope circulationis sanguinis, ad cor perpetuò pervenit, ibique febrilem incalescentiam continuò concipit, & inde per totum corpus diffunditur, hinc est *febris illa a continua*, quæ inflammationem hanc comitatur; & quia ex partibus inflammatis, per poros earum nimis apertos, in bronchia pulmonum sanguis & quidam acres vapores & humores frequenter impelluntur, qui membranas bronchiorum frequenter vellicant, hinc in hoc affectu observatur *frequens tussis & sanguinis sputum*.

a Continua.) *Et quidem acuta, partim ob inflammationem magnam, partim ob dolorem acutum, partim à sale in sanguine abundante.*

Morbus hic, propter vehementiam symptomatum, partesque affectas, & empyematis metum, *a* valde est periculosus; ideoque diligenti *Curatione* erit impugnandus.

a Valde periculosus.) *Inter peracutos recensetur, unde intra septimum diem solet solvi*, Conf. Hipp. prænot. Sect. 16. text. 13. Sect. 1. Aphor. 12. Sect. 5. Aph. 8. & 15. Sect. 6. Aph. 16. Sect. 7. Aph. 11. misc. cur. dec. 2. ann. 3. obs. 178.

Eaque in causæ antecedentis, continentis, tumoris, intemperiei ac doloris ablatione consistet.

a Primò itaque, ad sanguinem affluentem & allapsurum commodissimè à partibus affectis revellendum & ex corpore evacuandum, mox *b* aperiatur vena brachii dextri lateris, & sanguis educatur ad uncias decem vel duodecim, pro ratione virium.

a Primo.) Hartmannus *hic præscribit vomitorium, sed nobis suspectum est, quia concussione corporis validâ motus sanguinis & dolor augetur.*

b Aperiatur vena.) *Concedimus quidem pleuritidem citra venæsectionem curari posse, sed id non ita tuto fiet, quia febris continua acuta & dolores acutissimi, inducias sufficientes sæpe non concedunt, ut satis citò medicamentis aliis, dolores illi sopiantur intolerabiles.*

Post venæ-sectionem injiciatur talis *a* clyster alterans & purgans:

℞. *Malvæ, bismalvæ, mercurialis, violariæ an. m. j. ſ.*
Hordei mundati m. j. prunor. damascen. par. vj.
Decoq. in aq. comm. q. ſ. ad lib. j. ſ. in Colat. dissolve elect. diacathol. sacchari rubr. an. ℥j.
Olei violar. ℥jß. vitell. ovi Num. 1.
Misce F. Clyster, *subinde reiterandus.*

a Clyster.) *Rectè quidem, non enim conducunt purgantia acriora: colaturæ cum fructu addi potest nitri drach. j.*

Si dolor his non imminuatur, venæ-sectio poterit eodem die vel postridie, *a* imo & aliis diebus, pluries reiterari.

a Imo & aliis diebus.) *Habeatur ratio crisees, prudenter enim tunc monent Practici, corpus multis remediis non esse movendum.*

Tho-

Thorax, in parte dolente, spongiis vel *a* linteis lacte tepido imbutis & expressis aliquamdiu fotus, oblinatur hoc *b* linimento:

℞. *Olei amygdalar. dulc. violacei an.* ℥j.
Unguenti althææ ℥j. *Misce.*

a Linteis lacte tepido imbutis.) *Quatenùs talia subitò refrigerantur, nos præferremus emplast. de spermate ceti Mynsichti camphorâ nobilitatum, vel sacculum aliquem (præcipuè in notha) ex hordeo germinante, (belgicè* mout) *sem. cumini, flor. camomill. melilot. & pauculo salis; vel*
℞. Malv. m. ij.
Sem. Card. Mariæ. &
Pap. alb. ana unc. j. sem.
Flor. Chamomill. m. j℈.
Salis a. m. j.
M.F. Sacculi N. ij. *intertexti.*
Qui calide alternis vicibus lateri dolenti applicentur.

b Linimento hoc.) *Adde* Theriac. Rec. drach. j. Camph. gr. xv. Ung. Popul. drach. iij. *& loco ol. amygd. & violar. suppone* Ol. Papav. unc. j. sem. Ol. Ceræ unc. sem.

Et *a* de sequenti decocto ter quaterve in die bibat:

℞. *Fol. violariæ, borrag. scabiosæ, bugloss. bellidis an. m. j.*
capill. vener. tussilag. an. m. ß.
Glycyrbizæ rasæ ℥ß. *prun. damascen.* Num. vij.
Passular. ℥jß.
*Decoq. in aq. hordei q. s. ad lib. j*ß.
In Colatura dissolve syr. capill vener. violacei, Papaveris rhæados an. ℥ß. *Misce* F. Apozema.

a De sequenti decocto.) *Hoc benè: maximè enim commendanda sunt expectorantia.*

Interdum bibat haustum tenuis cerevisiæ, in quo dissoluta sit *a* ℥j. salis prunellæ.

a ℥j. Salis prunellæ.) *Sufficit* ℥ß. *vel add.*
camph. gr. ij. iij. *aut* iv.
Sacchar. saturni gr. v. *aut* vj.

Ad sputum facilitandum utatur hoc *a* linctu:

℞. *Syr. capill. veneris, violacei, an.* ℥j.
De liquiritia, papaver. rhæad. an. ℥ß. *Misce.*

a Linctu.) *Loco syrupi violarum eligatur syr. de alth. Fern. vel jujub.*

Si dolor ingens urgeat, hoc utatur bolo anodyno, & materiam acrem retundente, ac dissipante:

℞. *Requiei Nicolai, theriacæ an.* ℈ß.
Laudani opiati a *gr. iv. Misce* F. bolus, *vesperi dandus.*

a Gr. iv.) *Sufficiunt in principio gr. ij.*
Vel ℞. Sem. card. mariæ gr. xv.
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.
Camphoræ gr. iij.
Sacchar. saturni gr. iv.
Salis prunell. gr. xij.
M. F. Pulvis.

Alii cum fructu præscribunt stercoris gallin. albi ℥j. *aut* Fuliginis camini *tantundem; certè fimi animalium multum præstare possunt, ratione salis sui nitrosi. Specifica hic dicuntur mandibul. luc. pisc., ras. dentis apri, sang. hirc., & sperm. ceti, &c.*

Et hoc utatur cataplasmate:

℞. a *Caricar.* ℈iij.
Decoq. in lactis q. s. & contundantur
Cum olei camomill. q. s. F. Cataplasma.
Cum linteo calide adhibendum.

a Caricarum.) *Sine dubio Auctor his utitur ad suppurationem extrorsùm revocandam, siquidem aliòquin, malum non poterit discuti: Externè etiam adhiberi poterit oleum ceræ & imponatur empl. de sulphure.*

Aliqui recentem panem calidum semfœniculi nobilitatum lateri applicant; cujus vapor amicus est nostri corporis poris; sic etiam applicatur omentum vervecis recenter mactati: suppuratione facta, dolor & febris remittunt, atque tunc medicatio coincidit cum empyemate.

Si ex dolore, in eodem loco fixo, & febri auctâ, *a* suppuratio metuatur, ea erit promovenda hoc emplastro:

℞. *Rad. althææ mundat.* ℥ij.
lilior. alb. ℥j. *enulæ camp.* ℥ß.
Fol. malvæ, violariæ an. m. ij.
Flor. camomill. meliloti an. m. j.
Bulliendo ad mollitiem coctis, b *& colatis, adde*
Farinæ fœnigræci, tritici an. p. j.
Fermenti acris ℥ij.
Pingued. porci, butyri an. ℥ß.
Ol. amygdal. dulc. comm. an. q. s.
Croci ℥ß. *Misce* F. Emplastrum.

a Suppuratio.) *Maximè laborandum est, ut ulcus foras vertatur, & hunc in finem apponatur primò cucurbita ventosa, posteà applicetur cataplasma ex rad. alth., cœpis sub cineribus tostis, malva, sem. cum. flor. cham. & melil., mica panis albi & fæce vini, coctis in cerevis. dulci.*

b Colatis adde.) *Quidni etiam hic addit Auctor caricas, ad promovendam maturationem?*

Cæterùm per totum morbi decursum æger teneatur in leni diaphoresi, tùm decoctô scorzoneræ sine acido, tùm mixtura aliquâ temperatâ, anodynâ & expectorante, qualis est seq.

℞. Aq. Card. ben. meliss. ana unc. ij
ther. simpl. drach. vj.
tinct. croc. ℈jv.
op. gutt. XL.
mandib. luc. pisc. drach. j.
sang. hirc. ℈ij.
syr. jujub. vel de liquir. drach. vj.
M. dosis ad cochl. iij. *singulis horis.*

Ubi pus est genitum, quod ex imminutâ febri constabit, danda opera ut abscessus *a* rumpatur tussi, sternutatione, forti loquela, vomendi conatu.

a Rumpatur.) *Locus abscessus externè scalpello potiùs est aperiendus: vel vesicatorio rumpendus: cætera spectant ad medic. de empyemate.*

Ab-

Abscessus, versus interiora pulmonum ruptus, detergendus hydromelite, & decocto pectorali.

a Si pus sese in cavitatem thoracis effundat, caustico & incisione latus intra quintam & sextam costam est aperiendum, & pus partitis vicibus moderate erit educendum.

a Si pus.) *Nempe copiosum; aliàs expectorantibus ejici poterit.*

In *diæta*, Aër sit ad calidum inclinans. *Cibus* in principio, sit tenuis ex jusculis gallinarum, cremore ptisanæ, *a* lacte amygdalato; qui postea plenior offerri poterit. Concedi hic possunt amygdalæ dulces, passulæ, mala dulcia, malva, endivia. *Potus* sit cerevisia tenuis *b* Vinum vitetur usque ad morbi finem. *Quies* imperetur. *Somnus* sit solito longior. *c* *Excrementa* alvi indies movenda.

a Lacte amygdalato.) *Cum sem. papav. & card. mariæ, nec non syrupo de papav.*

b Vinũ vitetur.) *Febrim enim auget.*

c Excrementa alvi.) *Nempe laxantibus, emollientibus, & clysteribus, nè subsequatur diarrhœa.*

VIII.

MEDICATIO,

PLEURITIDIS IN PUERPERA.

a PUerpera, post æstuationem corporis, in dextra parte pectoris potissimum refrigerata, horrore & deinde febre continua ac sanguinis sputo insequente fuit correpta; jamque punctorios lateris dextri dolores, cum magnâ respirandi difficultate, sentit; & *b* lac in ipsa valde est imminutum.

a Puerpera.) *Casus hic facile potuisset inseri priori medicationi, observatâ tantum differentiâ & circumstantiis inter puerperam & alios homines; ita Medici multiplicant entia, citra necessitatem, morbos fœminarum & puerorum, simul & puerperarum separatim considerando.*

Cœterum Auctor malè in historia amisit intervallum temporis intercedens inter partum & pleuritidem, quod tamen fieri debuisset propter articulum hinc secundum.

b Lac imminutum.) *Hoc tantum aliquid singulare est in hâc historia, præter ea quæ continentur in præcedenti: oritur autem ex febri continuâ.*

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, ut ex horrore; *cor*, ut ex febri continuâ; *pulmo*, ut ex sanguinis sputo; item *membrana dextrum pulmonem investiens*, & *a* forsan etiam *pleura* dextri lateris, ut ex doloribus punctoriis in dextro latere perceptis, & respirandi difficultate inde orta, est manifestum.

a For-

a Forsan etiam.) *Nos dicimus primariò; ità etiam locutus est Auctor in* medicatione præcedenti.

Dico autem membranam, pulmonem investientem, hic certò affici *a* quia sputum sanguinis hic tam citò & commodè ejicitur; *b* quod in sola pleura affecta hic non ita fieri solet.

a Quia,&c.) *Hæc sequela nulla est; ratio constat ex* medic.præc.

b Quod in sola pleura,&c.) *Quidni? sunt enim partes sibi valdè vicinæ.*

Morbus, qui hanc ægram torquet, est membranæ, pulmonem dextrum investientis, & forsan etiam pleuræ in dextro latere, inflammatio, febri continuâ, lateris dextri punctorio dolore, & respirandi difficultate, comitata; quæ vulgo *Pleuritis dextri lateris* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi fuit partis dextræ pectoris post æstuationem refrigeratio; quâ multi pori ibi clausi coëgerunt multos vapores, per illos copiosè antea transeuntes, per alios poros viam, cum aliis copiosis vaporibus illos transeuntibus, simul affectare, atque ita poros in pulmonum & pleuræ dextrâ parte nimium laxare. Poris autem in illa pulmonum & forsan etiam pleuræ parte nimium laxatis & apertis, *a* humores quidam fervidi, ex sanguine totius corporis, (*antecedente* hujus morbi causa,) copiosè in istas partes à corde fuerunt propulsi & corrupti atque incensi, iique sua copia & incendii calore, *inflammationis tumorem inducentes, liberamque*, ex illo tumore, *pectoris pulmonumque* b *expansionem & contractionem impedientes*, partesque illas membranosas distensionis vehementiâ *dolore acuto perfundentes*, calidioresque & corruptas quasdam sanguinis partes ad cor & pulmones perpetuò, ex partibus illis affectis, referentes, atque ita *febrim continuam excitantes, sputumque sanguinolentum efficientes, continens* hujus morbi, ejusque symptomatum sunt causa.

a Humores quidem fervidi.) *Hunc fervorem potissimùm oriri in parte inflammata, & posteà continuari, jam anteà ad tavimusque diximus.*

b Expansionem & contractionem.) *Pulmones passivè magis sese habent, non enim gaudent musculis, aut fibris motricibus.*

a *Lac ipsi est imminutum;* quia sanguis, qui lactis est materia, ad vicinas partes pectoris inflammatas, ob poros ibi nimis apertos, copiose fluens, uberibus lactis materiam subducit.

a Lac imminutum.) *Lac in mammis hic imminuitur ut in omni febre continua, partim quia minus editur, partim quia turbatâ sanguinis mixturâ, secretiones languidius procedunt, partim quia calore febrili mãmæ exsiccantur, tubuliq; glandularum angustantur, ad lactis materiam transcolandam.*

Morbus hic, ob febrim continuam, doloris vehementiam, magnam respirandi difficultatem, & empyematis metum, est *a periculosissimus.*

a Periculosissimus.) *Ex puerperio vires valdè cùm sint debilitatæ, periculosior est hic affectus.*

Atque ideo diligentissimâ *Curatione* erit impugnandus.

Eaque in causæ antecedentis, continentis, tumoris, intemperiei, ac doloris ablatione, consistet.

Pri-

Primò itaque *a* vena aperiatur in dextro brachio, sanguisque, ad revulsionem & evacuationem, citra lochiorum sufflaminationem, faciendum, educatur ad unc. iij. & post tres horas educantur aliæ tres unciæ.

a Vena aperiatur.) *Verum quidem est, quod Auctor debuisset etiam referre, an lochia fluxerint, prout oportet nec vè, quo sciremus, parciusne, an liberalius sanguis esset emittendus, sed etiam fatendum est, reliquis paribus, pleuritidem ut urgens symptoma magis urgere; quam lochia.*

Et *a* si post sex horas dolor adhuc valdè sæviat, educendæ erunt adhuc aliæ sanguinis unciæ duæ.

a Si post sex horas, &c.) *Intereà tamen cum aliis remediis quiescendum non est, sed procedendum, ut in* medic. anteced.

Et porro pro libitu bibat de hoc decocto:

℞. *Hordei mundati, flor. buglossæ an. p. j.*
a *Passular.* ℥ij.
Decoquantur in aq. comm. q. s. ad lib. ij.
Et F. Colatura, in qua dissolvatur interdum Syr. violac. & capilli veneris, q. s. ad Gratam dulcedinem.

a Passular.) *Add. flor. hyper. & melil. ana p. iij. pap. rh. p. ij. siliq. dulc. par. iij. sed tamen habeatur ratio dulcedinis pro varietate subjecti.*

Quarto die *a* purgetur tali haustu:

℞. *Syr. rosati sol. cum fol. senæ* ℥iß.
Cremor. tartari ℈j. *scammonii gr.* viij.
Aq. decoct. hordei ℥ij. *Misce* F. haustus.

a Purgetur.) *Præstant clysteres.*

Et sumat quotidie mane, rasuræ dentis apri drach. j. cum præcedente decocto q. s. Cum hoc remedium peculiariter huic morbo convenire dicatur.

Vel, ad dolorem illum punctorium acutissimum sedandum, adhibeatur pulvis sequens, qui præsentaneum hujus doloris est remedium.

℞. *Flor. sulphuris a compositor.* ℥ß.
Ras. dentis verris aprugni,
Mandibular. lucior. pisc. ana ℥ij.
Sem. cardui Mariæ,
Flor. papaver. erratici ana ℥j. F. Pulvis.

a Compositorum.) *Vid.* floril. chymicum Grulingii de medicamentis pectoralibus, *adde*
Lap. prunell. ℈v.
Camphor. gr. xij.
Sacchar. Saturn. gr. xviij.
sit ℥ß. pro dosi.
Aq. Chærefolii, *præcipue si sanguis coagulatus fuerit, prodest.*

Detur drach. j. cum aq. flor. papav. erratici, aut aq. chærefol., manè, meridie, & vesperi.

Si lactis defectus perseveret, manè & vesperi etiam bibat de hoc decocto:

℞. *Hordei p. j. sem. anisi ℥ij.*
Ficuum Num. x.
Decoquantur in jusculo carnium, Pro duabus vicibus.

Dolore punctorio adhuc urgente,

℞. *Caricarum unc.* iij. *& decoquantur in lacte, contundantur addito oleo chamomill.* q. s. *Et lateri dolenti cum linteo applicentur calidiuscule.*

In *diæta aër* sit temperatus. *Cibus* sit ex jusculis carnium vervecinarum & gallinarum, cremore hordei, & amygdalatis, uvis passis, amygdalis, malis dulcibus. *Potus*, præter decoctum antea præscriptum, sit cerevisia tenuis. *Quieti & somno* omni ratione studendum. *Excrementa alvi*, vel arte, vel naturâ, respondeant.

IX.

MEDICATIO FOEMINÆ,

PERIPNEUMONIA LABORANTIS.

a JUvencula annorum octodecim, post victum satis lautum, incidit in tantam anhelitus *b* difficultatem, ut suffocari videatur. Dolor gravis pectus occupat, isque *c* ad mammillâm & dextrum humerum se extendit. *d* Sputum adest sanguinolentum, & febris satis acuta, *e* Genæ rubent. In dextro latere decumbere non potest.

a Juvencula.) *Vid.* Hippoc. Sect. 3. Aphor. 30.

b Difficultatem.) *Accedit respirandi metus ob vehementiam doloris, nam pulmone inflato, ejus membranulæ inflammatæ magis tenduntur cum periculorum ruptiouis, sicut in pleuritide.*

c Ad mammillam, &c.) *Hisce distinguitur ab asthmate.*

d Sputum adest sanguinolentum.) *Respice* medicatione de pleuritide.

e Genæ rubent.) *Vide* Riv. cent. 1. obs. 96. *Quod vero hic genarum rubor, ab Auctoribus magis adscribatur peripneumoniæ, quam aliis magni momenti inflammationibus, id debili fundamento nititur.*

a Afficitur in hac ægra *pulmo*, quod ex magnâ illa respirandi difficultate, & sputo sanguinolento, nec non ex genarum rubore; *item pectoris in dextrâ parte musculi*, quod ex dolore ejus, ad mammillam & humerum dextrum sese extendente, & decubitum in eo latere *b* non ferente; denique etiam *cor*, quod ex febri acuta, est manifestum.

a Afficitur pulmo, quod ex, &c.) *Peripneumoniâ à pleuritide distinguitur, quatenus in peripneumoniâ dolor minor, & potius gravativus est, quàm in pleuritide, ubi dolor major, & punctorius est, nam pleura plures magisque tensos habet nervos quam pulmo.*

b Non ferente.) *Hoc significat, partem pulmonis dextram præcipue affectam esse.*

Mor-

Morbus, quo hæc ægra affligitur, est inflammatio *a* interioris substantiæ pulmonum; quæ difficillimam respirationem, pectorisque dolorem, & febrem acutam, sanguinisque sputum inducens, *Peripneumonia* vulgò appellari solet.

a Interioris substantiæ.) *Quidni exterior?*

a Causa procatarctica hujus morbi est victus lautus, quo hæc fœmina, in adolescentia usa, *b* copiosum sanguinem in toto corpore produxit; qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus in pulmonum substantiam & pectoris musculos, & mammillam dextram, propter eorum laxitatem nimiam, sese copiosè effundens, caloremque præter naturam ibi concipiens, partesque illas vehementer distendens, *continens* hujus morbi & ejus symptomatum est *causa*.

a Causa procatarctica.) *Vid.* Hipp. Sect. 5. Aph. 24. *Aliquandò peripneumonia est epidemica, vid.* Schenk. lib. 6. obs. 2. 3. *à suppressis evacuationibus consuetis, vid.* Pison. de cogn. & cur. morb. lib. 2. cap. 8. *Ex deglutita fibula aviculæ majoris vid.* Salmuth. cent. 1. obs. 85. *à cantharidibus contra dolorem dentium applicitis, lethalem peripneumoniam vid. eundem* obs. 42. *Ex angina vid.* Hipp. Sect. v. Aph. 10.

b Copiosum.) *Nempe crassum acrem.*

Humores enim illi sanguinei, in pulmonum substantiam, & pectoris musculos, mammillamque dextram effusi, ibique corrupti, & hinc vehementius incalescentes, arctant bronchia pulmonum, respirationisque *a* vehementioris necessitatem inducunt, partesque illas gravant: *atque hinc cum substantiæ interioris pulmonum inflammatione, oritur anhelitûs difficultas, quæ magnitudine sua suffocationis periculum fere inducit*. Atque hinc etiam *dolor gravis pectus occupat*, b *qui ad mammillam & dextrum humerum se extendit.*

a Vehementioris.) *Dic crebrioris, sed minus profundi, ob metum exacerbandi doloris.*

b Qui ad mammillam.) *Sic quidem differt ab asthmate, sed aliquando eatenùs practicus facile falli potest.*

Et quia pars effusi istius sanguinis per tunicas bronchiorum pulmonum in bronchia, se effundit, hinc per exspirationem attollitur ille in os, *spuendoque sanguis ab ægra rejicitur*.

Et quoniam, ex peculiari illa sanguinis in pulmonibus effervescentia, sanguis ita in hoc affectu *a* adaptari solet, ut ille copiosus in genas propelli soleat, *genæ in ægra nostra plus solito rubent.*

a Adaptari.) *Dicatur potius sanguinem propter febrem acutam capillaribus vasis magis insinuari, & diutius morari.*

Et quoniam, à decubitu dextro *a* partes pulmonum & pectoris dextræ affectæ, ab incumbentibus ex illo situ partibus; magis premuntur, quam ab alio decubitu, hinc *dextro lateri difficilius incumbit* ægra.

a Partes pectoris dextræ.) *Vid.* Riv. cent. 1. obs. 79.

Et quia pars fervidi istius sanguinis, à pulmonibus in ramos arteriæ venosæ perpetuò se insinuans, ad cordis ventriculum sinistrum perpetuò defertur, ibique

nimiam malignamque effervescentiam efficit, hinc fit, ut *a febris acuta hunc morbum comitetur*.

Cum hic morbus sit inflammatio partis cordi adeo vicinæ, tantamque respirandi difficultatem, febrimque acutam inducat; morbus hic *b* maxime *periculosus* est censendus.

a Febris acuta.) *Hic ut in aliis inflammationibus, oritur ab particulis salinis & acidis copiosioribus, ad vehementem motum perductis ab æthere poros earum partisque inflammatæ vehementissimè, & velocissimè perruente.*

b Maxime periculosus.) *Vid.* Hipp. lib. 2. de morbis Sect. 11. Ap. 49. & seq. Sect. 6. Aph. 16. Sect. 7. Aph. 11. & 12. Celsus lib. 4. cap. 7: *non malè dixit, quod id genus morbi plus habeat periculi quam doloris: suppuratio sæpe sequitur, die 20. aut 40.*

a Curatio ejus consistet in causarum, & intemperiei, ac tumoris ablatione.

a Curatio.) Riverius *rectè monet, eandem hic atque in pleuritide esse curationem.*

Vena itaque mox aperiatur, sanguisque educatur ex dextro brachio satis liberaliter: ita tamen ut vires constent, eæque ad *a* expectorationem sufficiant.

a Expectorationem.) *Ad hanc anxiè est attendendum.*

Ad sitim utatur subinde *a* tali Julapio:

℞. *Syr. de limonibus* ℥iß.
Violacei ℥vj.
Aq. horder lib. j. olei vitrioli q. s. ad grat. acor.
Misce F. Julap.

a Tali Julapio.) *Præstat ptisana, ex hordeo mundato, limat. C. C. rad. scorzon., passulis minor. siliquis dulc. & succo citri: Vel os sæpius eluatur aquâ communi, cui additum fuerit sal prunellæ.*

Postridie *a* utatur tali purgante:

℞. *Syr. ros. sol. cum fol. senæ* ℥ij.
spec. diaturbit. ℈ij. *cremor. tartari* ℥ß.
Aq. hord. q. s. F. Haustus brevis.

a Utatur tali purgante.) *Purgatio vitetur in omnibus morbis acutis, laxans autem dari potest ex manna Calabr. tamarind. prun. damasc., uvis corinth. &c. In cerevisia dulci coctis: vel alvus eluatur clystere.*

Si dolor non levetur, reiteretur venæ-sectio in eodem latere.
Interim inungatur latus & mammilla dolens *a* tali linimento:

℞. *Ol. amygdalar. dulc. anethini an. drach.* vj.
Unguenti resumptivi ℥j.
Misce, pro linimento.

a Tali linimento.) *Posteà imponatur empl. de sperm. ceti & camphora.*

Ad

Ad expectorationem sputi facilitandam, utatur tali *a* linctu:

℞. *Syr. violacei, de liquiritia,*
capill. veneris an. ℥j.
Sacchari candi ℥j. Misce.

a Linctu.) *Linctus potest esse idem, qui in pleuritide, sic etiam diæta.*

Ad leniendum succus liquiritiæ in ore detineatur. Sudores hic præcipuam curam præstant ex Mitridat. vel Theriac. recenti, ut post sudores vi suâ narcoticâ dolores leniant, & sanguinis motus imminuant. Sales hic non sunt adhibendi acriores: Antimonium diaphoreticum & bezoard. min. hic etiam prosunt, cum croco, caphura, sale prun. & sperm. ceti.

℞. Mithrid. rec. drach. j. *aut* ℈iv.
Bezoar. Mineral. ℈j.
Sal. prunel. gr. xv.
Croc. gr. vj.
Laud. Opiat. gr. j.
Camph. gr. iv. *vel* v.
Syr. de Papav. drach. iij.
Aq. Card. bened. unc. iij.
Olei Sulphur. p. c. gut. vj.
M. f. Haustus.

Intermediis temporibus.

℞. Lapid. Prunel. scrup. j.
Camphor. gr. ij.
M. f. Pulvis *pro siti.*

Diæta hic servanda, qualis in pleuritide fuit præscripta.

X.

MEDICATIO JUVENIS,
a EMPYEMATE LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum, post vulnus, in pectoris cavitatem penetrans, consolidatum, jam ab aliquot mensibus ad summam maciem redactus, pus quotidie exspuit; magnumque dolorem in illo pectoris latere, ubi vulnus fuit inflictum, sentit. *b* Tumor etiam, quatuor digitis à vulneris cicatrice distans ibidem inter costas observatur, liquorisque alicujus *c* fluctuatio ibi digitis percipitur. Vigiliæ ipsum magnopere affligunt. *d* Febris adest, quæ hecticam refert. Nisi in lecto erectus sedeat, præ respirandi difficultate suffocari metuit.

a Empyemate.) *Tres proxime præcedentes medicationes fuerunt quidem præparatoriæ ad empyema, sed tamen hic illud est peculiare, quòd vulnus fuerit in pectus susceptum.*

b Tumor.) *Hic significat vulnus intempestive fuisse consolidatum, id est, antequam sanguis vel etiam pus omne thorace contentum, accurate fuerit eductum & ulcus detersum.*

c Fluctuatio.) *Hæc etiam percipitur in hydrope thoracis, sed aliæ in historia memoratæ circumstantiæ distinguunt satis empyema ab hydrope.*

d Febris adest.) *Vid. medicat. de phthisi vera.*

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, quod ex ejus summa macie: item *pulmo*, quod ex puris sputo, & respirandi difficultate; nec non *pleura & musculi* a *intercostales*, quod ex dolore lateris, ejusque tumore: præterea etiam *cerebrum*, quod ex vigiliis: ad hæc quoque *cor*, quod ex febri est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est cavitatis thoracis, à pure, in ea collecto, nimia angustatio; quæ à puris illa collectione, angustiam cavitatis thoracis faciente, *Empyema* vulgò appellatur.

a Intercostales.) *Sine dubio etiã diaphragma, utpote cui pus copiosum incumbit.*

a Causa prima hujus morbi fuit, vulneris, in pectoris cavitatem usque penetrantis, inflictio; vulneris verò consolidatio, ante justam sanguinis è pectore evacuationem, & vasorum vel pororum, sanguinem in cavitatem thoracis emittentium, justam conglutinationem facta, pro *secunda ejus causa*, est habenda; sanguis autem post intempestivam vulneris consolidationem in pectore retentus, & per vasa pectoris læsa in cavitatem ejus descendens, eamque replens; ibique in *b* pus conversus, partesque vicinas vitians, *tertiam & continentem*, proximamque hujus morbi, ejusque symptomatum, constituit causam.

a Causa prima.) *A parotidibus neglectis, juveni cuidam empyema lethale contigisse, testantur* misc. cur. an. iij. obs. 5. *Ex suppressione mensium*, Montan. consil. 177. *confer* Hip. S. v. Aph. 9.

b Pus.) *Hoc maximam partem gignitur à lympha chylosa, propter ruptionem, & erosionem glandularum vasculorumque lymphaticorum extravasatâ.*

A copiâ enim ipsius sanguinis, in pus conversi, in cavitate thoracis collectione, facta fuit magna cavitatis thoracis angustia, *a* justam pulmonum expansionem impediens; *respirationemque tam difficilem inducens, ut jam æger, nisi erectus sedeat, suffocari*, à magnâ copiâ puris, (jacentes pulmones magis, dum illud sursum attollitur, quam eos ex aspera arteria, in recto corporis situ, *b* pus deorsum pellente, recta sive perpendiculariter dependentes, prementis & gravantis,) *metuat*.

a Justam pulmonum expansionem.) *Adde etiam, reciprocationem motus contractorii musculorum diaphragmatis, pectoralium & intercostalium.*

b Pus.) *Hoc maximam partem gignitur à lympha chylosa, propter ruptionem & erosionem glandularum vasculorumque lymphaticorum extravasata.*

Quia autem jam, ab aliquot mensibus, pus illud pulmonum sanguinisque, per eos perpetuò transeuntis, *a* temperiem vitiavit, eumque ad corpus nutriendum ineptum reddidit, & pulmonum poros, imo ipsa eorum bronchia, ingressum est, ac *b* cordis ventriculis sese insinuavit, *c* temperiemque malignam ipsius parenchymati impressit, ac membranam pleuram & musculos intercostales suâ acrimoniâ pungit, & jam ab aliquo tempore corrosit, hinc, *summa ægri macies, cum hectica febri & magnis vigiliis conjuncta; dolorque in pectoris latere molestus; item puris sputum; tumor etiam inter costas, circa vulneris cicatricem, cum liquoris fluctuatione perceptibilis*, *originem duxerunt.*

a Temperiem vitiavit.) *Dic potius materiam purulentam universi sanguini esse permixtam.*

b Cordis.) *Nempe à sale corrosivo puris, sanguini permixto, fibrillæ cordis vellicantur.*

c Temperiemque malignam.) *Temperies illa maligna (quæ potiori jure dicitur intemperies) consistit in sanguine acri & purulento.*

Morbus hic *a periculosissimus* est, propter febrim, hecticam referentem,

puris sputum, & summam maciem, quæ summam pulmonum & cordis arguunt corruptelam. Quia tamen experientia docet, nonnullos, ita affectos, fuisse sanatos, ideoque *Curationem* etiam tentandam censeo.

a Periculosissimus.) *Vid.* Hippocr. Sect. 5. Aph. 15. Sect. 7. Aph. 15. & 44. Tulpius lib 2. cap. vj. *refert exemplum puris à thorace tandem per umbilicum salutariter in sponsa pleuritica rejecti: aliquando pus sibi vias sternit inter musculos dorsales, & hiatibus fistulosis ibidem excernitur: Empyema scabie solutum, vid. in* misc. cur. dec. 1. ann. 2. obs. 146. *Per urinas, vid.* Hipp. lib. 1. epid. Sect. 2. text. 84. & 85.

Eaque a in puris evacuatione, per apertum thoracem faciendâ; ulceris mundatione, & consolidatione, & intemperiei pulmonum, per contraria correctione, consistet.

a In puris evacuatione.) *Aut si illud nondùm fuerit rite coctum (ut loquuntur Chirurgi) consistet etiam curatio in ejusdem maturatione, quò facit cataplasma tale:*

℞. Rad. Althææ ℥ij.
Ficuum ping. Num. x.
Passul. mund. ℥j.

Contusa & cocta trajiciantur per cribrum, postea add.

Far. sem. lini,
fœni gr.
lupin. an. ℥j.
fœc. vin. ℥jß.
cæpar. sub cin. tost. ℥ij.
croc. ℥j.
olei lilior. alb.
amygd.
therebinth. an. ℥j.
M. f. cataplasma.

Quam primum itaque *a* pectus, circa locum tumoris, scalpello aperiatur, *b* & pus ad quantitatem libræ vel sesquilibræ, pro ratione virium, & sequentibus diebus quotidie paulò minus, educatur, donec totum pus evacuatum fuerit. Partitis autem vicibus educendum pus, *c* ne conferta ejus evacuatio spiritus subitò effundat, & ita ægrum valde debilitet, vel enecet.

a Pectus scalpellô aperiatur.) *Ustione multos ab Ægyptiis cum admiratione fuisse sanatos, refert* Prosper Martianus lib. de med. Ægypt. *confer* Hipp. lib. 3. de morb. Sect. 27. & 28. *Sed hanc methodum rejicit* Fienus lib. de art. chir. præcip. controv. *infelicem quoque successum narrat* Tulp. lib. 2. obs. cap. 4. *Præferunt ergò hodierni Chirurgi incisionem ope cultri acuminati, sed figuræ circularis, scindentis potiùs, quàm pungentis, locô priùs atramento notato, inter secundam & tertiam costam (numerando à parte inferiore) lateris sinistri, tertiam verò & quartam lateris dextri, spithamæ latitudine à medulla spinali: sique contigerit pus in utroque latere contineri, incisio successive, idest, subsequentibus alternatim diebus (habitâ ratione virium ægri) sive in dextro, sive sinistro erit instituenda: confer.* Corn. à Solingen manual. operat. part. 2. cap. 1.

b Et pus ad quantitatem, &c.) *Subitò nimis, sive simùl & semel si pus evacuaretur, pori & tubuli ab amurca crassiori angustarentur & obstruerentur: itaque lente per cannulam appropriatam plumbeam vel argenteam, alternis vicibus pus educatur.*

c Conferta ejus evacuatio.) *Vid.* Hipp. Sect. 6. Aph. 27.

Pure evacuato, & ulcere mundato, ejus consolidatio erit, more solito, procuranda; quæ ut felicius procedat, tali æger, ab aperto thorace, *a* utatur decocto

coсto vulnerario, *b* sanguinem purgante, ulcera detergente, & putredinem inhibente:

℞. *Herb. saniculæ, bugulæ,*
Scabiosæ, betonicæ,
Hyperici, card. bened.
Pilosellæ, pimpinellæ,
Vincæpervincæ, agrimoniæ,
Plantaginis an. m. j.
Flor. cord. p. j.
Coq. in hydromelite ad lib. j. ſ.
Et colentur pro Apozemate,
De quo sumat æger unc. vj. bis in die.

a Decocto vulnerario.) *Etiam conducunt injectiones decocti alicujus vulnerarii in ulcus ex rad. arist. rot. bistort. herb. scord., agrimon. flor. hyper. & addatur parùm tinct. myrrhæ, theriacæ vet. nec non mell. ros.*

b Sanguinem purgante.) *Id est, blandè attenuante, ulcusque mundificante; Nam purgationes ad hujus morbi curationem nihil contribuunt, ob febriculam continuam, quam augent; præstant temperata diuretica, quia cum copiosâ urinâ multum salis excernitur. Balnea ex aquâ dulci conveniunt, quatenus particulæ aqueæ sese per poros corporis insinuando particulas acres involvunt.*

Summa curationis consistit in decocto, quô per tres aut quatuor dies usurpato, leni laxante æger utatur, si alvus non respondeat. Interdiu conveniunt gelatina Corn. cerv. hordeata, amylum, & pleraque mucilaginosa, quia consolidant ratione particularum suarum flexibilium, hamosarum & ramosarum, facile associabilium. In principio conducunt sulphurata, modò non nimis acria, aut majori dosi usurpata.

Ex hoc eodem decocto poterunt fieri injectiones, in cavum thoracis injiciendæ, ad puris evacuationem, & detersionem, & ulceris *a* consolidationem, promovendam.

a Consolidationem.) *Ubi eò usque deventum fuerit, addi possunt* rad. symphyti, *torment. bistort. &c.*

a *Victus ratio* sit siccans, attenuans, & abstergens. Ideoque cibi condiendi hyssopo, fœniculo: utiles amygdalæ dulces, pineæ, &c. *b* Abstineat æger à leguminibus. *Potus* conveniens est hydromel, præcipuè hyssopo conditum, item aqua hordei, vel cerevisia *c* saccharata. Vinum oligophorum etiam concedi potest; nisi febris sit magna.

a Victus.) *Idem sit qui in phthisi. In diæta convenit oryza, cremor hordei, lac asininum, caprillum saccharatum & sim.*

b Abstineat à leguminibus.) *Flatulenta enim sunt, id est nimis crassa & viscosa, ventriculum & intestina onerantia.*

c Saccharata.) *Potius mellita.*

XI. ME-

XI.

MEDICATIO VIRI, *a* EPHEMERA FEBRI LABORANTIS.

VIr quadraginta annorum, cùm autumnali tempore in aëre ventoso, frigido, horrido, versatus esset, *b* frigore, totius corporis musculos & cutim invadente, correptus est; quem, cum ad ignem luculentum esset calefactus, insecutus est *c* pulsus paulò velocior, & justò major *d* æqualis tamen, citra ullam sitim; quatuor horis post, æger mitius se habere cœpit, & quodam quasi *e* madore perfusus est. Tota deinde nocte bene dormivit, & nonnihil sudavit. Mane omni alteratione febrili se quidem liberatum, sed tamen valdè debilitatum, sensit.

a Ephemera.) *Rarissimè ad hanc febrem curandam accersiri solet Practicus, cùm ordinariè levis sit, vel & si paulò gravior, viginti quatuor ad summum horis prorsùs cessat.*

b Frigore.) *Ex hac observatione vel sola, eos oportebat sententiam mutare, qui febris naturam s. essentiam vel in calore præter naturam in corde accenso & per venas diffuso, vel circulatione sanguinis frequentiori, consistere statuunt.*

c Pulsus paulo velocior.) *Hunc Practici plurimi assumunt, ut febris cujusvis signum essentiale sive pathognomonicum (vid.* Paul. Barbette Prax. cum not. Fred. Deckers C. de febr.) *sed me herculè omnes quàm maximè falluntur, siquidem & in principio febrium intermittentium, & algidarum, nec non aliis in casibus pulsus non solùm non sit solitò magis concitatus, sed languidus, tardus & debilis: ex seqq. etiam constabit, nullum certum febris ex pulsu solo desumi posse signum: licet enim concederetur, quòd ubicunque pulsus præter naturam est celer, ibi adsit febris, attamen non sequeretur, quòd in omni febre pulsus esset solitò celerior.*

d Æqualis tamen.) *Talem ordinariè statuunt Practici in febribus benignis, sed & hic fallacia latet magna.*

e Madore.) *Sic solent, quotquot sunt, intermittentes cum sudore aliquo vel madore, ordinariè terminari.*

Affectum fuit in hoc ægro *totum corpus*, quod ex frigore & calore insequente, & totum corpus occupante: item *a cor*, quod ex pulsu justo majore & celeriore est manifestum.

a Cor.) *Hoc dicit ex fundamento Veterum, qui febrem dicebant esse morbum cordis, verùm non nisi per consequentiam, ut aliæ corporis partes, cor in febre affici, constabit ex causis.*

Morbus, quem passus est, fuit *a* intemperies quædam prava massæ sanguinis, quæ, secundum partes spirituosas, *b* malignam, & justo fervidiorem incalescentiam, post totius corporis refrigerationem, concipiens, & per unum tantùm diem durans, & deinde desinens, *febris Ephemera* appellari solet.

a In-

a Intemperies prava.) *Obscura est hæc locutio: deberet Auctor determinare, in quo consistat illa pravitas.*

b Malignam.) *Atqui Veteres nullam hìc latere putredinem (per conseq. malignitatem) censuerunt.*

Causa procatarctica hujus morbi fuit *a* aër frigidus, ventosus, & horridus, in quo noster æger, autumnali tempore versatus, incurrit pororum totius corporis constrictionem; qua *b* transpiratio solita impedita, & fuligines excernendæ in corpore retentæ, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Spirituosiores verò sanguinis partes inde malignam, & primò minorem, ac deinde justo vehementiorem, & celeriorem in corde effervescentiam contrahentes, ac per totum corpus deinde cum reliquo sanguine diffusæ, *continentem* hujus morbi constituerunt causam.

a Aër frigidus.) *Ephemeram quoque producere valet æstus solis, cibus & potus copiosus, præsertim inconsuetus, vigilia diuturna, odontalgia, cephalalgia, alvus adstricta, nec non quævis vehementior animi passio.*

b Transpiratio impedita.) *Ita loqui solent Auctores ferè omnes, sed si transpiratio insensibilis impedita, per se produceret febrim, tunc omnes homines hyeme, deberent febricitare.*

Inde enim, cùm *a* partes illæ fuliginosæ cum reliquo sanguine nondum satis bene essent mixtæ, ortum fuit primò *b* *frigus musculos totius corporis invadens*. Fuliginibus verò illis exquisitiùs cum reliquo sanguine mixtis, orta fuit vehementior, & celerior sanguinis in corde *c* effervescentia; atque hinc *pulsus evasit vehementior, & celerior*: ac ob æquales sanguinis cor ingredientis partes, *d* æqualemque & ordinatum spirituum in cordis fibras influxum, etiam *æqualis ac ordinatus*. Calor autem ille, quia non tantus erat, ut fauces & œsophagum posset exsiccare, hinc *nulla ægrum torsit sitis*. Post horas 4. quia magna pars fervidiorum spirituum fuit dissipata, & cum humoribus nonnullis in cutim propulsa, hinc *æger* tunc *mitiùs habere cœpit*, & e *madore quodam levi fuit perfusus*, & *sequente nocte dormivit*. Et quia inter dormiendum reliqua materia morbifica in sudores fuit conversa, & cum multis utilibus spiritibus fuit discussa, hinc *æger omni febri manè quidem fuit liberatus, verum magnopere se debilitatum sensit*.

a Partes illæ fuliginosæ.) *Falsum est, quòd particulæ sanguinis per insensibilem transpirationem in statu sano avolantes, sint fuliginosæ, inutiles aut nocivæ; sunt enim ex adverso nobilissimæ & subtilissimæ, quæ, si absque suffocatione secretionum reliquarum retineri possent, eam præstarent corpori animalis utilitatem, quòd alimento non adeò indigeret.*

b Frigus.) *Ergò affectio hæc malè dicitur Latinis febris, à fervore, aut* πυρετὸς *Græcis, ab igne: meliorem autem eatenus denominationem faciunt Germani, Sueci, Dani & Belgæ: sed quòd febris natura consistat nec in calore; nec in frigore, patet ex eo, quòd alias semper, ubi corpus incalesceret, aut frigesceret, semper adesset febris, quod est absurdum.*

c Effervescentia.) *Non adeò est effervescentia, quàm solito major & inæqualis particularum sanguinis crassioris motus, dùm æther sibi liberam per poros earum sibi quærit viam: hac etiam occasione musculi cordis celerius nonnihil contrahuntur, quatenùs spiritus animales celerius solito ob allatam causam versùs eos influunt; sed tamen hinc non sequitur contractionem illam æquè vegetam esse ac in statu sano, dùm æqualiter procedunt humorum*

omnium

omnium secretiones, adeòque non esse circulationem sanguinis hoc in casu adauctam, quin potiùs cœtera febrium symptomata, sanguinis & humorum circulationem imminutam esse abundè demonstrant: hæc autem plenius patebunt ex medicationibus sequentibus.

d Æqualemque, &c.) *Videtur quidem esse ad manum tangentis æqualis, sed proprie loquendo, nunquam est in ulla febre æqualis; verùm major duntaxat inæqualitatis motus gradus à crassa manu sentiri potest.*

e Madore quodam.) *Sic ordinariè febres terminantur intermittentes, dùm lucta illâ particularum majore, serum sive lympha, majori solito copia ad glandulas cutis propellitur.*

Debilitas, à febri in ægro nostro reliqua, *a* *metum* facit recidivæ; vel ne in tertianam, vel quartanam mutetur.

a Metum.) *Ergo totum molimen curationis spectat ad præservationem, & aversionem novi paroxysmi.*

a Ideoque *curandum*, *b* ut reliquiæ, si quæ materiæ morbificæ supersunt, evacuentur, & vires instaurentur.

a Ideoque curandum.) *Ad curandam ephemeram rarissimè advocantur Medici, sed opus totum relinquitur mulierculis, propinantibus blandum aliquod sudoriferum ex croco, theriacâ, rad. aristol. cav., bacc. laur. &c. cum vino calido saccharato, & aromatizato.*

b Ut reliquiæ.) *Auctor nihil addidit de lingua, appetitu, urina, nec de alvo sive adstricta, sive lubrica, ex quibus tamen melius dignosci posset, an aliqua præservatione esset opus.*

a Mox itaque purgetur æger tali purgante medicamento, jejuno ventriculo exhibito:

℞. *Elect. diapruni* ℥j. *dissol. in aq. card. bened. q. s.*
M. F. Haustus.

a Mox itaque purgetur.) *Rectè; ad evacuandam scilicet primarum viarum impuritatem.*

℞. Extract. Cathol. scrup. j.
Diagrid. gr. iij. *aut* iv.
M. f. Pill.

Vel, accipe

Resin. Agarici gr. xvj.
Trochisc. Alhand. gr. iij.
Misce.

Aliàs purgationes propriè ad febres non spectant: nam mixtio sanguinis perturbata non restituitur purgantibus, sed diaphoreticis.

a Vesperi, post purgationem factam, *b* excitetur sudor tali sudorifero calidè sumendo, & corpus benè tegendo:

℞. c *Extract. card. ben.* ℥j. d *lapid. bezoar.* gr. iiij.
Aqu. card. bened. ℥iiij.
Misce. F. Haustus.

a Vesperi post purgationem.) *Eodem die id facere in ægro jam afflicto à febre & purgatione (quæ fortè nondùm cessat) consultum non est, quia purgantia & sudorifera inter se pugnant.*

b Excitetur sudor.) *In omni febre intermittente medicamenta paulò ante paroxysmum assumenda sunt, ut sanguinem alterent, ante quam humor peccans ad sanguinem pervenerit; aliàs enim jam ex corpore abierunt, antequam materia febrilis ad sanguinem pervenerit.*

c Extract. card. bened.) ℞. Extract. card. bened. ℥ß. *aut* ℈ij. Bezoard. miner. gr. xij. Croci gr. vj. *aut* viij. Spiritus salis ammoniac. gutt. viij. Syr. card. bened. ℥ij. *M. f. Haustus.*

d Gr. iv. lap. bezoard.) *Hæc dosis parùm efficiet: substituatur potiùs C. C. philos. præparat. ad* ℥ß. *& gratiæ ergò addatur syr. de card. ben.* ℥ß.

In casu acido aliquoties usurpetur pulvis ex ocul. canc. præparat. sale prunel. & absinth. cum croco.

Sed quia ex primo paroxysmo parum sciri potest, qua hora secundus paroxysmus sit rediturus, vix poterit antefebrile debito temporis intervallo ante paroxysmum exhiberi, atque tunc mixturæ antefebrili *locus est, qualis in febri continua præscribitur.*

Dum his utitur, subindè sumat quantitatem castaneæ majoris, de hoc condito:

℞. *Conserv. ros.* ℥iß. *rob. de rib.* ℥ß.
Spec. diarhod. abbat. ℥j. *diamargar. frig.* ℥ß.
Cum syr. de limon. q. s. *a* F. Conditum.

a F. conditum.) *Si sitiat æger (uti sæpe fit post sudores paroxysmi) subinde capiat lap. prunellæ* ℈j. *aut* ℥ß. *cum cerevisiæ pauxillo; etiam in potu capiat interdum spiritus nitri gutt.* v. *aut* vj.

In *victus ratione aër* sit temperatus. *a Cibus* euchymus, & eupeptus. *Potus* cerevisia, & vinum tenue. *Motus* moderatus, ut & *somnus*.

a Cibus.) *Vitetur usus nimius salis & aromatum: acidiuscula multum aliquandò præstant, ut succ. citri & aurant. acetosa, tamarindi, cremor & cryst. tartari.*

XII.

MEDICATIO JUVENIS, *a* SYNOCHA FEBRI LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum, temperamento sanguineus, sanguinem è naribus mittere solitus, sed jam à biennio nullam narium hæmorrhagiam patiens, sæpe etiam vino rubro utens, postquam pedestri itinere vehementius esset fatigatus, calore totius corporis præternaturali & *b* acriori correptus fuit, magnopereque sitire cœpit, cum pulsu magno, celeri, frequenti, inæquali, & *c* inordinato. Caput ipsi etiam valde dolet, ac tempora ipsi vehementius pulsant; in iisque venæ, ut & in oculis, *d* valde sunt conspicuæ ac rubræ. *e* Dulcedinem in ore percipit. *f* Urina est tenuis & rubra. Adsunt vigiliæ, & corporis varia jactatio, *g* & gravitas. Hæc symptomata jam per biduum fere *h* æqualiter sese habent.

a Syno-

a Synocha.) Συνόχοι, *sive continentes, illas vulgo vocant febres, quæ sine ulla exacerbatione perdurant usque ad ultmam & integram sui cessationem: Συνεχῆς verò, s. continuas, generali nomine, illas significant febres, quæ, licet ad finem usque continuò perseverent, quotidie tamen, aut tertio vel quarto quovis die aliquam patiuntur exacerbationem, quales sunt quotidianæ, tertianæ, & quartanæ continuæ. Verùm illæ differentiæ nobis videntur superfluæ, primò quia variæ sunt febres; quæ absque exacerbatione magna, aut valdè sensibili usque ad ultimam cessationem perdurant, & tamen non dicuntur synochæ; secundò quoniam vox συνοχὴ, significat etiam angorem, & coarctationem s. constrictionem, quæ major est in una febre, quàm in alia; tertiò, siquidem vox συνεχῆς, sit generalis, continuam febrem significans omnem; quartò, quoniam nulla febris continua (propriè loquendo) datur, quæ non aliquam sui exacerbationem habet majorem, aut minorem. Facilius multò & clarius febres dividuntur in continuas secundùm varios gradus remittentes, & intermittentes: continuæ rursùs dici possunt vel acutæ, secundùm varios gradus, vel lentæ & chronicæ, intermittẽtes vel sunt simplices, vel compositæ, vel periodicæ, vel erraticæ: aliæ autem species febrium referri possunt, ad varios, quos comitantur, morbos, nec non ad epidemiam & endemiam: quæ enim ab Auctoribus blaterantur de epyala, assode, elode, acmastica, peracmastica, &c. sunt nullius planè in Praxi momenti. De divisione febrium in putridas & non putridas, hoc addimus, quòd spectet saltim ad majores vel minores turbationis mixturæ sanguinis gradus, nam omnis putredo præsupponit particularum integrantium valdè magnam ab invicem secessionem.*

b Acriori.) *Signum hoc est copiosi salis acris & fixi.*

c Inordinato.) *Inæqualis & inordinatus, nobis sunt synonyma, & licet semper adsit in omni febre, tamen in continuis acutis magis observatur, ut & in principio febrium intermittentium.*

d Valdè sunt conspicuæ.) *Hæc omnia notant sanguinem intra vascula tardius propelli.*

e Dulcedinem.) *Significat hæc magnam in sanguine & humoribus factam esse mutationem, adeoque facit ad prognosin. Confer* misc. cur. dec.ij. ann.3. obs.91. & ann.3. ob.237.

f Urina tenuis.) *Hæc etiam facit ad prognosin, ut & ad causæ dignotionem.*

g Et gravitas.) *Hæc semper malum ominatur, & satis indicat, non esse hìc sanguinis circulationem adauctam.*

h Æqualiter.) *Sic diceretur secundùm Auctores homotona. Vid. seqq.*

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, quod ex calore præternaturali & acriore, ac gravitate totum corpus occupante, & ex corporis jactatione, item *a œsophagus*, quod ex siti: nec non *cor*, quod ex pulsus illis vitiis: ac etiam *caput*, tempora, & oculi, quod ex eorum dolore, pulsatione, vigiliis & venarum rubore, & tumore, est manifestum.

a Œsophagus.) *Est impropria locutio; afficiuntur partes faucium & oris glandulosæ & papillares.*

Morbus, qui eum affligit, est *a* intemperies quædam massæ sanguinis, & viscerum sanguinea & *b* malignior, quæ perpetuâ nimiæ incalescentiæ æquabilitate ægrum nostrum torquens, *febris Synocha homotonos* vulgo dicitur. Eaq; ex totius corporis calore præternaturali & acriori, siti, pulsu magno, celeri, & inæquali, ac inordinato, corporis gravitate, vigiliis, reliquisque commemoratis

ratis symptomatibus, jam per biduum æqualiter durantibus, patet.

a Intemperies.) *Hæc esse potest sine febre, nam licet plures unius generis particulæ in sanguine abundaverint, possunt tamen cœteris esse ritè satis permixtæ.*

b Malignior.) *Cum febris ordinariis, & efficacibus antefebrilibus non auscultat, tunc ab Auctoribus dicitur maligna; quæ malignitas reverà in eo consistit, quod mala mixtio pertingat ad minores minoresque Sanguinis & humorum guttulas; qualis difficulter & utplurimùm nequaquam restitui potest.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi *b* est iter illud pedestre, ab ægro nostro factum, quo *c* humores illi sanguinei, in corpore nostri ægri ex ætate juvenili, temperamento sanguineo, *d* vini rubri copioso usu, & hæmorrhagiæ solitæ suppressione, nimia quantitate geniti, (qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam,) nimis magnam & malignam effervescentiam in corde & reliquo corpore contraxerunt, *e* & ita *continentem* hujus morbi & symptomatum constituerunt causam.

a Causa procatarctica.) *Subitanea corporis mutatio à calore ad frigus, synocham sæpè parit, & quidem simul pleuritidem, anginam, &c.*

b Est iter illud pedestre.) *Vehementiora exercitia, & multi vini potus inter causas externas hic merito recensentur, quatenus sanguinem in principio multum movendo, efficiunt, ut crassiores & acriores humores insinuentur, tubulis canaliculisque angustioribus, ex quibus cum posteà reverti nequeant, pariunt febris synochæ causam proximam.*

c Humores illi sanguinei.) *Potius salsi & valde acres.*

d Vini rubri usu.) *Non quidem inde plus sanguinis gignitur quàm ex albo, sed dùm coagulando, narium hæmorrhagiam sustulit, poros tubulosque partium totius corporis constrixit, inde major fuit nata occasio obstructionis à particulis acribus, in tota massa sanguinea abundantibus, quæ unius pluriumve partium inflammationem efficiendo, synocham, omnesque febres continuas acutas (quæ nonnisi gradu differunt à synocha) gignunt.*

e Continentem causam.) *Siquidem in omnibus febribus, turbatam esse (secundum varios gradus) sanguinis humorumque mixturam, ex cujus naturâ omnia symptomata facillimè & evidentissime explicantur, statuamus, nonnulla saltim (non enim ex professo hanc materiam prolixè pertractandam hìc loci assumere volumus) Lectori benevolo ad faciliorem materiæ perceptionem proponemus:* primò *nempe postulatur, quod nullum fluidum, quantumvis supponatur homogeneum, in rerum natura detur, quin constet congerie particularum minimarum (ratione magnitudinis & figuræ) diversarum, divisarum, & circa centrum celeriter motarum, ut pressioni alterius corporis, non minus secundùm unam, quàm aliam cedere possit plagam:* secundò, *quòd quò magis heterogeneum sit fluidum, ex particulis crassioribus, figuræ hamosæ, ramosæ & irregularis conflatum, eò facilius mixturæ turbationem admittat:* tertiò, *quòd, ubi contraria aliqua (sed satis efficax) determinatio motus in quasvis particulas fluidum aliquod componentes, introducitur, unio consueta quarumvis particularum continuari nequeat:* quartò, *quòd nullum fluidum, sine amissione suæ naturæ, intra aliquod vas, quantumvis conclusum, uniformiter undique compressum & immotum, amittere poterit particularum integrantium minimarum motum circa centrum; tantò minus intra vasa inæqualiter pressa & mota quemadmodùm in corpore animalis;*

lis: quintò, *nullum dari vacuum in rerum natura, adeòque omnium corporum poros, materiâ quadam determinatâ valdè subtili, mobili & fluidâ repleri:* sextò, *corpus humanum constare ex multis partibus fluidis valdè heterogeneis, nec non ex stabilibus, tubulosis atque porosis, sive ex canalibus diametri & figuræ diversæ (diversimodè sibi continuis & contiguis) contextis; quarum illæ per harum canales in statu sano circumferuntur:* septimò, *quòd motus ille non undique, sive in omnem dimensionem canalium, sit pròrsùs æqualis in fluidis, ratione vehementiç, & celeritatis, sive consideretur ut intestinus, sive ut progressivus:* octavò, *quòd notabiliter mutato motu particularum fluidi intestinô, mutetur progressivus; adeòque succorum variorum secretio & distributio:* nonò, *quod augeri possit motus particularum intestinus, imminutô motu totius fluidi circulatoriô:* decimò, *quòd intra canales partium diversos, latere diu possit aliquis humor crassiusculus, citra notabilem mutationem præcipuarum corporis functionum, sed quòd in actum deduci possit à causis fortuitis externis & tunc demum noceat:* undecimò, *quòd corpora majora & constantiora ad motum semel perducta, diutius & constantius in motu perseverent, quàm minora, magisque flexibilia:* duodecimò, *secretiones & distributiones humorum supprimi non posse, sine motu circulatorio imminuto:* decimotertiò, *quòd continuante causa continuetur effectus, & viceversâ:* decimoquartò, *quòd ardor in febribus omnibus, non magis significet circulationem sanguinis humorumque uniformiter adauctam, quàm ardor partis alicujus singularis (à quacunque demùm causà) inflammatæ significat sanguinem, humoresque per canales partis affectæ uniformiter celerius circulari:* decimoquintò, *quòd pulsus cordis arteriarumque solito frequentior (quem tamen à celeri distinguimus) non magis notet prædictam circulationem uniformiter adauctam, quàm palpitatio, tremor, & spasmus cordis, aliorumve musculorum, sive intra animal, sive extra idem (jamjam interfecti) consideratorum.*

Quibus ita obiter (ad scopum nostrum) propositis, aliorum opiniones hìc non ultra ventilabimus, sed paucis, in hac medicatione Synochæ, dicemus, quænam sint (nostro judicio) febrium omnium continuarum (secundum varios terminos) acutarum dictarum, causæ: nempe erysipelas vel inflammatio (sive major, sive minor) partis alicujus aut visceris notabilis, magis vel minùs sensitivi, pluribus vel paucioribus majoribus vel minoribus vasis (præsertim arteriosis, nervosis, & venosis) instructi, oriunda præprimis à sanguine humoribusque acribus, pressioni ætheris minus cedentibus, adeòque tantum fibrillis partium sensitivarum inferentibus motum tremulum, ut mens percipiat ideam caloris vehementis; quâ actione cùm multas particulas sanguinis humorumque crassiores ad latera continuò depelli certum sit, (non enim magis rectilineo & celerrimo ætheris, aliarumque particularum subtiliorum intestino motui, obsequi valent, quàm particulæ cerevisiæ vel liquoris alterius intra dolium conclusi, motui fulguris, à quo turbetur) obscurum esse nequit attendenti, quomodo consuetarum secretionum & distributionum humorum ordo invertatur, ut exoriantur plurimorum aliorum canalium obstructiones, tanquam totidem causæ symptomatum omnium febribus prædictis essentialium; undè sequitur non unicum esse febris signum pathognomonicum, sed plura simul esse conferenda, ut, an febris adsit, nec ne, vel cujus naturæ existat, ritè decerni possit: Et hoc ex fundamento, unusquisque (modò sacris Medicis fuerit mediocriter imbutus) deducere poterit, cur febres tales sint secundùm varios terminos in diversis subjectis acutæ.

Inde

Inde enim œsophagus exsiccatus *sitim magnam* excitat; & ex humoribus illis in corde nimium effervescentibus & in varias partes translatis, *totum corpus valde incaluit*; & *a* ob eorum copiam, *venæ oculorum gravitate & tumore molestantur*. *Caput* vero & *tempora*, ob vehementiorem eorum motum, *excruciantur dolore*. *Pulsus justo major*, *celerior*, & *inæqualis*, *ac inordinatus*, ob nimis celerem & vehementiorem sanguinis rarefactionem, inæqualesque sanguinis partes, ac inæqualem & *b* inordinatum spirituum in cordis fibras influxum, observatur. Et *c* ob spiritus fervidos in cerebri ventriculos nimium & perpetuo exhalantes, *torquent nostrum ægrum perpetuæ vigiliæ*. Partesque seri sanguinei tenues *d* & rubicundæ, ad renes & vesicam delatæ, faciunt *urinam tenuem & rubicundam*.

a Ob eorum copiam.) *Dic potius ob eorum crassitiem & acrimoniam.*

b Inordinatum &c.) *Hic quoque nullô negocio deducitur, & ab acredine, & inæquali guttarum sanguinis mixtura.*

c Spiritus fervidos.) *Id est, multo sale onustos.*

d Et rubicundæ.) *Rubedinem hanc splendescentem dicunt ordinariè esse à bile; sed nulla bilis quà bilis cùm in sanguine detur, rubedo urinæ est à sale copioso: ita lixivia fortiora statim induunt rubedinem.*

Partes verò sanguinis dulces in ore separatæ, & eos perfundentes faciunt *in ægri ore a dulcedinis perceptionem*. Hæc *symptomata jam* b *per biduum æqualiter affligunt*, quia humores sanguinei, qui hic peccant, ejus sunt temperiei, ut nullas vehementiores effervescentiæ & defervescentiæ habeant vices. Denique *c corpus variè jactatur*; quia partes acres sanguinis, varias partes variè agitantes, illasque dolore afficientes non patiuntur corpus in eodem situ diu retineri.

a Dulcedinis.) *Hæc quidem significat salem nonnihil subtilem & oleosum: sed tamen indè nō sequitur salem alium in toto pectore peccantem ejusdem esse naturæ: exemplum salivæ saccharinæ, vid.* in misc.cur. ann.iij. obs.237.

b Per biduum.) *Hoc fortuitum est.*

c Variè jactatur.) *Quia spiritus animales per totum corpus discurrentes, sunt debito acriores.*

Morbus hic quia gravia inducit symptomata, satis est *a* periculosus, facileque maniam, vel phrenitidem, aliosque graviores morbos, posset inducere: quia tamen est in homine valido, & est ab humore blandiore, satis bona sanitatis effulget spes.

a Periculosus.) *Præcipue quia nullas dat inducias; vide* S.4. A.49. & 60. *singultus, convulsiones, diarrhæa, sunt signa mala, ut & aphthæ nigricantes.*

Curatio consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, intemperiei per contraria correctione.

a Mox itaque injiciatur, si æger alvum sponte non deposuerit, talis clyster:

℞. *Malv. bismalv. violar. an. m.* j.
Mercurial. lactuc. an. m. ß.
Flor. violarum p. ij. *Pruna acida.* Num. vij.
Sem. 4 frigid. maj. an. ℥j. *Decoq. in aq. hord. q. s. ad* ℔j.
In colat. dissolv. elect. diaprun. ℥iß. *ol. violac.* ℥ij.
Salis commun. ℥ß. M. F. Clyster.

a Mox

a Mox injiciatur clyster.) *Valdè benè: non enim hic conveniunt purgantia acriora interna: & ita quidem* Hippocr. lib. de purg. §.4. p. m. 608. *acutè ait, quòd* quicunque à febribus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oporteat, donec remiserit febris, hæc enim major fit: *si tamen maturè satis accersitus fuerit Medicus, nauseâ & vomitu ægrum vehementer vexantibus, liquidò accedat ad vomitorium, habitâ ratione, virium, ætatis, anni temporis, aliarumque circumstantiarum ratione.*

Post clysteris operationem *a* aperiatur vena in brachio dextro, sanguisque educatur ad ℔j. A venæ-sectione, liberalem haustum sumat de sequenti *b* ptisana frigida, & passim *c* ad sitim extinguendam de ea bibat:

℞. *Hord. mund. p. j. glycyrhizæ rasæ* ℥iij.
d *pruna acida*. Num. ix.
Coq. in aq. puræ ad ℔j. *& Colentur pro Ptisana.*

a Vena aperiatur.) *Nullam videmus rationem, quidni etiam venæ-sectionem instituere liceret, ante clysteris injectionem: nùm forsan vasa, vi quadam attractivâ fœces ex intestinis ad se allicerent? equidem nobis hoc commentum non placet.*

b Ptisana frigida.) *Hujus ingredientia non equidem repudiamus, sed modum adhibendi; præstaret decoctum scorzon. simplex & compositum.*

c Ad sitim extinguendam.) *Huc pertinet spiritus nitri dulc. ad gutt.* vj. viij. *in potu, vel pluribus vicibus sumatur* lap. prunell. gr. xv. *maximè tamen commendamus humectantia, habitâ ratione constitutionis ventriculi, ut salia acria diluantur, & per emunctoria corporis ejiciantur: aut saltim os sæpius eluatur jusculo insulso, ut facilior via sternatur, erupturis forte fortunâ aphthis.*

d Pruna acida.) *Loco prun. acid. possunt sumi*
Tamarindi, & fol. acetos. vel colat. add.
Lapid. prunell.
Julap. rosac.
Spiritus nitri q. s. *ad gratiam.*

Ad sitim *a* & febrilis caloris moderationem, sumat subinde *b* cerasa condita, rob. de ribes, lactucam conditam.

a Ad febrilis caloris moderationem.) *Huic scopo satisfacit mixtura aliqua temperata, diluens & reserans,*

℞. Aq. card. bened. ℥iv.
Rosar. ℥j.
Ther. simpl. ʒvj.
Confect. alkerm. *aut*
Hyacint. ℈iv. (*si nempe vires sint attritæ*)
Bezoard. mineralis ℈ij.
Tinct. croci ʒj.
Lap. prunell. ℈j. *aut* gr. xxv.
Sacch. saturni gr. viij. *aut* x.
Syr. de card. ben. ʒvj.
Spiritus nitri q. s. *ad gratam aciditatem.*
M. F. Mixtura.

Pro ditioribus usurpetur infusio lapidis porcini, dicti Pedra del Porco:

Vel ℞. Lapidis bezoar. orient. ℈j.
Croc. gr. vj.
Sal. prun. ℈ß.
M. F. Pulvis.

Talis etiam potest præparari pulvis.

℞. Bezoar. Miner. gr. x. *vel* xij.
Camphor. gr. iij.
Sal. Sat. gr. iv.
Croc. gr. v.
M. F. Pulvis.

b Cerasa condita &c.) *Futilia sunt & inutilia: præstarent folia sempervivi majoris; pelliculis suis denudata, in aqua ros. macerata, & frequenter linguæ imposita.*

a Quarto ab invasione die, purgetur hoc purgante, subinde reiterando.

℞. *Elect. diaprun. simp.* ℥x.
Dissolv. in aq. Decoct. hord. q. s.
Misce Fiat *b* Potio.

a Quarto.) *Cur sodes? an materia peccans tunc turgebit?*

b Potio.) *Si usurpanda sit, dividatur in duas doses; verùm præferimus usum repetitum clysterum, saltim ad declinationem notabilem febris usque.*

Utatur etiam subinde de sequenti *a* Julapio & condito:

℞. *Syr. acetos. simpl. de endivia an.* ℥iss.
De limo. lib. ℥j. *aq. hord. lib. j. s.*
Ol. vitriol. q. s. ad gratum acorem.
M. F. Julap.

℞. *Conserv. rad. bugloss.* ℥iss.
cichor. acetos.
Pulp. citriorum vel limonum an. ℥s.
Spec. diamarg. frigid. ℈iss.
Rob. de ribes ℥j.
M. F. Conditum.

a Julapio & condito.) *Utrumque jure meritô repudiamus.*

In *victus ratione Aër* sit *a* frigidus. *Cibus* sit tenuis & refrigerans & humectans, & paucus, ex jusculis refrigerantibus, & pomis, endivia, acetosa, lactuca, cerasis, prunis acidis, conditus. Si carnes vitulinas & pullorum gallinaceorum virium dejectio desideret, alterentur succo limonum, aurantiorum, ribesiorum. *Potus* sit cerevisia tenuis. *Somnus* concilietur lacte amygdalato vesperi dato, cui interdum ℥ij. vel iij. syr. de papav. addi possunt. *Alvus* respondeat naturâ, vel arte clysteribus injectis. *Curas* solicitudinesque fugiat. *b* Bonam habeat spem.

a Frigidus.) *Sit temperatus potius, vel ad calidum declinans, modò non nocivus graveolens.*

b Bonam habeat spem.) *Anile quidem consilium, sed tamen rationibus suis non destitutum.*

XIII.

MEDICATIO PUELLÆ,

FEBRI TERTIANA CONTINUA

LABORANTIS.

PUella annorum viginti, mala diætâ, eâque *a* calidiore, aliquamdiu usa, incidit post *b* rigorem, in magnum perpetuumque totius corporis *c* ardorem,

rem, alternis diebus ingravescentem, & cum *d* pulsu celeri, crebro & inæquali, ac ingenti siti & vigiliis conjunctum. Isque etiam per triduum continuò durat. Adest etiam *e* capitis dolor insignis, & *f* linguæ nigredo. *g* Vermes nonnullos excrevit.

a Calidiore.) *Calefacientia cùm sint ad certa subjecta relativa, Auctor determinare debebat, cujus essent peculiaria illa calefacientia naturæ.*

b Rigorem.) *Hic significat ordinarie semper febrem intermittentem, quæ quatenùs hoc in casu, tertiò quovis die (paroxysmi diem annumerando) revertitur, tertianam quidem indicat, sed non simplicem, cùm per dies multos duret continuò.*

c Ardorem.) *Hic indicat salem fixum & acrem, uti sæpius anteà inculcavimus.*

d Pulsu celeri &c.) *Celer, creber & inæqualis pulsus non cohærent, licet inæqualitas habere possit relationem ad utrumque.*

e Capitis dolor insignis.) *Solet hic comitari omnes ferè febres cujuscunque naturæ, sed una occasione magis quàm alia.*

f Linguæ nigredo.) *Si hæc fit citra causam manifestam, id est medicamentum vel alimentum aliquod assumptum nigricans, malam faciet prognosin.*

g Vermes.) *Hi non sunt de natura morbi.*

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, ut ex totius corporis ardore; *cor*, ut ex pulsu vitiato; *caput*, ut ex dolore; *lingua*, ut ex nigredine; *œsophagus*, ut ex siti; & *intestina*, ut ex vermibus excretis est manifestum.

Morbus, affligens hanc ægram, est intemperies quædam sanguinis biliosa malignior, quæ perpetuo *a* vehementerque effervescens, & alternis diebus ingravescens; pulsumque celerem, crebrum & inæqualem, aliaque symptomata gravia, hic commemorata, excitans *b* *febris tertiana continua* appellatur.

a Vehementerque.) *Si vehementer effervescat sanguis, quidni Auctor memoravit in historia pulsum vehementem? alioquin pulsus potest esse debilis, ut in febribus malignis & pestilentialibus.*

b Febris tertiana continua.) Plin. lib. 7. cap. 51. *mentionem facit febris, quæ quotannis semel, & quidem natali die Antipatrum Sidonium affligebat: confer* medic. vj. hujus libri.

Causa procatarctica hujus morbi est *a* diæta calidior, quâ hæc puella diu fuit usa. Ab hac verò multi biliosi in corpore geniti humores *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. In vasis verò hi putrescentes, ibique calorem præter naturam contrahentes, & ad cor perpetuò delati, & malignè incensi, ac deinde per totum corpus distributi, *b* *continens* hujus morbi, & symptomatum commemoratorum, sunt causa.

a Diæta calidior.) *Id est acrior, constans ex copioso sale, aromatibus, pinguibus, acidis &c. undè etiam nos in sententia nostra de causa hujus febris mox proponendâ, confirmamur, vid.* Hippocr. Sect. 3. Aph. 21.

b Continens.) *Hæc præsenti in casu duplex est; nempe primò continuæ febris causa, eadem est quæ synochæ, in præced. medic. explicatæ, ad quam, Lectorem (nè eandem crambem pluries recoquamus) remittimus:* secundò *omnium febrium intermittentium causam continentem esse dicimus, humorem aliquem crassiusculum & acrem, ex sanguine oriundum quo pori, tubuli, atque canaliculi hujus vel alterius (perinde enim est) partis solidæ, obstruun-*

tur; & quoniam non solùm continuò urgent alii liquores à tergo, quibus inde expelli poterit, & ope vasorum lymphaticorum, vel venarum, ad sanguinem reverti, verùm etiam quoniam notabilis facta est particularum humoris stagnantis secessio, propter quam, pori quoad figuram & magnitudinem ita immittantur, ut æther solitô celerius & vehementius transfluere cogatur, hinc tractu temporis rarefactionem suscipit, diffringitque aliquos sui carceris cancellos; & quoniam undique in vicinia sunt vasa revehentia, hinc sanguini communicatus, determinationem motus valdè inconsuetam (diximus enim stagnatione particulas & poros fuisse valdè immutatos) in singulas ejus particulas introducit, quâ mediante crassiores sanguinis humorumque particulæ ad latera depelluntur, mixturamque naturalem turbant, undè quidem initiô excitant sanguinis incrassationem, adeoque frigidos horrores, cum cæteris omnibus, incipientis febris alicujus intermittentis, symptomatibus; verùm posteà poris in sanguine ad liberiorem ætheris peregrini transmissionē melius appropriatis, exoritur motus particularum intestinus major (quem non necessariò comitatur circulatio major) adeoque ardor, cum cæteris omnibus, febrium intermittentium, sive ad statum sive ad decrementum pergentium, symptomatis: & quoniam non semper ejusdem naturæ est humor ille, sive fomes febrilis, ratione diversitatis particularum quantarum & figuratarum, consistentiæ &c. idcircò vel longiore vel breviore indiget circuitu, ut ad rarefactionem perducatur, ut producat vel quotidianam, vel tertianam, quartanam &c. Eodem etiam ex fundamento sequitur, quod in diversis partibus simùl latere possint tales humores, qui diversis intervallis rarefacti, febres componunt compositas diversæ naturæ: Nec est quòd quisquam putet, adeò ad quantitatem fomitis, quàm qualitatem ejus attendendum esse, latere enim potest in exiguæ alicujus partis canaliculis exiguis & paucis.

Cum enim materia hæc biliosa in vasis primum *a* vehementius effervesceret, quia multas aqueas partes habebat admixtas, ad cor delata, fervorem ejus solitum nonnihil iis imminuens, & in cerebrum cum spiritibus evecta, eosque inordinatè movens, totum corpus eo refrigerando, inordinatoque spirituum influxu movendo, *b* *rigorem produxit*. Discussis verò particulis istis aquosis, materia illa majorem perpetuumque, sed *alternis diebus* ex biliosâ suâ temperie *ingravescentem calorem* in corde concepit; qui per arterias in totum corpus, sed inæqualiter tamen, distributus, *pulsum celerem, crebrum & inæqualem*; & in capitis membranas & cerebrum sublatus, *dolorem istum ingentem & vigilias*; os vero exurens, *nigredinem* & fauces perpetuò œsophagumque exsiccans, *perpetuam sitim inducit*. Et quia pars materiæ morbificæ, in intestinis existens, habet particulas putridas, *c* quæ in vermes efformantur, ideoque *vermes* ægra nostra aliquos *excrevit*.

a Vehementius effervesceret &c.) *Atqui in principio febrium intermittentium frigora & rigores sentiuntur; vehementi etiam effervescentiæ repugnant multæ aquosæ particulæ, quas Auctor hic allegat.*

b Rigorem produxit.) *Potius est ex humoribus crassis & acribus, membranas, nervos, tendinesque vellicantibus, nam inde leves oriuntur tremulæ convulsiones, quales etiam ex frigore vulgo excitari solent.*

c Quæ in vermes efformantur.) *Vermium præsentiam, in hoc casu particulari esse fortuitam putamus, haud tamen negantes, tali occasione vermes facilius produci, vel excludi posse.*

Febris

Febris hæc, quia est continua, nec ullas inducias præbet, & gravia inducit symptomata, tertio die ingravescentia, *a* periculosa est; atque ideo diligentem desiderat *Curationem*.

a Periculosa.) Prognosis *omnium continuarum, præsertim acutarum, qualis hæc est, multum periculi continet, tum quia vix tempus datur reparandi vires alimentis, & impugnandi morbum remediis: aliquando peracuta est, & citò interimit: ita ut absurdum non sit dicere, quòd per hanc febrem sit intelligenda tertiana illa exquisita, quam septem circuitibus judicari, dixit* Hippoc. Sect. 4. Aphor. 59. *nam reverà tertianæ simplices intermittentes extenduntur nonnunquàm ad menses & annos, confer* Hippocr. Sect. 4. Aphor. 43. & Sect. 7. Aph. 62. *aliquando abit in febriculam lentam s. hecticam.*

Quæ consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

Primo itaque *a* injiciatur mox talis clyster:

℞. *Fol. violariæ, lactucæ an. m. j. flor. nymphææ albæ.*
violar. an. p. j.
Hord. mund. m. ʃs. sem. 4. frig. maj. an. ℥j
Prun. damascen. Num. x. *Decoq. ex aq. comm. pro lib. j.*
In colatura dissolve diapruni sol. ℥j.
Sacchari rubr. ℥ʃs. salis ℥j.
Misce F. Clyster, *mox injiciendus.*

a Injiciatur clyster.) *Nempe cùm febris sit continua, internum aliquod purgans noceret, saltim si esset acrius: loco salis, clysteri addatur nitrum.*

a Postridie vena secetur, & educatur sanguis ad ℥vj. vel viij. pro ratione virium:

a Postridie vena secetur.) *Primariò respectu febris continuæ, utpote quæ hìc orta fuit ab erysipelate vel inflammatione: veruntamen nonnisi maturè & in principio: post venæsectionem præscribatur pulvis ex ocul. canc. sale Sat. sal. prun. croco & pauxillo camphoræ.*

Interim utatur tali julapio:

℞. *Syr. acetosi simplicis, oxysacchari simpl. an. ℥iʃs.*
Aq. acetosæ, borrag. endiviæ an. ℥iv.
a *Ol. vitrioli gutt. vj. Misce* F. Julap. *de quo subinde bibat haustum.*

a Ol. vitrioli.) Spiritus nitri, *vel ol. sulph. per campan. præstat præ hoc julapio, sed præferimus ubique hisce omnibus decoctum scorzon. vel hord. cum taleolis citri, & limat. C. C. vel etiam liquorem posseticum, Anglis ita dictum: confer* Willis.

a Tertio die hoc purgetur haustu:

℞. *Cassiæ recens extractæ ℥ʃs.*
Elect. de succo rosar. ℥iij.
Aq. cichorii ℥iij. syr. de cichor. cum rhabarb. ℥ʃs.
M. F. Haustus, *aliquoties, usu exigente, repetendus.*

a Tertio die.) *Hæc est vera methodus homines necandi: sumatur potius duabus ante paroxysmum (tertio die revertentem, horis) egregium aliquod sudoriferum, & bibat sæpius decoctum scorzon. calidum, vel jusculum tenuius itidem calidum.*

Ad sitim mitigandam utetur decocto hordei, cum syr. de acetositate citri vel de limonibus, in cujus lib.j. dissolvantur syrupor. ℥ij. vel ℥iij.

Pro eadem utatur etiam tali condito:

℞. *Conservæ violar. oxalidis, nymphææ an.℥ß.*
Rob. de ribes ℥iij. spec. diatragacanthi frig. ℥ij.
Syr. de limonibus q.s. a F. Conditum, *de quo sumat subinde castaneæ quantitatem.*

a F. Conditum.) *Omninò repudiandum est cum cœteris saccharatis.*

a Ad somnum conciliandum præscribatur emulsio amygdalata cum sem. papaveris albi, vel sumat *b* laudani opiati gr.iij.

a Ad somnum conciliandum.) *Circumvolvatur capiti oxyrhodinum aliquod ex aqu. solan. plant. acet. rof. op. crud. & sim.*

b Laudani opiati gr. iij.) *Fiat initium à gr.j. vel ℞. tinct. opii gutt.* xx. *vel* xxij.

Si adsit ardor, & caput non gravetur humoribus pituitosis, camphora tum præstantissimum erit remedium.

Pro mitigatione cephalalgiæ, *a* post venæ-sectionem adhibeatur *b* oxyrhodinum ex aq.rof. & nymphææ *c* ac aceto factum, cum pannis intinctis tepidè.

a Post venæ-sectionem.) *Venæ-sectio nempe aliquando est iteranda, si vices ferant.*

b Oxyrhodinum.) *Addi potest* oleum *hyoscyami cum camphora & opio.*

c Ac aceto.) *Acetum non debet addi magnâ copiâ, ut rectè notat* River.in *praxi; alioquin posset vigilias excitare.*

Tempora illinantur unguento populeo, cui etiam camphora potest addi.

De collo camphora in nodulo suspendatur, & opium linteo inclusum coram naribus tenendum est.

a Pro linguæ nigredine tollenda, admoveantur vicissim panni linei intincti mucilagini, extractæ cum aqu. rosar. lactucæ & malvæ æqualibus partibus ad lib. j. Vel humectetur lingua mucilagine sem. cydoniorum.

a Pro linguæ nigredine, &c.) *Os eluatur decocto raparum vel hord. vel usurpetur Aqu. rof. cui additi fuerint vitelli ovor. cum pauxillo sacchari.*

a Ad viscera hepatis & cordis refrigeranda *b* tale epithema adhibeatur.

℞. *Aq.rof.* ℔ß.
acetof. buglossæ ana ℥iiij.
Vini albi ℥j.
Santali citrini, rubri an. ℥jß.
Spec. diamargariti frigid. ℥j.
Croci ℈ß.

Misce pro Epithemate, *cum pannis lineis & postea expressis, hepatis, & cordis regioni tepidè adhibendo.*

a Ad

a Ad viscera hepatis & cordis.) *Cur quæso hæc speciatim viscera sunt refrigeranda? sunt profectò hæc planè inepta.*

Mulierculæ summis in ardoribus corporis solent fermentum panis acidum cum sale communi, & ruta sub pedibus ligare, & quidem aliquando cum fructu, dùm motus sanguinis nimius ita cohibetur.

b Tale epithema.) *Nullius est momenti.*

Quia verò febris est continua, usurpetur mixtura sequens

℞. Aq. Card. ben.
melisf. an. ℥ij.
rosar.
cinnam. an. ℥ß.
Tinct. croc. ʒiß.
Sal. prun. ʒß.
Antim. diaph. ℈ij.
Laud. op. gr. ij.
Syr. limon. ʒvj.
Misce.

usurpetur singulis horis dimidiatis ad cochl. ij.

Ad a vermes enecandos & exturbandos, tali utatur linimento.

℞. *Aloës pulverisatæ* ʒij.
Pulv. corn. cervi ʒiß.
Olei amygdalar. amarar. ℥j.
Succi portulacæ ℥ß. *ceræ parum.*
M. F. Linimentum, *umbilico inungendum.*

a Vermes.) *Remedia anthelmintica occurrent loco inferiore, nempe* lib. iij. *ubi de* lumbricis.

Intro sumat hoc medicamentum:

℞. a *Cornu cervi, in scobem subtilem redacti* ʒj.
Mercur. dulc. ℈ß.
Syr. de limonib. ℥j. *Misce, sumatur è cochleari.*

a Cornu cervi.) *Loco cornu cervi, sumi potest pulvis corallinæ.*

XI. In *Aëre versetur* frigidiore. *Cibus* sit refrigerans & humectans, tenuis & paucus, ex cremore hordei, jusculis gallinaceis, vervecinis, oleribus, qualia lactuca, acetosa; item piscibus saxatilibus; nec non prunis, & pomis acidis; *Potus* sit aqua hordei, cerevisia tenuis. *Somnus* omni ratione procurandus. *Excretio* alvi mediocriter provocanda. *Fugiat* tristitiam, a bonam habeat spem.

a Bonam habeat spem.) *Benè Auctor intellexit coccysmum; ita enim etiam locutus est* in medic. præced.

XIV.

MEDICATIO FOEMINÆ, FEBRI QUOTIDIANA INTERMITTENTE AFFLICTÆ.

FOEmina triginta annorum, pituitosa, in otio vivens, aliquamdiu *a* difficili respiratione & præcordiorum dolore gravativo afflicta, incidit circa vesperam in totius corporis magnam refrigerationem, quam comitabatur *b* pulsus debilis. Hanc postea insecutus est calor totius corporis justo intensior, pulsus celer & *c* creber ac inæqualis; item sitis magna. Eaque symptomata durarunt *d* per horas quindecim: in quarum fine illa cum *e* levi sudore finita sunt. Jam per *f* quatuor continuos dies eadem symptomata, *g* circa vesperam, ægram invaserunt, & postquam per quindecim præter propter horas durassent, tandem cessarunt. Adest *h* in somnum proclivitas, *i* appetitus prostratus, & interdum etiam *k* animi deliquium.

a Difficili respiratione, &c.) *Morbus ergò hìc est complicatus, obstructi enim sunt tubuli & canaliculi multi pluribus in partibus simùl; speciatim, verò hìc vel in pulmone, vel musculis respirationi inservientibus, vel ventriculo, prout indicat difficilis respiratio, & præcordiorum dolor gravativus.*

b Pulsus debilis.) *Hìc cùm sit celeri oppositus, nescio quô jure Auctores asserere audeant, pulsum præter naturam frequentem, esse signum febrium inseparabile, sive quo posito ponitur febris, & sublatô tollitur.*

c Creber & inæqualis.) *Hinc confirmatur doctrina nostra de causis febrium, in medicationibus præcedentibus allegatis proximis.*

d Per horas quindecim.) *Diuturnitas hæc paroxysmi facit prognosin graviorem.*

Calor in eorum corpore acrior est propter salem, copiosius per insensibilem transpirationem avolare conantem, & digitos palpantis vellicantem.

e Levi sudore.) *Major hic solet esse & in tertiana & quartana intermittente.*

f Quatuor continuos.) *Nempe successivè paroxysmi accessionibus novis annumeratis: aliàs enim diceretur quotidiana continua.*

g Circa vesperam.) *Ergò videtur esse periodica: vid. sup.*

h In somnum proclivitas.) *Nempe naturali major, quæ facili negocio deducitur & à temperamento pituitoso, & à consumptione virium, per quotidianos paroxysmos febriles.*

i Appetitus prostratus.) *Hic satis indicat primarum viarum impuritates.*

k Animi deliquium.) *Hoc pertinet ad formandam prognosin: debuisset autem Auctor indicare num menses ritè fluerent, nec nè.*

Afficitur in hac ægra *a* *pulmo*, quod ex difficili respiratione; *ventriculus, vicinaque viscera*, quod ex dolore præcordiorum gravativo; *cor*, quod ex pulsu vitiato, & animi deliquio; *caput*, quod ex somnolentia; *fauces*, quod ex siti, & denique *totum corpus*, quod ex totius corporis refrigeratione, & insequente ardore, est manifestum.

a Pul-

a Pulmo.) *Possunt etiam musculi respirationi inservientes hic æque affici.*

Morbus, qui eam affligit, est *a* intemperies quædam sanguinis pituitosa & malignior, quæ quotidie, post justo minorem in corde incalescentiam, nimis vehementer effervescens, & tandem post quindecim horas penitus defervescens, *febris quotidiana intermittens* appellari solet.

a Intemperies.) *Hanc jam suprà semper adesse negavimus.*

Procatarctica hujus morbi causa est *a* vita otiosa, quâ, adjuvante temperamento corporis pituitoso, multi pituitosi in corpore geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò ejus, *b* lapsu temporis circa ventriculum, pulmones, & cor, majorem *c* corruptelam *d* & febrilem malignitatem effervescentiamque *e* quotidianam contrahens, *continens* hujus morbi, & symptomatum existit causa.

a Vita otiosa.) *Causa hæc est fortuita, uti sunt omnes procatarcticæ.*

b Lapsu temporis circa ventriculum &c.) *Reverà potest quies, acrimoniam conciliare humoribus, dùm particulæ eorum integrantes, notabiliter ab invicem secedunt, juxta illud* Horatii, *& vitium capiunt, ni moveantur aquæ.*

c Corruptelam.) *Hæc vox aut respicit febrim in genere consideratam, & tunc denotat mixturam sanguinis turbatam: aut respicit in specie febrim intermittentem, tuncque denotat partis alicujus solidæ, unius, aut plurium, obstructionem, quâ mediante fomes nascitur febrilis, qui, occasione datâ, ad sanguinem (uti in* medic. præced. *diximus) delatus, mixturæ sanguinis consuetæ turbationem parit: nec est, quòd quispiam dicat, sanguinem venæsectione ex febricitantibus eductum, nullam talem mixturæ turbationem indicare: nam præterquam quòd id in multis febribus sit falsum, non semper adeò notabilis est singularum particularum secessio, ut ad oculum cerni possit.*

d Et febrilem effervescentiam.) *Humor nempe sive fomes iste febrilis non ita totalìter expellitur ex suo latibulo, quin reliquiæ ipsius nonnullæ in ista parte remaneant, quibus mediantibus, alii à tergo subsequentes humores in earum naturam transeunt, sicque novam pariunt febrem & quidem periodicam, quamdiu nulla notabilis evenit sanguini humoribus & fomiti mutatio.*

e Quotidianam.) *De hac ita loquitur celeberrimus* Pechlinus obs. phys. med. lib. ij. obs. xx. *De duplici tertiana, neque hoc silentio prætereundum, aliam esse illam, modi & symptomatum ratione, quàm quotidianam, & ut frequentiores sunt duplicatæ illæ, in fraudem tamen experientiæ esse, quotidianam negare, quod Neotericos nuper Practicos facere non puduit.*

Quæ enim *a* pars circa præcordia existebat, produxit suô pondere *dolorem in iis gravativum*. Quæ verò in substantiam & pulmonum bronchia fuit impacta, *respirandi induxit difficultatem*. Et quæ, quotidie sub vesperam ob pituitosam suam temperiem effervescens, *b* in vasa venosa effunditur, aut in vasis existit, ac ad cor defertur, inducit *quotidie*, minus accuratâ suâ mixtione, primò *totius corporis c refrigerationem*; & accuratiore mixtione deinde insequente, totius corporis *ingentem calorem febrilem, pulsum celerem, crebrum, & inæqualem, ac sitim.* Et, dissipatâ tandem post quindecim horas per sudores materiâ illâ fervidâ, insequitur *paroxysmi finis*. Dum verò sequenti vesperâ alia pars materiæ morbificæ in vasis & extra vasa incipit novam effervescentiam, primò minorem, & deinde majorem contrahere, eaque tandem dissipatur, fit *tum etiam novi paro-*

xysmi

xysmi principium, augmentum, status, declinatio, & finis. Et quoniam pars hujus materiæ febrilis in cerebrum sese effundit, illudque gravat, hinc oritur *somnolentia*. Et quia materia, ad cor subinde delata, *d* inepta est, quæ in corde sufficientem acquirat rarefactionem, hinc, deficientibus spiritibus, advenit interdum *animi deliquium*.

a Pars circa præcordia.) *Aut ea est in tubulis partium externarum (quod deprehenditur protinus contactu, quo malum exacerbari solet) aut in tubulis partium internarum tam ventriculi, quam viscerum vicinorum: quibus in casibus, contactu externo malum non exacerbatur: Aliquando materia impacta est tubulis diaphragmatis, unde difficultas respirationis, vel etiam illud premitur à distento ventriculo.*

b In vasa venosa.) *Dic quoque in lymphatica; postquam nempe humor ille in latibulo partis solidæ fermentationem, maturitatemque susceperit; non amplius in angustiis istis contineri potest, quapropter diffractis carceribus, miscetur cum humoribus in vicinia circulantibus, & ad sanguinem revertentibus.*

c Refrigerationem.) *Vide* Hippoc. Sect. 4. Aph. 63.

d Inepta est, &c.) *Qui hæc cohærent cum calore febrili.*

Hæc febris ob *a* diuturnitatem, vires valde prosternere solet, atque ideò haud tuta est; præsertim cum hic sæpe adsit animi deliquium. Atque ideò diligenti *Curâ* erit impugnanda.

a Diuturnitatem.) *Etiam propter crebros circuitus paroxysmorum febrilium.*

Quæ consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei per contraria correctione.

a Primo itaque utatur, ad præparationem, & alterationem materiæ morbificæ, drachmâ unâ *b* cremoris tartari cum jusculo, paulò ante prandium, per biduum. Et tale sumat *c* Apozema.

℞. *Rad. glycyrhizæ rasæ* ℥ß.
cichorii ℥j.
Herbar. d *betonicæ, agrimoniæ, centaur. min. an. m. j.*
Flor. e *chamomill. m. ſ.*
f *Sem. anisi, fœniculi, an.* ʒjß.
Tartari albi ʒß.
Decoquantur ex aq. communi ad lib. j.
In Colatura dissolve g *oxymell. simpl.* ℥jß.
Misce F. Apozema, *pro tribus dosibus, mane & vesperi sumendis.*

a Primo itaque.) *In curatione primò attendendum est ad plethoram, & vires ægri, ut maturè (si opus sit) venæ-sectio administretur.*

Secundò attendendum est ad primarum viarum impuritates, quæ præmissô aliquo præparante, ut pulvere Cornachinô, tolluntur per vomitoria & purgantia, justô tempore ante vel post paroxysmum propinata. Denique deveniendum est ad sudorifera; vel si necessitas cogat ad usum corticis Peruviani, & quidem in substantia, sub forma conservæ propinandi, quater vel pluries de die, ad magnitudinem nucis moschatæ.

b Cremoris tartari.) *Cremor tartari bonum præbet digestivum, præsertim si jungatur aromaticis & purgantibus, sed dosi moderatâ: hùc etiam pertinet vitriolum martis ad* ℈j. *usque assumptum.*

c Apo-

c Apozema.) *Apozemati adde*
Cort. tamarisc.
Rad. Cappar.
Rad. salsaparill.
Scorzoneræ an. ℥j.
Contraj. ʒiij. *sed colatura sit ad lib.* ij. *vel* iij.

d Betonicæ.) *Hujus loco sume card. bened. m. j.*

e Chamom.) *Hi deleantur.*

f Sem. anisi.) *Loco sem. anisi substituatur sem. fœniculi; prius enim nimis calidum est.*

g Oxymel. simpl. in colatura.) *Hujus loco add.*
Oxymell. scyll. ℥j.
Lap. prunell. ʒj.
Spiritus nitri ℈j.

Notandum interea, quod sæpe febris urgens non ferat apparatum apozematis, sed aliquando protinus ipsam oportet aggredi antifebrilibus.

Deinde purgetur subinde *a* tali haustu:
℞. *Fol. senæ* ʒiij. *agarici trochisc.* ʒj.
Sem. anisi ℈ij. *crem. tartari* ℈j.
Decoquantur in aq. hordei q. s. Colaturæ adde elect. diaphœnici ℥ij.
Misce F. Haustus, *mane jejuno ventriculo sumendus, & aliquoties reiterandus.*

a Tali haustu.) *In ipso paroxysmo potius ad clysterem est deveniendum; si verò tempus sufficiat nec non vires permittant.*
℞. Resinæ Agarici gr. xv.
Trochisc. Alhandal. gr. ij. iij. *aut* iv.
M. F. Pulvis aut cum s. q. sp. vini Pilulę.

Sanguis hic non videtur educendus, *a* nisi valde parva quantitate.

a Nisi valdè parva.) *Forsan ob animi deliquia; sed si illa abessent, præsertim in plethora, magna cacochymia, & magno sanguinis impetu, venæ-sectio maxime conduceret in principio.*

a Ventriculus illinatur oleo mastichino, & de absinthio, cum pauxillo olei macis, & foveatur sacculo tali:
℞. *Herb. absinthii, menthæ, rorismarini an. m. s.*
Flor. rosar. rorismarini an. p. j.
Sem. anisi, fœniculi, coriandr. an. ʒj.
Cariophyllor. nuc. moschatæ an. ℈j.
Contusa & incisa includantur linteo, & F. Sacculus, *ventriculi regioni adhibendus.*

a Ventriculus illinatur.) *Potius dorsum, circa regionem ventriculi, si fortè quis putet id aliquid posse proficere: verùm & linimentum, & sacculus parùm proficient. Quidam crustam panis adhibent regioni ventriculi tostam & irroratam aceto & ol. cariophyll. vel aq. vit. Matth.*

Postquam aliquoties purgatus fuerit; *a* tali utatur sudorifero:
℞. *Theriacæ* ℈ij. *extracti card. bened.* ℈j. *croci orient.* gr. iij.
Misce F. Bolus sudoriferus.

a Tali utatur sudorifero.) *Nempe duabus ante paroxysmum horis: si autem hora sit incerta, aut æger debilior, quàm ut ferre queat potētia sudorifera, utatur mixtura aliqua antifebrili & cardiaca cochleatim bis vel ter quavis horâ.*

xysmi principium, augmentum, status, declinatio, & finis. Et quoniam pars hujus materiæ febrilis in cerebrum sese effundit, illudque gravat, hinc oritur *somnolentia*. Et quia materia, ad cor subinde delata, *d* inepta est, quæ in corde sufficientem acquirat rarefactionem, hinc, deficientibus spiritibus, advenit interdum *animi deliquium*.

a Pars circa præcordia.) *Aut ea est in tubulis partium externarum (quod deprehenditur protinus contactu, quo malum exacerbari solet) aut in tubulis partium internarum tam ventriculi, quam viscerum vicinorum: quibus in casibus, contactu externo malum non exacerbatur: Aliquando materia impacta est tubulis diaphragmatis, unde difficultas respirationis, vel etiam illud premitur à distento ventriculo.*

b In vasa venosa.) *Dic quoque in lymphatica; postquam nempe humor ille in latibulo partis solidæ fermentationem, maturitatemque susceperit; non amplius in angustiis istis contineri potest, quapropter diffractis carceribus, miscetur cum humoribus in vicinia circulantibus, & ad sanguinem revertentibus.*

c Refrigerationem.) *Vide* Hippoc. Sect. 4. Aph. 63.

d Inepta est, &c.) *Qui hæc cohærent cum calore febrili.*

Hæc febris ob *a* diuturnitatem, vires valde prosternere solet, atque ideò haud tuta est; præsertim cum hic sæpe adsit animi deliquium. Atque ideò diligenti *Curâ* erit impugnanda.

a Diuturnitatem.) *Etiam propter crebros circuitus paroxysmorum febrilium.*

Quæ consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei per contraria correctione.

a Primo itaque utatur, ad præparationem, & alterationem materiæ morbificæ, drachmâ unâ *b* cremoris tartari cum jusculo, paulò ante prandium, per biduum. Et tale sumat *c* Apozema.

℞. *Rad. glycyrhizæ rasæ ℥ß.*
cichorii ℥j.
Herbar. d *betonicæ, agrimoniæ, centaur. min. an. m. j.*
Flor. e *chamomill. m. ß.*
f *Sem. anisi, fœniculi, an. ℥jß.*
Tartari albi ℥ß.
Decoquantur ex aq. communi ad lib. j.
In Colatura dissolve g *oxymell. simpl. ℥jß.*
Misce F. Apozema, *pro tribus dosibus, mane & vesperi sumendis.*

a Primo itaque.) *In curatione primò attendendum est ad plethoram, & vires ægri, ut maturè (si opus sit) venæ-sectio administretur.*

Secundò attendendum est ad primarum viarum impuritates, quæ præmissô aliquo præparante, ut pulvere Cornachinô, tolluntur per vomitoria & purgantia, justô tempore ante vel post paroxysmum propinata. Denique deveniendum est ad sudorifera; vel si necessitas cogat ad usum corticis Peruviani, & quidem in substantia, sub forma conservæ propinandi, quater vel pluries de die, ad magnitudinem nucis moschatæ.

b Cremoris tartari.) *Cremor tartari bonum præbet digestivum, præsertim si jungatur aromaticis & purgantibus, sed dosi moderatâ: huc etiam pertinet vitriolum martis ad ℈j. usque assumptum.*

c Apo-

c Apozema.) *Apozemati adde*
Cort. tamarisc.
Rad. Cappar.
Rad. salsaparill.
Scorzoneræ an. ℥j.
Contraj. ʒiij. *sed colatura sit ad lib. ij. vel iij.*
d Betonicæ.) *Hujus loco sume card. bened. m. j.*
e Chamom.) *Hi deleantur.*
f Sem. anisi.) *Loco sem. anisi substituatur sem. fœniculi; prius enim nimis calidum est.*
g Oxymel. simpl. in colatura.) *Hujus loco add.*
Oxymell. scyll. ℥j.
Lap. prunell. ʒj.
Spiritus nitri ℈j.
Notandum interea, quod sæpe febris urgens non ferat apparatum apozematis, sed aliquando protinus ipsam oportet aggredi antifebrilibus.

Deinde purgetur subinde a tali haustu:
℞. *Fol. senæ* ʒiij. *agarici trochisc.* ʒj.
Sem. anisi ℈ij. *crem. tartari* ℈j.
Decoquantur in aq. hordei q. s. Colaturæ adde elect. diaphœnici ʒij.
Misce F. Haustus, *mane jejuno ventriculo sumendus, & aliquoties reiterandus.*

a Tali haustu.) *In ipso paroxysmo potius ad clysterem est deveniendum; si verò tempus sufficiat nec non vires permittant.*
℞. Resinæ Agarici gr. xv.
Trochisc. Alhandal. gr. ij. iij. aut iv.
M. F. Pulvis aut cum s. q. sp. vini Pilulę.

Sanguis hic non videtur educendus, a nisi valde parva quantitate.

a Nisi valdè parva.) *Forsan ob animi deliquia; sed si illa abessent, præsertim in plethora, magna cacochymia, & magno sanguinis impetu, venæ-sectio maxime conduceret in principio.*

a Ventriculus illinatur oleo mastichino, & de absinthio, cum pauxillo olei macis, & foveatur sacculo tali:
℞. *Herb. absinthii, menthæ, rorismarini an. m. s.*
Flor. rosar. rorismarini an. p. j.
Sem. anisi, fœniculi, coriandr. an. ʒj.
Cariophyllor. nuc. moschatæ an. ℈j.
Contusa & incisa includantur linteo, & F. Sacculus, *ventriculi regioni adhibendus.*

a Ventriculus illinatur.) *Potius dorsum, circa regionem ventriculi, si fortè quis putet id aliquid posse proficere: verùm & linimentum, & sacculus parùm proficient. Quidam crustam panis adhibent regioni ventriculi tostam & irroratam aceto & ol. cariophyll. vel aq. vit. Matth.*

Postquam aliquoties purgatus fuerit; a tali utatur sudorifero:
℞. *Theriacæ* ℈ij. *extracti card. bened.* ℈j. *croci orient.* gr. iij.
Misce F. Bolus sudoriferus.

a Tali utatur sudorifero.) *Nempe duabus ante paroxysmum horis: si autem hora sit incerta, aut æger debilior, quàm ut ferre queat potētia sudorifera, utatur mixtura aliqua antifebrili & cardiaca cochleatim bis vel ter quavis horâ.*

Febri jam mitescente, alternis diebus, sumat paulò ante cœnam scrupulum dimidium Aloës rosatæ.

Et roboret ventriculum, sumendo *a* Electuarii aromatici rosati & diarhodon abbatis drachmæ unius quantitatem ante singulos pastus.

a Electuarii.) *Cum dulcia ventriculo valdè noceant, præstarent ingredientia talis Electuarii sine sacharo, sed tamen aliquandò nos accommodare cogimur delicatulis.*

In *diæta Aër* sit purus, calidus, siccus. *Cibus* sit parcus, ex jusculis pullorum gallinaceorum & vervecum, petroselino, hyssopo, buglossa, & pulegio conditus, ovis sorbilibus, pane candido. *Potus* sit cerevisia mediocris, & in pastu vinum oligophorum. *Exercitii* loco sint frictiones. *Somnus* sit moderatus. *Excretiones* alvi, & vesicæ bene procedant. *Gaudio* studeat, fugiat tristitiam.

XV.

MEDICATIO JUVENIS, FEBRI TERTIANA INTERMITTENTE LABORANTIS.

JUvenis viginti octo annorum, robustus & validus, *a* postquam cibo opiparo & potui generosiori, in conviviis frequentioribus, largius indulsisset, tandem *b* post spontaneas *c* lassitudines aliquot dies perceptas, circa horam quartam pomeridianam incidit in universi corporis *d* vehementem rigorem, *e* pulsu parvo, raro, & tardo comitatum. Hunc paulatim mitescentem subsecutus est intensissimus totius corporis calor; pulsusque evasit magnus, frequens, celer, & inæqualis; accessit etiam sitis magna, *f* oris amaritudo & siccitas, *g* corporisque inquietudo, & ingens capitis dolor. Duravit ardor usque ad quartam matutinam, quâ tandem cum sudore solutus est. Postridie æger bene se habuit, excepto, quod dolorem gravativum, *h* circa ventriculum in hypocondriis, & circa os xiphoides ac dorsum, sentiret. Tertio die *i* circa horam secundam pomeridianam, rediit rigor, *k* cum vomitu bilioso; quem ut prius reliqua subsecuta sunt symptomata. Paroxysmus, post duodecim ab invasione horas, per sudores rursus solutus est. Urina & alvi excrementa sunt biliosa.

a Postquam cibo, &c. largius indulsisset.) *Peccatum in diæta non producit febrim per se, sed per accidens; potest enim corpus esse cacochymicum absque notabili sanguinis mixturæ turbatione.*

b Post spontaneas.) *Id est, sine causis externis v.g. exercitiis vehementioribus ortas.*

c Lassitudines.) *Lassitudines ferè semper oriuntur, vel à dissipatis spiritibus, vel ab eorum tarditate secretione, & fibrillarum expansione.*

d Vehementem rigorem.) *Hoc ait, quia major est rigor, quàm in quotidianâ, uti hic minor est ordinariè, quàm in quartana.*

e Pulsu parvo.) *Sic tantò magis* com-

confirmatur id quod supra attulimus.

f Oris amaritudo.) *Hanc affert Auctor sine dubio, quia ordinaria causa tertianæ dicitur bilis.*

g Corporisque inquietudo.) *Hæc oritur à sale fixo, ut & ingens capitis dolor.*

h Circa ventriculum.) *Hæc verba faciunt ad partis affectæ diagnosin, prognosin & curationem.*

i Circa horam secundam, &c.) *Ergò est tertiana erratica: vid. sup.*

k Vomitu.) *Hæc cohærent cum notatis ad verba* circa ventriculum.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus*, & *a pancreas*, vel alia aliqua pars vicina, circa ventriculum, hepar, & lienem existens; quod *b* ex dolore gravativo, circa ventriculum, os xiphoides, & dorsum percepto, item ex vomitu bilioso, & siti patet. Afficitur etiam per simpathiam *cor*, & ab illo *totum corpus*; quod indicat *c* rigor, pulsus immutatus, corporis *d* ardor, & inquietudo: item *Caput*, cujus indicium est cephalalgia.

a Pancreas.) *Equidem hoc simùl affici posse non negamus, sed illud febrium omnium intermittentium fontem esse, nullâ ratione adducimur.*

b Ex dolore.) *Debuisset addere, an dolor circa os Xiphoides, externô contactu exacerbaretur, ut dignosci posset, nùm dolor esset in partibus externis?*

c Rigor.) *Hic indicat potius membranas & tendines, motibus, seu tremoribus convulsivis affici.*

d Ardor.) *Hunc oriri à sale fixo fibrillas partium sensitivarum, solitò vehementius ad motum tremulum perducente, asserimus.*

Morbus, qui ipsum affligit, est *a* intemperies quædam sanguinis & viscerum, ventriculo vicinorum, biliosa & malignior; quæ tertio quoque die, post justo minorem effervescentiam, nimis vehementer in corde effervescens, & tandem, post duodecim horas defervescens, *Febris Tertiana*, vel *Tertiana intermittens b exquisita*, appellatur. *Eaque* ex rigore cum *c* pulsu tardo, parvo, raro, & insequente fervore, cum pulsu magno, celeri & inæquali, ac reliquis symptomatis, tertio quoque die redeuntibus, & duodecim horas durantibus, & postea cessantibus, est manifesta.

a Intemperies.) *Hanc adesse posse non negamus; sed non facit ad essentiam febris. Sepe etiam accidit, ut bilis vomatur, ventriculo cibo onusto.*

b Exquisita.) *Nùm talis sit, qualem* Hippocrates *vocat exquisitam, in dubium trahitur, secundùm annotata ad febrem tertianam continuam.*

c Pulsu tardo.) *Hic indicat sanguinis circulationem tardiorem.*

Causa procatarctica hujus morbi est *mala illa diæta*, in copioso, opiparo, & generoso cibo potuque diu servata: quâ multa *cacochymia biliosa*, *a* in venis, & circum ventriculum, in visceribus vicinis, collecta, *antecedentem* huic morbo suppeditavit causam. Ea verò ibidem talem ex morâ corruptelam contrahens, qua tertio quoque die præter naturæ modum & malignè in corde effervescit, & inde in totum corpus distribuitur, *b continens* hujus morbi & symptomatum existit causa.

a In venis, &c.) *Cur magis in venis, quàm arteriis, vasisve aliis totius corporis?*

b Continens.) *Vid. medic. præced.*

Nam materia illa morbifica, circa viscera abdominis existens, dum pondere

 & quan-

& quantitate ſuâ partes illas tendit & gravat, *producit* ibidem *dolorem gravativum*; dumque pars ejus in habitum corporis transfertur, & in cerebro in ſpiritus craſſos, nec ſatis agiles convertitur, *ſpontaneæ totius corporis*, eâ nimis gravati, nec ſatis agiliter hic moti, *oriuntur* a *laſſitudines*.

a Laſſitudines.) *Etiam hæ oriuntur propter tubulorum quorumdam obſtructionem in nervis, vel partibus muſculoſis, undè oritur fibrillarum ſolitò major expanſio.*

Pars verò iſtius materiæ morbificæ, *propter ſuum temperamentum bilioſum*, a *tertio quoque die efferveſcere circa illa viſcera incipiens*, effundit ſeſe per vaſa gaſtrica, meſenterica, & alia vicina, partim b in ventriculum, quo *vomitum & oris amarorem excitat*; partim in venam cavam, unde deinde ad cor cum reliquo ſanguine aſcendit. Verùm quia illa primò reliquis ſanguinis partibus non ſatis benè miſcetur, ac præterea multas partes aqueas aliaſque craſſas admixtas habet, idcirco ubi ad cor primum eſt delata, *imminuit primò ejus calorem*, eoque *excitat pulſum parvum, tardum, rarum, & totius corporis frigus*: in cerebro verò talem efficit ſpirituum animalium motum, ut illi inordinatè in c partes fluentes, *convulſivum quendam* per totum corpus producant *motum, quem* nos, cum prædicto totius corporis frigore conjunctum, *rigorem appellare* ſolemus. Diſſipatis verò aut diſperſis ex ſanguine aqueis & craſſis iſtis partibus, iiſque ſatis attenuatis, reliquæ illæ efferveſcentis humoris partes, cor ingreſſæ, & cum ſanguine meliùs mixtæ, concipiunt majorem calorem; *unde oritur pulſus magnus, celer, creber*, & propter heterogeneas ſanguinis partes, etiam *inæqualis*; item, ob œſophagi ex ardore exſiccationem, *ſitis*, & ob acres, & ferventes, in cerebri & reliqui corporis membranas, ſublatos humores, *dolor capitis & corporis inquietudo*. Eaque tam diu durant, donec tota materia efferveſcens, vi fervoris, poſt duodecim horas in ſudores ſoluta, per eoſque diſcuſſa, *apyrexiam* ſequenti die induxerit. Quo ille bene ſeſe habet; e excepto, quo *dolorem gravativum circa ventriculum*, à materia bilioſa ibi hærente, & partes illas gravante, ſentiat.

a Tertio quoque die.) *Quis ipſum docuit, id eſſe de natura temperamenti bilioſi? nam poteſt etiam alterius naturæ materia ad rarefactionem eodem tempore perduci.*

b In ventriculum.) *Nulla vaſa ſanguifera hiant in ventriculi cavitatem, ſed quidem nervoſa, & lymphatica.*

c Partes.) *Præſertim muſculoſas panniculi carnoſi.*

d Aqueis.) *Salinis potius fixis.*

e Excepto quod dolorem, &c.) *Nempe ſaburra notabilis, rugis ventriculi eſt infixa.*

Febris hæc, quia eſt tertiana intermittens exquiſita, ſi recta curatio inſtituatur a ultra ſeptimum paroxyſmum non durabit.

a Ultra ſeptimum.) *Ita quidem prædixit* Hippocrates, *ſed illa (uti pleræque criſes) in noſtris regionibus frigidioribus eſt omnino incerta: vid. ſupra.*

De Tertianæ febris prognoſi ita loquitur laudatus Joh. Nic. Pechlinus obſ. phyſ. med. lib. ij. obſ. 20. *Febres quæ tertio quoque die redeunt, varium omnino agnoſcant typum, & ut jure quodam ſuo innoxiæ videantur, tàm vehementia tamen, tamque in ſpeciem gravia excitant ſymptomata, ut evaſuros ægros non facile credas: Ego vero, quamvis præ ſymptomatum, lipothymiæ, ſyncopæ & aliorum, quæ initio ſæpe acceſſionis invadunt, diritate, jamjam morituros nonnullos olim putarem,*

tarem, neminem ex iis, qui mihi objecti sunt, periisse vidi, neque facile jugulare tertianam posse, persuasus fui, quandoquidem opportunâ intermissione & apyrexia, vires paroxysmo attritæ, pulchrè iterùm reficiantur, & ad sustinendam novos insultus præparentur. Adeò, qui cum tertiana perierunt, non statim ex tertiana periisse censendi sunt, &c. in universum autem constat, quò vehementiores sunt initio insultus, hoc citius despumare errantem in venis materiam, & morbi periodum esse breviorem.

Curatio perficietur per causæ antecedentis & continentis ablationem; & præterea per intemperiei malignæ viscerum & sanguinis, per contraria, correctionem.

Primo itaque exhibeatur hoc a purgans:

℞. *Spec. diaturbith cum rhabarb.* ʒß. *vel* ℈ij.
Cremor. tartari. ℈j.
Scammonii pulv. gr. xj.
Aquæ stillat. cichorii, card. benedicti an. ℥iß.
Syr. de cichorio cum rhabarb. ʒvj.
Misce, F. Potio, *mane, die intermissionis, exhibenda.*

a Purgans.) *Cùm constet ex historia ventriculum esse obsessum, præmissô præparante, vomitorium præstaret.*

Postridie a educatur sanguis ad uncias octo.

a Educatur sanguis.) *Si nempe plethora adsit, aut nimius sanguinis impetus, quatuor circiter horis ante paroxysmum, educatur sanguis habitâ ratione virium & ætatis ægri, atque sesquihorâ ante eundem paroxysmum (ut lucremur tempus) sumatur haustus, aut pulvis antifebrilis sudoriferus.*

Postea tali utatur a vomitorio, horis duabus ante initium paroxysmi exhibendo.

℞. *Fol. asari viridia* Num. xvij.
Contundantur in mortario marmoreo,
Affundendo vini hispanici ℥iß.
Et exprimatur succus, cui addantur
Vini vomitivi ʒvj.
F. Haustus vomitivus.

a Vomitorio.) Ὕστερον πρότερον. *Potest etiam illud constare ex infusionis croci metallorum, vel vitri antimonii* ℥iß. *aut ex tartari emetici gr.* iv. vj. vij.

Morbo perseverante tale a apozema præscribatur alterans:

℞. *Tamarindorum* ℥ij.
b *Rad. cichorii* ℥iß.
Herbar. cichorii, acetosæ, card. benedict. an. M. j. ß.
c *Sem. 4. frigidor. major.*
Anisi, fæniculi an. ʒj.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j.
Colentur, & F *Apozema, de quo sumat æger*
Haustum ℥iij. *vel* iv. *ter quaterve in die.*

Apo-

a Apozema.) *Hoc est in corpore cacochymico necessarium, nam alioquin sudorifera plus nocent, quàm prosunt, dùm crassiores humorum partes tubulis angustioribus partium insinuant.*

b Rad. cichorii.) *Atqui hæ ratione amaritudinis viderentur bilem generare.*

c Sem. 4. frig. major.) *Præstat hæc omittere, & substituere*

Tartari ℥ß.
Passul. corinthiac. ℥ijß.
in col. dissolve, syr. ros. sol. ℥ijß.

Huic subjungatur a tale alterans & purgans:

℞. *Rad. cichorii* ℥ij.
Fœniculi, petroselini an. ℥ſ.
Herb. cardui benedicti, cichorii, melissæ,
Fumariæ, acetosæ ana M. j.
Summit. lupuli, absinthii romani an. m. ſ.
Fol. senæ ℥ij.
Rhabarb. ℥ij.
Tamarindor. ℥iij.
Sem. anisi, fœniculi, an. ℥ſ.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. ſ.
Et colentur pro Apozemate, *de quo sumat*
Quotidie mane ℥iiij.

a Tale alterans & purgans.) *Nimis acria & calefacientia sunt hæc ingredientia pro febre, neque enim quotidie purgandum est, sed alvô adstrictâ, die libero sumatur.*

Tinct. scammon. *aut*
Rhabarb. *cum spiritu vini tartaris. factæ, cochlear unum aut dimidium.*

Subinde autem bibat de a hoc julapio:

℞. *Syr. è succo limonum* ℥j.
Granator. acidor.
Violar. ex infusione multipl. an. ℥ſ.
Aq. cichorii, cardui benedicti an. lib. ſ.
Olei vitriol. q. ſ. ad gratum acorem.
Misce, F. Julep.

a Hoc julapio.) *Huic præferimus cerevisiam, benè coctam & defæcatam tenuiorem, cui pro re nata ad. datur* Spiritus Nitri dulc., *aut lapis prunellæ: vid. sup.*

Ubi corpus aliquoties purgatum fuerit, detur ipsi tale sudoriferum, duabus horis ante invasionem paroxysmi:

℞. *Aq. cichorii, cardui bened. an.* ℥iſ.
a *Salis absinthii* ℨſ.
Spiritus sulph. gutt. xij.
M. F. Haustus, *calide ægro exhibendus; cujus corpus tum plus solito tegendum, ut sudores proliciantur.*

a Sal. absinth. sp. sulph.) *Quanquam hæc sint contraria ratione operationum, attamen eorum conjunctio, non ubique repudianda erit, utpote quæ producit aliquod tertium, morbo sanando appropriatum & specificum, prout eos*

non

non latet, qui vel de limine Chymiam salutarunt: nos tamen huic Haustui Auctoris, adderemus Theriacæ veteris, vel Diascord. Fracast. ℥j. *tinct. croc.* ℈ij. *syr. pap. rh.* ℥iij.

a Carpis manuum adhibeantur emplastra, quæ fiunt ex terebinthinâ, telis aranearum simul mixtis subactâ; vel ex fermento secaliceo acri, cum aceto, sale & pulvere nucis moschatæ. Hac enim ratione topicorum istorum *b* vis insinuatur ibi vasis; quæ inde cum sanguine ad cor delata, & postea per totum corpus distributa, dissipat illam malignitatem, quæ proxima hujus febris est causa.

a Carpis manuum adhibeantur.) *Empyrica præcipua sunt, Valeriana, sive phu magnum, cum sale communi contusum, in sacculo de collo gestatum; folia 7. aut 9. salviæ cum aluminis* ℨß. *Aranea putamini nucis inclusa, de collo gestata. Crocus & allium mixta cum linteo circa digitum annularem ligata, membrana interior testæ ovi, digito annulari applicita, unde (ut ferunt) magnis excitatis doloribus, paroxysmus levatur, aut tollitur.*

Alii theriacam cum terebinthina & semine santonici, carpis applicant. Rob. Boyle de util. Phil. nat. cap. x. sect. 5. part. ij. *commendat seq.*

℞. Sal marin.
lupul. anglic. ana M.ij.
passul. corinth. ℥jv.
contund. & benè misc. pro Epicarpio.

b Vis.) *Hæc consistit in rerum illarum effluviis, per cutis spiracula sese insinuantibus; nam humoribus in vicinia circulantibus permixta, per totum corpus constantius distribuuntur, quàm si per os fuissent assumpta.*

Æger versetur in Aëre aperto, puro, & refrigerante. *Victus* sit ex pullis gallinaceis, carne vitulinâ, lactucâ, portulacâ, endiviâ, cichorio, acetosâ, & *a* succo limonum alteratus. Die intermissionis, paulo *b* pleniore utatur cibo. Die paroxysmi, si inedia ferri non potest, sit valde parcus, & sumatur *c* quinque horas ante invasionem. *Potus* sit cerevisia tenuis, Julep ex succo limonum. Isque in paroxysmo, exhibeatur in ejus vigore. In quo etiam abstineat à somno; sed dormiat in ejus declinatione. *Exercitatio* vehementior vitanda.

a Succo limonum.) *Recenti.*

b Pleniore.) *Ratio habeatur ventriculi: corpora etiam impura (teste* Hippocrate*) quò plus nutriveris, eò deteriora reddideris.*

c Quinque.) *Ut alimenta ritè sint divisa ante paroxysmi adventum.*

XVI.

MEDICATIO VIRI, FEBRI *a* QUARTANA INTERMITTENTE FATIGATI.

VIr quadraginta quinque annorum, temperamento *b* melancholicus, post multas curas, animum ipsius *c* valde angentes, incidit, circa *d* horam quar-

quartam pomeridianam, *e* in oscitationes, & pandiculationes, quas horror totius corporis, cum pulsu debili tardoque, *f* per horam unam est insecutus; qui paulatim in calorem commutatus, magnum ardorem, pulsum celerem, crebrum, & magnum, ac inæqualem, ægro nostro, per quinque vel sex horas, cum magna siti, capitis dolore, & totius corporis inquietudine, durantem, exhibuit. Postea fervor, pedetentim imminutus, *g* ægrum cum sudore totus deseruit; *h* sequentibusque duobus diebus ægrum ab eo immunem reliquit. *i* Quarto post die, circa *k* duodecimam meridianam, pandiculationes, horror, calor, pulsus vitiatus, sitis & capitis dolor, rursus invaserunt; eaque tandem rursus aucta, deinde imminuta, ipsum ut prius reliquerunt. Postea intermittentibus paribus, ut antea, diebus, jam quater similes passus est paroxysmos.

a Quartana.) Hippocr. popular. j. Sect. iij. *loquitur etiam, de quintana, septimana & nonana, verùm nostris in regionibus septentrionalibus, rarissimæ sunt ejusmodi febres, siquidem significant fomitem adeò crassum, ut ad rarefactionem, vix, aut nè vix quidem, perduci possit, sed potius generet hydropes, paralyses, atrophias &c.*

b Melancholicus.) *Ita semper quartanæ oriuntur ab humore terrestri ad austeritatem vergente.*

c Valde angentes.) *Quomodo hinc sanguis incrassetur, supra dictum est* lib. j. med. de melancholia & nimiis vigiliis.

d Horam quartam.) *Debuisset quoque Auctor notare tempus anni ad diagnosin & prognosin melius instituendam.*

e Oscitationes, pandiculationes.) *Quæ sunt totidem convulsionum species majores, quàm in aliis febribus intermittentibus.*

f Per horam.) *Aliquandò hæc continuant ad duas, tres, & plures horas, antequam ardor subsequitur.*

g Ægrum cum sudore.) *Sicuti etiam in quotidiana & tertiana intermittente, sed serius, saltim in quartana confirmata.*

h Subsequentibusque duobus diebus, &c.) *Plerunque homines, tempore intermissionis, benè edunt, bibunt, digerunt & egerunt: quæ satis denotant, febrim posse adesse absque intemperie notabili totius sanguinis; quæ si adesset, morbus esset complicatus.*

i Quarto post die.) *Vix licet ex primo paroxysmo determinare, cujusnam naturæ febris sit futura.*

k Duodecimam.) *Ergò est quartana erratica: nam supra dixit, primum paroxysmum invasisse hora pomeridiana quarta.*

Afficitur in hoc ægro *a totum corpus*, quod ex horrore, cum oscitationibus & pandiculatiouibus præcedentibus conjuncto, & calore insequente; item *cor*, quod ex pulsu vitiato; nec non *œsophagus*, & *caput*, quod ex siti ac capitis dolore est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies quædam sanguinis melancholica & *b* malignior; quæ quarto quoque die, post sanguinis justo *c* minorem in corde effervescentiem, nimis vehementer incalescens, & tandem post quinque vel sex horas penitus defervescens, *febris Quartana*, sive *Quartana intermittens* appellari solet. *Eaque* ex horrore, *d* cum pulsu debili ac tardo, & insequente magno & inæquali, ac reliquis symptomatis, quarto quoque die redeuntibus, & postea cessantibus, est perspicua.

a Totum corpus.) *Extra paroxysmum, verum id esse semper, negamus.*

b Malignior.) *Attamen* Hippocrates popular. j. Sect. 3. *ait*, ἀσφαλέστατος ... πάντων καὶ ῥήϊστος ὁ τεταρταῖος, *i. e.* Securissima verò omnium & facillima est

est quartana : *sed variat ejus indoles ratione regionis, ætatis, sexus, tempestatis anni & similium.*

c Minorem effervescentiam.) *Frigus hic majus esse, quàm in aliis febribus, mirum non est, propter febrilis materiæ terrestrem & austeram naturam.*

Pulsu debili, tardoque.) *Aliquando etiam lipothymia & suffocatione hypochondriaca.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diuturnus animi, ex multis curis, angor, unde, adjuvante, melancholico nostri ægri temperamento, multi melancholici in toto corpore retenti & geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum, lapsu temporis, malignam pravitatem contrahens, quæ quarto quoque die, post præcedentem horrorem, in corde præter naturæ modum & malignè incalescit; & inde in totum corpus [illegible], *continens* hujus morbi, & symptomatum, existit causa.

a Causa procatarctica.) *Vid.* Hipp. Sect. iij. Aph. 21. & 22. *Magis tamen culpandus est autumnus, quàm æstas aut ver: undè* Pechlinus *ait, quod invadit hic morbus cum æstatis fine ad solstitium usque, rariùs post Kalendas Januarias; sed qui deficiente hyeme, aut ineunte vere, vel æstate in febrim hanc inciderit, mihi (inquit) visus est nemo. Reliquæ causæ procatarcticæ, cùm tendant omnes ad incrassationem sanguinis & obstructiones, liquidum est, febrium essentiam, non consistere in circulatione sanguinis aucta.*

Dum enim pars istius materiæ morbificæ, *propter melancholicum suum temperamentum, quarto quoque die effervescere incipit,* ipsa primò reliquis sanguinis partibus non satis bene miscetur, multasque a partes aqueas aliasque crassas admixtas habet; atque ideo, ubi ea ad cor primum est delata, imminuitur primò ipsius calor, eoq; *excitatur pulsus debilis, & tardus &* b *totius corporis frigus;* in cerebro verò hinc talis efficitur spirituum animalium motus, ut illi, inordinatè & vehementius in musculos & cutim influentes, c convulsivum quendam in toto corpore producant motum, qui, cum prædicto totius corporis frigore conjunctus, *rigor & horror* nuncupari consuevit. d Dispersis, & discussis ex sanguine aqueis & crassis istis partibus, iisque satis attenuatis, reliquæ effervescentis humoris partes cor ingressæ, & cum sanguine ibi melius mixtæ, concipiunt majorem calorem: unde tunc oritur *pulsus magnus, celer, creber,* & propter heterogeneas sanguinis partes, inæqualemque spirituum in cordis & arteriarum fibras influxum, *etiam inæqualis:* : item ob œsophagi, ex ardore isto, exsiccationem, *sitis;* & e ob acrem & fervidum sanguinem, in cerebri & totius corporis membranas sublatum, *dolor capitis & totius corporis inquietudo.* Atque hæc symptomata tam diu durant, donec materia effervescens, vi effervescentiæ f post quinque vel sex horas in sudores soluta, per eosque discussa, ægrum à febrili paroxysmo immunem, per sequens biduum, fecerit. Alia vero pars materiæ morbificæ, propter melancholicum suum temperamentum, quarto quoque post die, similiter effervescens, paroxysmos alios quartanarios, & similia hactenus induxit symptomata.

a Partes aqueas.) *Potius terrestres, salinas fixas, vel austeras: hinc non rarò simul peccat alvus adstricta, suppressio mensium, &c.*

b Totius corporis frigus.) *Ita ut aliquibus dentes strideant, & simul cum iis cubilia concutiantur.*

c Convulsivum.) *Signum est salis acris, vel austeri peccantis.*

d Discussis.) *Non in principio ardoris sunt discussæ, sed tunc reliquis sanguinis partibus melius permisceri inci-*

incipiunt, ut successivè dividantur & discutiantur, vel optimè sanguini permisceantur.

e Ob acrem sanguinem.) *Addenda erat obstructio glādularum salivalium.*

f Post quinque vel sex horas.) *Symptomata multa hujus febris durant interdum per 12. horas, & ultra.*

Metus est, nè hæc febris ex natura sua *a* longissima sit futura, & cachexiam, hydropem, scorbutum, vel alia gravia mala accersat, *b* ideoque *Curatio* diligentissime erit instituenda.

a Longissima.) *Vide* Hipp. Sect. ij. Aph. 25. *ubi ait:* Quartanæ æstivæ plerunque nunc breves, autumnales verò longæ, & maximè quæ prope hyemem incidunt; *ratio est, quòd sanguis & humores hyeme sint crassiores, adeòque minus dissipabiles, præsertim cùm pori, tubuli atque canaliculi partium stabilium tunc temporis etiam sint angustiores.*

Hinc plurium decursu seculorum (ut loquitur Pechlinus*) in ludibrium transiit quartana medentium: Vidimus in plures annos protractas quartanas, nunc tristi, nunc felici exodio finitas: Vulgaris est Quartanariorum querela in illo Scorbutico plagæ hujus contagio, superesse semper aliquid, etiam post morbum, quod malè habeat, plenæque valetudinis gaudium infringat. Et ut quidem illis acutarum febrium invasionibus, minus sint obnoxii quartanarii, à chronicis tamen morbis, quibus ipsa illa febris natura affinior, immunes non degunt; adeò novum non est, quartanarios negligentius habitos, vel corporis vitio huc delatos, in icterum, hydropem, morbumque tabificum prolabi.* Hippoc. Sect. v. Aph. 70. *inquit,* à quartanis correpti, à convulsione non admodùm corripiuntur: si verò prius corripiantur, & postea quartana supervenerit, liberantur: *ratio esse videtur, quòd luctâ particularum, sanguinem constituentium, iteratâ & violentâ, acres humores dividantur & per emunctoria corporis eliminentur, præsertim si accedat bonum medelæ regimen.* Sect. viij. Aph. iij. idem, *inquit,* quibus in febribus quartanis existentibus sanguis ex naribus fluxerit malum: *Nempe indicat crebra illa hæmorrhagia valdè magnam sanguinis acredinem, nec non virium prostrationem.*

Eaque, a in pravorum humorum eductione, & intemperiei sanguinis, per contraria correctione consistet.

a In humorum eductione.) *Necessum autem est, ut præcedat bona præparatio.*

Primo itaque, die apyrexiæ, æger purgetur ℈j. a *tartari vitriolati &* b *scammonii gran. ix. cum jusculo exhibitis.*

a Tartari vitriolati.) *Præferimus cremorem tartari & tartarum tartarizatum.*

b Scammonii.) *Loco scammonii.*

℞. Extract. helleb. nigr. gr. vij. *aut* x.
Lap. lazuli gr. xiv. *aut* xvj.

Postridie *a* sanguis educatur *b* ex brachio sinistro ad uncias sex.

a Sanguis educatur.) *Curatio, si plethora & cacochymia adsit, à venæ-sectione est incipienda.*

b Ex brachio.) *Ex pede potiùs, quia sanguis hic peccat crassus, modò vasa sint satis magna.*

Deinde *a* utatur hoc apozemate, bis de die; sumendo singulis vicibus haustum trium vel quatuor unciarum.

℞. *Herb.*

℞. *Herb. fumariæ, scolopendriæ,*
Card. bened., agrimoni.
Ceterach. capill. ven. an. M.j.
Flor. cordial. an. p.j.
Cort. rad. fœnicul., liquirit. ras. an. ℥ß.
Sem. agni casti ʒiij.
anisi ʒiß.
Rad. capparum, tamarisci ʒiiß.
Epithymi, polypod. querc. an. ʒiij.
Pruna damascena Num. xiij.
Decoque in aq. hord. q. s. ad lib. j. ß.
Colaturæ adde syr. de cichorio cum rhabar. ℥iß.
Misce F. Apozema.

a Utatur hoc apozemate.) *Mirificum (inquit* Pechlinus*) quod quartana duris, violentissimisque remediis sæpe magis exasperetur, quod in plurimis, tum maximè in Fœmina mihi compertum est, quæ post sumptum emeticum, quinquaginta dejectionibus mistis vomitibus exhausta, jamque mortuæ quàm vivæ similior, eodem tamen horæ momento, inter illas turbas recidivam sensit, ex qua, cum morituram omnes crederent, evasit quidem, sed post sex demùm hebdomadum spatium, & aëris verni beneficio. Loco apozematis Auctoris, commendaremus vinum aliquod medicatum ex* lign. *sassafras. colubr.* Cort. *Winter.* rad. *gentian. imperator.* *galang. min.* herb. *absinth. card. bened.* Flor. *centaur. min. chamom.* sem. *fœn. apii,* bacc. *junip. & sale tart. & ita corpore ritè præparatô, nec non primis viis mundificatis, commendaremus usum corticis Peruviani cum syrup. de card. ben. ad consistentiam conservæ redacti, additô pauxillo crem. tart. dosis sit ad magnitudinem nucis moschatæ, sexies vel octies de die: Postquam autem cessaverit quartana, commendamus laxantia, ut residuum corticis, quod forte nocere posset, ex primis viis educatur: & hac methodo felicissimè & brevissimè quartanas sæpè profligavimus. Confer* Willis. & Richard. Morton. *in* πυρετολογία.

Ubi *a* sedimentum in urinis apparere incœperit, purgetur interdum tali medicamento purgante:

℞. *Cassiæ recens extractæ* ℥ß.
Confect. hamecb. ʒiij.
Aq. hord. ℥iij.
Misce F. Haustus.

a Sedimentum.) *Hoc notat mali causam ad evacuationem jam esse proclivem.*

Et subinde *a* ante paroxysmum exhibeatur hic Bolus.
℞. *Sal. absinth. card. bened. ana* ℈ß.
Theriacæ, extracti card. bened. an. ℈j.
Cym syr. de lim. q. s. F. Bolus.
Vel ℞. *Salis absinthii, card. bened. an. gr.* xv.
Tartar. vitriolat. gr. vj.
Sacchar. perlati ℥ß. *Misce F. b Pulvis.*
Immediatè ante paroxysmum assumendus.

a Ante paroxysmum.) *Biborium nempe ante paroxysmum, ut vis remedii ad sanguinem perveniat, antequam fomes febrilis ipsi communicetur: attamen cave à potentioribus sudoriferis corpore nondum rite præparatô.*

℞. Salis absinth. ℈j.
Bezoard. miner. gr. xvj. *aut* ℈j.
Cort. chinæ chinæ ʒiß.
M. f. Pulvis, cum vino calido sumendus.

Si insultus valdè sint feroces, medicamini antefebrili interdum addi potest:

Laud. opiat. gr. j. *aut* ij. *aut*
Tinct. opii cochl. ß.

b Pulvis:) *Videsis* Paul. Barbette prax. cap. iij.

Summe etiam hic commendatur cortex Indicus, *a* China China dictus.

a China China.) *Vid.* Roland. Sturm. Febrifugi Peruviani Vindicias, *nec non citatum* Richard. Morton. *in* pyretologia; *item* Samuel. Dale pharmacolog. part. 2. Sect. iv. *titul.* de arbore febrifuga Peruviana. *Etiam potest exhiberi pulvis rad. ostrutii ad scrup. ij. aut drach. j. vel pulv. rad. gentianæ ad drach. j.*

Tinctura ligni Colubrini *sæpius usitata, multos sanavit. Neque negligenda sunt vomitoria, præmissis universalibus, præsertim si inflata sint præcordia, vel adfuerit in vomitum propensio.*

a Aër sit temperatus; *Cibi* eupepti & euchymi; *Potus* cerevisia & vinum mediocre; *Somnus* moderatus, *Exercitia* mediocria, *Vitet* tristitiam.

a Aër.) *Sanè (inquit* Pechlinus*) ubi semel hoc fermentum insedit, in illa hyemis, morbum foventis intemperie, haud facile curam admittit; imo & illi, qui initio, & ante redeuntes blandas veris vices sanationem promiserant, lubricam illam experti sunt, & recidivæ obnoxiam: ut non immerito prodigiosum haberi debeat, cùm plerique omnes morbi initio propulsari malint, unum hunc esse, qui initio rebellis, nunquam melius quàm inveteratus, & auxiliante aëre, sanationem vel sponte recipiat. Fuere etiam qui se abstinentia & solitudine, triumphare posse febrim putabant, sed inani opera; adeò plus est quartanam curare, quàm Dæmoniorum istud genus, quod* νηστείαις καὶ δεήσεσι *expellitur.*

XVII.

MEDICATIO VIRI, FEBRI HEMITRITÆA LABORANTIS.

VIr 40. annorum, robustus, *a* malâ diætâ diu usus, incidit matutino quodam tempore in horrorem totius corporis; quem insecutus est calor magnus, pulsus creber, & celer perpetuò durans. Sub vesperam ipsum eodem die, invasit refrigeratio totius corporis, postquam sequebatur pulsus justo celerior & crebrior. *b* Sequente die, calore illo perpetuo & pulsu celeri & crebro durante, leviter perfrigeratus est, calorque deinde increvit & pulsus increbuit. Tertio die rursus mane exhorruit & deinde incaluit; & vesperi, postquam refrigeratus esset,

ſet, etiam increvit calor. Quarto verò die, leviter denuo ſub veſperam refrigeratus, incaluit, & pulſus increbuit. Adeſt *c* ventriculi dolor, ſitis, & capitis gravitas.

a Mala diæta.) *Nimis generalia ſunt hæc verba.*

b Sequente die.) *Debuiſſet addere, quâ horâ? forſan ſub veſperam, quoniam in hiſtoriæ fine dicit*, quarto die leviter denuo ſub veſperam, &c.

c Ventriculi dolor.) *Hæc verba indicant partes primariò affectas.*

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, ut ex horrore, refrigeratione, & ejus incaleſcentiâ: *cor*, ut ex pulſu vitiato: *œſophagus*, ut ex ſiti: *ventriculus*, ut ex dolore & *caput*, ut ex gravitate eſt manifeſtum.

Morbus, qui ipſum affligit, eſt *febris*, *a* quæ ex tertianâ continuâ, & quotidiana intermittente, compoſita, *Hemitritæa*, vulgo appellatur. Idque ex ſymptomatum hic deſcriptorum ordine, & invadendi ratione, & modo, clare innoteſcit.

a Quæ ex tertiana continua, &c.) *Vel reciprocè, ex quotidiana continua & tertiana intermittente.*

Cauſa a procatarctica hujus morbi eſt mala diæta, qua noſter æger diu eſt uſus. Inde verò nata cacochymia pituitoſa, & bilioſa, tum in vaſis, tum *b* extra vaſa exiſtens, *antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. *Pars* verò ejus *una bilioſa*, *mane alternis diebus* horrorem, & perpetuum calorem; pulſumque crebrum ac celerem; *altera* verò *pituitoſa*, *quotidie ſub veſperam*, primò corporis refrigerationem & deinde corporis totius incaleſcentiam, & pulſus celeritatem & crebritatem, item ſitim, ventriculi dolorem, & gravitatem capitis inducens, *c* *continens* hujus morbi & ſymptomatum ejus eſt cauſa.

a Procatarctica.) *Quoniam Auctor mox dicit, indè natam fuiſſe cacochymiam pituitoſam & bilioſam, veroſimile eſt, aſſumpta fuiſſe multa craſsa & acria, qualia ſunt, carnes ſale & fumo induratæ, cereviſia antiqua, legumina, &c.*

b Extra vaſa. *Atqui omnes partes ſtabiles ſunt ex vaſis diverſi diametri, contextæ: forſan autem Auctor hiſce verbis indicare vult poros.*

c Continens.) *Vid. fundamenta in antecedentibus data.*

Morbus hic, quia totum corpus affligit, & ex cacochymia *a* contraria, bilioſâ ſc. & pituitoſa, maligna & putreſcente, originem ducit, ſatis eſt *b* periculoſus. *Curatio* itaque diligentiſſime eſt inſtituenda.

a Contraria.) *Dic potius ſanguinem eſſe craſſum ſimul & acrem.*

b Periculoſus.) *Propter paroxyſmorum crebrorum vehementiam.*

Eaque conſiſtet in cauſæ procatarcticæ, antecedentis & continentis, ac intemperiei, per contraria, ablatione.

Primò itaque injiciatur *a* clyſter emolliens, quo inteſtinis evacuatis, *b* ſanguis, ex brachio dextro, *c* tempore minoris affictionis, educatur ad ℥vj.

a Clyſter.) *Non diſſuadendus etiam eſt purgans internum, ut primæ viæ primò mundentur, ſed tamen habeatur ratio febris, quæ purgantibus exacerbatur.*

b Sanguis educatur.) *Fiatque altero*

ero isto die, quo unus tantum invadit paroxysmus, horis quatuor ante eundem.

c Tempore minoris afflictionis.) *Alias in remissione cõtinuarum febrium adhibenda sunt medicamenta febrifuga: v.g. diaphoreticæ & nitrosæ mixturæ, additô laud. opiat.*

Et bibat de hoc julapio:

℞. *Syr. acetosi simplicis* ℥ij.
Capill. veneris ℥j.
Aq. borrag., cardui bened. an. ℔ß.
a *Spirit. vitriol. q. s. pro grato acore*, *Misce*, F. Julep.

a Spirit. vitriol.) *Hic nimis est acidus fixus, substitui autem potest sp. sal. dulc. vel nitr. dulc.*

a Purgetur etiam subinde, tempore minoris afflictionis, tali purgante medicamento:

℞. *Electuarii diacatholici* ℥ß.
Diapruni sol. ʒiij.
Cassiæ recent. extr. ʒij.
Aq. car. bened. q. s. *Misce* F. Haustus.

a Purgetur etiam subinde.) *Maximam curationis partem absolvunt sudorifera temperata; v.g.*

℞. Aq. Card. ben. ℥jv.
ther. simp. ʒß.
prophyl. Sylv. ʒiij.
antim. diaph. ℈ij.
tinct. croc. ℈jv.
laud. op. gr. ij.
syr. card. ben. ʒvj.
M. dosis est ad cochlearia ij. *vel* iij. *singulis horis dimidiatis.*

Et a utatur hoc apozemate:

℞. *Rad. petrosel., polypod. querc. an.* ℥j. *cichor.* ℥ß.
Fol. agrimoniæ, acetosæ, cichorii, melissæ, an. m. j.
Flor. centaur. min. genistæ an. p. j. *tamarindor.* ℥j.
Decoq. in aq. hord. ℥xvj. *addendo sub finem decoctionis fol. senæ* ℥iß. *in Colatura dissolve syr. de cichor. cum rhabarb.* ℥iß.
Misce pro Apozemate, *de quo quotidie sumat* ℥iiij.

a Utatur hoc apozemate.) *Tale remedium conveniret magis febre absente.*

Victus sit tenuis, temperatus. Tempus cibandi sit circa horas minoris afflictionis. *Potus* sit cerevisia tenuis, bene defæcata, item julep. ex aq. endiviæ, cichor., rosar., viol., borrag., de succo citri, ribium, & similibus. *Perturbationes animi* fugiendæ, & cum spe eventus exspectandus.

XVIII. ME-

XVIII.

MEDICATIO PUELLÆ, a FEBRI PESTILENTI LABORANTIS.

PUella viginti annorum, *b* grassante peste, subitò *c* magno horrore fuit correpta; quem primo die insecutus est pulsus *d* celer, creber, & debilis, *e* magnus corporis calor, & capitis dolor magnaque *f* virium animalium debilitas. Postridie in *g* inguine dextro apparuit bubo, & infra illud, in femore, erupit *h* anthrax.

a Febre pestilenti.) *Ita loquitur Auctor juxta sententiam aliorum Auctorum, distinguentium febrim pestilentialem à peste; ita quoque* Paulus Barbette tract. de peste, *sequentia profert*: quædam (*ait*) omninò sine febre est. Hoc qui ignorat, majori indiget experientia, & se non satis in bonorum Auctorum Scriptis versatum prodit. Non paucis adfui, quibus, aliàs sanis, benè & comedentibus, & dormientibus, bubones erant in inguine, in collo, sub axillis & post aures, malignitatem suam in curatione magis manifestantes, quàm bubones illi, qui febrem intensissimam comitem habebant: imò quidam jam satis admoniti, sed homines præfractæ mentis summeque increduli, magno cum suo damno experti sunt, hosce bubones ad interiora propulsos & imminutos, illicò graviora symptomata excitasse, & multò periculosiora iis, quàm quæ media convenientia adhibentibus eveniebant, & hac de causa etiam facilius curabantur. *Similiter* Doctissimus Pechlinus obs. phys. med. lib. ij. obs. xviij. *inquit:* Novi olim hominem, grassante Lugduni Peste, τετράγωνον planè suique fidentem, cui cùm omnes liberi Peste erepti essent, conjuxque adhucdùm ex illa periclitaretur, ipse bubonem in inguine sensit circumtulitque ipsas quinque septimanis, nihil ob hoc intermissis operis, aut vitato sodalium commercio, atque ille quidem à tot indè septimanis securus rem amicis aperit, qui statim gravati periculosam hominis consuetudinem, abesse eum tamdiu à contubernio operisque jubent, donec percuratus integrum corpus ostenderet. Igitur advocato Chirurgo tumorem maturari sinit, qui emplastro diachylon & galbano, non nisi laboriosè, & post profusas aliquot saniei putridæ fœtentisque libras sanari potuit. *Verum enimverò, constabit circa causarum explicationem, impossibile esse ullam unquàm pestem dari posse sine febre: constabit simul, quâ de causa febris in nonnullis vix sit observabilis.*

b Grassante peste.) *Hæc rectè Auctor addit, quoniam nonnunquam citra contagium aliquod epidemicum, eadem fere quæ in peste aut febri pestilentiali occurrunt symptomata, v. g. si venenum aliquod secundi generis, quod occultâ qualitate agere dicebant Veteres, sanguini fuerit communicatum: Hinc quoque celeberrimus* Pechlinus obs. lib. ij. obs. xvij. *ita loquitur: Est sæpè peculiaris quædam corporum corruptela, quæ aëris, diætæ, aut alterius causæ occasione plures invadat juguletque ejusdem vel complexionis aut contubernii hospites, nec tamen pestis*

nomen

nomen mereatur, nisi jam quotidiè in Castris grassantes quosque morbos sic appellare velis.

c Magno horrore.) *Diversimodè pestis homines invadit, nonnunquam cum cardialgia intensa & vomitu, nonnunquam cum propensione in somnum extraordinaria, sive comate somnolento, aliquandò cum cephalalgia intensa, lipothymia, palpitationibus cordis &c.*

d Celer & debilis.) *Tales pulsus sunt hoc contrarii, itaque confirmantur ea, quæ diximus supra ad quæstionem, an pulsus præter naturam celer, sit signum circulationis sanguinis auctæ.*

e Magnus corporis calor.) *Jam sæpenumerò in antecedentibus inculcavimus hunc magnæ sanguinis humorumque esse indicem acrimoniæ fixæ.*

f Virium animalium.) *Quidni etiam, sodes! naturalium (ut vocant) & vitalium?*

g In inguine apparuit bubo.) *Aliquando hic apparet ponè aures sub axillis, aliisque in corporis partibus glandulosis: circumferuntur autem (rectè notante* Pechlino*) aliquandiu pestis vitia, antequam in superficiem specie vel tumoris aut exanthematum emergunt; & verò illa in cutim proruptio signis testata, sic uni pesti propria est, ut non antè decerni de ea possit, quàm istorum aliquid oculis appareat, sive ante seu post mortem.*

h Anthrax.) *Hic bubone pejor est, utpote qui gangrænam, & sphacelum partis affectæ significat, quapropter hæc verba faciunt ad prognosin.*

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, ut ex horrore; *cor*, ut ex pulsu vitiato, & virium animalium debilitate; *caput*, quod ex dolore; item *inguen*, quod ex ejus bubone; & denique *femur*, quod ex ejus anthrace est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est *a* intemperies epidemica maligna, calida & contagiosa sanguinis & cordis, *b* ac fixa sive coagulatoria spirituum: quæ primò horrorem, & deinde pulsum crebrum, celerem & debilem, calorem magnum corporis, doloremque capitis, virium *c* debilitatem, ac bubonem, *d* cum anthrace, inducens, *e Febris pestilens*, vel *Pestis* vulgò appellatur.

a Intemperies maligna.) *Malignitas hæc nihil aliud significat, quam secessionem particularum sanguinis à se invicem majorem, hujusque vel dissolutionem, vel coagulationem, prout fermentum pestilentiale diversam habuerit indolem, diversaque afficiat subjecta.*

b Ac fixa sive coagulatoria.) *Hinc discimus, quod non argumentandum sit semper à volatilitate rerum in aëre &c. ad volatilitatem earundem in corpore humano.*

c Debilitatem.) *Sc. subitaneam & magnam.*

d Cum anthrace.) *Talibus apparentibus signis de peste vix dubitare licet.*

e Febris pestilens, vel pestis.) *Supra jam notavimus à quibusdam pestem distingui à febre pestilentiali.*

Procatarctica hujus morbi *causa a* est aër, *b* pestilenti halitu sive vapore, ob pestem grassantem infectus; undè primò levi vitio, *c* per inspirationem, sanguis in pulmonibus existens, & inde in totum corpus delatus, fuit affectus; isque *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus majorem malignitatem & calorem adepta, & ad cor delata, ibique spiritus sanguinis figens, & ita in varias corporis partes delata, *d continens* hujus morbi, & symptomatum ejus, est causa.

a Est aër.) *Nempe hic refertus est particulis copiosis acribus, nonnunquam salinis, nonnunquam acidis corrosivis, quatenùs effluvia acria ex gremio*

mio telluris, stagnis, lacubus, fodinis, &c. per terræ motus & pressionem radiorum solarium elevantur, quæ respirando & deglutiendo, sanguini communicata, mixturam ejus vehementer turbant, pariuntque in diversis subjectis, diversis temporibus, pro genio suo diverso, vel dissolutionem vel coagulationem valdè magnam: undè dirimi potest quæstio Auctorum, an pestis pariat sanguinis vel dissolutionem, vel coagulationem? verum enim est utrumque, & œconomia animalis utroque modo satis invertitur. Multum etiam (inquit Pechlinus) *morbi aut contagii grassantis corruptelam auget athmosphœræ ingenium, illa ipsa enim est, quæ vagum alias, aut fugitivum miasma affinitate quadam complectitur, & quod in sinu alit vitium, augendo morbo impendit. Morbus ille Epidemius, qui ante hos viginti annos Lugdunum Batavorum miserè vexabat, & totum Senatum, Clerum, Academiamque exhauserat laborantium copiâ, Peste truculentior (nulla namque in tota Urbe domus ab ægris funeribusque vacabat) athmosphœræ ingenio, putidisque operariæ Urbis vaporibus, in illa aquarum stagnantium corruptela originem fortè debuit, sic namque unius Urbis ambitu contagium illud terminabatur, ut in quàm frequenti illo vicinarum Urbium commercio, paucæ admodum Urbes contagium receperint: confer* Ch. Love Merley de morbo epidemico. *Ratio autem cur, utut aër universaliter sit infectus, non tamen æque omnes afficiat? petenda est ex* Hipp. lib. de flat. sect. viij., *ubi ait, differt corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento; non enim omni animantium generi eadem aut conferunt aut commoda sunt, sed sunt alia aliis magis convenientia. Ita eleganter citatus* Pechlinus *sequentem in modum loquitur. De contagio (inquit) hoc propriè tenendum, non aliud esse, quàm miasma aliquod, ab ejusdem speciei corporibus in vicina corpora propagatum, neque jam referre, utrùm aëris, an lymphæ fluidum, an vero solidum aliquod agnoscat vehiculum, malignumque sit, an benignum, nam certè ludicrorum morborum etiam quædam sunt contagia. Videmus utique in tam affini hominum animantiumque constitutione, uni tamen speciei sic alligari contagium, ut non temerè in aliam proserpat. Bestiarum, suûm, pecudumque contagium nihil habet cum hominibus commune: hominum contra istud bestiæ nihil morantur, sed in suo quodque genere determinatum grassatur atque enecat. Vid.* Diemerbroek. de peste; Paul. Barb. Helmont. in tumulo pestis, &c.

b Pestilenti halitu, sive vapore.) *Ex remotioribus plagis unà cum mercatura, supellectili, &c. propagari hoc miasma, satis superque docuit tristis experientia.*

c Per inspirationem.) *Adde & deglutitionem, & forsan etiam per cutim.*

d Continens.) *Kircherus ponit vermiculos in sanguine tempore pestis: nec id ratione repugnat, præsertim inventis talibus vermiculis ope micoscropiorum in pluribus liquoribus: confer* exper. microscop. Anton. à Leeuwenhoek.

Cum enim materia ista effervescens & corrupta multas aqueas & crassas contineret partes, & cum reliquo sanguine non satis bene esset mixta, hinc ea in corde non satis bene incalescens, spiritusque in cerebro inordinate movens, *horrorem* illum in ægra nostra excitavit. Dissipatis verò & dispersis istius sanguinis effervescentis & cor ingredientis partibus aqueis & crassis, reliquæ fervidi sanguinis partes, cor ingressæ, magnum conceperunt *calorem*, qui deinde per arterias toti corpori, & præsertim capiti, secundum acriores partes fuit communicatus, atque inde *totius corporis calor* & ingens *a capitis dolor*, fuit productus.

a Capitis dolor.) *Qui vel per transennam ad prædicta attenderit, clarè satis omnia pestis phœnomena explicabit.*

Et quia in hoc affectu, *a* ob ejus fixatoriam, & coagulatoriam malignitatem, spiritus figuntur, sive coagulantur, & multæ sanguinis partes incrassantur, hinc *pulsus* nostræ ægræ est quidem, ob fervorem, *b celer & creber*, sed ob fixionem & coagulationem spirituum *debilis*: atque hinc etiam *illa virium animalium adest debilitas*; Partesque sanguinis quædam crassæ, *c* ad inguen, ob pororum ejus laxitatem, propulsæ, *produxerunt bubonem*; & calidiores ac acriores ad femur depositæ, *anthracem ibidem genuerunt*.

a Ob ejus fixatoriam, &c.) *Explicatio est ejusdem per idem, vel, si malis, occulta qualitas. Clarè satis per experimenta chymica & injectiones per apertam venam in sanguinem patet, quomodo ille & dissolvi & coagulari potest ad interitum animalis.*

b Celer & creber.) *Hic vulgo dicitur febrem indicare, locumque magis habet in sanguinis subita dissolutione; verùm in coagulatione magis languidus est & tardus, tuncque febrem abesse statuunt, sed immeritò.*

c Ad inguen.) *Sæpe etiam sub axillis & pone aures, bubones prodeunt.*

d Femur.) *Non etiam anthraces femori sunt singulares.*

a Metus est ne hic morbus, ob summam ejus malignitatem, ex symptomatum vehementiâ manifestam, ægram nostram citò interimat. Quia tamen est juvenis, *b* & multi ex hoc morbo evadunt, *c* spes omnis nondum decollavit.

a Metus est.) *Causa mali cum sit in aëre, quem inspiramus continuè, suppeditatur nova contagii materia, antequam prior est discussa.* Paulus Barbette tract. de peste, *rectè dicit, pestem habere naturam fallacissimam, & dùm maximè adblanditur, maximè nocere, similiter etiam* Pechlin. obs. phys. med. lib. ij. obs. 17. *inquit, si quis morbus est, qui periculo, magnitudine & symptomatum novitate terret, est is profectò maligna & contagiosa febris, adeò enim sæpè ferale venenum modicis levibusque specie signis occultatur, ut ubi secura omnia & tuta dixeris, repentina mutatio prognosticum deserat, Medicumque in infamia relinquat: Bubones non sunt adeò periculosi ac anthraces, hi enim significant gangrænam & sphacelum: bubo pone aures, in collo aut sub axillis periculosior est quàm in inguine, sique anthrax ipsi accedat, lethale signum haberi solet. Pessima est exanthematum sive petechiarum ratio, ubi lividæ sunt vel nigræ, hæ enim nihil aliud quàm universi corporis Gangrænam, aut Carbunculum referre videntur, adeò cum istis ullum unquàm convaluisse dubitamus, quæ etiam (verba sunt Pechlini) est severiorum Practicorum, tum imprimis optimi Pestilentiæ arbitri Diemerbroekii observatio. Confer* Laurent. Donckers ideam febris petechialis.

b Multi evadunt.) *Non ita quidem in principio pestis, quam elapso aliquo tempore, inventis remediis appropriatis.*

c Spes omnis.) *Spes adhuc superest, ubi Lipothymiæ non sæpe redeunt, & pauciora sunt symptomata.*

Idcirco magna *a* cum diligentia *b Curatio* est adhibenda; *quæ* in malignitatis expulsione, & per contraria, ac præsertim volatilisantia, correctione, & tumorum ablatione, consistet.

a Cum

a Cum diligentia Curatio est adhibenda.) *De venæsectione cum res sit anceps, nos arbitri esse nolumus, nam varii inde dantur contrarii eventus, attamen in eam nos inclinamus sententiam, ut venæsectio admitti possit, imò debeat, ubi vires satis constent, & magna adsit plethora, ea tamen lege, ut mox sudoriferum adhibeatur, ne forte Exanthemata intro vergant. Idem etiam dicimus in variolis & morbillis.* Paulus Barbette *verò dicit, Venæsectionem peste laborantibus admodum noxiam esse, ut & iis, qui à peste præservari volunt. Confer* Willis. & Sydenham.

Quæstio etiam est de purgatione? sed nos respondemus, diarrhœam pesti supervenientem esse plerumque lethalem, adeòque omittenda esse omnia purgantia acriora, certum enim est, quod simul mixturam sanguinis turbent, ita ut asseverare audeamus, nullam unquam purgationem evenire sine febre, majore vel minore.

b Curatio.) *De præservativis vide* Mulleri miracula chymica; *inter hæc refertur tabacum, nam in peste quadam Londinensi omnes officinæ tabaci à peste erant immunes, sed tamen id non universaliter succedit: præservativum universale naturale dicunt nonnulli esse frequentem salivæ expuitionem.*

Alii pennam anserinam argento vivo repletam de collo gestant; sed omnium certissimum habetur proverbium: cito, longe, tarde: *cito & longe abi, tarde redi.*

Primo itaque exhibeatur talis a potio cardiaca, sudorifera, & bezoardica:

℞. b *Aq. theriacalis ℥ij.*
Elect. de ovo, vel diascordii ʒj.
c *Misce pro* Potione, *quam sumat corpore bene tecto, ut proliciantur sudores.*

a Potio cardiaca, &c.) *Eadem medicamenta hic juvant, quæ in febri maligna.*

Ita conducunt omnes radices pestilentiales, & aromaticæ, quæ multum salis aromatici & amaricantis habent, ut Radic. Gentian. Zedoar. Tormentill. Carlin. Angelic. Petasit. Contrayerv. Pentaphyll. *Fol.* Scordii, Card. Scorzoner. Ulmariæ, Salviæ, Rutæ, Flor. Calend. &c.

Cardiaca, debent esse constantia, ut Lapid. Pretiosi, Lapid. Bezoar. Corallia, Rasur. Eboris, Corn. Cerv. UniCorn.

Gelatina corn. cerv. acidulata succo citri, & nobilitata aquâ cinnam. valde hic laudatur, quia humores acres temperat, mixturam sanguinis corroborat, sicque vires confortat. Prodest etiam caro viperina, spiritûs sulphuris p. camp. spiritus vitrioli, nitri, salis, &c.

b Aq. theriacalis.) *Auctores nonnulli disputant, an theriaca in peste proficua sit, siquidem satis larga opii quantitas ipsi sit permixta, quæ soporem inferendo periculum augeret? sed respondemus, primò eligendam esse theriacam vetustam, in qua vis opii est imminuta: secundò, quod urgentibus vigiliis, deliriis, &c. modicus opiatorum usus sit necessarius. Formulam aquæ theriacalis cõvenientem tradit* Diemerbroekius lib. de peste: *&* River. loc. cit. *commendat aquam theriacalem* Bauderonii, *ut maximè temperatam. Vide* Diemerbroek. lib. iij. cap. v.

c Misce pro potione.) Riverius prax. medic. lib. 17. cap. 1. Sect. iij. *commendat pulverem sequentem, cui nos adderemus Theriacam vet. ad ʒiij. ut f. Bolus pro iij. dos.*

℞. Bezoar. Mineral. drach. iij.
Salis Prunell. drach. ij.
Camphor. drach. j.
M. f. Pulvis.

Dosis ejus est ad drach. j.

Sudore jam peracto, sumat cochleare unum vel alterum sequentis *a* syrupi, per se, vel cum jusculo:

℞. *Syr. de limonibus.*
De acetositate citri ana ℥iß. *Misce.*

Et reficiatur sæpe jusculis efficacibus, contusis, & congelatis; ac bibat *b* lac amygdalatum.

a Syrupi.) *Permisceatur potius hisce syrupis aqua theriacalis & prophylactica Sylvii, ut cochleatim assumi possint.*

b Lac amygdalatum.) *Lacticinia hic sunt suspecta.*

a Anthraci hoc imponatur cataplasma.

℞. *Fol. scabiosæ, pulpæ ficuum an.* ℥ß.
Contusis adde ol. lilior. q. s. Misce pro Cataplasmate, *cui postridie resina laricea & vitellus ovi q. s. addi poterit.*

a Anthraci.) Paul. Barbette loc. cit. *jubet ut quantocyus suppuratio promoveatur exitiosaque mali propagatio inhibeatur: ad quod præstandum, medium nullum dicit se invenisse melius cauterio actuali, licet etiam non abhorreat à potentialibus: Certè cùm antrax nihil aliud sit quàm gangræna, eodem modo tractari debet.*

a Buboni adhibeatur tale medicamentum:

℞. *Herb. malvæ m. j. flor. camomill. p. j.*
Caricarum pingu. ℥ij.
Cocta pistentur, ac addatur pulv. rad. althææ ℥ß.
Farin. sem. lini, fœnigræci an. ℥ij.
Vitell. ovor. Num. ij.
Emplastri diachyli dissoluti in ol. lilior. ℥j. *salis* ℨij.
F. Cataplasma, *bis in die renovandum.*

a Buboni.) *Vesicatorium commendant Diemerbroekius, Barbette & alii, neglectis cucurbitulis, utpote nimis doloriferis.*

Aliqui bufones siccatos imponunt bubonibus, ut iis mediantibus materia peccans citissime attrahatur, verùm ratione salis volatilis discussionem materiæ peccantis moliri eos putamus: vid. Aquapend. in Chirurgiæ lib. II. cap. 25. & 26.

Escharæ post caustici applicationem adhibeatur unguentum basilicum *cum* theriaca, ol. scorp. & vitell. ovi.

Escharâ sublatâ, vulgaribus detergentibus, exsiccantibus & consolidantibus utendum est, præcavendo nimis subitam ulceris consolidationem.

a Epithema quoque pulsuum & cordis regioni tale, cum linteis expressis, calide adhibeatur:

℞. *Aq. rof.* ℥ij.
Scabiosæ, acetosæ, an. ℥j. *melissæ,*
Aceti rof. an. ℥ß. *pulv. diamarg. frig.* ℨß.
Succ. pom. redol. ℨß. *Misce.*
Applicetur tepide, & sæpe reiteretur.

a Epithema.) *Adde* theriac. vet. ℨiij. *sed tamen hoc in morbo plus præsidii sperandum est ab internis; v. g. confect. hyac., alkerm., lap. porcin. &c.*

Inter

Inter externa remedia numeratur pulv. picis, &c. in cubiculo ægri accensus, & focus luculentus ex lignis structus.

Propter ardores acetum calendularum, rosaceum, aut theriacale aspergitur pavimento, vel evaporatur super laminam ferream candentem. Aliqui in cubiculo suspendunt vas aqua plenum, ut ipsius superficiei venenum adhæreat.

Postridie talis a potio antiloimica & sudorifera exhibeatur:

℞. *Aqu. theriacalis.*
Julapii rosati an. ℥j.
Syr. de limonibus ℥ß.
De agresta ʒij.
Misce. F. Potio, *quæ exhibeatur mane, corpus bene tegendo, ad sudores proliciendos.*

Sudore finito, sumat subinde ʒj. tab diamargariti frigidi.

a Potio antiloimica.) *Temperata & constantia hîc præstant præ subtilioribus, id quod etiam notavit* Baco de Verulam. sylv. sylv. cent. x. experim. 698., in febribus, *inquit*, pestilentibus, intentio quidem est, contagium per sudores & evaporationes expellere, sed tamen optima sunt crassiuscula & frigida, ut nitrum & diascordium, quæ ad tempus expulsionem remorantur, donec natura id lenius perficiat, venustè enim ille dixit in exstinguenda flamma febris pestilentis, natura similis est Populo, incendium domus extinguere conanti, qui adeò occupatur, ut alter alteri sit impedimento: egregium profectò axioma & usus varii, ut quicquid sedat spirituum contentionem, actionem eorum promoveat.

In quibusdam ergo casibus acida volatilia sunt cœteris antiloimicis commiscenda v. gr. spiritus sulphuris, succus citriorum, pomorum Chinensium: *& simil. præterea conveniunt trochisci viperini, & salia* essentialia herbarum.

℞. Aq. Meliss.
Card. ben. ana ℥iij.
Theriacal.
Prophyl. sylv. ana ʒvj.
Theriac. drach. j.
Salis prun. scrup. ij.
Balsam. Peruv. gr. vj.
Syr. Limonum unc. j.
F. Mixtura cochleatim usurpanda.

Sequentibus diebus, si adhuc periclitetur, (quod ex pulsu debili constabit) in usu cordialium, propinatorum, admotorumque, erit pergendum: quibus hæc potio antiloimica & julapium alterans addi possunt:

℞. *Aqu. theriacal. ℥ß. vel ʒvj.*
Syr. de agresta ℥ß.
Julapii rosati ℥j.
a *Aq. calendulæ, scabiosæ an. ℥ß.*
Pulv. diamargariti frig. ʒß.
Misce F. Potio.

℞. *Oxysacchari simpl., syr. de limonib. an. ℥iß.*
Syr. acetos. ℥ß. julapii rosati ℥iß.
Aq. cinnamomi ℥ß. spirit. vitrioli gutt. iij.
Camphor. gr. iiij. Misce, F. Julapium, *quo utatur frequenter.*

a Aq. calendulæ.) *Nempe spirituosæ & efficacis, sæpius super novos flores cohobatæ.*

Interea curet quotidie bubonem & anthracem Chirurgus.

In *a victus ratione*, *Aër* rectificetur rebus odoratis aliquoties in die. *Cibus* sit tenuis & refrigerans. Juscula conveniunt gallinarum & pullorum, duabus horis vel unâ à sudore elapsâ. *b* Congelata etiam dicta, ex carne vitulina, gallinacea, uvis, saccharo rosato. *c Potus* sit cerevisia tenuis cum succo limonum. Jusculis incoquantur, borrago, buglossa, card. bened., fl. violar., rosar. *Somnus* sit *d* moderatus; nam nimius, veneni expulsionem impedit. *Vitet* tristitiam.

a Victus.) *Manê ante egressum in aërem publicum, sumatur cum pane* vinum *vel cerevisia* absinthites; *aut* spiritus juniperi *aut* sp. angelicæ, *aut* acetum calend. *vel* rosaceum, *vel* acetum *prophyl. sylv. ad cochl.* j. *vel* ij.

Aut panis butyratus sumatur cum herba aliqua aut pulv. alexipharmac. superbibendo cerevisiam antiquam.

In ore teneatur myrrha *aut* rad. angelicæ, *& sudarium aceto alexipharmaco imbuatur, naribusque sæpe admoveatur. Sputum sæpe exspuatur.*

b Congelata ex carne vitulina.) *Etiam, ut supra dictum, ex cornu cervi, alterata acido citrii.*

c Potus sit cerevisia.) *Etiam vinum mosellanum maturum pro refectione virium, præsertim in assuetis.*

d Somnus sit moderatus.) *Benê hoc dicit, quia aliquando hic morbus degenerat in lethalem soporem.*

XIX.

MEDICATIO PUELLÆ, *a* HECTICA FEBRI LABORANTIS.

PUella 18. annorum, nobilis & opulenta, *b* febri continua putrida, quæ eam aliquandiu periculosè afflixerat, liberata, quamvis *c* nulla febris amplius, uti prius, jam appareant indicia, ipsaque cibos non invita assumat, & ambulare pro arbitrio possit, urinæque sint laudatæ; tamen non reficitur; *d* sed lassa & prostratis manet viribus; corpusque, priore febri acutâ emaciatum, non restituitur in integrum, sed potius magis magisque consumitur; & ubi scalas ascendit, vel alio se exercet paulo majore motu, uti & post cibum assumtum, statim plus justo incalescit, & cor ac arteriæ, circa jugulum & colli latera, ac hypochondria, *e* sensibilius pulsant; reliquo quoque tempore pulsus est concitatior, sed parvus.

a Hectica.) *Febris hæc in* medicatione secundâ, & tertiâ hujus libri, *considerabatur ut symptomatica, hic quasi verò est essentialis & idiopathica.*

b Febri continua putrida.) *Omnes febres participare de natura putredinis supra ostendimus, sed forsan Auctor vult indicare synocham.*

c Nulla febris indicia.) *Verosimile est eam non radicitus fuisse sublatam, per sudorifera & obstructiones tollentia, præsertim quoniam corpus non reficitur*

ficitur

ficitur ab assumptis: nec ratio dissuadet ulcus aliquod in viscere quodam (licet non necessario pulmone) fuisse à praecedanea inflammatione exortum.

d Sed lassa & prostratis &c.) *Hæc indicant obstructiones multiplicatas.*

e Sensibilius.) *Addit hoc, quia semper quidem pulsant, sed non sentitur pulsus, nisi quando vehementius expanduntur aut comprimuntur.*

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, quod *a* ex ejus macie & lassitudine; sed præcipuè *b cor*, quod ex corporis consumtione perseverante, & pulsus cordis & arteriarum vitiis, in historia propositis, est manifestum.

a Ex ejus macie.) *Hinc etiam dicitur hæc febris marasmodes, ut & hectica, sive habitualis.*

b Cor.) *Potius sanguis.*

Morbus, qui eam affligit, est intemperies quædam calida & maligna, ipsam substantiam cordis *a* potissimum occupans; quæ totius corporis continuam consumtionem, & lassitudinem; pulsumque perpetuò *b* concitatiorem & parvum, &, post assumtum cibum, & exercitia paulò majora, pulsationem cordis & arteriarum in collo & hypochondriis *c* sensibiliorem, inducens, *Febris hectica* appellatur.

a Potissimum.) *Hoc falsum esse docet cadaverum dissectio.*

b Concitatiorem.) *Hic producitur ab acribus sanguinis particulis, fibras cordis vellicantibus, & ad tremorem convulsivum stimulantibus.*

c Sensibiliorem.) *Siquidem per luctam particularum sanguinis febrilem latera arteriarum magis expanduntur.*

Causa hujus morbi est *a* febris illa continua & putrida, quâ ægra nostra aliquamdiu periculose afflicta fuit. Illa enim, *b* aptitudine dispositionis cordis nostræ ægræ concurrente, *c* intemperiem illam malignam ipsi substantiæ cordis impressit: unde symptomata superius commemorata originem ducunt.

a Febris illa continua, &c.) *Ergò secundum divisiones Auctorum hic est* secundaria.

b Aptitudine dispositionis cordis.) River. prax. lib. xvij. sect. j. cap. 3. *dicit, quod* alia incipiat à corde, alia ab aliqua parte, ut pulmone, hepate, liene, renibus, utero, aliisque partibus inflammatis, ulceratis, corruptis, aut aliquo alio gravi morbo obsessis: *Et reverâ, quando acres, purulentæ particulæ copiosæ, sanguini & humoribus sunt permixtæ, chyli particulæ oleosæ in earum naturam transeunt, adeoque vasculis fibrillisque in omnem dimensionem augendis, vel conservandis ineptæ sunt, nam allisione continuâ ad stamina partium, molles flexilesque fibrillas consumunt. Potest tamen etiam hectica marasmodes oriri à sanguine valdè crasso viscoso, vel terrestri austero, tubulos canaliculosque partium stabilium ita obstruente, ut chyli portio nutrititia, in omnem dimensionem distribui nequeat. Confer ea quæ attulimus ad* medic. de phthisi.

c Intemperiem malignam.) *Id est, vel à crassa, viscosa, vel acri, purulenta materia, sanguinis mixtura consueta continuè turbatur.*

a Ab hac enim intemperie maligna cordis cum producatur sanguis, qui ad nutritionem & spirituum animalium generationem est ineptior: hinc fit, ut ægræ nostræ *corpus*, quod perpetuò *b* à calore nativo dissipatur, & à sanguine pravo non satis restauratur, *indies magis magisque consumatur, & non nisi cum magna* lassi-

lassitudine, ob defectum spirituum animalium, moveri queat.

a Ab hac intemperie, &c.) *Auctor nondum explicat modum, quo sanguis in corde depravetur. Certe si inflammatio aut suppuratio esset in corde, statim ingentes ejus convulsiones, & ipsa mors sequerentur.*

b Calore nativo.) *Potius praeternaturali.*

Cumque ea intemperies, substantiæ cordis inhærens, sit justo major, & perpetua; hinc *pulsus perpetuo est concitatior; qui tamen* ob *a* paucitatem spirituum in sanguine existentium, *est parvus*.

a Paucitatem spirituum.) *Nempe mixturâ sanguinis turbatâ, secretiones & distributiones humorum succumbunt.*

Ob eandemque intemperiem cordis calidam contingit, ut *post scalarum ascensum, vel cibi sumtionem, pulsus cordis & arteriarum circa collum & hypochondria vehementius & sensibilius moveantur, corpusque ejus plus solito incalescat.* Ab his enim causis *a* calor cordis magis intenditur, & toti corpori mediante sanguine, per totum corpus à corde diffuso, communicatur, & *circa collum & hypochondria*, ubi arteriæ sunt copiosiores & carne minus tectæ *pulsus arteriarum magis percipitur*.

a Calor intenditur.) *Facillimè hæc intensio explicatur ab acredine.*

Morbus hic, quia consistit in ipsa cordis intemperie, valde est *a periculosus*: præsertim cum ægra ex precedente febri valde sit debilitata, & metus sit, *b* ne malum hoc in tabem, ipsas carnosas corporis partes consumentem, abeat.

a Periculosus.) *Præsertim si succedat febrî malignæ, & inflammationi visceris alicujus magnæ. Inveterata est desperata, ut & hæreditaria, vel senili corpori conjuncta.*

b Ne abeat.) *Imo verò jam adest tabes, ita ut notabilis nulla sit differentia inter* med. 2. & 3. hujus libri, *nisi quod ibi affecti sint pulmones, hic verò viscus aliud.*

Diligentissimâ itaque *Curatione* erit impugnandus: *eaque* in intemperiei istius cordis, & totius corporis, per contraria, ablatione, & totius corporis viriumque restauratione, consistet.

Ad corpus itaque humectandum, & modice *a* refrigerandum, tale apozema præscribatur, de quo bis terve in die haustum bibat:

℞. b *Rad. cichorii, buglossi, asparag. an.* ℥j.
Glycyrhizæ rasæ ℨvj.
Herb. borrag., violarum, portulacæ, buglossæ, an. M.j.
Flor. borrag., violar., rosar. provinc. an. p. ij.
Sem. 4. frig. major. an. ℨiß.
c *Papav. albi* ℨij.
Passular. mund. ℥ij.
Coq. in aq. hord. q. s. ad lib. jß. *Colaturæ adde syr. violacei, de cichorio an.* ℥j. *Misce* F. Apozema.

a Refrigerandum.) *Nempe modicè refrigerandum est per herbas nitrosas, nec non per diluentia, & temperata emollientia. Attamen etiam ad ulceris mun-*

mundificationem attendendum est, secundum methodum supra in phthisi vera traditam.

b Rad. cichorii, asparagi.) *Sed hæ gaudent sale acri, adeoque febrem intendunt: quapropter magis convenirent, sanguine existente crasso viscoso & terrestri.*

c Papav. albi.) *Si hectica ortum traxerit ab obstructionibus partium frigidis, tunc Apozemati debent addi, lign. sassaf. cort. tamarisc. Radic. Capparum, Rad. Salsæparill. Chinæ.*

Ad viscerum etiam corroborationem utatur tali condito:

℞. *Spec. diatragacanth. frigid. diamarg. frig. an.* ℥j.
Diarrhod. abbatis ʒß.
a *Conserv. flor. rosar. pallid.*
Borrag. an. ℥j. M. F. Conditum.
De quo sumat bis terve in die castaneæ quantitatem.

a Conserv.) *Præstant mellita præ saccharatis: addantur ocul. canc., corall. præparat. succ. catechu, & similia, sed species diarrhod. omittantur, ut nimis calidæ & acres.*

Consumto apozemate & condito, alternis diebus *a* sumat mane tepide lactis amygdalati ℥iiij. in quibus sacchari rosati tabulati ℥ij. sunt dissolutæ, in eoque ad septimanas quatuor perseveret.

a Sumat mane tepide lactis amygdalati.) *Vel usurpetur lac dulce calidum, in quo cocti sunt limaces rub. rad. alth. herb. tussilag. & simil.; edulcorari autem potest melle virgineo, vel rosato.*

a Altero die, quo ab amygdalato abstinebit, utatur sequente confectione:

℞. *Conserv. flor. violarum, bugloss., rosar., scabiosæ an.* ℥j.
Lactucæ condit. ℥ſ.
Spec. diatragacanth., diamarg. fr. diapenid. an. ʒj.
Syr. de portulaca & violacei q. s. Misce in formam Conditi. Capiat ʒij. pro vice.

a Altero die utatur seq. confectione.) *Præstat sequens* Riverii,

℞. Conserv. flor.
borrag.
bugloss.
viol. ana ℥j.
flor. nymph. ʒß.
pulv. elect. diamarg. frig. ℈iv.
ras. ebor.
oss. de cord. cerv. ana ʒß.
marg. præparat.
corall. præparat. ana ℈j.
fol. aur. Num. iij.
Cum syrupo de pomis, fiat Opiata.

Cordis regioni, & pulsibus in carpo utroque, adhibeatur ante somnum indies sequens unguentum:

℞. *Succi bugloss., violariæ, portulacæ, lactucæ simul expressi, an.* ℥j.
Scabiosæ ℥ſ.
Ol. rosar., nenuphar., an. ℥iiij.
Coq. ad succor. consumtionem, addendo sub finem
Succi limon. ℥ſ.
Mucilag. sem. psyllii, factæ cum aq. rosar. ℥ſ.
Ceræ albæ parum, permiscendum spec. electuar. de

Gemmis, diamargar. frig. an. ʒß.
Coralli, cryſtall. ſubtiliſſime pulv. an. ℥j.
Miſce. F. a Unguentum.

a Unguentum.) *Quod nullius eſt utilitatis. Præſtat balneum aquæ dulcis, in qua coq. flor. nymph. pap. rhœad. herb. malv. violar. &c. Vel ſi aliquid regioni cordis ſit imponendum, eligatur aliquod epithema temperatum fluidum.*

Ne illuvies aliqua excrementorum congeſta, morbum augeat, ſeptimanatim ſumat ℥j. a mannæ calabricæ, diſſolutæ in tenui cerevisia.

a Mannæ calabricæ.) *Rectè Auctor hiſce vult indicare, purgationem majorem eſſe pernicioſam, alvumque duntaxat eſſe lubricandam & blandè laxandam: Huic ſcopo ſatisfaciunt clyſteres emollientes & nutrientes ex juſculis carnium parati. Si autem tabes ortum trahat ab obſtructionibus frigidis, acriora conducunt purgantia, præmiſſis præparantibus.*

Et tribus diebus poſt, ſemper injiciatur hic clyſter:
℞. *Juris gallinæ, in quo flor. Cord. 4. & portulaca recens decocta fuerint lib. ſ.*
Lactis caprini vel vaccini ℥iij. in iis diſſolv. mannæ ℥j.
Butyri recent. ℥ß.
Vitell. ovi Num. j. *Miſce* F. a Clyſter.

a Clyſter.) *Qui dicendus eſt nutriens, ſimul & emolliens.*

a *Victus rationem* talem inſtituat: ut indies ter, horâ ſc. decima à matutinâ, tertiâ, & ſeptimâ, *Cibus* illi exhibeatur duorum ſaltem vel trium generum, pro unâ menſâ: de quibus tantum aſſumat, quantum ventriculus optime ferre & digerere poteſt.

Hæc autem comedantur eupepta & euchyma: caro caponis non antiqui, gallinæ junioris, vituli, agni; percæ, piſcis lucii junioris; recte præparata, nunc elixa, nunc aſſa. Ova elixa tremula. Leviter omnia ſalita, & vix dum vel tenuiſſime ſaltem, aromatibus condita. Martius panis, amygdalæ, paſſulæ. Pro ſecunda menſa, poma, pyra, pruna, exſiccata cocta. Ex lacte amygdalino plus cum butyro recenti. Panis ex farina tritici pura piſtus, non ſalitus. Oryza in jure cocta. Juſculis carnis incoquantur folia portulacæ & bugloſſæ. Vinum ſit album, maturum, tenue. Cerevisia mediocris, non amara.

a Victus rationem.) River. loc. cit. *rectè dicit, quod diæta (ut in omnibus chronicis affectibus multum poteſt) in hoc præſertim plus præſtet, quàm medicamenta. Piſces eligendi ſunt ſaxatiles, ut cancri, oſtrea, limaces & teſtudines. Jura inſtaurantia vid. apud* River. *nec non ſupra* de phthiſi.

XX. ME-

XX.

MEDICATIO JUVENIS; APHTHIS, CUM FEBRI ARDENTI, LABORANTIS.

JUvenis viginti ſex annorum, *a* febri ardente laborans, linguam, vicinaſque oris partes, ſcabras, fiſſas, *b* multiſque ulcuſculis cum ardore obſeſſas, ac lentore viſcido obductas habet: Atque *c* difficulter oblata deglutire poteſt.

a Febri ardente.) *Auctor* lib. j. medic. xxxvj. *propoſuit Aphthas in puero idiopathicas, hic verò exhibere ſtudet ſymptomaticas: ſed reverà omnes aphthæ ſunt ſymptomaticæ, nunquam ſine febre, (majore vel minore) criticè prodeuntes. Confer ea quæ notata ſunt ad* medicationem allegatam; *non enim lubet entia multiplicare citra neceſſitatem.*

b Multiſque ulcuſculis.) *Nihil affert Auctor de colore aphtharum, uti oportebat: ſine dubio hic ſunt vel rubræ vel nigricantes: nam licet poſtea indicet lentorem conjungi viſcidum, attamen ordinariè ſal acre humori viſcido prædominatur.*

c Difficulter deglutire.) *Partim ob dolorem ulcuſculorum deglutire metuit; partim ob ſiccitatem faucium: non poteſt.*

Afficitur in hoc ægro lingua: item vicinæ oris partes; quod ex oris inſpectione, ægri querelâ & deglutiendi difficultate patet.

Morbus, præter febrim, quo hic æger laborat, eſt intemperies acris, calida, *a* ſcabra, & viſcida linguæ, vicinarumque oris partium, cum ulcuſculis moleſtiſſimis conjuncta; iſque *aphtharum* nomine vulgò venire ſolet.

a Scabra.) *Eſt contradictio in adjecto.*

Hæ in hoc ægro, ab humoribus & vaporibus fervidis viſcidis & acribus, partim ex totius corporis cacochymiâ, *a* per vaſa ori vicina, ob poros ibi juſto patentiores, partiumque iſtarum mollitiem, in illas partes propulſis; partim *b* ex pulmonibus & ventriculo per exhalationem & evaporationem eo delatis; parteſque illas vellicantibus, erodentibus, obducentibus, nimioque calore perfundentibus, *originem* ducunt.

a Per vaſa ori vicina.) *Nempe arterias & vaſa lymphatica: nervos enim talem craſſam afferre materiam, impoſſibile eſt: venæ autem nihil advehunt.*

b Ex pulmonibus.) *Non opus eſt longè accerſere aphtharum cauſam, ſufficiunt enim oris vaſa, quamvis & illa cauſa poſſit interdum concurrere, uti ſupra etiam allegavimus ex* Pechlino.

Videntur autem aphthæ vix niſi loco differre à variolis & morbillis aliiſve efflorescentiis, aut puſtulis ſcabioſis.

Ulcuſcula hæc febris ardentis, quam comitantur, magnitudinem & *a* pravitatem; ac proinde magnum ægri noſtri vitæ *b* *periculum* ſignificant.

a Pravitatem.) *Hæc conſiſtit in acrimonia corroſiva & fixa auſtera:*
b Periculum.) *Præſertim ſi poſtea introrſum ferantur, aliaque ſymptomata augeantur.*

Curatio, *a* præter venæſectionem, *b* purgationem, aliaque remedia febri convenientia; qualia, in febri tertiana continuâ, ſuperius fuerunt propoſita; in intemperiei ulcuſculorum per contraria ablatione conſiſtet.

a Præter venæſectionem.) *Nempe maturè, ſi adſit plethora, viriumque ſufficiens robur, ſecus enim venam ſecare periculoſum eſt.*
b Purgationem.) *Diximus alias in omnibus morbis acutis, nonniſi in principio & declinatione admitti laxantia, multo magis id verum eſt de variolis & aphthis, præſertim ſi etiam in partibus altis internis eas latere ſuſpicio ſit: Potius ergò neceſſitate cogente, deveniendum eſt ad clyſteres.*

Primo itaque tali *a* gargariſmo frequenter utatur:
℞. *Hordei mund. m. ſ.*
Fol. plantag. portulacæ, prunellæ, an. m. j.
Sempervivi, violar. an. m. ſ.
Flor. roſar. rubr., balauſt., malvæ arbor. an. p. j.
Sem. cydon. ʒj. *cort. granat., ſumach. an.* ʒjſ.
Decoq. in aq. ad lib. j. In Colatura diſſolve mellis roſati, diamori an. ℥j.
Miſce F. Gargariſmus.

Poſt gargariſationem os perfundat ſequente linctu:
℞. *Syr. violacei, granator. acidor.,*
Diamori an. ℥j. *Miſce.*

a Gargariſmo.) *Si ſit in principio, adde*
Santali rubri ʒvj.
Succi ſolani ℥iij.
Salis prunell. ʒj.
Si ulcuſcula ſint ſordida ac putrida, abluantur.
Decocto hordei, *in quo*
Mel roſaceum *fuit diſſolutum.*
Pueris detur lac chalybeatum, conſervæ roſarum *permixtum.*

Et in ore teneat nodulos ex linteo confectos, in quibus ſemina cydoniorum parum contuſa, & *a* ſaccharum candi dictum nonnihil tritum contineantur: quique in aquâ hordei vel plantaginis ſunt macerati. Iiſdem etiam nodulis, bacillo alligatis, os lingua & fauces ſæpius detergantur. His enim ſcabrities linguæ & aphthæ molleſcunt, maturantur, & decidunt, & oris calor ſedatur.

a Saccharum candi.) *Vel ſumatur aq. roſ. cum vitellis ovorum conquaſſatis & ſaccharo: interna debent eſſe modicè emollientia, diluentia & diaphoretica.*

Ubi aphthæ incipiunt decidere utatur hoc linctu:
℞. *Syr. cydonior.*
De roſ. ſiccis an. ℥j. Miſce.

Diæta ſit, qualis in febri tertianâ continuâ fuit præſcripta.

XXI. ME-

XXI.

MEDICATIO FOEMINÆ, *a* TUSSI CONTUMACE LABORANTIS.

FŒmina 28. annorum dum per *b* hyberna frigora nocturno tempore ex lecto, *c* non satis bene vestita, surgens, per domum sæpius discurrere cogebatur; incidit in tussim, quâ *d* multa pituitosa, & sæpe etiam salsa, passim expectorat: quæque vesperi sub ingressum lecti valde exacerbari solet. Multis bechicis *e* citra purgationem hactenus est usa; sed frustra. Nam hoc malum jam *f* sesquiannum continuum durat.

a Tussi.) *Comitari utplurimum solet tussis omnes affectiones pectoris, ut asthma, hæmoptoën, peripneumoniam, pleuritidem, nec non coryzam.*

b Hiberna frigora.) *Hæc indicant particularum aëris crassitiem magnam, propter quam pori, tubulique corporis valdè comprimuntur & angustantur, humoresque incrassantur.*

c Non vestita surgens.) *Benè Auctor indicat subitaneam corporis mutationem à calore in frigus, hæc etiam faciunt ad meliorem cognitionem causæ continentis: debuisset autem simul addere cujus temperamenti fuerit hæc fœmina.*

d Multa pituitosa passim expectorat.) *Sic distinguitur tussis humida à sicca.*

e Citra purgationem.) *Hisce vult indicare topica parum proficere, sanguine universaliter affecto.*

f Sesquiannum.) *Hoc faciet malam prognosin.*

Afficitur in hac ægra *a* pulmo; quod ex tussi illa pertinaci, & pituitosorum ac salsorum *b* expectoratione, patet.

a Pulmo.) *Tussis etiam (sed sicca) oriri potest affectis musculis pectoralibus & intercostalibus.*

b Expectoratione.) *Cum qua non rarò conjungitur vomitus.*

Morbus, qui ægram hanc affligit, est *a* intemperies pulmonum pituitosa, *b* salsa, frigida & acris, cum eorum nimiâ *c* pororum apertione conjuncta; quæ frequentem tussim, pituitosamque expectorationem efficiens, ab *d* effectu sive symptomate hoc suo, *tussis* appellari solet.

a Intemperies pulmonum.) *Illa potius est reiteranda ad sanguinem & humores, hi enim (præsertim accedente causa aliquâ procatarcticâ) poros tubulosque vesicularum pulmonalium obstruunt, & vellicant.*

b Salsa.) *Sive muriatica, sive acida fixa.*

c Pororum apertione.) *Hæc quidem, tempore caloris locum habet, sed postea suborto frigore, constipatio & occlusio pororum tubulorumque resultat.*

d Effectu sive symptomate, &c.) *Ergò secundum Auctorem tussis hæc, & morbus est, & symptoma.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi fuit discursus, ab hac fœmina non satis bene vestita per hyberna frigora in ædibus sæpius factus: hinc enim totum ejus corpus, ac præsertim caput & pulmones frigidam intemperiem contraxerunt; quâ pori capitis & pulmonum *b* arctati retinuerunt magnam partem vaporum & exhalationum quæ per illos copiose antea exhalabant. Vapores autem isti, eâ ratione *c* in capite & pulmonibus retenti, partim in materiam serosam & pituitosam fuerunt, ob loci angustiam & intemperiem frigidam jam contractam, conversi; partim ex retentione vehementius agitati magnos in illis partibus poros, humoribus serosis, pituitosis, salsis & acribus à reliquo sanguine separandis, & in alias partes propellendis, idoneos aperuerunt. Atque ita *antecedentem* huic morbo præbuerunt *causam*. Pars verò humorum istorum in bronchia pulmonum delabens, eaque suâ acrimoniâ & copiâ vellicans, eoque poros cerebri, in musculos thoracis desinentes, vehementius, & inordinatius aperiens, spiritusque animales modo in musculos inspiratorios, modo in exspiratorios thoracis & faucium vehementius inordinatiusque immittens: atque ita thoracem inordinate dilatando & contrahendo, aëremque & pituitam acrem & salsam, bronchiis pulmonum contentam, per vices vehementius cum strepitu expellens, *intemperiei hujus, & tussis continens* est *causa*.

a Causa procatarctica.) *Confer* Hippocr. Sect. v. Aphor. 24. Sect. iij. Aph. 5. 13. 20. 23. 24. 31. *Epidemicam tussim affert* Sennert lib. 4. de febr. *nec non* Willis. de convuls. cap. ult. *à calculis*, *vid.* misc. cur. ann. vj. obs. 132. ann. 9. obs. 55. decur. 2. ann. iij. obs. 63. *à grandinibus & vermibus vid.* Bonet. anat. pract. lib. 2. sect. iij. *à tonsillarum abscessu vid.* Lang. lib. 2. epist 57. *à nucleo cerasi*, Bartholin. cent. ij. obs. 27. *ab acri limonum succo ad sex plus minus uncias quotidiè epoto*, vid. Tulp. lib. 4. obs. 20. *per sympathiam ventriculi, vid.* misc. cur. an. 6. obs. vj. *summatim omnia scabra & acria pulmonum cellulosis tubulis inhærentia tussim producere possunt; quò etiam multum facit mala pulmonum totiusque pectoris conformatio, sive fuerit externè sensibilis sive insensibilis.*

b Arctati.) *Quam egregie hæc cohærent cum pororum apertione supra ab Auctore memorata!*

c In capite.) *Hoc esse affectum, non constat ex historia: forsan autem tussis hæc incœpit cum coryza, sed hæc non necessariò indicat caput affici.*

Morbus hic, quia est à materia acri; & jam tamdiu duravit, inducit *a periculum* sanguinis sputi, exulcerationis pulmonum, & phthiseos, quæ inde sequi solet.

a Periculum.) *Vid.* Hippocr. Sect. vj. Aphor. 35. Sect. vij. Aphor. 47. Sect. iv. Aphor. 54. Sect. vj. Aphor. 46.

Diligente itaque *Curatione* erit impugnandus; quæ in causæ antecedentis, continentis, & intemperiei, ac tussis, per contraria ablatione, consistet.

Primo itaque *a* purgetur ægra tali haustu:

℞. *Diapruni, diaphœnici an.* ℥ß.
Decocti pectoralis ℥iijß.
Misce. F. Haustus, *mane exhibendus, & subinde reiterandus.*

a Purgetur.) *Hoc jubet sine dubio, quia in historia culpavit omissionem purgationis; sed profectò hæc nihil facit ad tussim, nisi primæ viæ simul fue-*

fuerint impuræ, semper enim in praxi observamus tussim augeri per purgantia acriora: Mercurius dulcis hic mire convenit, quoties hic phlegmata crassa abundant, nam pituitam optime incidit: Pro purgatione etiam prodest resina Agarici, vel Jalapp. itaque ubi tempestivum fuerit purgare.

℞. Spec. diacath. gr. xij.
Resin. agar.
Mercur. dulc. an. scrup. sem.
Trochisc. alb. gr. ij. *vel* iij.
Ol. carui gutt. j.
M. F. Pilulæ.

Vel ℞. Resin. jalapp.
Agar. an. gr. iij.
Mercur. dulc. gr. xij.
Trochisc. alhand. gr. ij.
M. F. Pulvis.

Qui pulvis pro ratione ægri potest augeri vel diminui, vel addendo, vel demendo gr. j. aut ij. alicujus ingredientis.

Si pilulas voluerimus, addantur ol. carui *gutt.* iij *si vires fuerint debiles, dosis purgantium debet minui: Quò autem casu vomitus sit in tussi tolerandus, traditum fuit in medic. de asthmate.*

Postea utatur hoc *a* decocto:
℞. *Rad. althææ,*
fœniculi, petroselini an. ℥j.
glycyrhizæ ras., enulæ an. ℥ß.
Herb. tussilag., hyssopi, capill. veneris, buglossæ ana m. j.
Jujubar. caricar. an. Num. x.
Uvar. passar. ℥ß.
Sem. anisi, carui, 4. frig. major. an. ℨj.
hordei mundati m. j.
F. *decoctio in aq. hordei* b *ad lib. j. In Colatura dissolve syr. de hyssopo, de liquiritia an.* ℥j.
F. Apozema, *de quo bibat haustum bis in die.*

a Decocto.) *Conjungatur tali cum decocto, sequens, aut similis bolus:*
℞. Diascord. Sylv. ℈ij.
Gum. Arab. pulv. ℈j.
Ocul. canc. præp. gr. xv.
Sacc. penid. ℨß.
M. pro dosi; necessitate autem urgente add. laud. op. gr. j. vel mass. pil. de cynogl., aut styrac. gr. xij. interim bibatur decoctum hordei, vel cerevisia dulcis, caricis pinguibus prægnata: Utilitatem etiam magnam hoc in casu præbet Tinctura mellis Narbonensis, sed habeatur ratio aliorum symptomatum.

b Ad lib. j.) Fiat decoctio ad lib. iij colat. adde oximell. scyllitic. unc. j.

Corpore expurgato frequenter utatur *a* de hoc eclegmate:
℞. *Loch. de pino,* ℥j.
Spec. diapenidi, diatrag. an. ℨjß.
Syr. violar. de liquiritia an. ℥ß.
Misce, F. Linctus.

a De hoc eclegmate.) *Tali in casu add. balf. sulph. anis. vel succi liquir. s. q. add. mass. pil. de Cynogl. diatrag. frig. & sacc. penid.*

Pectori applicetur pellis cygni, vel felis sylvestris &c.

Utiles

Utiles hic etiam sunt *a* trochisci bechici, & saccharum althææ, in ore detenta, ut sensim liquescant.

a Trochisci bechici.) *Habeatur ventriculi ratio: nam saccharatis & dulcibus appetitus prosternitur.*

Vesperi etiam cubitum itura cochleare sumat de hac mixtura: quâ defluxus humorum egregiè sistitur; & *a* pori nimis aperti clauduntur.

℞. *Syr. de hyssopo, papaveris albi,*
Oxymell. simpl. an. ℥j. *Misce.*

Diæta hic observetur, qualis in Catarrho superius fuit præscripta.

a Pori clauduntur.) *Atqui nihil in hac mixtura, vel potiùs linctu continetur, quod pororum clausionem producere (secundùm hypothesin) possit præter syr. pap. alb.*

FINIS LIBRI SECUNDI.



PRA-

JOHANNIS BROEN, Med. Doct.
Et in ACAD. LUGD. BAT. Prælectoris Publici

ANIMADVERSIONES

MEDICÆ,

THEORETICO-PRACTICÆ

IN

HENRICI REGII

PRAXIN MEDICAM,

QUIBUS

EDITIO PRIOR,

OBSERVATIONUM,

Magni Viri

D. THEODORI CRAANEN,

Olim Phil.& Med.Doct. ejusdemque Facultatis utriusque & Matheseos in ACAD. TEUTOPOL. NEOMAG. & LUGD. BATAV. Professoris, SEREN.ELECT.BRANDEBURG. Consiliarii Aulici & Archiatri, ut & ACAD. TEUTOPOLIT. Curatoris, &c. emendatur, & repurgatur.

PARS II.


Accessit Tractatus ejusdem D. THEODORI CRAANEN

DE FACULTATIBUS MEDICAMENTORUM.



NEAPOLI, Ex Typographia Felicis Mosca MDCCXXI.
Superiorum facultate.

EXPENSIS BERNARDINI GESSARI.



PRAXEOS MEDICÆ, LIBER TERTIUS.

De Medendis Morbis Abdominis.

I.

MEDICATIO PUELLÆ, a CARDIALGIA LABORANTIS.



Puella viginti annorum, jam *b* à multis annis, de rosione & compressione circa ventriculi regionem conqueritur: *c* ructus continuò edit acidos, in hypochondriis *d* murmura & rugitus audiuntur: torminibus ventris frequentibus & *e* dolore capitis infestantur. Colore est *f* pallido & cachectico, mensesque non decenter fluunt.

a Cardialgia.) *Quanquam vox illa græca* καρδία, *cor propriè significet, attamen frequenter apud Medicos sumitur de ventriculo, aut superiore ejus orificio: vid.* Galen. lib. viij. de compos. medic. *Quatenus præterea superius ventriculi orificium non longè distat à corde, dolor ejus quasi in corde percipitur, imo & cor per sympathiam in cardialgia affici potest. Nonnullis vocatur* καρδιώγμος.

b A multis annis.) *Hæc spectant ad prognosin.*

c Ructus continuò edit acidos.) *Hi probant signa intemperiei peccantis diagnostica: sic etiam distinguitur hoc malum ab cruditate ventriculi nidorosa.*

d Murmura & rugitus.) *Ergò plura viscera abdominis simul hic sunt affecta.*

e Dolore capitis.) *Multi nempe sunt effectus ab una eademque causa.*

f Pallido, &c.) *Hæc indicant chlorosin, gradumque cachexiæ leucophlegmaticæ.*

Afficitur in hac ægra *ventriculus*; ut patet ex rosione & compressione circa ejus regionem, quæ est circa mucronatam cartilaginem, perceptâ, & ructibus acidis emissis. Afficiuntur item viscera, *a hepar* sc. & *lien* in hypochondriis sita, nec non *pancreas*, & *caput*; quod probant murmura in hypochondriis audita,

 & tor-

& tormina ventris, ac dolor caput infestans. Deinde *totum corporis habitum & uterum* affici, testatur pallidus & cachecticus color, & menses non decenter, sive *b* parcius & inordinatè, fluentes.

a Hepar & lien.) *Hoc non adeò manifestum est, nullius enim tumoris, in hypochondriis dextris, vel sinistris, mentionem fecit Auctor in historia: sed rugitus illi & murmura dependent magis ab obstructione pororum, tubulorumque substantiæ intestinorum, itaut vapores liberum non inveniant transitum in omnem dimensionem.*

b Parcius & inordinatè.) *Explicatio hæc est verborum historiæ*, non decenter.

Morbus præcipuus, qui ægram nostram affligit, est intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida & acida, imo etiam *a* acerba, quæ rosionem, & compressionem ventriculi, ac ructus acidos; item murmura hypochondriorum, & rugitus ac ventris tormina pariens, *Cardialgia*, sive *Cordis dolor*, vulgò appellari solet: sed *Ventriculi dolor* meritò appellandus; cum hic *b* non cor, sed ventriculus præcipuè afficiatur.

a Acerba.) *Quasi vitriolica, præsupponens acidum valdè constans & rigidum, cum copiosa terra.*

b Non cor.) *Id est, primariò, attamen illud secundariò affici posse mox monuimus.*

Hæc *a* intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida, acida, & acerba, est manifesta ex acidis ructibus & rosionibus atque compressionibus, circa ventriculi regionem perceptis. Illa enim producit, acidum acerbum *b* & crudum chylum, qui ventriculum pungit & constringit; & quia *c* ex eo oriuntur obstructiones in variis partibus, crassique succi & vapores, hinc nata sunt omnia illa symptomata, quæ in casu proposito narrantur.

a Intemperies.) *Debuisset Auctor indicare, quam servavit hæc puella victus rationem: sine dubio usa fuit multis acidis & terrestribus muriaticis alimentis, ut lactuca cum aceto, fructibus horariis, lacticiniis ebutyratis, carnibus sale & fumo induratis, &c. Aliàs quoque cardialgiam producere valent aër maritimus, fumus tabaci, usus multus vini & spiritus vini, pinguium, saccharatorum; item vomitoria & purgantia acriora, caustica & corrosiva venena; ab esu fungorum cardialgiam observavit* Hild. cent. iij. obs. 30. *à vermibus*, Joh. Rhod. cent. ij. obs. 73. *ab hirudinum & serpentis morsu* idem obs. 72. *ab inflammatione ventriculi*, River. cent. 1. obs. 90. *ab helleboro*, Platerus lib. j. obs. pag. 440. *ab insertione ductus cholodochi in fundum ventriculi*, Mæb. physiol. cap. 15. *talesque homines dicuntur græcis* πικρόχολοι: *ab imprægnatione mulieres quoque non rarò cardialgiam suscipiunt ad multos menses continuandam.*

b Crudum chylum.) *Ab austero sc. & fixo fermento ventriculi chylus coagulatur & acescit.*

c Ex eo oriuntur obstructiones.) *Cur speciatim ex chylo, & non prius ex sanguine atque humoribus inde derivatis, obstructiones deducuntur? nempe sanguis talis olim evasit à chylo acido austero.*

Nam chylus ille crudus, acrimoniâ & acerbitate suâ *a* pungens ventriculum, facit in eo *dolores rosivos & constrictorios*. In vapores crassos mutatus, qui ob crassitiem suam commodè per poros ventriculi & intestinorum distribui nequeunt, facit, *ructuum acidorum per os excretionem*; & per vicina viscera discur-

discurrendo, & partes eas cum sonitu agitando, & dolorosè ventrem vel tunicas intestinorum lancinando, facit *in hypochondriis rugitus, & in ventre tormina, capitis dolorem*. Ad cor verò *b* per venas meseraïcas & lacteas, & inde in caput delatus, & ibidem cerebrum & membranas vellicans, efficit *capitis dolorem*. Ad habitum vero corporis cum sanguine crudo delatus, *colorem pallidum & cachecticum*. Ad uterum denique delatus, ibique poros ejus obstruendo, sanguinemque ad commodam excretionem ineptum faciendo, facit *mensium parcam & inordinatam excretionem*.

a Pungens ventriculum.) *Potius rodens & comprimens fibrillas ventriculi nervosas & membranosas, iisdem ruptionem aut ruptionis periculum infert: undè dolor: maximè autem hic occurrit in superiore ventriculi orificio, quoniam ibi concursus est nervorum plurium, magisque tensorum, & hunc concursum, coronam reticulari plexu vocavit* Rolfinkius.

b Per venas meseraïcas.) *Nihil hæ ab intestinis auferre possunt, cùm osculis suis in eorum cavitatem non hient, sed duntaxat per tunicas oberrent, demumque ad venam portæ excurrant. Omnium clarissimè dicitur, quòd cùm sanguis in hac ægra sit multis particulis acidis & terrestribus austeris refertus, obstructiones ortæ sint in multarum partium viscerumque poris & tubulis, undè fibrillæ nervosæ & membranosæ roduntur & rumpi periclitantur.*

Morbus hic propter magna symptomata, quæ inducit, periculum *a* lipothymiæ *b* hydropis, aliorumque *c* gravium affectuum, minatur. Atque ideo diligenti & cita *Curatione* erit impugnandus.

a Lipothymiæ.) *Nempe quoniam præ dolore, spiritus animales vehementius & celerius solito influunt non solum versùs ventriculum, sed etiam versùs musculos cordis, hinc hi convelluntur, adeoque motum sanguinis circulatorium æqualem ad cerebri arterias glandulasque invertunt: vid.* lib. 2. de palpit. cord.

Non facile etiam curabitur, quia historia dixit, malum jam multos annos durasse.

b Hydropis.) *Propter multarum glandularum venarumq; obstructiones.*

c Gravium affectuum.) *V.g. chloroseos, vide* lib 4. med. 1.

a *Quæ* in *b* intemperiei, & symptomatum, per contraria impugnatione, consistet.

a Quæ consistit.) *Curatio consistit in corrigendo acido, & austero, quod perficietur, exhibendo subinde pulverem ex oculis cancri, margaritis, corall. alb. & sale aliquo alkali: optima est limatura martis, non præparata cum aceto, sed cruda.*

Prosunt quoque omnia aromata temperatiora, Terra sigill. bolus armeniæ, Lapid. pretiosi.

b Intemperiei.) *Præcipue obstructionum.*

a Primò itaque utatur talibus pilulis usualibus, quæ leviter purgabunt, ventriculum que roborabunt:

℞. *Pil. de hiera simpl.* ℥iß. *aloëphaginar., assajereth.*
Agarici trochisc. an. ℥ß. *rhabarb. elect.* ℥ß. *cinnamomi* ℈j.
Cum syr. rof. sol. q. s. fiat Pilularum massa, *de qua capiat singulis septimanis* ℥ß. *cum pomo cocto, mane jejuno ventriculo.*

a Primò itaque utatur, &c.) *Præmisso aliquo præparante, & attenuante, præscribatur vomitorium ex succo fol. asari vel tart. emet. infus. croc. metall. &c. sed absit omnis in principio violentia.*

Et deinde porro utatur hoc Electuario:

℞. *Conserv. rosar. antiq., flor. cichorii an. ℥j.*
Conserv. scolopendr., cort. citri condit. an. ℥ß.
Spec. aromat. rosʃ. ℈iiij. spec. de gemmis ℈j.
Spec. diatriasantali cum duplicato rhabarb. ʒj.
Cineris intestinorum & pellicular.
Ventriculi gallinæ ʒiß.
a *Limaturæ chalybis præparat. cum aceto ʒß.*
Trochisc. de rhabarb. ʒiv. de eupatorio ʒiß.
Cum syr. de mentha q. s. b F. Electuarium, *de quo capiat quantitatem castaneæ majoris, mane duabus horis ante prandium, superbibendo haustum vini generosi, aqua absinthii diluti.*

a Limaturæ chalybis.) *Post hujus usum juvat laxans præscribere, nè plicis ventriculi nimis inhæreat, aut degeneret in naturam vitriolicam ab acido corrosivo ventriculi. Aliquandò usurpentur guttæ* viij. *vel* x. *ol. tart. per deliq. spir. sal. ammon. simpl. vel aromatiz. cum s. q. cerevis. vel vin. gener.*

b Electuarium.) *Dulcia cardialgiam producunt & augent: quapropter præstant ingredientia sine saccharatis; si tamen palato delicatuli Medicus sese accommodare cogatur, substituantur mellita, loco saccharatorum: additur autem tali Electuario, magno cum fructu Diascord. Sylv. vel requies Nicolai: Vel*

℞. Ol. nucist. express. gr. xvj.
Salis card. bened. gr. xij.
Laud. opiat. gr. j. Croci gr. viij.
Flor. salis ammoniaci ℈ß.
Diascord. Sylv. ʒj.
M. F. Bolus, cum jusculo carnium sumendus.

a Post singulos pastus utatur de hoc medicamento:

℞. *Carnium cydon. sacchARO oondit. ℥ij.*
Conserv. rosar. antiquæ ʒiß.
Cortic. citri condit. ʒß.
Coralli rubri usti & loti, rasuræ eboris, cornu cervi an. ʒj.
Spec. diacydon. sine spec. ℈j.
Cinnamomi ʒß., sacchari ad pondus omnium,
F. Mixtura, *de quâ capiat cochleare unum post singulos pastus.*

a Post singulos pastus utatur, &c.) *Potius*

℞. Conserv. menth. ℥ij.
Diasc. Sylv. ʒij.
Limat. chalybis crudi ʒiij.
Ocul. cancri crud. cont. ℈ij.
Ol. ligni rhodii gutt. xij.
Cariophyll. gutt. vj.
Mell. scyll. q. s.
M. f. opiata, sumatur castaneæ magnitudine mane & vesperi cum haustu vini calidi dulcis albi.

In casu salino conveniunt spiritus nitri *dulc.* spiritus sulphuris p. c. *sal. dulc. Holʃ. crem. & cryst. tart. succ. citr. & aurant.* lapis prunell. &c. *Habita semper ratione causæ aut acidæ, aut salinæ.*

Ventriculi regioni scutum hoc stomachale admoveat:

℞. Em-

℞. *Emplastri de mastiche,*
Pro stomacho an. ℥j.
Pulver. rad. galangæ ʒiij. *caryophillor.* ʒß.
Laudani ʒj. a *coralli rubri* ʒß.
Cum b *ol. de absinth.* F. Emplastrum], *extensum in corio, ad formam scuti.*

a Corall. rub.) *Hujus vires in externis erunt vel nullæ vel perexiguæ: addatur potius tali emplastro opii crud. vel laud. op.* ℈j.

b Ol. de absinth.) *Eligatur ol. pap. & spic.*

Hepatis regionem semper mane inungat hoc a Linimento:
℞. *Ol. de absinthio, nardini an.* ℥ij. *ol. cydon.* ℥j.
spic. utriusque ʒj. *rad. cyperi, asari, santali rubr. & albi, an.* ʒß.
Ceræ q. s. F. Linimentum.

a Linimento.) *Hujus loco sumatur Unguent. de Artanita.*

a In *diæta*, *Aër* sit temperatus. *Cibus* offeratur concoctu facilis, corruptioni minus obnoxius, ex aviculis; capis, perdicibus, pullis gallinaceis, jusculis carnium; conditus b succo aurantiorum. *Potus* sit vinum tenue, cerevisia mediocris. *Motus* sit corporis moderatus, ut & *Somnus*; *Alvus* indies naturâ vel arte respondeat. *Mœror* vitetur præcipue, ut & alii vehementiores affectus.

a In diæta.) *In diæta ab acidis austeris abstinendum est: Nec aromatica acriora magna quantitate, aut crebrò usurpentur, nam nimis subito & vehementer, mali causam in actum deducunt: Pultes conveniunt hordeat., vitelli ovorum ad consistentiam crassiorem cocti pedes vitulini cocti, cum uvis corinthiacis, gelatina C.C. & similia.*

b Succo aurantiorum.) *Atqui cum hic sit acidus, mali fomitem augere videbitur: constat tamen experimentis chymicis, unius acidi vim infringi acido alio.*

II.

MEDICATIO JUVENIS, a ANOREXIÆ, ET CIBI FASTIDIO LABORANTIS.

JUvenis 27. annorum, biliosus, plethoricus, postquam commessationibus frequentioribus diutulè indulsisset, incidit in b oris amarorem, toto die ipsum molestantem. Hunc insecutus est appetitus imminutus. Quod malum intra paucos dies ita fuit auctum, ut jam tanto ciborum laboret fastidio, ut non tantum ad oblatos nauseet, sed ne nominationem quidem eorum ferat. c Adest ventriculi morsus, & totius corporis gravitas.

a Anorexiæ.) *Rectè* Etmüllerus prax. cap. j. *dicit famem animalis lædi tribus modis: aut enim imminuitur, ut in Anorexia, aut augetur, ut in Appetentia canina s. bulimia, aut depravatur omninò, ut in pica & malacia.*

b Oris amarorem.) *Hic index est positæ ab Auctore biliosæ intemperiei, melius autem dicitur, quòd sit à sale fixo, copiosa terra referto; verosimiliter etiam accessit sanguinis viscositas. ut colligere est è fastidio ciborum maximo. Cæterùm ex intemperie hac biliosa & calida, liquet contra communem opinionem, coctionem ventriculi, non dependere à calore solo.*

c Adest ventriculi morsus.) *Nihil dicit Auctor de vomitu, quem conjunctum fuisse verisimillimum est.*

Afficitur in hoc ægro *os*, & *ventriculus*; quod ex præcedente oris amarore, & insecuto appetitu imminuto, & tandem prostrato, atque etiam ex ventriculi morsu patet. Afficitur etiam *totum corpus*; quod ex ejus gravitatis perceptione est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est *a* intemperies quædam ventriculi biliosa, *b* quæ appetitum ventriculi prosternens; & fastidium ciborum pariens, Græce Ἀνορεξία, & latinè *Appetitus prostratus* & *Cibi fastidium*, à præcipuò suo symptomate, appellari solet.

a Intemperies ventriculi biliosa.) *Melius dicitur adesse intemperiem sanguinis & humorum salinam fixam & terrestrem, ex qua ventriculus, ut aliæ partes corporis, afficitur.*

b Quæ appetitum prosternens.) *Quæri posset, quòd cum bilis sit ex genere salis, quidni aucti potius, quam imminuti appetitus est causa?*

Resp. primò, *adesse viscositatem*, secundò, *deesse debitam proportionem acidi volatilis.*

Causa a procatarctica hujus morbi est frequens & diutina illa commessatio, qua, adjuvante temperamento nostri ægri bilioso, multi humores biliosi, in corpore ejus geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum ad os & ventriculum delata, ab iisque imbibita, produxit primum *b oris amarorem*, toto die ægrum infestantem, & deinde etiam *appetitum imminutum*. Postea verò copiosius ad ventriculum delata, porosque ejus obstruens, impedivit *c* succi fermentacei, & famem facere soliti, ex *d* arteriis cœliacis in ventriculum ingressum; & si quis succus esset illapsus, ille ab intemperie illa biliosa ita fuit *e* corruptus, ut non tantum peculiari suo pravo motu *appetitum prostratum*; sed etiam *tantum cibi induxerit fastidium*, ut æger non *tantum ad oblatum nauseet*, *sed etiam ejus nominationem*, utpote *f* phantasiam ipsius excitantem, & spiritus pravè in ventriculum ejus moventem, non ferat.

a Procatarctica.) *Huc pertinent aër intensè calidus æstivus, aut etiam pluviosus & nebulosus, lacticinia copiosa, hordeata, legumina, pinguia, pisces, ova ad duritiem cocta, fumus tabaci, opiata & narcotica, multus potus herbæ Theæ & fabarum Coffe, seri lactis, spiritus vini, somnus immodicus, vita deses & otiosa, alvus adstricta, suppressio mensium, animi mœror & similia; vid.* Schenk. lib. 3. obs. j. Sennert. lib. 3. prax. part. j. sect. 2. cap. 2. Tim. in casib. lib. 3. cas. ij. *Conjungitur quoque anorexia morbis partium quamplurimis, ut nephritidi, colicæ passioni, dysenteriæ, diarrhææ, choleræ, chlorosi, tumori hepatis &c. vid.* Barthol. cent. 4. obs. 71.

b Oris amarorem.) *Hic licet facile deducatur à particulis salinis terrestribus,*

bus, ope arteriarum & vasculorum salivalium super linguam devolutis, tamen etiam deduci potest à bile per vomitum rejectâ, dùm non solùm ventriculus, verùm etiam pylorus cum duodeno convellitur.

c Succi fermentacei.) *Neotericorum plurimi tale quidem fermentum negant, verùm nostrô judicio nimis obstinato animô: instructam esse internam ventriculi tunicam nervosam & papillarem, innumeris glandulis, quarum vascula excretoria in cavitatem ejus hiant, certissimum est, adeoque ex iis liquorem aliquem activum deponi manifestum: cùm itaque chylus noster extrahatur ex alimentis diversissimis, sale & acido fœtis, liquidum est & sanguinem & humores (quibus adnumeratur liquor ventriculi) talibus particulis refertos esse, magis quidem in una parte quàm aliâ: Quæstio autem unicè est de nomine, an alimentorum in chylum conversio, fiat per fermentationem, an extractionem, solutionem, contritionem &c.?*

d Ex arteriis cœliacis.) *Potiùs ex vasculis lymphaticis & ramificationibus nervosis, in circumferentia ventriculi desinentibus: verum autem est, quòd ille succus fermentaceus ope arteriarum cœliacarum ad glandulas prius transportetur.*

e Corruptus.) *Hæc corruptela consistit in sublata proportione naturali particularum salinarum, acidarum, oleosarum, aquosarum &c. ad invicem, ita ut unæ præ aliis abundent: speciatim hic salinæ fixæ & terrestres viscosæ, quibus obstruuntur glandulæ aliique ductus ventriculi, ita ut fermentum naturaliter secerni nequeat: eodem actu interna superficies ventriculi obducitur, ita ut fibrillæ nervosæ ritè vellicari nequeant. Idem hic affectus resultabit obstructis ventriculi nervis, & inflammatis tunicis ventriculi.*

f Phantasiam ejus excitantem.) *Nempe vestigia molestæ istius perceptionis, quæ fuit acquisita per assumptionem alimentorum nocivam, cerebro valdè profundè sunt impressa, ita ut posteà vel ad conspectum vel auditum alimentorum, spiritus confusè determinentur versùs ventriculum, ejusque fibras convellant.*

Cum vero, ex hoc appetitu prostrato & cibi fastidio, æger nihil vel parum alimenti sumat, hinc valde imminutis spiritibus, ad corporis agilem motum necessariis, *a gravitatis sensus* occupat totum nostri ægri corpus.

Interim dum ille succus biliosus suâ acrimoniâ ventriculum *b* rodit, adest hic *ventriculi morsus*.

Atque ita ea *c* materia biliosa, ad ventriculum delata, *continens* hujus morbi & symptomatum ejus est causa.

a Gravitatis sensus.) *Hic quoque dici potest alter effectus ab una eademque causa generali, nempe sanguine, & humoribus crassis viscosis, & terrestribus.*

b Rodit.) *Distinguenda est hæc rosio ab appetitu naturali.*

c Materia biliosa.) *Potius terrestris vel viscosa, sale valdè crasso referta.*

Morbus hic a periculosus est, quia alimentorum sumptionem impedit; quo necessario languor, & tandem, nisi rectè curetur, *b* mors supervenire debet.

Curatio itaque mox quam diligentissime erit adhibenda,

Eaque in causarum & intemperiei ablatione, per contraria remedia, consistet.

a Periculosus.) *Vulgatum est axioma: quod in prima coctione peccatur, id in secunda non corrigitur, adeoque multiplicatis obstructionibus, in diversis*

ſis partibus oriri ex anorexia diuturna poſſunt atrophiæ, hydropes, lienteriæ, fluxus cœliaci, palpitationes cordis, lipothymiæ &c. Confer Hippoc. Sect. ij. Aphor. 32. Sect. v. Aphor. 61. Sect. vj. Aph. 3. Sect. 7. Aph. vj. Quint. Seren. in Præsag. montis Parnaſſi, *ubi ſequentem in modum canit:*

Qui Stomachum Regem totius corporis eſſe
Contendunt, niti verâ ratione videntur, &c.

b Mors.) *Stupendæ inediæ exempla vid. apud* Petr. Borell. cent. iij. obſ. 35. Marcell. Donat. lib. 4. hiſt. mirab. cap. x. Stalpart. van der Wiel cent. poſt. obſ. rar. 15. Joh. Rhod. cent. ij. obſ. 54. & 55. Tulp. obſ. lib. j. cap. 45. Henr. ab Heers obſ. 27.

Primò itaque ſumat æger tale *a* vomitorium.

℞. *Conſerv. fol. aſari* ℥j.
Vini albi ℥iſ.
Contundantur in mortario marmoreo, & per linteum exprimatur liquor; expreſſioni forti adde aq. cinnamomi ℥ſ.
M. pro vomitorio.

a Vomitorium.) *Vid.* Hippocrat. Sect. iv. Aph. 17. *Præmittendum autem eſt aliquod præparans ſ. digeſtivum, ut materia tenax facilius actioni vomitorii (quod hic plus præſtat quàm octies vel decies repetita purgatio) obſecundet.*

Vomitorium poteſt parari ex mercurii vitæ gr. iij. *vel* iv. *vel ex infuſione* vitri antimonii *in vino Hiſpanico, ad* ℥ij.

Corpore vomitu evacuato, quia hic adeſt plethora, *a ſanguis educatur*, pro ratione virium, ex dextro brachio.

a Sanguis educatur.) *Venæ-ſectio melius præmittitur, nè violentâ corporis commotione inter vomendum, hæmorrhagia aliqua nociva ſubſequatur.*

Poſtea utatur tali *a* apozemate:

℞. *Rad. petroſelini, fœniculi, apii, an.* ℥ſ.
cichorii ℥j.
fol. acetoſæ, taraxaci, an. m. j.
abſinthii m. ſ.
flor. roſar., cichorii an. p. j.
ſem. coriandr. præp. ℥j.
aniſi ℥iſ.
tamarindor. ℥j.
decoq. in juſta quant. aq. decoct. hordei;
b *addendo ſub finem decoctionis fol. ſenæ* ℥j. *myrobalan. citrin.* ℥ſ. *Colaturæ adde ſyr. de cichorio cum rhabarbaro* ℥iſ.
M. F. Apozema, *de quo æger ſumat hauſtum ſemel vel bis in die.*

a Apozemate.) *Præſtaret vinum aliquod medicatum ex rad. helen. angel. ari, galang. min. zedoar. raph. ruſt. cort. aurant. citr. herb. menth., abſinth., roſmar., ſalv., ſem. cardam. min. carui, fœn. dulc., aloë, mirrh. ſale tart. &c. Vel ex ſimilibus fiat Tinctura aromatica ope ſpiritus vini: Huc pertinent elix. Prop.*

Para.

Parac. salut. Anglic., antiscorbuticum D. Bontekoe, citri, balsamum Peruv. sulph. anis., & similia. Magnam quoque virtutem habent ad appetitum restaurandum acidiuscula, ut spir. virid. æris, crem. tart. sal dulcis Holsat. tart. tartariz. spir. nitr. salis, sulph. dulcificati, aq. Prophyl. Sylv. &c.

b Addendo sub finem fol. senæ, &c.) *Potiùs ubi tempestivum erit purgare,*

℞. Cremor. Tart. drach. j. sem.
Resin. Scamm. gr. vj.
Trochisc. Alh. gr. ij. *aut* iij.
Ol. menth. *vel* carioph. gutt. ij. *vel* iii.
M. f. Pulvis. *Vel*

℞. Mass. pil. aur. *aut* aloëphang. ʒß.
Mercur. dulc. gr. viij.
M. f. Pilulæ.

Interea pro libitu *a* bibat de tali julapio:

℞. *Syr. de limonibus* ℥j.
Violacei ℥j.
Aq. decoction. hordei lib. iß.
b *Ol. vitriol. q. s. ad gratum acorem.*
Misce F. Julep.

a Bibat de tali julapio.) *Parùm ad rhombum.*

b Ol. vitrioli.) *Hoc est nimis acidum & fixum, adeoque præferendi sunt spiritus alii acidi, supra commendati. Vel*

℞. Succ. aurant. spir. vin. ana ℥j.
Syr. de menth. ʒij.
M. F. Haustus.

Post purgationem, ad ventriculum roborandum convenit miva cydoniorum, vel cydoniatum, vel tale conditum:

℞. *Lactucæ conditæ* ℥j.
Conserv. acetosæ, rosar.,
Flor. cichorii, borrag. an. ʒß.
Pulv. santal. rubri, diarrhod. abbatis an. ʒj.
Trochisc. de spodio, sem. acetosæ an. ℈j.
Cum syr. de limonibus q. s. Fiat *a* Conditum,
De quo capiat æger castaneæ magnitudinem, mane, & sero, superbibendo parum vini oligophori.

a Conditum.) *Cum saccharata hoc in casu noceant ægris, caute cum iis mercandum est.; præstaret ergò syr. cydon. vel de agresta, de succo citr. granat. acid. &c.*

a Exterius verò ventriculus inungatur tali unguento:

℞. *Ol. rosacei, myrtin., cydoniorum, aceto ros. lotorum an.* ℥j.
Santalor. omnium, corallorum, coriandri præp., rosar. rubr. an. ʒß.
Spodii ℈ij. *ceræ albæ q. s. Misce.* F. Linimentum.
Quo in vola manus calefacto inungatur regio Ventriculi, bis vel ter in die, addendo aliquid aceti rosacei tempore unctionis.

a Exterius verò ventriculus inungatur.) *Hoc parùm aut nihil juvabit: si tamen aliquid sit externè imponendum, eligatur emplast. de bacc. laur. pharmacopϾ August., vel cerot. de cumin. nobilitatum balsamo sulph. anis. Vel imponantur frusta panis tosta, spiritu aliquo aromatico irrorata, inter linteamina rara.*

In alimentis acetum, & *a* acida omnia, sunt utilissima.

a Acida omnia.) *Nos non omnia, sed ſubacida,& volatilia, qualia ſupra recenſuimus, commendare audemus: uſurpentur modicè poma cydonia, ut & alia ſubacida toſta vel cocta cum paſſulis corinth., juſculis addantur præter aromatica, taleolæ citri & aurant., pruna damaſc., acetoſa, &c. equitationes & vectiones in curru (modò non ad fatigationem continuentur) ſunt valdè utiles: cœna ſit parcior prandio, hilaritati honeſtæ det operam æger, & quærat loca amœna, ſerena & temperata.*

III.

MEDICATIO JUVENIS, FAME CANINA LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum, a melancholicus, poſt longum multorum acidorum uſum; incidit in ingentem famem, quâ quotidie ſexies, ſepties, & amplius, cibum copioſum ſumere cogitur. Poſt cibi ſumptionem ſæpè ventriculi ſequitur dolor; quem deinde vel b vomitus, vel magnus alvi fluxus, c lipothymiam ſæpius inducens, ſequi ſolet.

a Melancholicus.) *Id eſt, gaudens ſanguine craſſo ſimùl & acrì acido; hocque confirmatur ex diæta, quam Auctor immediatè ſubjungit.*

b Vomitus.) *Hujus reſpectu diſtingui ſolet fames canina, à bulimo, ſ. bulimia.*

c Lypothymiam.) *Hæc dicitur bulimo eſſentialis, uti videre eſt apud* Etmull. prax. cap. j. *ubi dicit, quòd bulimus ſit magna fames, propter quam ægri deliquium animi patiuntur: appetentia verò canina, quando copioſè ingeruntur & digeruntur alimenta, vel indigeſta per vomitum rejiciuntur. Græcis vocari quoque ſolet hic affectus* φάγαινα & φαγέδαινα, *prout videre licet apud* River. prax. lib. ix. cap. 2.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus*; quod ex ingenti illa fame, item ex ejus dolore, nec non ex vomitu, eſt manifeſtum. Afficiuntur quoque *inteſtina*, quod ex alvi fluxu; & *cor*, quod ex lipothymia inſequente patet.

Morbus, quo hic æger torquetur, eſt intemperies quædam acida & valdè acris ventriculi, quæ illam ingentem famem, tam copioſam frequentemque ciborum ſumptionem, & ventriculi dolorem, vomitum, alvi magnum fluxum, & lipothymiam inducentem, producens, *Fames canina* vulgò appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi fuit diutinus ille copioſorum a acidorum alimentorum uſus. Hinc verò copioſi acidi humores in corpore geniti, & cum ſanguine per illud diffuſi, *antecedentem* hujus morbi conſtituerunt cauſam. Pars verò eorum b copioſè & perpetuò ad ventriculum delata, eumque acore & acrimoniâ ſuâ magnâ vellicans, facit ingentem illam tam copioſè & frequenter ſumendi alimenti imaginationem. Cum verò illud aſſumptum rectè à ventriculo non concoquatur, & magnam acrimoniam præternaturalem adipiſcatur, c hinc oritur

oritur *ventriculi morſus*, ſpiritusque ita ex illa morſus vellicatione determinantur, ut illi fluentes, modo in ventriculi, & inteſtinorum obliquè aſcendentes fibras, *vomitum*; modò in obliquè deſcendentes, *d alvi fluxum & lipothymiam*, per ſpirituum & utilium humorum diſſipationem & evacuationem, in hoc ægro pariant. Atque ita exiſtit acidus ille humor, in ventriculo genitus, vel ad ventriculum delatus, *continens hujus morbi*, & *e remota ſymptomatum ejus cauſa*.

a Acidorum.) *Vid.* Poter. centur. iij. obſ. 96. *ubi famem caninam acidis ſecuraſſe perhibet: ſupra autem diximus, quod unius acidi vis, alio acido infringi poſſit: Nonnunquam Vermes inteſtinorum, præſertim cucurbitini, famem producunt caninam, pinguiorem & balſamicam chyli portionem abligurriendo; vid.* Hor. Augen. epiſt. & conſult. tom. ij. lib. vj. epiſt. vj. *aliquando gignitur hæc affectio, ab obſtructione vaſculorum lacteorum, glandularumque meſenterii, phthiſi vera, ſcorbuto, &c.*

b Copiosè & perpetuo.) *Accedit quod fermentum ventriculi acidum ut ut paucum, transmutet multa aſſumpta in ſui naturam.*

c Hinc oritur ventriculi morſus.) *Confer* medic. de Cardialgia.

d Alvi fluxum.) Sylv. Prax. lib. j. C. 2. §. 6. *ponit alvum eſſe adſtrictam; poteſt autem uterque caſus verus eſſe, prout vel major vel minor copia terræ, particulis acribus fuerit permixta, nec non prout variaverit rigiditas, & conſtantia ſalium peccantium.*

e Remota.) *Eadem cauſa dici vix poteſt & continens, & remota.*

Morbus hic valde periculoſus eſt. Ab eo enim ſæpè cœliaca affectio, *a* vel hydrops oriri ſolet: & quia hic adeſt lipothymia, metus eſt, ne æger ſubitò extinguatur.

a Vel hydrops.) *Aliquando exinde ventriculus inflammatur, excoriatur: aliquando ejus glandulæ exindè indurantur & ſcyrrhoſam aſſumunt naturam. Vid.* Hippocrat. Sect. 2. Aphor. 4.

Curatio itaque eſt acceleranda *eaque* in cauſarum & intemperiei ablatione, bonæ temperiei reductione conſiſtet.

Primo itaque *a* præſcribatur tale vomitorium:

℞. *Conſervæ fol. aſari* ℥j.
Vini albi ℥iij.
contundantur in mortario marmoreo,
& exprimatur poſtea liquor,
cui adde aq. cinnamomi ℥ß. F. Vomitorium,

Vel ℞. *Salis vitrioli albi* ʒß.
aq. decoct. hordei ℥ij.
oxymell. ſimpl. ℥ß.
M. *pro* Vomitorio:

a Præſcribatur tale vomitorium.) *Auſterus humor, nullâ præmiſſâ præparatione, vomitorio non facile auſcultat. Vid.* medic. de cardialg.

Poſtea *a* utatur tali Apozemate:

℞. *Rad. acori* ℥ß.
Helenii ʒiij.
Cort. citri, aurantior. an. ʒſ.

Herb. menthæ, salviæ, pulegii,
Rorismarini an. m.j. absinthii m.ſ.
Sem. aniſi, fœniculi, coriandri, carui an. ℥ij.
Decoq. in vini Gallici q.ſ. ad ℔iſs.
In Colatura diſſolve ſyr. de mentha ℥ij.
Aq. cinnamomi ℥j. M. F. Apozema.
De quo ſumat æger hauſtum mediocrem, bis, terve in die.

a Utatur hoc Apozemate.) *Præſtant alcalia ſalia & terrea cum narcoticis & opiatis juncta: haud enim raro & cardialgia & fames, ſalinis volatilibus acrioribus augentur.*

Subinde etiam purgetur talibus pilulis:
℞. *Pil. de hiera* ℈j.
Rhabarb. ℈ſs.
Cum ſyr. de mentha F. Pilulæ Num. v. vel vj.

a Purgetur.) Sylvius l.c. §. 26. *ita loquitur*: nulla purgantia præſcribo in fame aucta, quoniam nulla ſunt mihi hactenùs nota, quæ humores acidos educant blandè; ſumque edoctus per experientiam multiplicem, irritari quidem, non item niſi cum ſummis torminibus & noxa majore, quàm fructu evacuari acidos in corpore humores, &c. *attamen mercurium dulcem & antimoniata, acidum ſat facile & cum euphoria, evacuare & temperare conſtat.*

a Poſtea utatur tali condito:
℞. *Conſervæ roſar.* ℥iij.
Diacydon. ℥j.
Nuces moſchat. cond. Num. ij.
b *Corall. rubr. præparat.* ℈j.
Spec. aromat. roſ.
Caryophyll. inciſor. an. ℥iij.
Cum ſyr. cydonior. F. Conditum,
De quo æger aliquoties in die ſumat magnitudinem caſtaneæ majoris.

a Poſtea utatur tali condito.) *Add. ther. rec. vel diaſcord.* ℥ij. *flor. ſulph.* ℥j.
Proſunt quoque omnes ſales lixivioſi, ſales volatiles, bolus communis, ſuccinum præp. nux moſchata, olea omnia aromatica, ſtillatitia, ſpir. vini, aqu. cinnamomi, oculi cancri, & corallia contuſa.
b Corall. rubr. præpar.) *Si quis putet hæc adſtringere, eligat alba.*

Si æger in paroxyſmo in lipothymiam incidat, ad ſe erit revocandus exhibito cochleari aq. cinnamomi, odore panis vino madidi, & ſimilium.
In ingenti ventriculi morſu exhiberi poteſt a theriaca, vel mithridatium, requies Nicolai, vel ſimile.

a Theriaca, &c.) *Vel laud. op. gr. ij.*

In *Victus ratione* Aër ſit temperatus; æger quieſcat & diutius dormiat, *Cibi* ſint, qui tarde coquuntur & diſtribuuntur, quales ſunt cochleæ, cancri, caro ſuilla, & bubula, oryza, & ſimiles: *vinum* & omnia a attenuantia vitentur.

a Attenuantia.) *Hæc vitari non debent, modò ſale gaudeant contrario.*

IV.

MEDICATIO PUELLÆ, PICA LABORANTIS.

a PUella nata annos quindecim, pallida & gracilis, jam ab aliquo tempore *b* lapillos, terram, cretam, frumentum, lanam, gossypium, aliaque similia, à consuetis alimentis aliena, magna cum voluptate & copiosè comedit. Adsunt frequentes exspuitiones, oris ventriculi morsus, *c* & anxietates totum corpus perturbantes. Hactenus haud magnum, ex prædictis alimentis, sentit nocumentum.

a Puella.) Faber curat. 62. *habet exemplum de puero trium annorum pica laborante, qui cineres & terram efflagitabat, lac verò & alios cibos omninò respuebat. Conf.* Forest. lib. 18. obs. 7. in schol. Schenk. obs. lib. iij. obs. 33. *Distinguitur autem hac voce malacia à pica, utpote quæ in gravidis magis locum habere solet. In genere autem notandum est, quod quibus sunt debiliores animæ, & quibus mentis fere nullum est imperium in proprias passiones; quibusque volupe & præcipuum exercitium est, attendere & distinguere omnes eas motuum varietates, quæ accidunt nervis linguæ & ventriculo implantatis, adeoque gustui & appetitui inservientibus hic affectus contingat. Adeo ut hic morbus non minus dici possit morbus mentis, quam corporis.*

Ita simile malum gravidis præcipuè solet accidere, quia à spiritu seminis virilis multum alteratur constitutio sanguinis, & per consequens fermenti ventriculi, unde depravatur appetitus: quò multum facit, quod fœminæ, quæ ordinariò magis quam viri suos affectus sequuntur, non coërceant tales cogitationes, sed per petulantiam sæpe illas foveant, dum putant sibi tempore graviditatis, nihil non per lasciviam licere.

b Lapillos, terram &c.) *Rarum est, unam & eandem puellam tot genera absurdorum comedere. Hisce autem verbis distinguitur pica à malacia: illa enim significat extraordinarium absurdorum & inusualium appetitum: hæc verò usualium. Vid.* Salmuth. cent. ij. obs. 62. Petr. Borell. cent. 4. obs. 2. Fracass. in epist. de lingua.

c Et anxietas.) *Ad aliquod tempus quidem picantes non affici videntur, verùm postea in pertinacissima & molestissima ruunt symptomata.*

Afficitur in hac ægra *a ventriculus*, quod ex pravo illo appetitu, item ex frequentibus illis exspuitionibus, ac ventriculi morsibus, & anxietate insequente, & *cor* & *cerebrum* etiam afficiente, est manifestum.

a Ventriculus.) Etmullerus *dicit etiam hic affici phantasiam, gustum & odoratum: phantasiam (ait) affici, ex eo certum est, quod homines dum stomachus appetit, affectu ferantur in talia vel talia, v.g. cretam, corallia, murorum calces &c. quod autem etiam afficiatur gustus, certum est ex eo, quod cibi pessimi saporis, cum insigni voluptate deglutiantur.*

Morbus, quo hæc ægra laborat, est intemperies quædam *a* humida & acris ven-

ventriculi; quæ rerum illarum jam dictarum, à consuetis alimentis alienarum, appetitum, & jucundam & copiosam comesturam pariens, Græcis Κίττα, Latinis *Pica* vulgò appellatur.

a Humida.) *Hæc potius acredinem temperaret.*

Remota hujus morbi *causa* est pravus humor, *a* peculiari acrimoniâ præter naturali præditus, & per totum corpus, diffusus, illudque gracile, pallidum efficiens, cujus pars ad ventriculum delata, ab eoque imbibita, *proximam & continentem* huic morbo & symptomati præbet causam.

a Peculiari acrimoniâ.) *Certum est variare in diversis hominibus salia, ratione constantiæ, rigiditatis, cohæsionis, figuræ &c. adeoque determinationum motus, undè partes sensitivæ diversis modis afficiuntur: verùm insuper liquidum est, quod ab uno eodemque sale in diversis hominibus, non aliâ ratione diversi resultent effectus, quàm ab uno eodemque liquore inebriante &c. varia phœnomena: præprimis ergò hic notanda est animi mollities in determinatis hominibus, ita ut passionibus suis pertinaciter indulgeant, adeoque multum ad hunc affectum contribuunt vestigia rerum quarundam, cum delectamento olim assumptarum, cerebro valdè profundè impressa, ita ut occasione datâ majoris solito vellicationis fibrillarum nervosarum & membranosarum ventriculi, spiritus animales magis ferantur versùs illa quàm alia vestigia, mentique imagines s. ideas rerum prædictarum repræsentent.*

A ventriculo enim imbibitus ille humor, inducit liquore suo, peculiari acrimoniâ, *commemoratam illam peculiarem intemperiem*; illaque agens primò in nervum sextæ conjugationis, & reliquum ventriculum, producit *rerum jam commemoratarum appetitum, & jucundam ac copiosam sumtionem*, a *exspuitionesque frequentes*, b *atque ventriculi morsum*; qui cor & cerebrum afficiendo, c parit *anxietates*, *totum corpus*, inordinato sanguinis & spirituum influxu, *perturbantes*.

a Exspuitionesque frequentes.) *Hæ possunt, deduci & ab aviditate magna certarum rerum, & à vellicatione fibrillarum ad fauces & linguam continuata, & obstructione ramificationum venosarum in vicinia vasorum lymphaticorum.*

b Atque ventriculi morsus.) *Ventriculi morsus hic etiam oritur, à duritie, & scabritie assumptorum.*

c Parit anxietates.) *Anxietates hæ oriuntur ab obstructionibus pororum ventriculi, à particulis scabris, & crassis assumptorum, unde circulatione humorum in illis partibus impeditâ, quasi cingulum circa cor sentitur, sic etiam hæ particulæ in vasis lymphaticis, aliisque partibus obstructiones efficiunt.*

Intemperies verò illa ventriculi, deinde agens in alimenta illa appetita & assumta, subigit illa suâ peculiari acrimoniâ, eaque in nutrimentum *a* utcunque bonum convertit; quo fit, ut ægra nostra *ex alimentis illis assumtis hactenus haud magnum sentiat nocumentum.*

a Utcunque bonum.) *Videntur picantes quidem ad aliquod tempus absurda illa sine nocumento notabili digerere, quamdiu proportio sufficiens humoris acris datur, ad illa dividenda; verùm postea innumerabiles indè oriri solent obstructiones.*

Hoc

Hoc malum periculo non vacat; quia sæpe in cacochymiam, hydropem, & alia plurima mala degenerat. Quanquam enim fœminas præcipue, tali affectu laborantes, sæpe talia præter naturam assumta sine damno comedisse observatum sit: attamen, si malum diu duret, fieri non potest, quin pravi humores, & morbi inde generentur.

Tempestivè itaque ad *Curationem* progrediendum; *eaque* in causarum ablatione, & intemperiei correctione, consistet.

Primò itaque *a* tale præscribatur vomitorium:

℞. *Conservæ fol. asari* ℥j.
Vini albi ℥jß. *aq. cinnamomi* ℥ß.
Contundantur in mortario marmoreo, & deinde trajiciantur per linteum, & forti expressione exprimatur liquor, & b F. Vomitorium.

a Tale præscribatur vomitorium.) *Eodem modo procedendum est in pica ac in cardialgia: clanculùm addenda sunt ingrata & nauseabunda rebus desideratis, ut indè notabiliter afficiantur, sicque vestigium contrarium vestigio rei gratæ cerebro imprimatur: contra malaciam remedia cautè sunt exhibenda, nè sequatur abortus: conveniunt temperata alcalia & viscida: magnam etiam curationis partem absolvunt moralia.*

b F. Vomitorium.) *Potius darem* tart. emetic. *sive* vomitivi gr. v. *aut* vj. aut mercurii vitæ gr. iij. *quia mineralia altius penetrant.*

Postea talis *a* fiat humorum præparatio & evacuatio:

℞. b *Herb. melissæ, rutæ, betonicæ, origani an. m.* jß.
Decoq. in q. s. aq. hordei ad lib. j.
Colaturæ adde syr. de mentha, beton. oxymell. an. ℥ß.
Misce F. Apozema.
Pro 4. dosibus, mane & vesperi sumendis.

℞. *Fol. senæ* ℥ß. *sem. anisi* ʒj.
Infundantur in aq. hordei q. s.
Colaturæ adde electuarii de hiera picra ʒij.
Misce c F. Haustus.

Vel ℞. *Pil. de hiera* ʒß. *scammonii gr.* x.
F. pil. Num. vij.

a Fiat humorum præparatio.) *Id est sanguis, & humores crassi austeri incidendi sunt, & obstructiones reserandæ, quem in finem herbæ solæ non sufficiunt, sed addenda sunt ligna, cortices, & radices lignescentes.*

b Herb. melissæ, rutæ.) *Magis probarem* scolopendrium *sive* ceterach, *quam omnes has herbas aromaticas utpote quæ nimis exsiccant, colat. addatur sal aliquis sudorificus.*

c F. Haustus.) *Vomitoria purgantibus hic præferimus; ita enim unâ fideliâ duos dealbamus parietes.*

Postea corroboretur ventriculus tali electuario:

℞. a *Conserv. rosarum, borrag., buglossæ an.* ℥j.
Specier. diamargariti utriusque an. ʒj.
Cum syr. de mentha q. s. F. Electuarium.

a Conserv.) *Omnia dulcia hic repudiamus; si tamen palato sit adblandiendum, eligatur conserv. menth. absinth. & add. diascord. sylv. flor. sulph. ocul. canc. & similia.*

Fo-

Foris *a* illinatur ventriculus tali linimento:

℞. *Ol. cydoniorum, nardini, mastichini an.* ℥ß.
Misce F. Linimentum.

a Illinatur ventriculus linimento.) *Nullius hoc est utilitatis: potius subinde usurpetur spiritus salis ammoniaci, nec non spiritus tartari, Elix. Prop. Parac. utrovis modo paratum, & quia ægra hæc lapillos, cretam, & similia absurda copiose assumpsit, quæ fermentum ventriculi enervarunt, idcirco illud resuscitandum erit tartaro nitrato, vel tartaro vitriolato Tachenii: hic prosunt omnes sales volatiles, oleosi & aromatici blandiores, diu usurpandi, quia alias intemperiem, & obstructiones ab rebus illis absurdis siccis durisque productas satis efficaciter non removebunt: conveniunt præterea (si ventriculus adhuc talia ferre possit) omnia chalybeata; quibus jungatur sal ex fæcibus animalium vina extractus, ol. express. & stillat. nuc. mosch. &c.*

Et postea *a* imponatur ipsi Ceratum stomachicum, super corio extensum.

a Imponatur ipsi ceratum.) *Vid. sup. med. de cardialg.*

In *diæta*, a *Cibi* offerantur varii, qui ipsi sunt grati; ad imaginationem à rebus alienis avocandum. Ad pravos humores expellendos commendatur usus capparum & olivarum conditarum, item *b* succus aurantiorum, granatorum & limonum; *c* amylum hic etiam à quibusdam laudatur, quod acrimoniam humorum temperat. *d Potus* sit vinum generosum & adstringens.

a Cibi sint varii.) *Quia functionem ventriculi naturalem restituunt: condiantur aromatibus.*

b Succus limonum.) *Potest concedi, si alvus non sit adstricta.*

c Amylum.) *Hoc potenter acrem humorem obtundit, sed tamen pertinet ad curam palliativam.*

d Potus sit vinum generosum.) *Chalybeatum.*

V.

MEDICATIO FOEMINÆ,

LOQUELA AMISSA, ET *a* DEGLUTIENDI DIFFICULTATE

LABORANTIS.

Mulier *b* 65. annorum, subitò loquelam amisit, ita ut *c* nulla verba proferre queat. Accessit huic malo tanta in deglutiendo difficultas, ut tantum juscula vel lac, eaque minima quantitate, & guttatim, *d* magno cum labore, deglutiat; hæc quandoque in asperam arteriam ipsi prolabuntur, tussimque magnam movent.

a De-

a Deglutiendi difficultate.) *Hæc non semper cũ amiſſione loquelę conjungitur.*

b 65. annorum.) *Hæc verba ſpectant ad prognoſin.*

c Nulla verba.) *Sic diſtinguitur hic affectus à balbutie, nec non à quavis aliâ difficili, & impedita loquela.*

d Magno cum labore.) *Debuiſſet Auctor addere, an aliqua manifeſta cauſa anteceſſiſſet, v.gr. vehemens animi paſſio, febris, apoplexia, hemiplegia, aliuſve morbus ſoporoſus.*

Afficiuntur in hac ægrâ a *lingua, fauces, œſophagus, & aſpera arteria;* quod ex loquela deperdita, deglutiendi difficultate, & tuſſi, ſubinde ipſam torquente, eſt manifeſtum.

a Lingua, fauces, &c.) *Muſculi harum partium, earumque nervi ſunt affecti. Vid.* Johan. Browne myograph.

Morbus, qui illam affligit, eſt intemperies frigida & humida ramorum quorundam a nervi ſextæ & ſeptimæ conjugationis, linguæ & faucium muſculis ac œſophagi fibris implantatorum, cum valvularum, in nervos oppoſitoſque muſculos ſpectantium, nimiâ flacciditate, vel obſtructione, conjuncta; quæ loquelam amiſſam, deglutiendique difficultatem. b *Paralyſis linguæ & faucium motiva*, vel à ſymptomatis præcipuè ægram torquentibus, *Loquela amiſſa, & deglutiendi difficultas*, appellari vulgò ſolet.

a Nervi ſextæ & ſeptimæ conjugationis.) *Experientiâ conſtat, quod ſi nervi ambo recurrentes abſcindantur, mutum reddatur animal.*

b Paralyſis motiva. *Auctor vult dicere, ſenſum non eſſe amiſſum, ſed tantum motum, adeoque eſſe paralyſin ſpuriam.*

Cauſa hujus morbi a *procatarctica* eſt ægræ noſtræ b ſenectus. Illa enim, calorem nativum ejus imminuendo, frigidos in ipſius corpore produxit humores, qui *cauſam antecedentem* huic morbo præbuerunt. Pars verò eorum ad nervorum ſeptimæ & ſextæ conjugationis quoſdam ramos linguæ & faucium & œſophagi fibris inſertos, defluens, eorumque valvulas & poros vel nimium laxans, vel obſtruens, ſpirituumque juſtum influxum, debitamque ex unius muſculi fibris in alios muſculos, & fibras, locutioni, & deglutitioni inſervientes, reciprocationem impediens, c *continens* hujus intemperiei & amiſſæ locutionis, ac deglutiendi difficultatis eſt *cauſa*.

a Procatarctica.) *A tertiana, vid.* miſc. cur. dec. 2. ann. 3. obſ. 40. *ab inunctione mercuriali*, Binning. cent. v. obſ. 76. *Confer* miſc. cur. dec. 2. ann. iij. obſ. 48. & Corn. Stalp. van der Wiel obſ. rar. cent. poſt. obſ. 27. *Huc pertinent omnia incraſſantia, & vehementiora animi pathemata, quæ tamen aliquando ad curationem conferre poſſe, dicemus loco inferiore.*

b Senectus.) *Hæc indicat ſanguinem craſſum viſcoſum & terreſtrem, fibrillas rigidiores, & tubulos partium anguſtiores.*

c Continens.) *Vid. ſup.* medicat. de paralyſî hemiplegia.

Morbus hic valdè periculoſus eſt. a Metus enim eſt, ne deglutitionem penitus tollat, & ita omni alimenti ſumtionem impediendo, vitam huic ægræ adimat.

a Metus.) *Tranſit quandoque in hemiplegiam, aut apoplexiam lethalem, præſertim in ſenibus.*

Curatio itaque diligenter instituenda est: quæ in causarum, intemperiei, & obstructionis per contraria ablatione, consistet.

Mox itaque *a* talis injiciatur clyster:

℞. b *Decocti emollientis* ℥viij.
Electuarii diaphœnici ℥j.
Olei lilior. ℥iß.
Salis comm. ʒß.
Misce f. Clyster, *qui subinde*, *Pro virium ratione, reiterari poterit:*

a Talis injiciatur clyster.) *Hic magis pertinet ad morbos soporosos, & paralysin universalem, nisi forte hic alvus fuerit suppressa. Si ortum trahat paralysis à plethora aut vehementiori animi passione, confestim Venæ-sectio instituatur.*

b Decocti emollientis.)
℞. Rad. bryoniæ ʒv. *aut* ʒvj.
Ligni guajac. ℥j.
Herb. card. bened. m.j.
Sem. dauci ʒiij.
Decoctio fiat in vini albi s. q. in decoctione suspende nodulum ex pulpæ colocinth. ℈j. *aur. gr. xxv. in col. dissolve*
Elect. diacath.
Diaphœn. an. ℥j.
Sp. salis ammoniaci ʒij.
Tinct. Castorei,
Salis gemmæ an. ʒij.
M. f. Clyster.

Præmissâ præparatione humorum crassiorum, juxta methodum loco citato allatam, per medicamenta salina volatilia & aromatica, ope cannulæ appropriatæ ad ventriculum demittenda, siquidem æger deglutire nequeat.

℞. Aq. cort. aurant. ℥iß.
Elect. hydrag. Sylv. *vel*
Caryocost. ʒß.
Crem. tart. ℈j.
Ol. caryoph. gutt. iij.
M. f. Haust.

Deinde *a* decocto salviæ in vino facto, vel tali, sæpe os & fauces gargarisando, colluat ægra:

℞. *Rad. acori veri* ʒß.
Ireos ʒij.
Herb. salviæ, rorismarini an. m. j. rutæ, m. s.
Flor. lavendulæ an. p. j.
b *Nuc. moschat.* Num. ij. *Caryophyll.* ʒj.
Coq. in s. q. hydromellis & vini ad lib. jß.
Colaturæ adde mellis anthosati ℥ij.
Aceti scyllitici ℥ij.
c M. *f.* Decoctum, *pro oris collutione.*

a Decocto salviæ.) *Vel usurpetur vinum, quod tempore vindemiarum cum salvia & roremarino, nec non radicibus helenii, est fermentatum, pro potu ordinario.*

b Nuc. moschat.) *Substituatur mac. vel galang. min. etiam radices helleb. nig. & bryon. cum fructu adduntur.*

c M. f. Decoctum.) *Nucha illinatur unguento aliquo penetranti, ut de artan. nervin. martiat. cum ol. de castor. succin. &c. Caput foveatur cephalicis radicibus, herbis & floribus, in vino albo coctis. Vesicatorium pone aures applicetur ex cantharidibus cum sapone nigro, vel unguento basilico. Loquelam quadriennio amissam, vehementi animi passione restitutam, refert* Barthol. in act. Hafn. ann. 1672. obs. Herodot. Clio lib. j. *tradit, Crœso Regi, filium fuisse cœterâ habilem, sed mutum, ad cujus vitium emendandum, Parens omnia pro viribus, quanquam frustra, tentaverat; Hic autem cum Cyri exercitu victus, ac captis mœniis subitò oppressus esset, Persa quidam Crœsum, sibi ignotum, occisurus, invadebat, quem Crœsus cùm vide-*

videret, præsenti clade affectus evitare negligebat, nihil interesse ratus, percussus nè oppeteret mortem an secùs; id ubi filius mutus adspexit, Patri timens erupit in vocem, dicens: ò homo ne perimas Crœsum, atque hoc ille primum effatus, postmodum toto vitæ tempore, loquelam servavit. Confer Corn. Stalp. van der Wiel obs. rar. cent. post. obs. v.

Sæpe etiam in ore teneat *a* aquam vitæ, in quo infusus est thymus.

a Aquam vitæ.) *Nempe aromaticam, castorinam, aquâ prophylacticâ Sylvii nobilitatam.*

Dum hac deglutiendi difficultate laborat, *a* exhibeantur juscula carnium & lac: eaque minima quantitate, & sæpe guttatim & sensim, ad tussim præcavendam, deglutiat; atque ita sustentetur, donec hic affectus sublatus vel imminutus fuerit, tumque copiosiora & solidiora exhiberi poterunt.

a Exhibeantur juscula.) *Eadem aromatica, quæ in paralysi, fuere commendata: Aliquando sola solida deglutiri possunt. Hùc quoque pertinent clysteres nutrientes.*

VI.

MEDICATIO JUVENIS,

VENTRICULI *a* CRUDITATE NIDOROSA

LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum, temperamento biliosus, cæpis, alliis, aliisque *b* calidioribus alimentis diu usus, & crapulæ sæpe indulgens, jam à tribus septimanis post cibum sumtum multos emittit ructus *c* nidorosos & fœtidos; Sæpe etiam sentit mordicationes circa ventriculum, magnam anxietatem parientes, quæ ipsum ad corruptorum ciborum vomitum nonnunquam stimulant. A vomitu anxietas levatur. Sæpe etiam magni intestinorum audiuntur rugitus. Fœces per alvum rejectæ sunt fœtidissimæ. Magna etiam sitis ipsum interdum infestat.

a Cruditate nidorosa.) *Sic distinguit Auctor hunc affectum à cruditate acida, quam pertractat in medicatione sequenti.*

b Calidioribus.) *Id est aromaticis, spirituosis, multo sale volatili & oleo abundantibus.*

c Nidorosos fœtidos.) *Multi quidem emittunt nidorosos ructus, quanquam non semper fœtidos, adeo ut ille fœtor adscribendus videatur alliis & cæpis, aut forte etiam multo tabaci usui: talis fœtor oriri quoque solet, cùm sulphurea adduntur, vel coquuntur in lixiviis fortibus, præsertim admixto posteà acido: Ructus hi*

hi percipiuntur inter salsos & acidos intermedii, & saepe tam acres sunt, ut gulam excorient.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus*, quod ex ructibus, vomitu & mordicationis dolore, circa ventriculi regionem percepto, est manifestum. Afficiuntur etiam *intestina*; quod ex eorum rugitibus, & fœtidissimis fœcibus alvo excretis patet.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies ventriculi *a* calida & nidorosa, quæ ciborum *b* nidorosam corruptionem, & hinc ructus nidorosos & fœtidos, vomitum, ventriculi mordicationes, & cœtera jam commemorata symptomata, inducens, *c* *Dyspepsia*, *sive Cruditas nidorosa*, nuncupari solet.

a Calida & nidorosa.) *Potius videtur esse intemperies sanguinis, adeòque liquoris stomachalis viscoso-salina, aliquomodo participans de natura acidi, undè fibrillæ ventriculi nervosæ & membranosæ ita vellicantur, concutiuntur & roduntur, ut in periculum ruptionis incurrant, undè & dolor & ardor, & fœtor.*

b Nidorosam corruptionem.) *Solent hi ructus nidorosi, cum acredine salinâ, gulam corrodente & fere excoriante, referre odorem ovorum frixorum.*

c Dyspepsia.) *Hæc tantum in genere difficilem alimentorum concoctionem significat, quæ etiam sequenti posset medicationi applicari. Gradus minor dicitur* bradypepsia, *major* apepsia.

a *Causa*, unde hic morbus originem duxit, est cæparum, alliorum, aliorumque calidorum alimentorum diutinus usus, & frequens illa antecedens crapula; hinc enim calida & nidorosa intemperies ventriculo fuit impressa; nidorosusque & fœtidus chylus in ventriculo à cibo assumpto passim gignitur, *b* qui in copiosos vapores conversus, *ructus nidorosos*, & *fœtidos*, per œsophagum erumpentes; & acrimoniâ suâ ventriculum vellicans, *in eo mordicationes*, & *hinc anxietates ac corruptorum vomitum*; ad intestina verò delatus *c* ubique in vapores copiosissimos & crassos conversus, *intestinorum rugitus* *d* in intestinis vero valdè putrescens, *fœtidissimarum fœcum alvi excretionem* gignit.

a Causa est, &c.) *Oriri sæpe solet hic affectus à pinguibus rebus, brassicâ cum butyro frixâ, fumo multo tabaci & abusu spiritus vini, aliorumve liquorum ardentium acriorum.*

b Qui in copiosos vapores conversus, ructus, &c.) *Auctor ne quidem hic mentionem facit pororum ventriculi obstructorum, cum tamen sine iis ructus nulli præternaturales fiant, nam omnes homines, etiam sani, vaporibus flatibusque repletum habent corpus, ructus tamen & rugitus, vel murmura hypochondriorum præternaturalia non patiuntur; imo quorum sanguis, ex sale est (ut ita dicam) acerrimus, hæc non habent incommoda, nisi poris ventriculi & intestinorum minus patentibus.*

c Ibique in vapores crassos.) *Id est, solito crassiores, qui cùm non ubique offendant poros satis patulos, expansionem ventriculi & intestinorum extraordinariam pariendo, exitus per loca minus resistentia moliuntur.*

d In intestinis.) *Aliquando etiam extra eadem, aut inter eorum tunicas.*

Ex hoc morbo *metus* est, *a* ne febres, erysipelata, scabies, nutritionis defectus, vel depravatio, qualis lepra, & alia similia mala oriantur.

a Febres, erysipelata, &c.) *Nempe talia symptomata facillimè oriuntur à sanguine & humoribus viscoso-acribus.*

Cura-

Curatio itaque adhibenda: *eaque* in pravorum humorum eductione, ventriculi intemperiei correctione, bonæ temperiei reductione, & ventriculi corroboratione consistet.

Primò itaque præscribatur *a* tale vomitorium:

℞. *Croci metallorum gr.* xvj.
b *Vini albi* ℥iij.
F. infusio per noctem, & mane coletur per chartam Emporeticam.
Colaturæ adde c *aq. cinnamomi* ℥ß.
Misce, pro Vomitorio, *mane exhibendo.*

a Tale vomitorium.) *Nempe (ut supra aliquoties monuimus) præparante medicamento præmissô.*

b Vini alb. unc. iij.) *Sufficiunt* unc. ij.

c Aq. cinnamomi.) *Hæc fere semper ab Auctoribus, vomitoriis additur, sed haud adeo convenienter nisi pro delicatulis, nam ventriculum roborando, vomitorii vires diminuit.*

Postea utatur tali Apozemate alterante & purgante:

℞. a *Rad. cichorii* ℥ß.
Fol. absinthii pontici m. ß.
b *Sem. 4. frigid. major. an.* ℥j.
Anisi, fœniculi an. ℥ß.
Tamarindor. ℥j.
Decoquantur in aq. decoct. hordei q. ß. ad ℔j.
Addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℥jß.
Mirobalanor. citrin ℥ß. *cinnamomi* ℈ij. *Colaturæ adde*
Syr. granator. acidor., de cichor. cum rhabarb. an. ℥j.
Misce, F. c Apozema, *pro tribus dosibus; mane jejuno ventriculo sumendis.*

a Rad. cichorii.) *Morbum hunc, cum dixerit Auctor esse calidum, mirum videri potest, quod utatur calidis, nos commendaremus temperata, sabacida, ut crem. & cryst. tart. nitrum nitratum, tartarum tartarizatum, spir. nitr. sal. dulcif. sp. vener. mixturam simplicem, Elix. prop. Parac. cum ol: sulph. per campan. præp. & similia.*

b Sem. 4. frig.) *Hæc potius eliminentur, cum sem. subseq. & substituatur rhab. elect.* ℨiij., *tuncque etiam omitti poterit sena.*

c Apozema.

℞. Hord. mund. M.j.
C. C. limat. ℥iß.
Tamarind. ℥iß.
Rad. scorzon. ℥ij.
gramin. ℥iij.
liquir. ℥ß.
Coq in ß. q. aqu. comm. ad ℔iij. *colat. add. vin. rhen. matur.* ℥iv. *syr. de succo citr. q. ß. ad grat.*
M. f. Decoct.

Post purgationem, ad ventriculum corroborandum, conveniunt miva cydoniorum, aut cydoniatum ipsum, syr. cydoniorum cum syr. de absinthio pontico mixtus, tabellæ diamargariti frigidi, vel diatrium santalûv, vel etiam diarhodon abbatis, vel sequens opiata:

℞. a *Conditurae lactucæ, & cucurbitæ an.* ℥j.
Conservæ acetosæ, rosar., flor. cichorii, flor. bugloss. an. ℥ß.
Santali rubri, coralli præparati, & margar. præp. an. ℥ß.
Trochiscor. de spodio, sem. acetosæ an. ℈j.
Cum syr. de limonibus. F. Opiata, *de qua capiat magnitudinem castaneæ, mane & vesperi, superbibendo parum vini dilutissimi.*

a Con-

a Conditurae.) *Saccharata hic semper nocent, ratione suae visciditatis & acrimoniae, Potiùs*
℞. Succ. aurant,
Spir. vin. arom. ana ℥j.
Syr. de menth. ℥iij.
M. F. Haustus pro delicatulis.

Exterius ventriculi regio inungatur tali *a* unguento:
℞. *Ol. rosar., myrtini, & cydonior. aceto ros. lotor. an.* ℥j.
Santalor. omnium, coralli rubri, coriandr. praep.
Rosar. rubr. an. ʒj.
Gran. kermis, & spodii an. ℈j.
Cerae albae q. s. F. Linimentum, *quo tepido, & in vola manus tantum calefacto, inungatur dicta regio bis in die, addendo parum aceti inunctionis tempore.*

a Unguento.) *Sordidum hoc est, & inutile; si tamen aliquid simile sit usurpandum, eligatur bals. stomachicum Timaei, vel empl. de bacc. laur.*

In *Cibo* utilis est *a* usus ptisanae. *Cibi* condiantur aceto & succo citri & aurantiorum acidorum. Utilis est caro bubula recens, utile etiam jus pullorum, in quo lactuca & endivia est cocta. *b Potus* sit cerevisia tenuis. Quantitas cibi sit mediocris; panis sit bene fermentatus, *c* autopyrus.

a Usus ptisanae.) *Lacticinia prohibentur, ut & pinguiora alimenta, abusus spiritus vini, fumi tabaci, olerum, saccharatorum, sinapios, raphan. prohibentur allia, carnes sale & fumo conditae & simil. sed hordeata acrimoniam involvendo compescunt, utilia quoque sunt acetosa, succ. citr. aurant. recent. pruna damasc. passul. maj. & min. coct. gelatina C.C. acidulata, vinum mosell. maturum.*

b Potus sit cerevisia.) *Pinguis enim, non benè defaecata, vel etiam antiqua hunc affectum producere potest.*

c Autopyrus.) *Dictus quasi* ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός, *id est, totum ipsum triticum, nullâ sui parte ademptâ: Talemque panem* Cicero Tus. V. c. xxxiv. *vocat panem cibarium: Nostratibus dicitur* huigbak-brood.

VII.

MEDICATIO FOEMINAE,

a CRUDITATE ACIDA VENTRICULI LABORANTIS.

FOEmina annorum 24. *b* facie admodum pallida, sedentariam vitam agens, *c* & diu crudioribus alimentis usa, jam à longo tempore multos ructus, eosque saepe acidos, emittit. *d* Cibus assumtus in ventriculo fluctuat, & interdum etiam crudus & subacidus vomitu excernitur. *e* Saepe etiam adest tensio circa os ensiforme, quae emissis ructibus imminuitur. *f* Urina alba & sine hypostasi observatur. Sitis nulla aegram afficit.

a Cru-

a Cruditate acidâ.) *Coincidit hæc medicatio, cum* medicationibus cardialgiæ & famis caninæ.

b Facie admodum pallida.) *Hæc significat cachexiam & gradum ad leucophlegmatiam.*

c Et diu crudioribus alimentis usa.) *Speciatim hæc cruda dicenda sunt fixa acida, aut quæ saltem in acidum facile degenerant, ut lac dulce, cerevisia minus cocta & dulcis, præsertim æstivo tempore, hydromel. &c.*

d Cibus assumtus in ventriculo fluctuat.) *Hæc fluctuatio non est de essentia cruditatis acidæ.*

e Sæpe etiam adest tensio circa os ensiforme.) *Eo in loco positum est superius ventriculi orificium.*

f Urina alba.) *Id est, aquosa, quæ melius vocaretur coloris expers.*

Afficitur in hæc ægra *ventriculus*, quod ex copiosis illis ructibus, tensione circa os ensiforme perceptâ, & ex cibi assumti fluctatione, ac vomitu interdum insequente, est manifestum. Afficitur etiam *facies & a totum corpus*, quod ex faciei pallore patet.

a Totum corpus.) *Faciei pallor indicat obstructa esse vasa faciei capillaria sanguinea.*

Morbus, qui illam affligit, est intemperies frigida & humida & acida ventriculi, cum pororum ejus aliqua obstructione conjuncta; quæ depravationem coctionis cibi acidam, & hinc ejus in ventriculo *a* fluctuationem, & multos ructus acidos, ac cibi crudi & subacidi vomitum, interdum etiam ventriculi tensionem producens *b Ventriculi cruditas acida* vulgò dicitur.

a Fluctuationem.) *Hæc significat paralysin nervorum ventriculi.*

b Ventriculi cruditas acida.) *Cruditas acida fere eadem est, quæ fames canina; sed tamen illa videtur magis volatilis esse, quam hæc.*

Causa procatarctica hujus morbi, præter vitam sedentariam, est diuturnus crudorum alimentorum usus. Ab eo enim, adjuvante vitâ ejus sedentariâ *a* frigidi humores in toto corpore geniti, pallorem, in facie præcipue observabilem, excitantes, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum ad ventriculum delata, ibique restagnans, & obstructiones aliquas inducens, *continens* hujus morbi, & symptomatum, est causa.

a Frigidi humores.) *Id est, crassi, austeri.*

Hinc enim primò oritur intemperies ventriculi frigida, humida & acida, quâ alimenta assumta non satis attenuantur, ac partim in vapores crassos convertuntur; qui per ventriculum, propter crassitiem suam, & ventriculi obstructionem, varie vagantes, *ciborum in eo fluctuationes*; eumque distendentes, *tensiones circa os ensiforme, quæ emissis ructibus imminuuntur*, excitant: partim in acidum & crudum chylum convertuntur; qui *acrimoniâ suâ ventriculum* vellicat, eumque ad *crudorum & acidorum ciborum vomitum* stimulat. Porro ex crudo chylo gignitur crudus chymus & sanguis; & hinc *urina est alba & a sine hypostasi*: & à *b* redundantia frigidorum humorum circa ventriculi os superius, oritur *sitis absentia.*

a Sine hypostasi.) *Ratio est, quòd tubuli glandularum renalium multò sint angustiores, quàm ut crassiores partes transcolare valeant, adeoque simùl*

adest

adest eorum obstructio.

b A redundantia frigidorum humorum &c.) *Putarem ego hinc potiùs orituram esse sitim, dùm frigidi, id est, crassi & copiosi humores, glandulas salivales obstruunt: sed nostro judicio fortuitum planè est, quòd sitis hic absit, posset enim adesse, si canaliculi glandularum praenominatarum, essent angustiores.*

Coctio ventriculi laesa, quia non potest corrigi à sequentibus, ideo vitium hoc, *alia gravia mala, a* ut cachexiam, atrophiam, & hydropem, *inducere potest.*

a Ut cachexiam.) *Chlorosin, palpitationes cordis crebras & vehementes, passiones colicas, lienteriam, melancholiam hypochondriacam &c.*

Ideoque celeri *Curatione* huic malo est medendum: *a quae* in causarum, & intemperiei, ac obstructionis ablatione, per contraria faciendâ, consistet.

a Quae in causarum, &c.) *Curatio eadem est, ac famis caninae; eaque consistit in obstructionum reseratione, acidi austeri emendatione, atque ejusdem evacuatione.*

Primò itaque utatur tali apozemate alterante & purgante.

℞. *Rad. acori vulgaris, cyperi, calami aromatici an.* ℥j.
Cortic. citri siccor. rad. salsaepar. an. ʒvj.
Herb. absint. pontici, menthae, majoran., chamaedr., chamaepyt. an. m. j.
Sem. citri, anisi an. ʒij. a *fol. senae mund.* ℥ʃ.
Carthami contusi ℥ʃ. *agarici trochisc.* ʒiij.
Flor. salviae, anthos, lavendulae an. p. j.
Decoq. in aq. hord. & vini albi sub finem additi part. aequal.
Ad lib. jʃ. In Colatura dissolve syr. de conditura citri ℥ij.
Misce, F. Apozema, *pro 5. dosibus mane sumendis.*

a Fol. senae, &c.) *Praestaret haec folia, cum aromaticis radicibus, corticibus & floribus infundere in liquorem calidum, nam coctione, subtiliores partes perduntur, crassae terrestres retinentur: Quantitas liquoris proportione habitâ ad ingredientia, nimis est exigua.*

Postea utatur hoc condito:

℞. *Conserv. anthos, menthae, cort. citri condit.,*
Nuc. mosc. cond. an ℥ʃ.
Spec. aromatici ros. cinnamomi an. ʒj.
Pellicular. interior. ventricul. gallin. praep. ʒij.
Confect alckermes ʒiij. *sal. absint.* ℈ij.
Cum syr. de mentha, q. s. a F. Conditum *de quo sumat castaneae majoris magnitudinem, mane jejunus, superbibendo haustum vini generosioris.*

a F. Conditum.) *Pulveres praeferimus conditis: quid autem praestiturae sint pelliculae interiores ventric. gallin. praep. nos videre non possumus. Debitâ praeparatione humoris crassi austeri praemissâ, usurpetur vomitorium, postea usurpentur sp. sal. ammon. simplex & aromat. tinct. sal. tart. antim. mart. vol. metallor. elix. prop. &c.*

Utile

Utile etiam erit tale vinum aromaticum:

℞. *Cinnamomi electi* ℥ſ. *zinzib.* ʒj. *macis* ʒſ.
Nucis moſchat. ℈j.
Caryophyll., piper. long. gr. paradiſ. an. ℈j.
Infund. in vini rhenani, lib. ij.
F. *a* Claretum, *cui adde ſacchari albi* ℥viij.
Et de eo bis in die hauſtum bibat.

a Claretum.) *Add. limat. Chalyb.* ℥ij.

Commodiſſime etiam in hoc affectu uſurpatur hic pulvis:

℞. *Sem. aniſi, fæniculi, an.* ʒij.
Cinnamomi, cardamomi, zinzib. an. ʒj.
Spicæ, croci, baſilicon. ſem. carui, petroſel. an. ʒſ.
a *Limaturæ ferri præp. ad pondus omnium, ſacchari* ℥j.
F. Pulvis, *de quo detur* ʒſ. *ante prandium.*

a Limaturæ ferri.) *Poſt hujus uſum conveniunt laxantia & evacuantia.*

Magnopere etiam hic conducit drachma dimidia oculorum cancri pulveriſatorum, cum vino ſumta, horâ unâ ante paſtum.

Regio ventriculi illinatur tali *a* linimento; cui deinde cum goſſypio linteum imponatur:

℞. *Ol. maſtichini, de abſynthio an.* ʒſ.
Nucis moſchatæ, caryophyllor. an. ʒſ.
Spec. aromat. roſ. ℈j. *ceræ parum*, F. Linimentum.

a Linimento.) *Præſtat id quod* Etmullerus *habet ſeq.*

℞. Ol. cham. deſt. ʒj.
Balſ. Peruv. ʒß.
Ol. mac.
caryoph. an. ℈ß. *vel* gutt. xv.
nuc. moſch. expreſſ. q. ſ.
M. F. Balſam.
Internè

℞. Mitrid. recent. ʒj.
Salis abſynth. ℈j. *aut* gr. xxv.
Aq. menth.
Fœnicul.
Vitæ Matthiol. an. ℥ß.
Syr. Papaveris ʒiij.
Tinct. opii gutt. xxx.
M. F. Hauſtus.

In *diæta* Aër ſit calidus. *Cibus* offeratur concoctu facilis, ex pullis gallinaceis, agnis aſſis potius, quam elixis, & aromatibus conditus: & ex carnium juſculis: quæ eâ quantitate, quæ commodè digeri poteſt exhibeantur. *Vinum* & cereviſia mediocris ſumatur pro potu. *Motus* corporis ſit moderatus, ut & *ſomnus*. *Alvus* reſpondeat arte, vel naturâ. Vitentur *triſtes animi affectus*.

VIII.

MEDICATIO PUELLÆ, SINGULTU DIUTINO FATIGATÆ.

PUella, tredecim annos nata, *a* jam ab integro anno laborat singultu admodum molesto; qui *b* quater vel quinquies in die, nunc per quadrantem horæ, nunc per horam dimidiam, durat. *c* Totâ præcedente hyeme hoc symptoma ipsam graviter afflixit; æstate verò ab eo fere fuit immunis; ità ut per longa intervalla interdum tantum rediret. Adventante autumno, rediit cum pristinâ molestiâ; & etiamnum durat.

a Jam ab integro anno.) *Singultum duodecim dierum, refert* Tulp. lib. 4. obs. 25. Barth. cent. ij. hist. 4. *loquitur de singultu quatuor annorum continuo.* Idem cent. iij. Epist. 61. *mentionem facit mulieris adeò graviter singultientis, ut per biennium à Dæmone obsessa crederetur. Confer* Marc. Donat. lib. 4. hist. med. mir. v. *item* Schenk. lib. 3. obs.

b Quater vel quinquies in die.) *Periodicum singultum vid.* in act. Hafn. ann. 1671. obs. 73. *confer* eadem acta ann. 1673. obs. 28.

c Tota præcedente hyeme.) *Debuisset Auctor addere victus rationem, & significare, utrum vel præcesserit, vel comitatus fuerit hic singultus, aliam corporis affectionem.*

Afficitur in hac ægra *superius a os ventriculi*; quod ex singultivo isto sono est manifestum.

a Superius os ventriculi.) *Ita quidem hactenus plerique judicarunt Practici: vid.* Galen. in comment. ad Aph. iij. Sect. 2. *Verùm, quoniam semper singultus fit cum inspiratione sonifera acuta, & protuberantia abdominis extrorsùm, alii rectius diaphragma potissimum affici statuerunt, quatenùs illud est inspirationis organum primarium: Vid.* Franc. Sylv. de le Boë prax. lib. j. cap. xxiij. §. xj. *nec non* Etmuller. de aëris inspiratione læsa. *Attamen per consensum ventriculi aliarumque viscerum, diaphragmati vicinorum, singultum fieri posse, significabimus loco paulò inferiore.*

Morbus, qui eam affligit, est *a* intemperies viscida & acris superioris oris ventriculi; quæ, nervos sextæ conjugationis ei implantatos vellicando, & influxum vehementem spirituum in illos identidem determinando, motum quendam convulsivum & sonorum *b* stomachi, per vices subinde reïteratum, excitans *Singultus* dicitur.

a Intemperies viscida & acris.) *Nulla (propriè loquendo) simplex dici potest sanguinis & humorum intemperies, verùm semper composita, unius tamen generis præ cæteris hic, ut alibi abundare, attendenti clarum est.*

b Stomachi.) *Hinc (ni fallor) orietur vomitus.*

Cau-

Causa hujus morbi *antecedens* est acris & viscidus humor sanguini admixtus; qui certis temporibus in ventriculi os superius effusus, illudque acrimoniâ suâ vellicans, *a continens* hujus morbi, & singultuosi symptomatis, est causa.

a Continens.) *Hæc consistit in convulsione spasmodica musculorum diaphragmatis, orta ab influxu spirituum animalium solito vehementiore & celeriore, ita ut libere cursum suum versùs antagonistas pectorales, intercostales & abdominis continuare nequeant: Talis autem confusus spirituum motus ad prædictos musculos oriri potest & ab acri materia, poris, tubulisque eorum inhærente, vel à nimia distensione ventriculi, vel inflammatione ejusdem, aut hepatis, alteriusve visceris vicini (vid.* Hippocrat. Sect.v. Aphor.58. & Sect.vij. Aphor.17.) *vel ab acrioribus purgantibus, ut in hypercatharsi (vid.* Hippocrat. Sect.v. Aphor.4. Sect.vij. Aphor. 41.) *Vel à vomitu (vid.* Hippocrat. Sect. 7. Aphor. 5.) *vel ab ileo (vid.* Hippocr. Sect.7. Aphor.x.) *vel à nimia hæmorrhagia (vid.* Hippocrat. Sect.v. Aphor. iij.) *& tunc etiam dici potest, hæmorrhagiam & ileum esse duos effectus ab una eademque causa universali, nempe acrimoniâ sanguinis. Ab intemperato Julapiorum refrigerantium usu, singultum ortum tradit* Schenk. lib. 3. *ab oleo vitrioli, loco balsami sulph.* Paul. Barbette prax. lib. 4. c. 2. *à costarum ad ventriculum detrusione* Schenk. loc. cit. *ex compressione vertebrarum thoracis* Joh. Rhod. cent. ij. obs. 61. *ex potu aquæ gelidæ* Timæ. cas. lib. 3. cas. 5.

Humor enim ille, ibi existens, inducit acrem & viscidam intemperiem; quâ fibrillæ nervorum sextæ conjugationis, *a* ventriculo & œsophago implantatæ, ita vellicantur, ut illæ suo motu ad cerebrum delato, tales in cerebri ventriculis subinde aperiant poros, per quos spiritus animales, vehementius in os ventriculi superius influentes, fibras expulsioni per superiora faciendæ destinatas ita vicissim contrahant, ut aërem œsophago contentum *b* certis vicibus tanto impetu expellant, ut inde *c singultivus sonitus* frequenter oriatur. Discusso autem per motum singultivum isto humore acri, *cessat singultus*; eoque denuo ad œsophagum delato, *fit* d *singultûs reiteratio.*

a Ventriculo & œsophago) *Hinc potiùs sequeretur nausea & vomitus.*

b Certis vicibus.) *Atqui hoc non constat ex historia.*

c Singultivus sonitus.) *Subitanea musculorum diaphragmatis convulsione, musculi laryngis simul convelluntur, ita ut cavitas asperæ arteriæ angustetur, adeoque aër per angustiam loci celeriùs motus, acutum excitet sonum.*

d Fit singultus reiteratio.) *Non nisi, nova causâ incrassante superveniente, acriores crassi humores forte fortuna in hoc subjecto novam obstructionem tubulorum in musculis diaphragmatis pariunt.*

Infestavit molestum hoc symptoma puellam totâ hyeme; quia frigus hyemale materiam illam acrem in corpore retinuit: & quia calor æstivus eam dissipavit, ventriculique calorem auxit, ideoque *totâ fere æstate inducias fecit*; *Autumnali* verò *frigore* jam redeunte, materiamque acrem in corpore retinente, *rediit singultus*, magnâ frequentique molestiâ puellam lassans.

Quia hoc malum tamdiu duravit, *a metus* est, ne porro pertinacius sit futurum.

a Metus est.) *Confer* Hippocr. loc. cit. *suprà ad causam continentem.*

Curatio consistet in materiæ acris & viscidæ *a* evacuatione, & intemperiei correctione.

a Evacuatione.) *Attendendum est ad urgens symptoma, quod mitigari facile poterit, sine plenaria materiæ peccantis evacuatione.*

Primò itaque sumat hunc pulverem *a* purgantem.

℞. *Cremor. tartari* ℈j.

Scammonii opt. gr. xij. *Misce* F. Pulvis, cum pauxillo cerevisiæ calidæ exhibendus, & bis vel semel in septimana reiterandus.

a Purgantem.) *Quatenùs ventriculum affectum Auctor dixit, præstaret vomitorium, modò aliæ circumstantiæ non obstarent, ut inflammatio, exulceratio &c. sed universalis medela petẽda est ex anodynis & opiatis, nec non acidum absorbentibus atque nitrosis. Sternutatio quid possit, vid.* Hippocr. Sect. vj. Aphor. 13.

a Post purgationem, utatur cerevisiâ, in qua sequens pupa fuerit decocta & macerata:

℞. *Sem. anethi, carui, portulacæ, papaveris albi an.* ʒij.

Contusa includantur linteo, & F. Pupa, quæ decoquatur & maceretur in cerevisiæ tenuioris lib. j. de qua subinde haustus bibatur.

a Post purgationem.)

℞. Diasc. Sylv. ʒj.

Ras. dent. apri ℈j.

Sal. vol. C. C. ʒß.

Croc. gr. viij.

M. F. Bolus.

Si malum perseveret, utatur hoc vomitorio:

℞. *Aq. benedictæ Rulandi*, *a* *sive vini emetici antimoniati* ℥j.

Sumat calidè.

a Sive, &c.) *In eo vertitur controversia.*

a A vomitu utatur in contumaci malo *b* his pilulis:

℞. *Pil. de cynoglossa* ℈ij.

Philonii ℈j. *Misce.* *F.* Pilulæ

Num. xiij. *dentur tres sub noctem.*

a A vomitu.) *Non immediatè quidem post vomitum, verùm corpore ad quietem compositô, circa tempus nocturnum, aut subsequente die.*

b His pilulis.) *Melius operabitur seq. sudoriferum:*

℞. Theriac. recent ℈iv.

Bezoard. miner. gr. xxv.

Sal. C. C. vol. purif. ʒß.

Laud. opiati gr. j.

Croci gr. vj.

Syr. papav. ʒiij.

M. F. Bolus.

Vel cum s. q. aq. spirit. tanacet. unc. iij. *F. Haustus. Externè ventriculi & pectoris regioni imponantur emplast. de sperm. Ceti Mynsichti cum camphora.*

In victus ratione, *Aër* sit temperatus; *a Cibus* eupeptus; *b Potus* ex cerevisia tenui & amygdalatis.

a Ci-

a Cibus eupeptus.) *Cibus sit insulsus quantum fieri potest, & sine acrioribus aromaticis, atque fumo induratis, acida fixa vitentur. Pauca ciborum copia simul ingeratur: cohibeatur aliquamdiu respiratio, juxta tritum illud muliercularum nostratium, uno spiritu dicendum:* ik heb den hik sprik sproum ik geen hem ioum *idem enim id præstat quod sternutatio.*

b Cerevisia tenui.) *Quidni etiam pinguis, si modo recens?*

IX.

MEDICATIO MULIERIS, DIUTURNO [a] VOMITU LABORANTIS.

Fœmina quædam 24. annorum jam à *b* triennio laborat molesto vomitu, quo *c* post singulos pastus omnem ferè cibum & potum assumtum, *d* pituitâ viscidâ permixtum, evomit: unde jam ad summam maciem est perducta. *e* Adest lumborum dolor, ad hypochondrium sinistrum sese extendens, & *f* febris lenta.

a Vomitu.) *Gradus ejus minor dicitur nausea & fastidium ad quævis oblata. Dividitur in* idiopathicum, *causâ unicè in ventriculo latente,* sympathicum, *causâ latente in aliis partibus, utut remotis, ut vulnere capitis, vertigine, cephalalgia, passione colica, iliaca, nephritide, cholera humida, dysenteriâ, &c. item denique* criticum *tàm ad salutem, quàm ad mortem, ut in febribus, tàm continuis acutis, quàm lentis, morbis chronicis, &c.*

b A triennio.) *Infaustam talis circumstantia facit prognosin.*

c Post pastus.) *Non quidem immediate, sed aliquod demùm post tempus, alioquin, vix tamdiu superstes hæc fœmina esse poterat.*

d Pituita viscida.) *Sic distinguitur hic vomitus à vomitu sanguis, bilis tàm flavæ, quàm viridis, æruginosæ, & nigricantis. Ita vomitum sanguinis menstruum vid.* in misc. cur. ann. j. obs. 95. Stalp. van der Wiel cent. ij. obs. 17. *Vomitum venereum mirabilem in* misc. cur. cent. j. obs. 4. *Urinam per vomitum rejectam narrat* Hild. cent. 5. obs. 47. *Stercora per vomitum rejecta vid.* Autor. medic. 30. & 31. *hujus libri, item* Tulp. obs. lib. ij. obs. 21. 22. & 23. *Vermes vomitu rejici quotidiana docet experientia. De Vomitu acuum, crinium, ossium, &c. utpote artificiali & fraudoloso hic silemus.*

e Lumborum dolor.) *Debuisset Auctor plura de hoc dolore addere, nempe, an esset continuus, an interruptus? an esset tumor lienis? an conjungeretur nephritis? an violentis vomitibus dolor ille tribuendus?*

f Febris lenta.) *Hæc omni intemperiei magnæ viscosæ, s. pituitosæ conjungitur.*

Afficitur in hac ægra *ventriculus*, quod ex diuturno illo patet vomitu; *a* item *lien*, quod ex dolore circa lumbos percepto, & ad sinistrum hypochondrium sese

sese extendente; item *cor*, *b* quod ex febri lentâ innotescit.

a Item lien, quod ex dolore circa lumbos, &c.) *Lienem affectum esse non semper indicat dolor hypochondrii sinistri, tantò minus lumborum.*

b Quod ex febri lentâ.) *Hæc posset suspicionem movere apostematis, in renibus aut eorum vicinia latentis, ergò benè Auctor urinæ qualitatem & consistentiam annotâsset.*

Morbus, qui ægram infestat, est ventriculi & lienis intemperies acris & viscida, quæ, jam per triennium alimentorum, per superiora, rejectionem excitans, *Vomitus diuturnus* à Medicis adpellari solet.

a *Causa antecedens* hujus morbi est colluvies humorum acrium & viscidorum, in toto corpore, & præsertim in liene & vicinis locis existens; pars verò ejus, in ventriculi cavitatem sese effundens, *b* *continens* hujus pertinacis morbi & symptomatum est causa.

a Causa antecedens.) *Confer* medic. de vomitu sanguinis: *Procatarcticæ causæ possunt esse, alimenta & potulenta copiosa, sive viscosa & pinguia, sive acria, vomitoria & purgantia acriora, male præparata, vel intempestivè hausta, esus fungorum, ut apud* Hildan. cent. 4. obs. 35. *vertigo, ictus, vulnus capitis, adspectus rerum ingratarum, imprægnatio in mulieribus, vehemens aliqua animi passio; febris, suppressio evacuationum consuetarum, seminis retentio, &c. vid.* Hild. cent. 4. obs. 32. & Deodat. p. m. 170. Hoffer. Hercul. Med. p. m. 137. *Aliquando vomitus est arbitrarius, in iis qui intermediam ventriculi tuniam, habent valdè musculosam.*

b Continens.) *Est convulsio pylori, & hinc totius ventriculi; Vid.* Ola. Kudbek. in messe aurea Hemsterbus: obs. xx. *Hæc autem convulsio dependet ab irregulari spirituum animalium, inter fibrillas ventriculi omnis generis, influxu, sive hic ab inanitione s. repletione resultet: aliquandò causa latet in pyloro occluso vel scyrrhoso, uti videre est apud* Salmuth. cent. j. hist. 20. Barthol. cent. 6. hist. 47. *aliquandò in pancreate, ut apud* Paul. Barbette prax. lib. 4. cap. 2. Panarol. pentec. j. obs. 44. *aliquando à steatomate, ut apud* Joh. Rhod. cent. 2. ob. 63. *ab Herpete ventriculi, vid.* Panarol. pentec. j. obs. 47.

Nam acris & viscida illa materies, in ventriculum *a* effusa, efficit ut alimenta assumta mox in acrem & viscidam materiam *b* à ventriculo convertantur; qua nervus sextæ conjugationis, ventriculo implantatus, ita movetur, ut ex illo motu ad cerebrum delato, isti in illo vehementius aperiantur pori, qui in fibras ventriculi, *c* obliquè ascendentes, desinunt. Per illos itaque ita apertos, copiosiores in ventriculum influentes spiritus animales, illum, à cibo assumto irritatum, ita versus superiora movent; ut *d* *quicquid in illo continetur, paulò post ejus assumtionem vomitu rejiciatur*. Et quia ob celerem illam ac frequentem alimentorum corruptionem & rejectionem, toti corpori *e* justum nutrimentum subducitur; *hinc oritur illa macies, quæ totum corpus hujus ægræ occupat*; Et quia pars istius corruptæ materiæ ad cor fertur, & malignitatem febrilem habet, hinc *f* *lenta illa febricula nostram ægram infestat.*

a Effusa.) *Per vasa ventriculi lymphatica, in cavitatem ejus hiantia, collecta.*

b A ventriculo.) *Potius ab hujus fermento: est enim natura fermentorum, transmutare res alias in sui naturam, quatenùs constant particulis rigidioribus, constantioribus, & in ma-*

majore motu constitutis.

c Obliquè ascendentes.) *Hæ convelli nequeunt, nisi & omnis generis aliæ fibræ convellantur.*

d Quicquid in illo continetur.) *Ex intestino duodeno per pylorum inter vomendum, haud raro bilis & succus pancreaticus, in cavitatem ventriculi conjiciuntur & egeruntur.*

e Justum nutrimentum.) *Omnis corporis emaciatio, deduci potest vel ab inedia, vel à vomitibus & fluxibus alvi, obstructionibus vasorum lacteorum & glandularum mesenterii, lumbricis intestinorum copiosis & magnis, ruptione receptaculi communis, vel ductus thoracici; sanguine acri & crasso vasa capillaria partium stabilium obstruente, adeòque chyli distributionem impediente, paralysi, hydrope, & febribus.*

f Lenta illa febricula.) *Hæc non semper dependet à partis alicujus s. visceris notabilis exulceratione, sed à crassis, viscosis & terrestribus sanguinis particulis, propter languidiorem motum ab invicem secedentibus, ut in chlorosi, cachexia leucophlegmatica, scorbuto, &c.*

Morbus hic, ob *a* diuturnitatem, & corporis consumptionem, valdè periculosus est.

a Diuturnitatem.) *Vomitus à scyrrho & callo pylori incurabilis est.*

Curatio consistit in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei, per contraria, correctione.

Primò itaq; *a* educatur sanguis ex brachio dextro ad uncias quatuor vel quinque.

a Educatur sanguis.) *Vomitus per se non indicat venæ-sectionem, nisi ortum traheret à plethora & inflammatione.*

Deinde per quindecim dies *a* tali utatur jusculo:

℞. *Rad. cichorii, asparagi, rusci, bugloss. an.* ℥ß.
Fol. agrimoniæ, ceterach., capill. veneris, pimpinellæ an. M. ß.
Coq. cum pullo gallinaceo. In Colatura dissolve cremor. Tartari ℨj.
F. Jusculum, *mane sumendum* b *& per sexdecim dies continuandum.*

a Tali utatur jusculo.) *Commendandum est Elix. prop. Parac. & salut. Anglic. tinct. absinth. enul. camp. antim. mart. vol. castor. sal. tart. succin. sal. vol. oleos. Sylv. Aliaque aromatica, sed tamen non sunt excludenda acida volatilia, ut sp. nitr. & sal. dulc. spir. vener. crem. & crist. tart.*

b Et per sexdecim dies.) *Fastidirent ægri hoc modo juscula, eo magis, quia medicamentosa sunt.*

Haud melius vomitus (nisi forte ab inflammatione ortus sit) tollitur quàm per vomitorium ex Vin. emet. ℥jß. *vel* ℥ij. *Aliàs satis expertum est id, quod* Riverius *habet* pr. lib. 9. c. 7. *ex sal. absinth.* ℈j. *succ. limon. cochleare j. præprimis si granum unum, vel alterum laud. op. addatur, vel diasc. Sylv. ad* ℈ij. *In vomitus biliosi initio usurpetur rhabarb. & aloë: Vel (ut tradit* Riv. l. c.) ℞. *laud. op. gr. iij. Pil. cochiar. min.* ℈ijß. *sic enim primò sedatur vomitus, & posteà subsequitur purgatio per sedes: ast si medicamentum non evacuetur, injiciatur clyster. Efficax quoq; est seq. haustus:*

℞. Aq. menth. ℥j.
cort. aurant. ℥ij.
vit. Matth. ℥iij.
Corall. rub. præpar. ℈ij.
Tinct. croc. ℈iv.
Conf. hyac. ℈ij.
Diascord. Sylv. ℨj.
Sp. nitr. dulc. gutt. vj.
Syr. limon. ℥vi.
M. f. haust.

In

In quarto quoque jusculo *a* infunde per noctem fol. senæ ℥iij. & colatura exhibeatur mane cum regimine.

a Infunde.) *℞. Succ. granat. acid. ℥vj. succ. menth. depur. ℥ij. aq. oxalid. ℔j. sacch. alb. ℥iv. F. julep. in cujus clarificatione, leviter bulliat in nodulo, santal. citrin. rof. rub. & spod. ana ℥ij. M. dos. ℥iv.*

Post usum jusculorum tali *a* utatur semicupio per triduum.

℞. *Hordei integri, amygdalar. dulc. ana ℔j.*

Contundantur & decoquantur in aq. comm. q. s. pro

Semicupio, quod ingrediatur tepidum bis in die, mane sc. & sub horam quartam pomeridianam.

a Semicupio.) *Hoc modo acrimonia sanguinis temperari poterit. Externe ventriculi regioni imponatur crusta panis tosta, aquâ proph. Sylv. irrorata: oxycratum frigidum admoveatur genitalibus, vel manus detineantur in aqua frigida; camphora naribus frequenter admoveatur.*

Postea utatur his pilulis per dies quindecim:

℞. *Chalybis cum sulphure præparati ʒj.*

Aloës optim. fol. senæ mund., rhabarbari electi, agarici trochisc. an. ʒij.

Spec. electuarii diarrhod. abbatis ʒß.

Croci oriental. ℈ß.

Cum oxymell. simpl. F. Massa pilularum, de qua capiat drach. j. singulis diebus mane tribus horis ante pastum, & posteà deambulet.

Post usum pilularum reiteretur semicupium per quatriduum, vel sextiduum.

Toto curationis tempore, *Cibus* sit *a* euchymus & eupeptus; *Motus & Somnus* moderatus; vitet *Tristitiam*.

a Euchymus.) *Sit temperatè aromaticus, acidiusculis & leviter adstringentibus medicatus.*

X.

MEDICATIO JUVENIS, VOMITU SANGUINIS LABORANTIS.

JUvenis 28. annorum, temperamento *a* biliosus, vinis calidioribus delectari solitus, subito incidit in magnam cardialgiam, qua in deliquium animi est prolapsus. Illud paulò post secutus est copiosissimus *b* sanguinis concreti vomitus, ejusdemque, sed valdè nigri, per alvum dejectio. Mox ad se quidem rediit; sed valdè debilitatus pallet, & sanguinolentæ excretionis etiamnum perseverant. *c* Abhinc biennium, similis excretio sanguinis, ipsum invasit.

a Bi-

a Biliosus.) *Id est, sanguine acri & corrosivo gaudens.*

b Sanguinis concreti vomitus.) *Sic distinguitur ab hæmoptoë, nam ex pulmonibus spumosus, & floridi coloris sanguis cum tussi excernitur: Aliquando humor terrestris & acidus corrosivus vomitu rejectus sanguinem coagulatum mentitur:* Petrus Borell. cent. ij. obs. j. *exemplum habet vomitus bilis, quæ in lapides conjecta, instar aquæ fortis ebullitionem excitabat. Vid.* Hipp. Sect. 4. Aph. 22.

c Abhinc biennium.) *Hoc faciet infaustam prognosin.*

Afficitur in hoc ægro *ventriculus & intestina*, atque potissimum *secundum vasa sua & cavitatem*, quod ex sanguinis vomitu, & per alvum excretione, satis est manifestum. Afficitur item *cor*, quod ex animi deliquio; & *totum corpus*, quod ex pallore patet.

Morbus, quo hic æger affligitur, est vasorum quorundam in ventriculo & intestinis apertio; quæ sanguinem in ea effundens, eaque ad ejus effusi excretionem per superiora & inferiora faciendam stimulans, à potiore symptomate, *Vomitus sanguinis* vulgò solet appellari.

Causa procatarctica hujus morbi est usus copiosior vini calidioris, quo noster æger valdè delectatur. Inde enim adjuvante temperamento ejus bilioso, *b* & ætate juvenili, magna copia calidorum & acrium humorum, in ejus corpore, genita, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus crassioribus suis partibus *c* in vasis ventriculi & intestinorum hærens, ibique lapsu temporis majorem acrimoniam adipiscens, ac effervescens, vascula quædam ventriculi & intestinorum erosit. Atq; ita *continens* hujus morbi & symptomatũ ejus est causa.

a Causa procatarctica.) *Hùc spectant quævis acriora assumpta, ut spir. vin. immodicus, vomitoria & purgantia violenta, venena corrosiva, vehementia corporis exercitia, ictus, lapsus, vulnus, suppressio mensium & hæmorrhoidum consuetarum, variolæ, lues venerea & scorbutus, cholera humida, dysenteria, &c. confer me*dic. de vomitu diuturno.

b Et ætate juvenili.) *Contingit tamen etiam senibus, acriore sanguine gaudentibus.*

c In vasis hærens, &c.) *Id est, languidius solitò intra vasa progrediens, verumtamen etiam tenuior, sed impetuosè motus sanguis, eundem effectum præstare potest.*

Hinc enim factum est, ut sanguis copiosissimus, per vascula aperta, se in ventriculum & intestina effuderit, ibique, dissipatis spiritibus & debito ejus motu circulationis cessante, *a* coagulatus concreverit.

a Coagulatus.) *Hùc multum contribuit acidum ventriculi fermentum.*

Sanguis autem ibi concretus, cùm, tum copiâ, tum qualitate acri, tum aliâ pravitate *a* ex morâ ibi acquisita, ventriculum & intestina vellicaret, peperit primum *cardialgiam*, sive ventriculi dolorem; & per sympathiam, *b* partim cordis vasa constringendo *lipothymiam*, partim mediantibus nervis sextæ conjugationis poros cerebri, qui in ventriculi & intestinorum fibras oblique ascendentes & descendentes desinunt, aperiendo tantum talemque spirituum animalium in illas fibras influxum excitavit, ut *sanguis concretus per vomitum & alvi secessum*, ex isto spirituum vehementi influxu, quam *copiosissimè fuerit excretus, & etiamnum excernatur.*

a Ex mora ibi, &c.) *In ventriculo non potest diu morari sanguis, ut induat pravitatem aliquam acrem, nam statim gravitatem, nauseam, & vomitum parit.*

a Partim vasa constringendo lipothymiam, &c.) *Lipothymia hæc partim à cardialgia, partim ab evacuatione nimia facile deducitur.*

Malum hoc est *a periculosissimum*; cum ægri præ sanguinis effusi copiâ sæpe subitò extinguantur; vel in hydropem lethalem postea incidant.

a Periculosissimum.) *Vide* Hippocr. Aph. Sect. 4. Aph. 25. S. 7. Aph. 37. 78. Sect. v. Aph. 32. *Non rarò etiam parit ventriculi inflammationem & ulcus.*

Curatio itaque mox aggredienda. *Eaque* consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione vasorumque *a* clausione; nec non in sanguinis, in ventriculo & intestinis existentis, eductione.

a Clausione.) *Quæ fieri debet admodum lentè, num subita & efficax clausio periculosa est, sanguine peccante acri.*

Præmisso itaque clystere detergente, *a* aperiatur vena in brachio dextro, & educatur sanguis ad ℥iiij. *b* & postea exhibeatur talis haustus vasa aperta claudens:

℞. *Trochiscor. de carabe, de terra sigillata an.* ʒß.
Aq. plantag. portulacæ an. ℥jß. Misce.

a Aperiatur vena.) *Venæ sectio magis locum habet in vomitu sanguinis à plethora, & causâ aliqua violenta externâ, quàm intemperie sanguinis acri, ortô.*

b Et postea.)

℞. Conserv. rosrub. ℥ij.
miv. cydon. ℥j.
diasc. Sylv. ℥ij.
gum. Arab. pulv. ℈ij.
sang. dracon. gr. xv.
sal. prun. ʒß.
laud. op. gr. iv.
syr. de rosf. sicc. q. s. *ad consist. Opiatæ: cujus dosis est ad magnitud. nucis mosch.*

c Haustus.) *Adde* syr. granat. ʒvj.

Sextâ, à venæ sectione priore horâ, sanguis rursus educatur è brachio, pro ratione virium ad ℥vj.

Postridie *a* purgetur tali haustu purgante; isque postea *b* singulis mensibus reiteretur.

℞. *Rhabarbari electi* ℈iv. *myrobalan. citr.* ʒj.
Pulverisentur & irrorentur vino rubro adstringente.
Postea infundantur in aq. plantag. q. s. Colaturæ adde
Syr. ros. sol. ℥j. *Misc.* F. Haustus.

a Purgetur.) *Purgationem prohibemus, usque dùm omnis vomitus cessaverit per diem unum & alterum: atque tunc Auctoris haustus tolerari potest.*

b Singulis mensibus.) *Hoc non est opus, modo vomitus sanguinis cesset, & alvus respondeat.*

Et porro utatur per vices de hoc electuario:

℞. *Conserv. rosar. rubr.* ℥ij.

Fl. cichorii, tamaric., bugloss., borrag.
Cort. citri condit. an. ℥j.
a *Rad. cichor. condit.*
Trochisc. de rhabarb. ʒs.
Ras. eboris ℈ij. *coralli rubr.* ʒj.
Cineris pellicul. ventriculi & intestinorum gallinæ ℈j.
Spec. diatrium santalor. ʒs.

Cum syr. de cichorio q. s. F. Mistura in modum electuarii, de quo sumat æger subinde castaneæ majoris magnitudinem.

a Rad. cichor.) *Hæ ut salinæ acres & amaricantes potiùs omittantur, cum cortic. citr. condit. cinere pellic. ventriculi & intestin. gallin. nec non syr. de cichor.*

Melius sumeret æger

Rhabarb. paululum tosti
Corall. rubri ana ℈j.
Flor. ros. rubr. gr. viij.
Gum. tragac. gr. ℈ß.
Laud. op. gr. j.
M. f. Pulv.

a Pulvere sequente utatur octavo quoque die semel, & si paroxysmus superveniat, bis vel ter:

℞. *Succini puri* ʒj. *coralli rubri* ʒis.
Balaustior. ʒs. *sem. hyoscyami albi* ʒj.
Sem. plantag. ʒs.

F. Pulvis, cui adde sacchari rof. tab. æqualem quantitatem. Capiat de eo drach. ij. pro dosi, cum vino rubro, vel lacte ustulato.

a Pulvere sequente utatur.) *Adde* gummi tragacant. ʒj. Camphoræ ℈j. *sic adhuc fiet utilior.*

Utilis etiam esse potest tinct. rof. rubr. *ad cochl. ij. si opus sit majori vasorum constipatione, accipe*

Tinct. opii cochl. ß.
Camphoræ gr. iv.
Syr. de acetof. citri ʒij. *vel* iij.
Vini rubri f. q.
M. F. Haustus.

Etiam in hoc casu, ut in nimio mensium fluxu, magnæ est efficaciæ sequens pulvis.

℞. Vitrioli martis gr. vj. *aut* viij.
Test. ovor. calcin. gr. xv.
Laud. op. gr. j.
M. F. Pulvis.

Qui aliquoties exhibitus feliciter has hæmorrhagias tollere solet.

Magnopere etiam conducet a hæmorrhoïdum, per sanguisugas, cum arundinis cannâ adhibitas, apertio.

In *diæta Aër* sit temperatus. *Cibi* sint adstringentes, emplasticâ vi prædititi, ex hordeo, amygdalis, oryza, ovis induratis; & jusculis pullorum cum oxalide & portulaca, pedibus, & intestinis vervecum, hædorum; in principio mensæ sumenda pyra, mala cydonia, cerasa acida.

Vitentur acria, salsa, piperata, frixa. Parcè se nutrire debet æger. *Potus* sit parcus, isque ex cerevisia mediocri. *Somnus* sit moderatus. Omnis *Motus* corporis vehementior fugiendus, ut & *Ira*.

a Hæmorrhoïdum.) *Nempe si adfuerint, nec consueto modo fluxerint.*

XI.

MEDICATIO VIRI,

a IMBECILLITATE HEPATIS SEROSA LABORANTIS.

VIr triginta quatuor annorum, *b* post longam & largam narium hæmorrhagiam, *c* cibos frigidos, & aquæ copiosæ potum, totum corpus tactu frigidum ac *d* subtumidum, ac faciem albidam, habet. *e* Cruda per alvum excernit, *f* eaque sæpe valdè fœtida. Interdum etiam copiosè & frequenter evacuat materiam nigram instar sanguinis coagulati: interdum materiam liquidam instar aquæ, in qua carnes mactatorum animalium sunt lotæ. Nonnumquam ipsum infestat *g* febricula languida & lenta.

a Imbecillitate hepatis serosâ.) *Quæ nonnullis etiam vocatur fluxus hepaticus, quanquam ineptè, uti constabit circa causam proximam.*

b Post longam & largam narium hæmorrhagiam, &c.) *Debuisset Auctor addere hujus hæmorrhagiæ causas: quæ vel poterant esse rumpentes vel erodentes internæ & externæ. Vid.* medic. de hæmorrh. narium.

c Cibos frigidos.) *Id est, incrassantes, viscosos, vel terrestres & austeros.*

d Subtumidum.) *Id est, affectum est corpus cachexiâ leucophlegmatica.*

e Cruda per alvum excernit.) *Ergò fortè etiam adest lienteria.*

f Eaque sæpe valdè fœtida.) *Hoc symptoma non est de natura hujus affectus.*

g Febricula lenta.) *Hanc semper conjungi cum intemperie sanguinis viscosa vel terrestri suprà diximus.*

Afficitur in hoc ægro totius *habitus corporis*; quod ex ejus frigore & tumore est manifestum. Item *intestina* & *a hepar*; quod ex fœtidis & sanguinolentis excrementis patet. Nec non *cor*; quod lente illa febricula probat.

a Hepar.) *Hoc quidem simul hic affectum esse potest, sed non hinc necessariò sequeretur fluxus sanguinolentus alvinus.*

Morbus, quo affligitur æger, est intemperies frigida & serosa hepatis, qua illud ita debilitatum est, ut *a* pro bono sanguine & chymo, serosum & corpori alendo ineptum gignat.

a Pro bono sanguine, &c.) *Exequiæ cum hepati sint decantatæ, hæc sententia corruit.*

Causa procatarctica hujus morbi fuit larga & longa illa hæmorrhagia narium; item usus ciborum istorum frigidorum, & potus aquæ copiosæ. Hinc enim ventriculus & intestina ex frigore fuerunt debilitata, quo chylus crudus fuit genitus; qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Is verò ad hepar delatus, corruptelamque contrahens, intemperiem hepati frigidam & tantam debilitatem conciliavit, ut pro bono chymo serosus & aqueus fuerit genitus.

Qui *a* deinde ad cor delatus, ac ibidem in ſanguinem ſeroſum converſus, atque inde in varias partes propulſus, varia hujus morbi producit ſymptomata.

a Deinde ad cor.) *Prius ad hoc pervenire eum oportet, antequam perveniat ad hepar: verùm vana ſunt hæc omnia, quæ Auctor magno molimine afferre ſtudet, ad explicandum fluxum hepaticum: melius* Paulus Barbette prax. cap. vj. *ait: fluxum hepaticum vix nomino, quia falſus eſt, deceptique (prout illum deſcripſere) Veteres: nihil enim aliud eſt, quàm apertio arteriarum ſplenicarum, i. e. mihi hæmorrhoidalium ſuperiorum: Nos tamen potiùs ſtatueremus, quòd cùm ſanguis qui excernitur, nec ſit floridus, nec impetuosè motus, ramificationes quædam duntaxat venarum in inteſtinis ſ. ſuperioribus, ſ. inferioribus fuerint ruptæ: quô autem quæſo jure, acini hepatis cum annexis vaſculis, ita (ſaltem hoc in caſu) diſſolverentur, ut per ductum cholidochum ad inteſtinum duodenum delati, cruentum demum facerent fluxum?*

Nam ſanguis ille in habitum corporis delatus refrigerat & humectat ita *a* ſua frigiditate & aquoſitate totum habitum corporis, ut *ille ad tactum frigidus & tumidus, facieſque pallida appareat.* Ad inteſtina verò per arterias meſeraicas propulſus, interdum emittit ille excrementitias quaſdam partes non ſatis coctas & fœtidas in inteſtina; quæ illis ad excretionem infernam irritata, faciunt *crudorum atque fœtidorum excrementorum evacuationem.* Interdum verò ſanguis ille vitioſus talis eſt, ut modo craſſiores, modo ſeroſiores quædam ejus partes per *b* arteriarum meſeraicarum poros, nimis apertos, vel eroſos, in inteſtina propellantur, & quando craſſiores eo propelluntur, tunc illæ ibidem coagulatæ, & poſteà excretæ, faciunt *excretionem ſanguinis nigri, & coagulati*: ubi vero ſeroſiores ibi copioſius in inteſtina effluunt, eaque ſuâ acrimoniâ ad excretionem copioſam & frequentem irritant, fit *excretio materiæ liquidæ inſtar aquæ, in qua carnes ſanguinolentæ fuerunt lotæ.* Denique ubi materia illa corrumpitur, putredinemque & febrilem malignitatem contrahit, ac ad cor defertur, producit *febriculam illam lentam*, quâ æger noſter ſæpe infeſtatur.

a Suâ frigiditate refrigerat & humectat.) *Ruſtica nimis hæc eſt explicatio: nos dicimus ſanguinem in genere eſſe viſcoſum & terreſtrem languide motum, à quo humores ſimilis naturæ ſecreti, tubulos canaliculoſque variarum partium, & ſpeciatim ramificationes venarum in iis obſtruunt, undè ſanguis à tergo urgens, ſed progredi neſcius, preſſionem majorem facit in omnem dimenſionem versùs glandulas earumque vaſa excretoria, ita ut ſerum majori ſolito copia colligatur in diverſis cavitatibus majoribus & minoribus, producatque hydropem: cùm autem ſimùl forte fortuna tunicæ quarundam venarum in inteſtinis, preſſione ſanguinis nimia rumpantur, oritur hic fluxus cruentus aquoſus, inſtar loturæ carnium recentium.*

b Arteriarum poros.) *Hi non poſſunt ita dilatari, ut guttæ ſanguinis rubicundæ tranſeant, ſine actuali tunicarum ruptione.*

Exiſtimo autem *ſanguinem per arterias meſaraicas à corde in inteſtina propelli*; quia venæ meſaraicæ nihil aut parum ad inteſtina *a* devehunt, nec ob valvularum ſitum eò quicquam, quod ſit copioſum, devehere poſſunt.

a Devehunt.) *Etſi ſolummodò ſanguinem devehant, non advehant, attamen earum tunicæ, modò allato, rumpi poſſunt.*

Hic

Hic *morbus* valde est periculosus: metus enim est, *a* ne hydropem *b* vel totius corporis consumptionem inducat.

a Ne hydropem.) *Ejus revera jam est principium, aliquando degenerat in dysenteriam indolorificam.*

c Vel totius corporis consumptionem.) *Propter febrem lentam & plurimas canalium in partibus stabilibus obstructiones.*

Curatio itaque sedulo erit aggredienda; *a* eaque in humorum pravorum evacuatione, & intemperiei affectorum viscerum, & sanguinis correctione, consistet.

a Eaque in humorum evacuatione.) *Hujus affectus curatio consistit in obstructionum solutione: tum quidem aquæ facile evacuabuntur per emunctoria corporis publica.*

Primò itaque *a* purgetur æger tali haustu:

℞. *Fol. senæ* ℥vj.
Agarici ʒjß. *sem. anisi, fœniculi an.* ʒj.
Fol. absynthii, marrubii, centaur. min.
Capill. vener., schænanthi an. m. ß.
Decoq. in aq. comm. q. s. pro ℥viij.
Colaturæ adde syr. de eupatorio ℥jß. F. Potio, *pro duabus dosibus, alternis diebus mane sumendis.*

a Purgetur.) *Lenis debet in principio esse purgatio ex rhabarb. myrobalan. & sim. posteà verò*

℞. Resin. jalapp. gr. iv. *aut* v.
Merc. dulc. gr. vj.
Magist. gutt. gamb. gr. viij.
Ol. carui q. s.
M. F. Pilulæ.

Postea *a* utatur de hoc apozemate:

℞. *Rad. fœniculi, petroselini, asparagi an.* ℥j.
b *Herb. capill. vener., marrubii, absint., centaur. min. an. m.* j.
Schænanthi, rad. cyperi an. ʒij.
Sem. anisi, fœniculi, apii, cumin. an. ʒij.
Decoquantur in æqualibus part. c *aq. & vini ad lib.* jß.
In colatura dissolve syr. byzantini ℥ij.

Misce F. Apozema, de quo bis in die sumat haustum ℥iiij eoque exhausto, idem vel simile decoctum repetatur.

a Utatur de hoc apozemate.) *Cessante per anodyna, & blanda adstringentia fluxu cruentô, commendantur anti-hydropica temperata, iisque in decocto addatur agrimonia s. eupatorium cannabinum.*

b Herb. capill. ven., marrub.) *Vel harum herbarum loco add.*
Card. bened. &
Flor. sambuci an. m. j.
Rad. bryoniæ ʒiij.
Tartari albi ℥ß. *& adde*
Passul. corinth. ℥ij.

c Aqua & vini.) *In colat.* ℔iij. *dissolve*
Mell. scyll. ℥iij.
Sp. salis dulcis, ℈jv.

Utatur etiam subinde *a* de hoc condito:

℞. Con-

℞. *Conserv. rosar. rubr.* ℥j.
Absynthii Rom. & vulgar. an. ʒij.
Cort. citri conditi ℥ſ.
Spec. diarrhod. abbatis, diagalangæ an. ʒſ.
Trochisc. de absynthio ʒj.
Uvar. pass. ab arill. purg. ℥ſ.
Sem. anisi drach. ſ. syr. de eupatorio. q. ſ.
F. Conditum, de quo sumat ante singulos pastus magnitudinem castaneæ.

a De hoc condito.) *Pro conservâ sumi potest sequens:*
℞. Tartari vitriolati drach. ij.
Conserv. absynth. unc. ij.
Rad. jalapp. ʒß.
Sal genistæ scrup. j.
Ol. sabin. gutt. xx.
Misce fiat conditum, *cujus dosis sit ad magnitud. nuc. mosch. bis de die.*

Foris foveatur hypochondrium dextrum & abdomen hoc *a* fomento:
℞. *Fol. agrimoniæ, marrubii, absinthii an. m. j.*
Flor. chamomill. p. j. spicæ nardi, schænanthi an. drach. ij.
Rorismarini. m ſ.
Includantur sacculo, qui decoquantur in æq. part. vini & aq. Pro Fomento.

a Fomento.) *Add.*
Sem. cumini &
Carthami an. ℥ß.
Salis commun.
Ammoniaci an. ʒvj.
Sulph. viv. ℥iß.

Post fotum adhibeatur hoc unguentum loco affecto:
℞. *Olei nardini, absinthii, mastichini an.* ℥ſ.
Ol. Rof. drach. ij.
Spicæ nardi, cariophyll., schænanth. an. ʒſ.
a Succi eupatorii, aceti, & b *ceræ parum,*
F. Unguentum.

a Succi eupatorii.) *Add.*
Ung. de artan. nerv. ana ℥ß.
Ol. chamom. destill. gutt. xx.
Balf. peruv. gutt. xxx.
b Ceræ parum.) *Parum tantum addatur, quia poros corporis obstruit.*

In *victus ratione* præscribatur *Aër* calidus, *Cibus* sit calidus, coctu facilis, & boni nutrimenti, ex pane bene fermentato, carnibus vervecinis, aromatibus mediocriter conditus. Utatur etiam salvia, mentha, petroselino, nasturtio, semine petroselini, anisi, uvis passis. *a Potus* sit cerevisia absynthites, vinum mediocrium virium. *Exercitium* sit moderatum. *Somnus* mediocris. *Animi pathematibus* non molestetur.

b Potus sit cerevisia absynthites.) *Cui inter fermentandum, addita fuerint cort. aurant. med. samb. summit. centau. min., bacc. junip. rad. ireos, flor. sem. fœnic. dulc. &c.*

XII.

MEDICATIO PUELLÆ,
IMBECILLITATE PITUITOSA HEPATIS
LABORANTIS.

PUella, octodecim annorum, pituitosa, victu crasso & humido longo tempore usa, habet faciem, labia, & omnia reliqua membra *a* pallore squallentia, genas ac pedes tumentes. Urina est *b* clara alba. Gravitas & tensio, cum dolore obtuso, dextrum occupat hypochondrium. Dolorque augetur mox à cibo, præsertim ubi illa paulo majore corporis motu sese exercet. Spiritum impeditè ducit ubi scalas vel alia acclivia loca ascendit. Pedes sub vesperam magis tument. *c* In ore saliva scatet. Non sitit.

a Pallore squallentia.) *Non nisi ratione fluxus cruenti, nec non doloris hypochondrii dextri, hæc medicatio differt à præcedente, est enim cachexia leucophlegmatica, aut chlorosis, licet Auctor in hac puella nullam suppressionis mensium faciat mentionem.*

b Clara & alba.) *Potiùs aquosa, coloris expers.*

c In ore saliva scatet.) *Non semper id in hoc affectu contingit.*

Afficitur potissimum in hac ægra *hepar*; quod constat ex dolore, in dextro hypochondrio percepto. Afficiuntur etiam, *facies*, *labia*, *pedes*, *& reliqua corporis membra*, ut ex eorum tumore & pallore est manifestum.

Morbus, qui illam affligit, est hepatis & aliorum vicinorum viscerum, chymosi inservientium, intemperies pituitosa, cum angustiis eorum conjuncta, ac chymoseos debilitatem inducens, quæ *a* *Debilitas hepatis pituitosa* dicitur.

a Debilitas, &c.) *Potius dicendus est morbus complicatus, ad hydropes referendus.*

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus usus alimenti crassi & humidi. Quo ventriculus, hepar, & aliæ partes chylosi & chymosi inservientes, fuerunt refrigeratæ, atque hinc natus est chylus & chymus crassus & frigidus ac tenax, qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Ab his deinde ubi hepar ulterius est refrigeratum & debilitatum, illa *a* *continentem* hujus morbi & symptomatum constituerunt causam.

a Continentem.) *Hæc consistit in multarum partium obstructionibus frigidis, non enim hic solum hepar per essentiam affectum esse, dici potest.*

Hinc enim factum est, ut sanguis genitus sit in corde pituitosus, aqueus, frigidus, pallidus, & nonnullis partibus crassus, qui in faciem, labia & reliqua corporis membra ab illo propulsus, *ea squallido pallore & tumore* affecit. Renesque

porrò

porrò hinc obstructi & refrigerati faciunt, ut nil nisi id, quod tenue & aquosum, vi renum à reliquo sanguine separari possit; atque hinc *urina est alba & clara*. Crassus vero chymus, cum ob cruditatem & visciditatem suam *a* per poros angustos hepatis satis commodè transire in venam cavam non possit, ibi magnam partem manet, *viscusque illud pondere gravat*, *& copiâ in hypochondrio dextro tendit: dolorque gravativus*, *& tensivus*, b *post cibum assumtum & post vehementiorem corporis motum*, *augetur*, quia assumto cibo & corpore moto nova & copiosior materia, per hepatis angustias transcolanda, ad illud viscus fertur, & per illud jam angustatum viam affectat. Et quia per omnem vehementiorem corporis motum, ac præsertim in scalis ascendendis factum, materia in hepate & vicinis diaphragmati partibus, atque in ipso pulmone existens, *c* rarefit, eaque rarefacta valde premit diaphragma, & angustat bronchia pulmonum, hinc *ægræ acclivia loca ascendenti difficilem respirationem conciliat*. Et denique quia humores crassi & ponderosi toto diurno tempore, quo ægra corpus habet erectum, *d* copiosius ad pedes descendunt, iique ex iis cum reliquo sanguine perpetuò per sanguinis circulationem difficulter ad partes superiores ascendere possunt, hinc oritur *major*, *sub vespertinum tempus*, *crurum tumor*.

a Per poros.) *Adde canales glandularum, ramificationumque minorum venæ portæ & vasculorum lymphaticorum.*

b Post cibum assumptum.) *Tunc nempe latera ventriculi expansa premunt hepar.*

c Rarefit.) *Difficultas illa respirandi in motu corporis magno, oritur potius ex eo, quòd spiritus animales nequeant liberè cursum suum, per tubulos musculorum respirationi inservientium obstructos, continuare, vel quòd in motu majore iidem spiritus celerius & vehementiùs agitati, sibi mutuò sint impedimento, non secùs ac homines multi confestim ad exitum per januam angustiorem properantes, difficulter egredi possunt.*

d Copiosius ad pedes descendunt.) *Tumor ille pedum œdematosus, deducendus potiùs est, ex tardiore sanguinis humorumque motu per canales omnis generis pedum, dissipatis per exercitia diurnâ particulis subtilioribus.*

Hic Morbus minatur hydropem; atque ideò *a* fidelem desiderat *curationem*.
Quæ consistet in causarum remotione, intemperiei per contraria correctione, & angustiarum per aperientia & incidentia ablatione.

a Fidelem.) *Quasi verò infidelem oporteret esse Medici curationem: bene tamen aliquandò curant infideles.*

Primò itaque utatur tali apozemate:

℞. *Rad. petroselini*, *fœniculi*, *asparagi*, *apii*, *graminis*, *an.* ℥j.
Herb. origani, *rorismarini*, *artemisiæ*, *chamed. an. m.j.*
Centaurei, *cuscutæ*, *agrimoniæ*, *chamæpyt.*
Lupuli, *fumariæ an. m.ſ.*
Sem. fœniculi, *dauci*, *pastinacæ an.* ʒj.
Uvar pass. ab arill. mund. ℥j.
Glycyrhizæ rasæ ʒiij.
Fol. senæ ℥j. *rhabarb.* ʒj. *agarici* ʒiß.
Schœnanthi, *cyperi*, *calami aromat.*, *zinzib. albi an.* ʒß.
Coquantur in aq. communi ad lib. j. Colaturæ adde syr. de cichor cum rhabar. ℥iß. *a* F. Apozema, pro iv. vel v. dosibus, jejuno ventriculo sumendis.

a F. Apozema.) *Vel*
℞. Scob. guajaci ℥iſs.
Saſſafras ℥ij.
Cort. tamariſci
Rad. cappar. ana ℥j.
Rad. ſalſæ parill. ℥iſs.
Ireos
Apii ana ℥ſs.
Bryoniæ ʒvj.
Herb. card. bened. m. iij.
Flor. ſambuci, centaur. ana p. iij.
Sem. dauci ℥iij.
Tartari albi an. ʒvj.
Fiat infuſio per noct. in vini albi gallici q. ſ. poſtea fiat decoctio lenta in vaſe duplici, in col. ℔v. *diſſolve*
Mell. ſcyll. ℥iij.
Salis card. bened. ℈ij.
Aq. vitæ Matth. ℥iij.
M. F. *Apozema, cujus ſingulis doſibus add. ſp. ſal. ammon. vel ſal. vol. arom. gutt.* xxx. *vel* XL.

Subinde etiam *a* purgari poterit his pilulis:
℞. *Pilular. de hiera, aromatic. an.* ℈ſ.
Scammonii gr. ix. *cum ſyr. roſ.* F. Pilulæ Num. v.
Mane jejuno ventriculo dandæ.

a Purgari poterit.) *Vel*
℞. Aloës roſat. ℈ſs.
Merc. dulcis gr. v. *vel* vj.
Reſin. jalapp gr. iv.
Magiſt. gutt. gamb. gr. iij.
Olei carui q. ſ.
M. F. Pilulæ pro doſi.

a Utatur etiam decocto filicis, cum oxymellite in eo diſſoluto.

a Utatur etiam decocto filicis.) *In hoc affectu ſuccus radicis plantaginis cum pauco aceto in cochleari (præſertim eo tempore, quo radices ſucco abundant) convenit.*

Et *a* præſcribatur hoc conditum:
℞. *Conſerv. capill. veneris, Flor. betonicæ an.* ℥ſ.
Trochiſc. de eupatorio, de rhabarb. an. ʒſ.
Spec. diarhod. abbatis, diatrium ſantal. an. ʒj.
Syr. byzantin., de eupatorio an. q. ſ. F. Conditum, de quo ſumat magnitudinem nucis avellanæ, paulo ante cibum, bis in die.

a Præſcribatur hoc conditum.) *Loco conſervæ flor. beton. ſumatur conſerv. menth. vel abſynth. add. ſal. tart. vitriol.* ℈ij. *Aliquando acidiuſcula hoc in caſu longe præſtant ſalinis volatilibus acribus.*

Hypochondrium dextrum *a* tali inungatur unguento:
℞. *Olei nardini, amygdalar. amarar. an.* ℥iſ.
Succi apii ℥ſ. *decoq. ad ſucci conſumt.*
Addendo deinde ſpicæ nardi & celticæ,
Schænanthi, aſar. an. ʒj.
Sem. apii, petroſelini an. ʒſ.
Cyperi, roſ. an. ℈ſ. *Miſce* F. Unguentum, quo dextrum hypochondrium mane & veſperi inungatur.

a Tali inungatur unguento.) *Si quis remedio tali ſordido velit uti, adde*
Unguenti de artanit. ℥j.
Theriac. veteris ʒij.
Balſam. peruv. gutt. viij.
M. F. Linimentum.

In

In *victus ratione*, Aër sit calidus, purus, & tranquillus. *Cibus* sit attenuans & calidus, ex pane bene fermentato, carnibus vervecinis, gallinaceis, ovis sorbilibus, capparibus, asparagis, hyssopo, petroselino. Vitet lacticinia. *Potus* sit vinum & cerevisia mediocrium virium. *Corpus* ante cibum mediocriter exerceatur. *Somnus* sit mediocris. *Vitet* tristitiam. Gaudio det operam. *Alvus* respondeat naturâ vel arte.

a Ante cibum.) *Quia immediate post pastum exercitia majora alimentorum divisionem retardant.*

XIII.

MEDICATIO JUVENIS, HYPOCHONDRIACI.

JUvenis viginti septem annorum, temperamento melancholicus, jam ab annis tribus, post variam & negligentiorem diætam, laborat ventriculi cruditate & dolore; quibus interdum evomit biliosa, interdum acida & acerba, interdum multam pituitam, sed plerumque varios pravos humores. Dolor ventriculi, à vomitu & coctione assumtorum, sedatur; qui cibis rursus ingestis redit. Alvus plerumque est adstricta. Multi adsunt ructus & *a* rugitus in hypochondriis: nec non æstus, qui à cibo, & potu, præsertim calidiore, ingravescit; *b* item metus & anxietas. Sæpe cor ipsi tam vehementi & inordinato motu *c* palpitat, ut adstantes cordis pulsum audire queant. Urina modò tenuis est, modò crassa, & turbida, cum multo crasso & rubicundo sedimento. Adest sæpe febris *d* ephemera, quæ vomitu vel sudore cessat.

a Rugitus in hypochondriis.) *Hinc oriuntur suffocationes hypochondriacæ, respondentes passioni hystericæ mulierum, vel incubo nocturno: vid.* Pechlin. obs. 31. lib. j.

b Item metus & anxietas.) *Non solùm metus & anxietas sæpe adest, sed variis prætereà phantasmatibus vexantur hypochondriaci: vid.* medic. de melancholia.

c Palpitat.) *Non rarò etiam adest tumor lienis durus & prægrandis, quem ad regionem hypogastrii extensum vidimus.*

d Febris ephemera.) *Non simplex, sed composita.*

Partes affectæ hic sunt variæ. a *Cerebrum*, ut ex metu & anxietate: *cor*, ut ex palpitatione & febre ephemera: *ventriculus*, ut ex vomitu & dolore, b *hepar, lien, & pancreas*, uti ex rugitibus & æstu in hypochondriis: denique *intestina*, uti ex alvo adstrictiore constat.

a Cerebrum, ut ex metu.) *Metus profectò non indicat propriè cerebrum affectum esse, sed quidem spiritus animales esse solito crassiores, tardiusque moveri, id quod est de natura hujus affectionis.*

b Hepar, lien & pancreas.) *Non solùm pleraque in hypochondriis viscera*

ra (id est, in ea regione, quæ à mucronata cartilagine, ſub coſtis ſpuriis ad ilia uſque protenditur) contenta, verùm plurimæ etiam aliæ corporis partes hic affici ſolent.

Morbus præcipuus, quo æger noſter laborat, eſt intemperies ventriculi, pancreatis, & vicinorum vaſorum varia; quæ, colluvie variorum humorum, circa viſcera hypochondriorum collectâ, dolorem ventriculi, vomitum, cordis palpitationem, metum & anxietatem, aliaque multa ſymptomata producens, *a Affectio Hypochondriaca* vulgò appellatur.

a Affectio hypochondriaca.) Paulus Barbette prax. lib.iv. cap.iij. *vocat hunc affectum Scorbuti Matrem: dicitur aliis malum Litteratorum, quatenùs lucubrationibus aſſiduis, ſpiritus conſumuntur, ſanguiſque incraſſatur: Nonnullis juxta* Hippocratem *dicitur morbus ructuoſus & morbus lienis, ita ut hypochondriaci exindè nominentur aut lienoſi, aut ſublienoſi: nec malè quoniam ſæpiſſime in hoc morbo lien afficitur, licet ubique non tumeat, nam partes obſtructæ, non neceſſario ſunt tumidæ aut prægrandes, quin ex adverſo ſæpè emaciatæ ſunt, imminutæ & exſiccatæ: Confer* eruditiſſimam diſputationem Anatomico-Practicam inauguralem Caroli Drelincurtii *C. F. C. N. de Lienoſis: in* miſc. cur. dec. ij. ann. 3. obſ. 181. *dicitur affectus rarus & varius; melius tamen varius, quam rarus.*

a *Cauſa* hujus morbi *prima* fuit negligentior & varia illa diæta, quâ principia quædam variæ intemperiei & obſtructionum, in ventriculo & viſceribus vicinis, ſunt genita; quibus primum exigua quædam colluvies variæ cacochymiæ circa illa viſcera fuit congregata; cumque ea inde nec per artificiales, nec naturales evacuationes & alterationes tolleretur, intemperies, obſtructio, & cacochymia ibi ita fuerunt aucta, ut graviſſima illa ſymptomata, jam enarrata, quotidie maximâ cum moleſtia ægrum noſtrum infeſtent.

Hinc enim primum moleſta eſt *cruditas* illa acida, acerba, bilioſa, pituitoſa, b *ventriculum*, acrimoniâ rodente, *dolore afficiens*, & irritatione ſua c *vomitum variorum humorum*, prout nunc hic, nunc ille ſeorſim, nunc multi & varii ſimul, exitum in ventriculum inveniunt, per vices excitans, & *dolorem ventriculi ſua evacuatione levans, novaque alimentorum ingeſtione renovans.*

Et quia halitus, qui inter coquendum in ventriculo & inteſtinis ex alimentis excitantur, ob cruditatem ſunt craſſiores, quam ut commodè & ſatis copioſè diſſipentur, & pori ventriculi & inteſtinorum; propter obſtructiones ſunt anguſtiores & pauciores, quam ut per eos convenienti copiâ emittantur; hinc illi è ventriculo per œſophagum copioſè ſimul erumpentes, pariunt d *ructus*, & inter inteſtina *hypochondriorum* viſcera vagantes, varios in iis partibus exhibent *rugitus*.

e *Æſtus ibidem percipitur*, à bilioſis, & acribus humoribus, qui ibi ab hac cruditate geniti, à copioſo ingeſto potu, inſtar olei vitrioli ab addito oleo tartari, vel calcis vivæ ab infuſa aqua, vehementius incaleſcentis, vehementer efferveſcunt.

Et quia nonnunquam ſpirituoſiores quædam chyli partes putredinem concipiunt, quâ illæ ad cor delatæ febrilem poſſunt facere efferveſcentiam: hinc oritur in hoc ægro interdum f *febris ephemera*; quæ, diſſipatis iſtis per ſudores vel vomitum ſpiritibus, *intra paucas horas finitur*.

Ab g acerbis verò & adſtringentibus humoribus, hic genitis, ita *adſtringuntur inteſtina*, ut illa, juſtam irritationem à fœcibus iis contentis & eò impellendis accipere nequeuntia, alvum plerumque, tanquam à meſpilis, corticibus grana-

natorum, aliisque similibus constrictam, adstrictam faciant.

Urina interdum est tenuis, ubi crassiores seri partes, propter obstructiones, in corpore retinentur; obstructionibus vero illis interdum apertis, & crassioribus seri partibus cum sero per renes egredientibus, *evadunt urinæ crassæ, crassumque & copiosum sedimentum habent.*

h *Anxietas & metus torquet* interdum ægrum; quia crassi illi, & acerbi humores, in cerebrum delati, suo crasso & acerbo temperamento tam tristes & anxias cogitationes excitant, *ut etiam à tutissimis sibi malè metuat æger.*

Et quia humores hic geniti valdè sunt heterogenei & inæquales, acres & pungentes, idcirco *i* ad cor delati stimulant ita ejus fibras, ut spiritus valdè fortiter, sed inordinatè tamen, ex cerebro in eas fluentes, tam inordinatum & vehementem cordis motum excitent, ut sæpe ejus *palpitationis sonus ab adstantibus audiri possit*. Hanc cordis palpitationem juvat sanguinis hujus inæqualis in cor ingressus, valdè inæqualem & inordinatam effervescentiam, ob suas crassas & heterogeneas partes, in corde excitans.

Neque putandum est hanc cordis palpitationem adeo vehementem à solâ sanguinis vehementiore in cordis ventriculis *k* effervescentiâ, non autem à spirituum in fibras influxu oriri: cum effervescentia illa magnum & ingentem calorem in toto corpore deberet excitare; qui tamen hic non observatur.

a Causa prima) *Haud rarò hoc malum est congenitum, à parentibus transplantatum*: Vel id ipsum vitii (*ut loquitur citatus* Drelincurtius) postgenitum est diætæ vitio, præsertim gulæ, quâ nulla hic capitalior pestis: in utrisque autem lienis tegmen, atque subtegmen omninò culpandum. Prout enim illud vel firmum est & insimùl strictum rarumve, vel debile & insimùl arctum laxumve, ita pororum assurgit Asclepiadis vel ἀμετρία, morbifica, vel συμμετρία salubris. *Huc pertinent aër crassus & maritimus, pisces præsertim marini, panis azymus, legumina, caseus vetustior, saccharata, acida plurima fixa, segnities veternosa, & animi mœrores, quibus omnibus sanguis incrassatur & ad naturam austeri disponitur* Sylv. de le Boë pr. l. j. c. 7. §. 21. 23. *tres statuit hypochondriaci affectus species, respectu causarum: primam acidam, aliam nidorosam, tertiam insipidam.*

b Ventriculum dolore afficiens.) *Non rarò hinc oritur fames canina, sive voracitas Bœotica, vix ullis dapibus Siculis, vel Pontificum cœnis exsatianda*

c Vomitum variorum humorum.) *Vomitum hypochondriacorum sebaceum vid.* in misc. cur. ann. iij. obs. 153. *confer* Hildan. cent. iv. obs. 32. *de hypochondriaci excrementis nigris, vid.* misc. cur. ann. j. dec. j. obs. 63. *Analogiam terræ motus cum hypochondriacis, vid. in* misc. cur. ann. ij. obs. 66.

d Ructus.) *Flatus* (*inquit eleganter* Drelincurtius) *non modò sub fornice coli tumultuantur, sed & intra lienis claustra fremunt, unde hypochondrium universum lusorii follis instar contenditur, & sonorè strepit, ac ipse lien murmurat altè. Hinc cecinit* Fr. Portus decad. iij. cap. 9. *esse* præcordia læva

Flatibus aëreis cum murmura tensa sonoro:

Vel rursùs (apud eundem)

Mollia ventoso reboant hypocondria flatu.

Hi autem flatus oriuntur ex vaporibus crassioribus, pororumque & tubulorum obstructione, ita ut liberè eos pertransire nequeant. Hinc porrò spiritus anhelus, præsertim accedente causâ aliquâ externa, sanguinem crassum ad majorem solito motum subitò concitante.

e Æstus.) *Hic dependet à sale fixo muriatico vel acido, concussionem fibrillarum nervosarum solito majorem producente. Hinc quoque sitis intensa hypochondriacorum facile deducitur. Salivam quod aliquandò copiosè reddant*

dant hypochondriaci, putamus, partim dependere ex eo, quod ramificationes multæ venarum in partibus oris sint obstructæ, ita ut lympha ab arteriis versùs glandulas salivales uberior vehatur, partim ex eo, quod ructus austeri gulæ partes vellicando, spirituum influxum excitent concitatiorem, ita ut canaliculi glandularum salivalium compressi, lympham copiosiorem eructent.

f Febris ephemera.) *Nos censemus febrim in hypochondriacis esse continuam lentam, sed quæ à caussis fortuitis magis adaucta ephemeram, aut aliam febrem repræsentat.*

g Acerbis.) *Id est terrestribus & acidis fixis, quibus tubuli glandularum in intestinis obstruuntur.*

h Anxietas.) *Hæc facile ab expansione immodica fibrillarum nervosarum deducitur.*

i Ad cor.) *Frequenter adsunt cordis aliorumque vasorum polypi.*

k Effervescentia.) *Hâc non opus est ad palpitationem cordis explicandam, sufficit musculorum ejus vehemens convulsio, quæ oriri potest & à sanguine crasso & acri.*

Morbus hic *difficilis erit sanatu:* quia varias habet intemperies, imo *a* contrarias, & magnas obstructiones; item humores varios & pertinaces.

a Contrarias.) *Equidem hoc non adeò constat: nam à sanguine crasso acri omnia symptomata facilè deducuntur, quæ per consequens eandem agnoscunt curationem. Certum autem est malum hoc esse curatu difficillimum, tum propter sanguinis totius crassitiem & acrimoniam fixam, tum propter multas & magnas partium obstructiones: haud rarò hinc oriuntur scyrrhi viscerum lienis, hepatis, glandularum, mesenterii, &c. nec non atrophia, hydrops, diabetes spurius, mania &c. Vid.* Hippocr. Sect. 4. Aph. 73. Sect. 6. Aph. 40. Sect. 4. Aph. 64.

Curatio consistet in humorum pravorum alteratione, evacuatione, obstructionum ablatione, & intemperiei partium per contraria, correctione.

Primò itaque præscribatur tale, post venam in brachio sinistro sectam, *a* Apozema:

℞. *Rad. cichorii, polypod. quercin. an.* ℥j.
Asparagi, fœniculi, an. drach. vj.
Hellebori nigri, drach. iij.
Cort. rad. cappar. tamarisci, ebuli. an. drach. ij.
Herb. cardui benedicti, fumariæ, an. m. js.
Cichorii, acetosæ, chamædryos, scolopendrii, an. m. j.
Summitat. centaurei minor. lupulorum,
Absynthii rom., tamarisci an. drach. js.
Sem. 4. frigidor. major. drach. js.
Cardui bened. anisi, fœniculi, dauci an. drach. ij.
Tamarindorum ℥j.
Coquant. ex aq. hordei ad lib. js. *Colaturæ infunde per noctem fol. senæ* ℥j. *agarici, rhabarbari, an. drach.* ij. *cinnamomi, macis, an.* ℈j. *mane forti expressioni adde syr. de cichorio cum rheo* ℥ij.
F. *Apozema*, de quo sumat quotidie ℥iiij.

a Apozema.) *Venæ-sectione (si opus sit) præmissâ, decoctum præferimus ex lignis & corticibus, constanti sale volatili oleoso præditis: semina iv. frigida majora ex Auctoris apozemate eliminaremus, & adderemus summitates hyperici, tanquam specificas.*

Cor-

Corpore hoc modo purgato, utatur quotidie drachmâ harum pilularum, ad obstructiones tollendas & viscera alteranda & purganda.

℞. *Chalybis cum sulph. præparat.* ℥j.
Senæ mund. rhabarb., agarici recent. trochisc. an. ℥j.
Pulver. el. diarhod. abbatis ℥ß.
Oxymell. s. q. s.

Fiat a *Massa* pilularum, de qua sumat drach. j. tribus horis ante pastum: & inter horum usum hypochondria foveantur decocto emolliente & aperiente.

Adversus cordis palpitationes & reliquos affectus, hac utatur Opiata corroborante:

℞. b *Conserv. melissæ, flor. anthos, borragin., & caryophylli nostratis an.* ℥j.
Confection. alkermes, theriac. veteris an. drach. j.
Pulv. elect. diambræ, diamus. dulc. diarhod. Abbatis an. drach. j.
Oculor. cancri præp. ℈iv.
Cum syr. de cortice citri,

F. *Opiata*, de qua capiat quotidie castaneæ magnitudinem, bis in die aut sæpius.

Gestet etiam hunc sacculum cordialem in cordis regione:

℞. *Rosar. rubr., flor. rorismarini, an. drach.* j.
Flor. lavendul. drach. j.
Sem. angelicæ, cort. citri, caryophyll., cinnamomi,
Macis an. ℥ß. *croci* ℈j. *moschi, ambræ an. gr.* vi.
Cum sindone rubra,

F. *Sacculus*, qui irroratus c aquâ rosaceâ calidâ applicetur tepidè.

a Massa pilularum.) *Gummi ammoniacum & galbanum sunt specifica: hùc pertinent tincturæ martis volatilis, antimonii, metallorum, salis tartari, succini, elix. prop. Parac. sal. vol. C.C. urinæ, & similia: nec virtutis exiguæ sunt spiritus acidi dulcificati.*

b Conserv.) *Dulcia pleraque, speciatim saccharata, hoc in casu repudiamus. Confer* medic. de melancholia.

c Aqua rosacea.) *Potius aceto rosac. vel calendulato, aqu. prophyl. Sylv. &c.*

In *diæta* aër sit temperatus. *Cibus* eupeptus & parcior, ex carnibus avium & vervecum elixis, & eorum jure alterato borragine & buglossâ: nec non ex piscibus saxatilibus: item pomis, prunis, uvis passis, endiviâ, & cichoreo. *Cerevisia*, ut & *Vinum*, sit tenue, & mediocrium virium. *Fugiat* multum a aceti usum. *Somnus* sit b largus. *Exercitium* moderatum. *Curæ* & sollicitudines vitentur. *Det* operam hilaritati.

a Aceti usum.) *Item Lactis. Vid.* Hippocr. Sect. v. Aph. 64.

b Largus.) *Sit modicus.*

XIV. ME-

XIV.

MEDICATIO VIRI, INFLAMMATIONE HEPATIS LABORANTIS.

VIr 36. annorum crapulæ passim indulgens, incidit in *a* dolorem gravativum, *b* hypochondrium dextrum, cum inani tussicula, *c* & respirationis difficultate, occupantem. *d* Dolor ab hypochondrio dextro ad claviculam sese extendit. Facilius æger supinus, quam in latere jacet. *e* Pulsus est valde celer, ac creber, & inæqualis. Lingua arida rubensque. Sitis adest inexhausta, *f* cum nauseâ, cibi fastidio, *g* singultu. Urina observatur rubicunda.

a Dolorem gravativum. *Sic distinguitur à pleuritide vera; quanquam non rarò simùl conjungantur symptomata pleuritica: si gibba s. convexa hepatis pars sit inflammata, v. g. tussis nonnunquam sicca, nonnumquam cum rejectione sanguinis (ut apud* Amat. Lusit. cent. 4. obs. j. *) difficultas respirandi, &c. si verò concava hepatis pars sit inflammata, urgent potiùs vomitus, & singultus. Aliquandò inflammatio musculorum pectoris, vel abdominis mentitur inflammationem hepatis, uti videre licet apud* Bartholin. cent. 2. epist. 45. Valleriol. lib. 4. obs. v. *verùm distinguitur ex eo quòd tunc magis externo contactu dolor exacerbetur, item quòd sit pulsatilis.*

b Hypochondrium dextrum.) *Ita distinguitur ab inflammatione lienis.*

c Et respirationis difficultate.) *Hæc oritur à metu doloris, quia inspiratione, diaphragma premit hepar; in pleuritide dolor etiam exspiratione augetur, secùs ac in inflammatione hepatis.*

d Dolor ab hypochondrio ad claviculam sese extendit.) *Id dependet ex continuitate membranarum & nervorum.*

e Pulsum est valde celer, &c.) *Hic dicitur signum febris continuę, synochæ.*

f Cum nausea.) *Propter vellicationem fibrillarum ventriculi nervosarum & membranosarum, à sale fixo inflammationis causa.*

g Singultu.) *Ergò magis videtur concava, quàm convexa hepatis pars esse affecta.*

Afficitur in hoc ægro *hepar*; quod ex dolore gravi hypochondrium dextrum occupante, & tussicula inani, ac respirationis difficultate, nec non nauseâ cibi fastidio, & singultu comitatâ, potissimum patet. Afficitur etiam *cor*, quod ex pulsus illis vitiis; item ex siti inexhausta, & lingua arida, & urina rubicunda, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est *a Inflammatio hepatis*; eaque ex dolore hypochondrii dextri, siti perpetua, febri continua, aliisque symptomatis in historia commemoratis, innotescit.

a Inflammatio hepatis.) *In inflammatione hepatis conspicitur tumor figuræ hepati similis, secus ac inflammatione musculorum pectoris, vel abdominis.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est crapula, cui æger passim indulsit. Hinc enim multi sanguinei & fervidiores in corpore ejus geniti humores *antecedentem* huic morbo præbuere causam. Pars verò eorum sese extra vasa in substantiam hepatis effundens, ibique putrescens, & vehementer incalescens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Causa procatarctica.) *Hæc esse potest, quæ in omnibus aliis partium inflammationibus, præsertim ictus, lapsus in latus dextrum, acris diæta, &c. Ab emplastris & unguentis nimis calidis, hepatis regioni admotis, uti etiam à cucurbitulis eidem regioni affixis, hepatis inflammationem obortam, tradit* Hildanus cent. 7. obs. 46. & 47.

A copiâ enim istorum humorum, hepar occupantium, & in eo vehementer incalescentium, oritur in eo tumor inflammationis, indeque *gravis sive gravativus hypochondrii dolor;* qui, propter pondus visceris, & viciniam, connexionemque cum diaphragmate & pleurâ, *ad claviculam sese extendit, & respirationis difficultatem inducit:* & quia *a* ardor hepatis & ejus humores per evaporationem, propter viciniam, ventriculo & pulmonibus perpetuò & copiosè communicantur, hinc oritur in nostro ægro *singultus, nausea, & cibi fastidium, & sitis inexhausta, ac inanis tussicula. Parte verò* istorum accensorum humorum perpetuò ab hepate ad cor per venam cavam ascendente, vehementiusque ac malignius ibi incalescente, *b* & in os ex pulmonibus exhalante, hinc in nostro ægro, *febris est* c *continua symptomatica*, sese per pulsum celerem & crebrum & inæqualem, & sitim illam inexhaustam, nec non linguâ aridâ, rubenteque se prodens.

a Ardor.) *Hic dependet à sale fixo.*

b Et in os ex pulmonibus exhalante. (*Hæc cum præcedentibus sunt adeò frivola, ut sponte suâ secundùm hodiernam Anatomiam collabantur.*

c Continua symptomatica.) *Atqui omnem inflammationem notabilem semper comitatur febris continua, magis vel minus acuta, secundùm rationes suprà datas circa febres.*

Morbus hic, propter *a* magnitudinem suam, ac partem affectam, graviaque, quæ inducit, symptomata; ac etiam ob metum atrophiæ, hydropis, aliorumque gravissimorum morborum, est periculosissimus.

a Magnitudinem suam.) *Haud rarò profectò morbus est acutus, præsertim si inflammatio sese longè latèque diffundat, & superveniat singultus: vid.* Hippoc. Sect. vj. Aph. 17. *Aliquandò abit in ulcus & apostema, undè posteà oritur febris continua lenta marasmodes. Pus jecoris per os & alvum rejectum, vid. apud* C. Stalp. van der Wiel obs. part. j. obser. 46. *confer* Salmuth. cent. j. obs. 27. & 28. *Tussi rejectum cum tussi ab hepate pus vid. apud* Schneid. lib. 4. de catarrh. *Nempe pus sibi faciles sternit acredine vias ad partes multas, accedente partium vicinarum pressione (ut hìc) reciprocâ: periculosior est inflammatio partis hepatis concavæ, quàm convexæ, externa enim plus hìc quam illìc præstare possunt remedia, & suppuratione factâ pus foras melius educitur: Ex usu nitri fixi, copiosa urinæ excretio, salutem pollicetur juxta* Etmüllerum.

Curatio itaque diligens adhibenda est: *eaque* in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, per contraria ablatione, consistet.

Primò itaque mox vena in dextro brachio aperiatur, sanguisque ad ℥viij. vel x. pro ratione virium, educatur; Venæ-sectioque reiterari poterit.

a Sequenti die tali lenitivo medicamento purgetur.

℞. *Cassiæ recens extractæ* ℥j.
Rhabarb. pulverisati ℈j.
Aq. cichorii q.s. M.f. Haustus *brevis.*

a Sequenti die purgetur.) *Purgatio fortis hic, uti in omnibus morbis acutis, nocet, adeòque soli ordinariè conducunt clysteres emollientes & nitrosi. Internè conveniunt nitrum pur., antimoniatum, sp. acidi dulcificati, pulveres acidum absorbentes, camph., sacch. Sat., laud. op. diasc. Sylv. &c.*

Purgatio si aliqua adhibenda esset, deberet è cholagogis constare mitissimis.

Expurgato corpore, *a* inungatur regio hepatis unguento santalino, & pannum lineum eodem unguento inunctum apponatur, citra calefactionem.

a Inungatur regio, &c.) *Repellentia in principio morbi tantum conveniunt. Unguentis addatur camphora. Auctor non male monet, unguentum non esse calefaciendum, ne nimia copia subtiliorum partium linimenti, vim faciat poris tubulisque hepatis inflammati obstructis.*

Hartmannus *ol. croci commendat, & ol. gum. ammoniaci, quæ tamen cautè usurpentur, saltim in incremento & statu.* Etmüllerus *externè commendat nitrum in aceto ros. & succo semperviv. maj. ac telephii solutum: & melius profectò quàm pinguia, utpote quæ inflammationibus utplurimùm sunt infesta.*

Exterius summè prodest spiritus vini dephlegmatus, in quo caphura soluta fuerit.

Interea etiam, sequenti *a* utatur decocto:

℞. *Rad. cichor., endiv., an.* ℥j.
Taraxaci, petroselini, fœnicul. an. ℥ß.
Herb. endiv. cichor. taraxaci, acetos., violar.,
Lactuc. an. m. j. fumariæ, agrimoniæ, capill. ven.,
Borrag., bugloss., chamæpityos, an. m. s.
Sem. 4. frigid. major. an. ʒij. *anisi* ʒj.
Tamarind. ℥j. *pruna acida* Num. vj.
Uvar. pass. ℥. x. *hord. mund. p. j. liquirit. rasæ* ʒiij.
Decoq. in aq. comm. b *ad* ℔j *s. Colat. adde*
Syr. de limonib. ℥. ij. F. Apozema, de quo sumat æger subinde haustum, ter quaterve in die.

a Utatur decocto.) *Mallem in principio, incremento & statu morbi acriora hujus decocti ingredientia amara omittere, ordinariè enim inflammationes augent: substituerem decoct. hord. cum limat. C. C. rad. Scorzon. rec. herb. acetos., flor. pap. rh. & passulis minor. vel emulsionem.*

b Ad ℔jß.) *Potiùs ad* ℔iij.

Morbo magis *a* inclinante, pro dolore utatur sequenti epithemate, regioni hepatis pannis lineis adhibendo:

℞. *Herb. endiv. cichor. viridis, ana m. j.*
Flor. chamomill., melilot.,

Rosar.

Rosar. rubr. an. m. j. ſ.
Summit. abſynth. p. j.
Coq. in aq. communi ad ℔j*ſ. in fine addendo*
Aceti opt. ℥ij. *ſpec. diatriumſant.* ʒjß.
Iterum ebulliant, & poſtea colentur pro Epithemate.

a Inclinante.) *Quorſùm ſodes? an ad decrementum doloris & febris, an verò ad augmentum? forſan hoc: atqui tunc Auctoris Epithema non convenit; verùm ingraveſcente dolore, febre, aliiſque ſymptomatibus, poſt uſum remediorum appropriatorum, cum pus gigni veroſimillimum ſit, externè & interne convenient magis emollientia, blandis diſcutientibus permixta, ut maturatio puris facilitetur: ſique foris tumor elevetur, digitorum preſſioni cedens, f. ſ. a. apertio, ſive ope ſcalpelli, ſ. cauterii potentialis: Confer* Horſt. Probl. *item* Amat. Luſit. cent. 7. cur. 76. & 77. *Poſteà procedatur ut in empyemate. Hunc circa caſum conſulatur itidem* Hippocr. Sect. 7. Aph. 45. *ubi ait*: Qui ad hepar ſuppuratum uruntur (aut ſecantur) ſiquidem purum effluat pus & album, ſuperſtites evadunt, ipſis enim pus eſt in tunica: ſi verò effluat velut amurca, pereunt.

Poſt Epithematis adhibitionem inungatur locus tali linimento:
℞. *Ol. amygd. amarar. camomill., an.* ℥ſ.
Ol. roſacei, unguenti ſantalini an. ʒij.
a M. *pro* Linimento.

a M. pro Linimento.) *Id quod nos facimus nauci.*

Porro ſi inflammatio invaleſcit, atque ejus ſuppuratio, (quæ tamen omni ſtudio præcavenda, *a* ne ulcus immedicabile ſequatur,) prohibere nequeat, natura mollientibus & maturantibus juvanda eſt; itaque tale tum adhibeatur cataplaſma;
℞. *Rad. althææ* ℥ſ.
Fol. malvæ, flor. camomill.
Farinæ hord. an. m. j. Sem. lini ℥ſ.
Coctis iis & contuſis adde pinguedinis gallinæ q. ſ. F. b Cataplaſma.

a Ne ulcus immedicabile.) *Quia hepati nulla eſt quies ob continuum motum diaphragmatis, & quia internis ulceribus non poſſumus externa commode applicare.*

a Cataplaſma.) *Huic benè addi poſſunt cæpæ ſub cineribus toſtæ, cum ſemine cumini & fœce vini.*

Cognoſcitur inflammatio *a* ad ſuppurationem tendens ex febri, dolore, aliiſque ſymptomatibus ingraveſcentibus: confecto pure omnia illa miteſcunt, vires tamen debiliores relinquuntur.

a Ad ſuppurationem.) *Vid.* Hippoc. Sect. 2. Aph. 47.

Pus genitum vel *a* in vaſa, per hepar diffuſa, ſe inſinuat, & per ſanguinis circulationem fertur illud ad cor, & inde vel in ventriculum, vel inteſtina, vel renes propellitur; vel pus genitum, diſrupto hepate, ſe infundit vel in cavitatem abdominis, quod ſectione vel uſtione ventris eſt educendum, vel illud, peritonæo cum muſculis abdominis & cute exeſo, ex eo foras expellitur, tumque

ulcus per vulneraria intro assumpta *b* & foris adhibita, est sanandum.

a In vasa per hepar diffusa.) *Potissimum in vasa lymphatica ad receptaculum commune tendentia, nec non ad venas ad cavam reduces.*

b Et foris.) *Per injectionem nempe liquorum vulnerariorum.*

Victus, pro ratione virium sit tenuis, ex ptisanâ & jusculis carnium, endivia & cichorio alteratis. *a* Utendum hic abstergentibus, *b* citra acrimoniam. *Aromata & vinum* vitentur. *Potus* sit cerevisia tenuis.

a Utendum abstergentibus.) *In casu videlicet suppurationis.*

b Citra acrimoniam.) *Nulla dantur abstergentia citra acrimoniam: sed Auctor vult dicere citra acrimoniam notabilem.*

XV.

MEDICATIO FOEMINÆ, OBSTRUCTIONE HEPATIS LABORANTIS.

FŒmina 22. annorum, temperamento pituitosa, victu crasso & humido longo tempore usa, faciem & omnia fere membra pallore habet squallentia, genua & pedes præsertim sub vesperam, ipsi tument. Urina ejus alba est & clara. Gravitas & distensio, cum obtuso dolore, dextro insidet hypochondrio; quæ, ubi mox se à cibo nonnihil exercet, ipsi potissimum est perceptibilis. Spiritum impeditè ducit, ubi altiora ascendit loca. *b* Nulla adest febris vel sitis. Os salivâ madet: *c* nec ullus in hypochondrio hactenus observatur tumor.

a Obstructione hepatis.) *Tota hæc historia, vel (ut Auctor vocat) medicatio, nihil singulare habet, præ medicatione præcedenti xij. de imbecillitate hepatis pituitosa, quin dicam eadem ferè esse verba. Scio autem quid sit; pulchrum atque decorum Auctori (ut pluribus) visum fuit, entia multiplicare citra necessitatem. Nobis, cùm tale quid non arrideat, nauseabundum foret prolixa hic oratione uti.*

b Nulla adest febris.) *Falsissimum hoc est, sed non semper Practici ad naturam febris attendentes, pulsu non existente (ut ajunt) celeri, eam abesse clamitant.*

c Nec ullus, &c.) *Poterat tamen adesse, uti reverà quoq; ut plurimùm adest.*

Afficitur in hac ægra *facies & reliqua externi corporis moles*, quod ex earum pallore; afficiuntur etiam *genæ & pedes*, quod ex eorum tumore: afficitur quoque, & quidem primariò *hepar*, quod ex gravitate, distensione, & dolore obtuso, dextrum hypochondrium, potissimùm à cibo occupante, *a* item ex urina alba & clara, nec non respiratione, à corporis motu difficilius ductâ, est manifestum.

a Item ex urina.) *Hinc rectius inferri posset, renes aut vesicam esse affectam.*

Morbus, quo hæc ægra affligitur, est intemperies pituitosa & viscida hepatis, quæ poros ejus & meatus obstruens & chymosin vitians, reliquaque in historia commemorata symptomata inducens, à potiore suo effectu, reliqua producente, *Obstructio hepatis* vulgo appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* est diutinus crassorum & humidorum alimentorum usus, quo, adjuvante temperamento ejus pituitoso, multi crassi, viscidi & tenaces & frigidi in ejus corpore geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum, partim ad hepar delata, ibique ejus meatus angustans & oppilans, intemperiemque ejus vitians, partim ad genas, pedesque totumque corporis habitum perveniens, *a continens* hujus morbi, symptomatumque jam enarratorum, est causa.

a Continens.) *Haud rarò calculi, tàm in ipsa hepatis substantia, quàm vesicula fellea, eadem producunt symptomata: vid.* misc. dec. j. an. ij. obs. 106.

Dum enim humor ille pituitosus viscidus & tenax, poros & meatus hepatis multis in locis occludit, ibique hæret, *parit in eo intemperiem pituitosam & viscidam, ac præterea obstructionem*, qua humores, hepar postea transituri, in eo retinentur, illique retenti, ac suâ copiâ & pondere hepatis, in dextro hypochondrio siti, parenchyma gravantes, & distendentes, pariunt in *dextro hypochondrio gravitatis & distentionis, obtuso dolore citra tumorem comitatæ, sensum. Hic, post cibum assumptum, & corporis exercitationem, aliorumque locorum ascensum, magis est perceptibilis, difficilemque respirationem gignit*; propterea quod humores copiosiores eo ferantur, iique tum plus solito ibidem distendantur, & quod diaphragma, quod est præcipuum *a* respirationis instrumentum, vehementius premant.

a Respirationis.) *Potiùs inspirationis, nam respiratio peragitur inspiratione & exspiratione, quarum hæc competit musculis pectoralibus, intercostalibus & abdominis.*

Et quoniam, ex hac hepatis intemperie pituitosa, cum obstructione conjuncta, chymus gignitur crudus & aquosus, qui deinde in aquosum in corde convertitur sanguinem, per totum corpus ad alituram diffundendum; *a* hinc *facies totaque corporis externa moles*, quæ tali pituitoso sanguine nutriuntur, *squallido pallore perfunduntur*.

a Hinc facies, &c.) *Omnia hujus morbi symptomata explicanda sunt ab obstructionibus pororum, tubulorum, canaliculorumque in partibus stabilibus à sanguine & humoribus crassis viscosis, vel austeris.*

Et quia hic sanguis ad nutritionem est ineptior, calorque nativus ex eo debilitatus, justam excrementi vaporosi discussionem in habitu corporis efficere non potest; hinc oritur ex sanguine illo eò propulso, sed non bene agglutinato, & ex vaporoso excremento retento, *genarum & pedum*, vasis in nostrâ ægra porosioribus instructorum, *tumor; qui sub vesperam magis est observabilis*, quod ob corporis diurnum motum & erectionem, humores eo tum paulatim copiosius fuerint propulsi, nec per sanguinis circulationem in alias partes satis copiosè referri potuerint. Pituitosus vero ille sanguis, ad tonsillas oris delatus, ibique aquosiores suas partes in os, per ductus salivales, *a* aliosque deponens, *facit sitis absentiam, salivæque in ore abundantiam*. Ad cor vero citra putredinem, & deinde

deinde ad renes, ex viscidis illis humoribus obstructos vel angustatos, perveniens, producit *febris absentiam*, *urinamque albam & claram*.

a Aliosque.) *Quinam, sodes! ductus, præter salivales, lympham in os deducunt? forsan autem noster Auctor vult dicere aliosque nondùm inventos: & tunc nihil absurdi.*

Morbus hic, ob magnam hepatis affectionem, *a periculosissimus est*. Metus enim est, ne in hydropem, vel scyrrhum, vel alium gravem affectum, degeneret.

a Periculosissimus.) *Est jam ipse hydrops universalis, qui semper est periculosissimus.*

Diligentissima itaque *Curatione* erit impugnandus; *quæ* in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, ac obstructionis, per contraria, ablatione consistet.

Primò itaque utatur tali *a* apozemate alterante & purgante:

℞. *Rad. apii, petroselin., fænicul. an.* ℥j. *chelidonii major.* ℥j*ß*.
Filicis, enulæ campanæ, cort. rad. capparum, fraxini, Tamarisci an. ℥ß.
Fol. absynthii, agrimoniæ, capill. vener., chamædryos an. m. j.
Flor. centaur. minor., hyperici an. p. j.
Sem. apii, petroselini, anisi, fæniculi, an. ʒij.
Fol. senæ ℥ij. *rad. polypod. q.* ℥ß.
Decoq. in aq. hord. ad ℔iß.
In Colatura dissolve syr. de cichor. cum rhabarb. ℥iß.
M. F. Apozema, de quo sumantur ℥iij. bis in die vel semel, pro ratione operationis.

a Utatur tali apozemate.) *Vide hanc Auctoris formulam paucissimis mutatis ferè, apud* Riverium in prax. lib. xj. cap. 3. *Nempe* Riverius *jubet radices apii, petros. fœnic. in vino albo per noctem infundi, radicem chelidonii maj. addit ad* ℥ij. *folia & flores sumit ana ad M. j. semina ana* ℥ß. *additque epithymi cret.* ℥j. *zinzib. & caryoph. ana* ʒj. *flor. tamarisc. calend. & cicer. rub. ana p. j. in colat. dissolvit syr. de 5. rad. & ros. solut. ana* ℥ij. *F. Apozema clarificatum & aromat. drach. ij. cinnam. elect. pro iv. dos. matutinis, addendo unicuique dosi cryst. tart.* ʒj. *sal. absynth. & tamarisc. ana* ℈ß.

In omnibus morbis chronicis seu prolixis observandum est, ut medicamentorum habeatur diversitas, nè ægros eorum teneat fastidium, neque natura eidem medicationi assuescat.

Vinum medicatum potest esse tale.

℞. Ligni guajac. rasp. ℥ij.
Cort. tamarisci
Rad. cappar. an. ℥j.
Polypod. querc. ʒvj.
Salsæ parill. ℥ij.
Bryoniæ ℥iij.
Herb. card. bened.
Chamed.
Ceterach. an. m. j.
Sem. dauci
Sileris montani an. ʒiß.
Passul. sive maj. sive min. m. jß.
Tartari albi ℥ß.
Infundantur diù in vino albo rhenano, aut gallico chalybeato q. s. (vel posset decoctio fieri in sero lactis chalybeato, si calor febrilis adesset) add.
Oxymell. scyll. ℥ij.
Sal. tamarisci,
Card. bened. ana ʒj. *dos. ad* ℥iv. *vel v. bis vel ter de die.*

Dum

Dum hoc utitur apozemate, hypochondrium dextrum *a* hoc foveatur fomento, mane & vesperi, *b* ante usum decocti:

℞. *Rad. bryoniæ*, c *althææ an.* ℥jß.
Ebuli, cyperi, eryngii, capparis, fraxini an. ℥j.
Fol. malvæ, althææ, violariæ, agrimoniæ, chamæd., *Menthæ*, d *absynth.*, *an. m. j.*
Sem. lini, fœnugræci, baccar. Junip., coriandri an. ℥ij.
Flor. genist., sambuci, chamomill., meliloti, an. p. j.
Ligni santali citrini, ℥ß.
Fiat omnium decoctio in duabus partibus aq. chalybeatæ, & una vini albi sub finem additi; colat. e *adde aceti* ℔ß. *& fiat* Fomentum, cum pannis lineis eo imbutis adhibendum, ut fuit dictum.

a Hoc foveatur fomento.) *Etiam & hanc fomenti formulam mutuatus est Auctor à* Riverio l. c. *sed nec id sufficiebat: omnes hujus medicationis remediorum formulas, ex eodem Auctore paucissimis mutatis exscripsit.*

b Ante usum.) *Quidni etiam post?*

c Althææ.) *Rectè discutientibus conjunguntur emollientia, nè materia peccans exsiccetur, & generet scyrrhum.*

d Absynth.) *Porro adde*
Salis communis p. j.
Nitri
Sulph. viv. ℥vj.
Fellis vitri an. ℥iij. *aut* ℥ß.
Salis ammoniaci ℥ij.

e Adde aceti.) *Videlicet scyllitici, præsertim si initium sit morbi, aut declinatio, quemadmodum enim gummata multa aceto, aliisque acidis volatilibus melius dissolvuntur, quàm spiritibus ardentibus subtilissimis, ita idem in corpore humano fieri, nullo modo dubitamus.*

Post fotum inungatur locus tali unguento:

℞. *Ol. lilior. de capparib. an.* ℥ij.
a *Succ. bryoniæ, apii an.* ℥j.
Bulliant ad succorum consumptionem
Addendo ung. b *de althæa, gumm. ammon. acet. dissol. & Extracti an.* ℥j.
Ceræ flavæ q. s. F. Unguentum, cui, tempore usus, addatur aceti rosacei parum.

a Succi bryoniæ.) *Aut cyclaminis s. artanitæ.*

b De althææ.) *Potius de arthanita* ℥ß. *Cera etiam exiguâ quantitate est addenda.*

Post horum usum, ad obstructionum reliquias tollendas, & partem affectam roborandam, conveniet sequens opiata:

℞. *Conserv. absynth.*, *Flor. tamarisci, capill. ven. an.* ℥j.
Rad. enulæ campanæ, cort. citri cond. an. ℥ß.
Myrobalan. cond. Num. j.
Nuc. moschat. cond. ℥iij.
Spec. diarrhod. abbatis ℥j.
Chalybis præp. ℥ij.
Salis absynthii, tamarisci an. ℈ß.

Croci

Croci ℈j. *ambræ gryseæ* ℈ß.
Cum syr. cond. cort. citri F. Opiata, de qua capiat singulis diebus magnitudinem castaneæ majoris, duabus horis ante pastum, superbibendo vini Hippocratici parum.

Plurimum etiam conducent *a* balnea tepida, in quibus emollientia & aperientia ebullierint.

a Balnea tepida.) *Præsertim mineralia, ut Aquis-granensia, Swalbakensia, &c.*

Obstructiones si contumaces fuerint, *a* utatur sequentibus pilulis:
℞. *Aloës optimæ, succo absynthii diligenter nutritæ* ℥ß.
Gumm. ammon. aceto dissoluti & trajecti ʒiij.
Myrrhæ electæ in vino calido solutæ & trajectæ ʒij.
Pulv. diatrium santal., cryst all. tartari an. ℈j.
Agarici recenter trochisc., rhabarb. electi an. ʒij.
Salis absynthii, tamarisci, an. ʒß. *croci* ℈ß.
Cum syr. rosʃ. sol. F. *massa* pilularum, de qua capiat ʒß. bis in septimana, duabus horis ante pastum.

a Utatur seq. pilulis.) *Optimæ pilulæ hoc in casu parantur ex* gumm. ammoniac. & mercurio dulc. *Verbi gratiâ.*
℞. Gumm. ammon. unc. sem.
Mercurii dulc. ℈ij.
M. F. Pilulæ,
Dividendæ in XVI. doses de quibus quotidie duas, vel tres assumat æger.
Vel ℞. *Gumm. galb. aceto scyll. præp. mastich. el. ana* ʒß. *castor. opt. myrrh. ana* ℈j. *succin. pp. gr. xxv. croc. opt.* ℈ß. *vitriol. mart.* ℈j. *aloës ros.* ʒß. *troch. alb.* ℈j. *ol. fœn. still. gutt. viij. M. F. Pil. Num* L. *dos. à* ℈ß. *ad* ʒß. *Vel* ℞. *rad. gent. cort. aurant. cit. ana* ʒß. *aloës* ʒvj. *summit. cent. min. absinth. ana M. j. Sp. Vin. q. s. fiat per digest. Tinctura, cujus dosis est ad cochl. j. bis in septimana.*

Ad obstructiones pertinaces tollendas præ cæteris conducunt *a* remedia ex tartaro, vitriolo & *b* chalybe conflata, quæ apud practicos occurrunt; & ideo hic etiam adhiberi possunt.

a Remedia ex tartaro.) *Omnia digestiva hic, & in med. sequenti prosunt, ut*
Cremor tartari
Tartarus vitriolatus Tachenii
Crocus martis aperiens
Tinctura martis
Elect. ex chalybe
Essentia jovis
Mercurius dulcis
Spiritus & oleum tartari
Spiritus Nitri
Vitrioli
Salis
Sulphuris dulcificat.
Exhibendus aliquando est seq. pulvis:
℞. Chalybis croci aperientis gr. xvj. *aut* scrup. j.
Bezoard. miner.
Mercurii dulcis ana gr. viij.
M. F. Pulvis, *pro dosi.*

b Chalybe conflata.) *Rectè monet* Riverius loc. cit. *quod post eorum usum corpus paululum movendum sit, ut calcar addatur crassis istis particulis, ita enim melius distribuentur; etiam post operationem peractam, commendatur purgans.*

Efficax quoque, post sufficientem usum attenuantium, sudoriferum est, ex salibus & mineralibus, quod subinde repetendum est; quia non unâ vice, sed

sed lentâ digestione hæ obstructiones resolvi possunt.

Mirum, quantum hic & in omnibus obstructionibus pertinacioribus sudorifera cum purgantibus mixta præstent; sed observandum est, quod si purgare velimus, exigua tantum sudoriferorum dosis admiscenda sit; sed si scopus sit, sudores hic excitare, purgantia minori dosi addenda. Confer Pechlin. obser. phys. med. lib. ij. obs. 62.

℞. Bezoar. miner. scrup. sem.
Mercurii dulcis gr. vj.
M. f. Pulvis.

Hic etiam juvant Troch. de myrrha, pulvis sabinæ & ol. ejus; omnes aquæ fontanæ acidulæ Spadanæ, Swalbacenses, Borbonenses, &c. ut & sal. Card. b. Tamarisc. Centaurii, &c. Pilulæ dictæ Spadanæ, quæ fiunt ex chalybe, &c. huc pertinet mars potabilis Willisii.

In *diæta*, Aër sit purus, calidus, tranquillus, *a* *Cibus* attenuans & calidus, ex pane bene fermentato, & carnibus gallinaceis, vervecinis, ovis sorbilibus, capparibus, asparagis, hyssopo, petroselino. *Potus* sit cerevisia & vinum mediocrium virium. *Alvus* respondeat arte vel natura. *Gaudio* det operam: moderatè se *exerceat*.

a Cibus attenuans.) *Aliqui ventrem galli variis implent specificis hepaticis, & cum iis coquunt, juscu*lumque parant, quod non male fit, modò inde æger nauseam non concipiat.

XVI.

MEDICATIO VIRI, *a* SCYRRHO HEPATIS LABORANTIS.

VIr 40. annorum, pituitosus, alimentis frigidioribus *b* & humidioribus diu usus, diutinamque ac contumacem obstructionem hepatis passus, paulatim incidit in *c* durum tumorem, dextrum hypochondrium occupantem; qui ipso erecto vel decumbente & in sinistrum latus inclinato, tactu facile percipitur. *d* Situ & figurâ jecoris circumscribitur. Decubitus ipsius dexter est facilis, sinister verò adeo gravis, ut ægro, sinistro lateri incumbenti, moles quædam, velut *e* suffocans, ventriculo & præcordiis inniti videatur.

a Scyrrho.) *Omnis scyrrhi naturam, parùm differre censemus à natura calculorum: semperque ferè occupat partes glandulosas Dividitur vulgò in verum & spurium, quorum ille indolorificus est, hic verò dolorificus, accedens ad naturam cancri.*

b Humidioribus.) *Exsiccantia scyrrhum magis generant quam humida, quæ humores possunt reddere fluidiores, textumque partium molliorem.*

c Durum tumorem.) *Vid.* misc. cur. ann. ij. obs. 90. ann. 3. obs. 262. Petr. Borell. obs. com. à Cattier. x.

d Situ & figura.) *Sic distinguitur à scyrrho glandularum mesenterii, &c.*

e Suffocans.) *Quia viscera, pondere*

dere magno scyrrhosi hepatis pressa, premunt vehementer diaphragma sursum, ut vix possit per spiritus animales deorsum pelli, s. contrahi.

Afficitur in hoc ægro *hepar*; quod ex præcedentibus ejus obstructionibus, & subsecuto tumore duro, qui in hypochondrio dextro percipitur, difficilemque in sinistro latere decubitum parit, est manifestum.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies crassa & viscida hepatis; quæ tumore duro, & obtuso sensu prædito, comitata *a scyrrhus hepatis* vulgò appellatur.

a Scyrrhus.) Fr. Joël tom. vj. de chirurg. *dicit scyrrhos utplurimùm in initio exiguæ fabæ aut pisi magnitudine apparere, qui processu temporis increscunt, & majores efficiuntur.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diutinns ille frigidorum, crassorum & humidorum alimentorum usus, quo adjuvante temperamento nostri ægri pituitoso, humores frigidi, crassi & tenaces, in ejus corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum ad hepar delata, & deinde *b* poros ejus obstruens, & postea suâ copiâ & crassitie illud distendens, & in tumorem attollens, duritiemque sua partium firma cohæsione concilians, *continens* hujus morbi & ejus symptomatum est causa.

a Causa procatarctica.) *Huc pertinent omnia terrestria & austera, intempestivus usus julapiorum refrigerantium acidorum, contra inflammationem hepatis, aliusve visceris notabilem haustorum, suppressio mensium & hæmorrhoidum, animi mœror, terror, &c.*

b Poros ejus obstruens.) *Obstruuntur multi canaliculi exigui glandularum hepatis, à materia crassa viscosa & terrestri, quæ licet aliquam humidi copiam secum in principio conjunctam habeat, tamen illam, diutina stagnatione amittit, dùm flexiles & lubricæ humidi particulæ, facilius accommodari possunt angustis partium poris & canaliculis; arctius ergò dùm eo modò crassiores viscosæ & terrestres partes ad invicem approximantur, tumor ille durus, lapidi duritie vix aliquando cedens, exoritur: similiter lutum molle, cornua & coria humida, &c. calore duritiem nanciscuntur maximam: si tali materiæ viscosæ & terrestri jungatur humor acris aliquis fixus, s. austerus, tunc scyrrhus, naturam contrahit cancrosam.*

Hinc enim nata est *intemperiess illa hepatis, tumore duro, & stupido sensu, comitata*, cujus pondere, cum per sinistrum decubitum ventriculus & præcordia premantur; quæ per dextrum decubitum à pressione sunt libera; hinc fit, ut *decubitus dexter ægro sit facilis, sinister verò adeo difficilis, ut difficilem respirationem suffocationisque metum inducat.*

Quia autem, per corporis erectionem & in dextras partes inclinationem, tumidum hepar magis versus exteriora à vicinis partibus propellitur, idcirco *tumor ejus, figuram & situm hepatis habens, corpore erecto & in dextrum latus inclinato, facile est perceptibilis.*

Morbi hujus magna solet esse *a* pertinacia & *b* periculum: cum viscus hepatis meatus habeat angustos, qui præcedente obstructione valdè sunt obstipati, & à subsecuto hoc scyrrho fere omnes sunt occlusi, ita ut vis medicamentorum eo difficulter sit perventura; unde vel *hydrops*, c *vel atrophia hic est metuenda.*

a Morbi pertinacia.) *Multi sine notabili noxa per multos annos superstites sunt.*

b Periculum.) *Omnis scyrrhus (nisi maturè curetur) in lapideam duritiem concrescit, ita ut per medicamenta resolvi nequeat: periculosior est scyrrhus cancrosus, utpote qui facile exulceratur. Confer* Galen. lib.2.ad Glauc. cap.4. & 5. Hippocr. Sect. vj Aphor. 42.

c Atrophia.) *Quatenus, uti in hepate, sic & in aliis partibus solidis, & vasis earum capillaribus ab eadem causa crassa, viscosa, numerosæ fiunt obstructiones.*

Curatio itaque diligens instituenda est, *quæ*, in causarum, & intemperiei, ac tumoris, per contraria ablatione, consistet.

Primo itaque purgetur tali medicamento *a* cathartico:

℞. *Syr. rosati sol. cum fol. senæ, & rhabarb* ℥jß.
Elect. diaphoen. ℨiij. *aq. decoct. hord. q.s.*
M. F. Haustus.

a Cathartico.) *Præmittendum censemus apozema attenuans, & deobstruens; ubi tempestivum fuerit purgare, non inconveniens est illud* Joëlis *ex Extract. elleb. nig.* ℈ß. *cum conserv. meliss.*℥j. *vel Elect. diacathol.*ℨx. *vel confect. hamech* ℨvij. *aut antim. rit. præpar. gr.* iij.
Vel ℞. Extract. cathol.gr.xiv.
Rad. helleb. nigr.gr.vj.
Mercurii dulcis gr.v.vj viij.
M. f. *Pilulæ. Violentam autem evacuationem, nos omninò aversamur.*

Deinde utatur *a* tali apozemate alterante & purgante:

℞. *Rad. fœnic. petros., gramin., asparag., in aceto maceratar. an.* ℥j.
Herb. marrubii, ceterach, cuscutæ, capill. veneris,
Scolopendrii, chamædryos an.m.j.
Sem. anisi, fœniculi, an. ℥ß.
Fol. senæ ℥jß. *agarici, mechoacann.an.*ℨj.
Passul.℥j. *ficus sicc.* Num.v.
Decoq. in aq. hord. ad ℔ß.
Colaturæ adde syr. de cichor. cum rheo ℥jß.
M. F. Apozema, de quo sumat semel, vel bis in die, haustum trium vel quatuor unciarum.

a Tali apozemate.) *Sit idem, quod in medicatione præcedenti, fuit præscriptum.*

Reiterari subinde simile apozema debet, omissis vel additis purgantibus, prout res hic desiderabit.

Purgari etiam subinde poterit tali haustu:

℞. *Fol. senæ* ℨiij. *agaric. trochisc. rhabarb. an.* ℨj.
Sem. anisi ℈ij. *infund. in aq. hord.*℥iij.
Colaturæ adde diaphœnic. ℨiij. M.F.Haustus.

Interea dum his utitur, admoveantur *a* fomenta, unguenta & emplastra sequentia.

℞. *Rad. bryoniæ, liliorum, alth. an.* ℥j.
Cucumeris sylvest. ℥ß.
Fol. malv., violar. parietar., absynth., agrimon. an. m.ß.
Flor. camomill., melilot., rosarum an.p.j.

Coq. in tribus partibus aq. comm. & unâ vini sub finem additi.
Colaturâ foveatur, cum pannis laneis, hypochondrium dextrum.

a Fomenta, &c.) *Etiam hoc unâ cum apozemate, præcedere debet, antequam ad purgationem itur.*

Cœterum hic magnâ opus est in administratione prudentia, ne videlicet vehementer calidis & exsiccatibus utamur, nam tenuiore parte materiæ peccantis exhalata, crassior lapidescit, tumorque evadit incurabilis; non etiam nimis emolliendum, ne tumor incrementum sumat, aut forte transeat in cancrum: ergo eligenda, quæ partim moderate resolvunt & per insensibilem transpirationem discutiunt, partim *etiam digerendo nonnihil emolliunt, aut alternatim modicè primò emollientia, deinde digerentia applicentur,* Joel *loco citato.*

℞. Cort. rad. althææ minutissime contus. q. v.
Cum ping. anserinæ s. q. subigantur in formam cataplasmatis redigantur, *aut*
℞. Gummi bdellii,
Ammoniaci,
Galban. an. p. æq.
Conterantur in mortario calido, quibus admisce
Ol. sambuc. q. s.
Mucil. sem. lini,
Fœnugræci, *& ex*
Ficubus contusis, *& simul maceratis confectæ, ad pondus descriptorum gummatum, contundantur & redigantur in pultis formam, & fiat cataplasma.*

Si scyrrhus in suppurationem terminari animadvertatur, sedulo est cavendum, ne amplius remedia calefacientia eidem imponantur: aut etiam sectione per ferrum irritetur, at scyrrhus in cancrosum tumorem convertatur, sed ubi ulcus sponte sua aperitur, pus ex tumore diligenter abstergatur & solo empl. diachylo *pus eliciatur, & ulcus more solito curetur, frequenter nonnulli tumorem resolvere conantur vapore aceti acerrimi in lapidem candentem effusi.*

Post fotum adhibeatur tale a linimentum.

℞. *Ol. lilior., camomill., melilot., amygdal. dulc. an.* ℥j.
rosar., absynthii an. ℥ß.
Gumm. ammon. in acet. dissolut. ʒ iij.
Ceræ ℥ij. M. F. linimentum.

a Linimentum.) *Ex* River. prax. lib. xj. c. 5.

Postquam pars affecta linimento illo inuncta fuerit, a tale ei imponatur emplastrum.

℞. *Mass. emplast. de mucilag.* ℥j.
de melilot. ℥ß.
Gumm. ammon. liquati in succo absynth. ʒiij.
Malaxentur cum ol. absynth. & liliorum q. s.
F. Emplastrum, *extendendum super alûta.*

a Tale imponatur emplast.) *Etiam ex* River. loc. cit. *Cataplasma & emplastrum* Joël, loc. cit. *parat ex medulla cervina, vitulina, sevo hircino, pinguedine anserina, & gummi galb., ammoniaco, & rad. althææ, addito oleo irino, & pauxillo aceti, aliis empl. de cicuta in usu est.*

Confer Rulandi cent. 8. curat. 84. Hartm. prax. p. 213. 214. 215. 216. usque ad 225. & p. 234. *habet ol. croci (non quod subtile illud oleum adeò queat impetu efficaci, obstructiones reserare, sed quod sanguinis pigri motum resuscitando, eum adigat ad loca obstru-*

obstructa aperienda) pag. 418. & seq. spiritus urinæ pag. 458.

Proderunt quoque sal. volatile aromaticum & oleosum.

Si verò durities contumax nondum his cederet, sequentes pilulæ per plures dies erunt usurpandæ:

℞. *Gumm. ammon. in acet. dissolut. & trajecti & iterum inspissati* ℥ij.
Bdellii, styracis, an. ℈iiij. M. F. Pilulæ justæ magnitudinis, capiat ʒj. alternis diebus.

Intermediis diebus utatur opiatâ roborante & aperiente in obstructione hepatis præscripta

Usus etiam chalybis præparati, superius & inferius à nobis descripti, hic magnopere conducit.

In *Victus ratione*, *Cibus* sit attenuans, ut in obstructione hepatis, moderata quantitate exhibitus. Item incidens & detergens. Vitentur *a* dulcia. *b Vinum* sit tenue, odoratum, vel cerevisia clara, mediocrium virium. Cappares sint in frequenti usu. *Alvus* moderate fluat. *Exercitia* sint moderata. *Vitet* tristitiam.

a Dulcia.) *Item legumina, pisces, carnes sale & fumo induratæ, &c.*

b Vinum.) *Potest esse generosum, si modice sumatur, nisi febris sit notabilis.*

XVII.

MEDICATIO VIRI,

a CACHEXIA LEUCOPHLEGMATICA

AFFECTI.

b VIr quadraginta annorum, febri erraticâ diu fatigatus, & tandem *c* ab eâ liberatus, *d* incidit in pedum & tibiarum inflationem; quæ deinde, per femora & testes paulatim *e* ascendens, totum corpus, faciem ipsam, palpebras, labia, ac gingivas occupavit. Color corporis ad fœdam *f* albedinem declinat. Digiti partibus externis impressi aliquamdiu profunda in iis relinquunt vestigia. Urina est pauca & cruda. Pulsus debilior. Coctio ventriculi tarda. Corporis motus lentus & languidus.

a Cachexia leucophlegmatica.) *Hic dicitur summus cachexiæ gradus, hydropis universalis indicium: aliàs cachexia in genere denotat quamcunque habitus corporis mutationem ad statum præternaturalem, in specie verò dicitur vel scorbutica, vel icterica, (quæ rursùs est vel flava vel nigra &c.) & in fœminis chlorosis.*

b Vir.) *Affectus magis est mulierum quàm Virorum.*

c Ab ea liberatus.) *Potius justa est suspicio, hunc ægrum multa julapia sumsisse refrigerantia, ad febris ardorem & sitim auferendam, unde tubuli & canaliculi partium, præsertim exter-*

ter-

ternarum, multi obstructi fuerunt, & eorum nonnulli rupti.

d Incidit in pedum, &c.) *Quid mirum? nempe sanguis & humores debent per lineam perpendicularem sursùm propelli, quod satis vegete fieri non posse ob languidiorem musculorum contractionem nemo non percipere nequit.*

e Ascendens.) *Sit verbo venia!*

f Albedinem.) *Hinc ortum nomen leucophlegmatiæ*. Pet. Borell. cent. iij. obs. 66. *historiam habet corporis cachectici instar crystalli translucentis.*

Afficitur in hoc ægro *totius corporis habitus*; ut ad oculum patet: Item *hepar, ventriculus, lien, & aliæ partes*, a *chylosi & chymosi ac etiam sanguificationi inservientes*; quod totius corporis inflatio & tumor indicant.

a Chylosi.) *Hinc Etmullero dicitur cacochyloseως pedissequa.*

Morbus, quo æger laborat, *a* est intemperies viscerum, chylosi, *b* chymosi & sanguificationi inservientium, serosa, pituitosa & vaporosa; quæ, totum corpus tumore molli inflans & distendens, fœdoque pallore persundens, *c Cachexia Leucophlegmatica* appellatur.

a Est intemperies serosa, vaporosa.) *Est potius intemperies crassa, viscosa, vel etiam austera sanguinis & humorum, cum obstructionibus tubulorum & vasorum multorum, præsertim venosorum & lymphaticorum in plurimis corporis partibus stabilibus, præcipuè à corde remotioribus & extremis.*

b Chymosi.) *Forsan juxta illud* Hippocrat. lib. de affect. 526. text. j. ὕδερος ἀπὸ τοῦ ἥπατος. *Sed hæc hypothesis corruit, circulatione sanguinis inventâ.*

c Cachexia.) *Dicitur etiam aqua intercus, anasarca.*

a *Causa* prima sive *procatarctica* hujus morbi est febris erratica, quæ diu ægrum nostrum fatigavit. Hinc calor nativus, primò quidem nimis fuit intensus; sed postea, ex dissipatione spirituum & oleaginosarum partium, imminutus: unde humores serosi & pituitosi, item vapores crudi & crassi copiose fuerunt in visceribus *b* geniti; qui, in vasis cum sanguine contenti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Ii verò, propter *c* debilem viscerum calorem, cum reliquis sanguinis partibus non satis bene mixti, atque ideo extra vasa in habitum corporis, cujus minor quam viscerum est calor, sese effundentes, & illi qualicunque modo se agglutinantes, *d continentem* hujus morbi & symptomatum constituunt causam.

a Causa procatarctica.) *Hùc pertinent omnia incrassantia, ut usus nimius spiritus vini aliorumve liquorum inebriantium, piscium, leguminum, saccharatorum, panis azymi, julapiorum, pinguium acidorum, vita deses & otiosa, animi mœror, Venus immodica, &c. Exemplum obstructionis mensium cum cachexia sedibusque cruentis ab ingurgitatione vini gelidi cum sacharo, citriis & aqua diluti, æstuante corpore*, vid. in misc. cur. decis. 2. ann. iij. obs. 11. *confer* medic. hujus lib. xj. xij. & xv. *Cachexiam post partum fœtus mortui, vid. apud* Horst. tom. ij. l. 1. obs. xx. *Ex mola*, Forest. lib. 19. obs. 26.

b Geniti.) *Potiùs propter angustiam canaliculorum collecti.*

c Debilem viscerum calorem.) *Atqui debilitatus fuit ille calor à causis procatarcticis incrassantibus.*

d Continentem.) *Hæc petenda est partim ab obstructione multarum ramifica-*

ficationum venosarum in multis corporis (præsertim extremis) partibus, ita ut pressio sanguinis ab arteriis major resultet versùs glandulas & vasa lymphatica, quæ per consequens serum in cavitates vicinas, tanquam loca minus resistentia, copiosum exspuunt: partim à ruptione vasorum lymphaticorum, propter pressionem violentam copiosi & crassi seri.

Nam serosa & pituitosa illa materia, *a* circa viscera chyloseos & chymoseos ac sanguificationis existens, producit ibi *intemperiem jam commemoratam.* *b* Extra vasa verò in pedes, propter longiorem à corde & reliquis visceribus distantiam, & seri gravitatem, effusa, *facit ibi tumorem œdematosum, digitorum impressorum vestigia*, ob partium mollitiem, *c aliquamdiu retinentem. Hinc*, malo ingravescente, *d primum tibias & femora, deinde totum habitum corporis, item brachia & caput, in eoque faciem, labia & gingivas tandem occupavit.*

a Circa viscera.) *Id est, in vasis capillaribus viscerum, & eorundem tubulis angustioribus collecta.*

b Extra vasa. *Id est, lymphatica.*

c Aliquamdiu retinentem.) *Non secùs quàm in molli luto vestigia impressa diu permanent.*

d Primum tibias.) *Hic ordo phœnomenorum fortuitus est tantummodò.*

Et quoniam serosa hæc materia, ob dictas causas, in habitu corporis hæret, idcirco pauca ejus quantitas ad renes defertur; quæque eo deportatur est crassa & cruda, ac obstructos etiam ibi invenit poros; hinc *urina etiam est pauca & cruda.* Quia verò ab hoc sero & sanguine crudo ac frigidiore, calor ventriculi & cordis, jam antea à febri præcedente debilis magis magisque debilitatur: hinc pulsus est *justo debilior, ac concoctio ventriculi, ut & aliarum partium, tarda.* *a* Et denique, quia moles corporis ab hoc tumore est gravis, & spiritus animales, ob serosam, hanc cacochymiam, pauci: hinc *motus corporis est languidus & tardus.*

a Et denique.) *Symptomata hæc omnia facile deducuntur à sanguine humoribusque crassis, quibus secretiones, distributiones & excretiones naturales cohibentur.*

Morbus hic valde *a* est periculosus: quia chylosis & chymosis, atque hinc sanguificatio, graviter est læsa, & difficulter corrigi potest. Non tamen desperandum: sæpe enim hujusmodi cachexia sanari solet.

a Morbus est periculosus.) *Vera causa difficilis curationis dependet, primò, ab obstructionum pertinacia in venis & vasis lymphaticis partium subcutanearum, tanquam à corde remotiorum, & injuriis aëris magis expositarum, quatenùs ad eas, non transeunt cum vigore, medicamentorum vires: præterea medicamenta deobstruentia vasculis lymphaticis tenellis vim multam inferunt, ita ut ulterius rumpantur: & si vel omnis aqua stagnans, esset ex partibus affectis evacuata, parum prodesset, nisi simul ablatæ essent obstructiones;* secundò, *difficultas est in consolidatione vulnusculorum vasorum lymphaticorum; quoniam ea peragi debet balsamicis & adstringentibus, quibus obstructiones regenerantur.*

Nè itaque in lethalem leucophlegmatiam, vel ascitem abeat. *Curatio*

quam

quam primum erit inchoanda: *quæ* consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei viscerum & habitus corporis, per contraria correctione.

Primò itaque *a* purgetur tali haustu:

℞. *Diaphœnici* ℥ſ.
Tartari vitriolati ℈j.
Dissolve in aq. cardui benedicti ℥iiſ.
Adde aq. cinnamom. ℥ſ. *scammonii gr.* viij.
Misce F. Potio, mane jejuno ventriculo exhibenda.

a Purgetur.) *Præmissis præparantibus, sive incidentibus:*
℞. Resinæ agaric. ℈ß.
Jalapp. gr. iv.
Magist. gutt. gamb. gr. iv. *vel* vj.
Trochisc. alhand. gr. ij. iij.
M. F. Pulvis aut s. a. Pilulæ pro dosi. (*Nonnulli præfertur Extr. elaterii, siquidem guttæ gambæ progenies sit incognita, nec non, notante Lindano, facile inde exulcerantur pulmones.*)

Postea utatur hoc apozemate aperiente, alterante, & purgante:

℞. *a* *Cort. rad. apii, ireos recent.,*
Ebuli, an. ℥j.
Bryoniæ ℥ſ.
Enulæ camp. ℥iij.
Herb. cuscutæ, agrimoniæ, ceterach.
Cardui bened., fumariæ an. m.j.
Absynthii vulg. & romani an. m.ſ.
Flor. genistæ, sambuci, centaur. min. an. p.j.
Sem. anisi, fœniculi, carui, dauci an. ℥ij.
Fol. senæ ℥iſ. *agarici, rad. esulæ an.* ℥ſ.
Rhabarb. ℥j.
Zinzib., cinnamomi, schænanthi an. ℈j.
Uvar. pass. ℥j. *prunor. acidor. paria* viij.
Liquiritiæ rasæ ℥ij.
b *Decoq. ex aq. comm. & vini albi part. æq. ad lib. j. ſ.*
Et colentur pro Apozemate, de quo bibat æger uncias quatuor, mane jejunus.

a Cort. rad. apii.) *Add. cort. rad. capp. tamarisc. tantundem; Lign. junip.* ℥iij. *herb. sabin. M.ß. heder. terr. p.iij. rad. fœnic. petros. ana* ℥iß. *Ciner. herbæ alicujus alcalicor.* ℥ij. *allii* ℥ß.
b Decoq.) *Præferremus nos infusionem in vin. generos. antiq. Rhen. & spir. junip. ana p. æq. s. nam decocta majori quantitate cùm debeant assumi, & aquam sanguini uberiorem communicent, non adeò convenire videntur. Huc pertinent tincturæ metall. antim. mart. vol., succin., salis tart. quinta essentia ex fimis quorundam animalium, spiritus C. C. juniperinus, tartarum tartarizatum, crystalli lunæ, tinct. lunæ, s. potiùs Veneris, sal. vol. tart., C. C., urinæ, pulv. bufon. & millep. &c. confer* misc. cur. ann. 6. *de vino martiali antihydropico Cnæffelii:* Act. Hafn. vol. v. obs. 119. Barth. centur. l. hist. 74. Forest. l. 19. obs. 27.

Ubi aliquoties *a* purgatus fuerit, utatur his tabellis corroborantibus & intemperiem viscerum corrigentibus.

℞. *Spec.*

℞. *Spec. El. aromatici rosati,*
Diarhodon. abbatis, diamargar. frig. an. ℥ß.

a Purgatus.) *Vomitoria sunt maximè suspecta, ut & acriora purgantia, majori dosi propinata: fortuiti enim sunt successus illi felices* Celsi, & Foresti.

a *Rasuræ eboris, cornu cervi, an.* ℥j.
Ol. cinnamomi, caryophyl. an. ℈ß.
Sacchari albi dissoluti in aq. rosʃ. ℥iij.
F. Tabellæ ʒiij. pondere; capiat unam hora ante prandium, & cœnam.

a Rasuræ eboris.) *Parum aut nihil hæc efficient, præstaret* cornu cervi *Philosophicè* præparatum, *cum* salis sudorifici ʒß. ol. cinnamomi gutt. v. aut vj. *in haustu vini albi calidi:*
Pro digestivo spiritus tartari usurpetur. Salia essentialia absynth. & card. &c. egregiè penetrant.

a Ventriculus & præcordia hoc foveantur linimento:
℞. *Ol. nucis moschatæ, menthæ, absynthii,*
Amygdal. amarar. an. ℥ß. *ol. caryophyll.* ℈j.
Ceræ parum. F. Linimentum, quo regio ventriculi mane & vesperi illinatur, & superponatur scutum ex bombace.

a Ventriculus & præcordia.) *Nihil efficiet linimentum, tum propter crassitiem quorundam oleorum & ceram, tùm quia totum corpus inungi non sine magna difficultate poterit.*

Alvus si postea substiterit, *a* moveatur subinde his pilulis:
℞. *Aloës rosatæ,*
Spec. hieræ simpl.
Rhabarb. agarici trochis. an. ℥j.
Cum syr. de absynthio q. s. F. Massa, de qua capiat ℈j. horâ unâ ante cœnam.

a Moveatur subinde his pilulis.) *Potius quarto aut quinto quovis die detur constans aliquod sudoriferum, vel diureticum ex salibus & mineralibus.*
Clysteres conducunt ex diureticis & purgantibus conflati, utut enim videntur aquas, ex remotioribus corporis partibus haud evacuare posse, non attendentibus, attamen & ratio & experientia eorum usum hic commendant.
Pilulas hic etiam laudamus ex gummi ammoniaco, & mercurio dulci sæpe usurpandas.

Cibus sit euchymus, ex pane triticeo, bene fermentato, carnibus gallinaceis, vervecinis, perdicibus, *a* ovis sorbilibus; aromatibus moderatè conditus. *Abstineat* à multis jurulentis & sorbitionibus, *b multo potu*; *qui* sit cerevisia & vinum album, mediocrium virium. Bis terve in die alatur quantitate cibi, quam facile conficere potest. Versetur in *aëre* mediocriter calido. Moderatè ambulando *se exerceat*. *c* Bene *dormiat*; & *tristitiam* fugiat.

a Ovis sorbilibus.) *Notetur hic monitum illud* Hippocratis, *quod corpora impura non multùm sint nutrienda.*

b Multo potu.) *Quò plus bibuntur, plus sitiuntur aquae.*

c Benè dormiat.) *Somnus largus nocet.*

XVIII.

MEDICATIO VIRI, a HYDROPE ASCITE LABORANTIS.

b VIr triginta quinque annorum, c febri tertiana intermittente duplici aliquamdiu afflictus; & postea, d ex mala victus ratione, in continuam; ac inde iterum in tertianam duplicem prolapsus; eâque per integrum mensem fatigatus; dum nullis aut paucissimis remediis uteretur, e ac multum potum ingurgitaret; f paulatim, jam g à duobus mensibus, incidit in insignem abdominis, scroti, & crurum tumorem: cui nunc adest respirandi difficultas, virium debilitas, faciei ac totius corporis pallor; h sitis perpetua, appetitus prostratus; & imi ventris, ubi æger se in lecto de latere in latus circumvolvit, i fluctuatio. k Urina est pauca, aquosa, & sedimento carens.

a Hydrope.) *Vox est generalis, significans seri s. lymphæ præternaturalem, in quacunque demum corporis parte, collectionem: in specie autem pro varietate partis affectæ varia nactus est nomina: ita datur hydrocephalus internus & externus, hydrosternites (ut ait Pechlinus) alterius imitatione vocandus pectoris, pericardii, mediastini, abdominis, scroti, uteri, tubarum Fallopianarum & ovariorum, pedum, totius corporis habitus, &c. Dividitur præterea hydrops in humidum & siccum: quem* Hippocrates Sect. 4. Aphor. xj. *vocat* ὕδρωπα ξηρὸν, *hic significat partium diversarum à flatibus extraordinariam expansionem; undè resultant tympanites, pneumatocele, &c.*

b Vir.) *Embryonis hydropici historiam vide sis* misc. cur. ann. j. obs. 52. *Fœtum abortivum hydropicum vid. in* misc. cur. dec. ij. ann. iij. obs. 153.

c Febri tertiana.) *Simile quid vid. apud* Horst. lib. iv. obs. 28. *Ex quartana, vid.* Lang. lib. 2. Epist. 48. *Plures autem causæ, loco tradentur inferiore circa causam procatarcticam.*

d Ex mala victus ratione.) *Forsan nimis fuit usus julapiis refrigerantibus contrà sitim & ardorem febrilem, unde obstructiones pertinaces resultant.*

e Ac multum potum.) *Sine dubio gelidum, aut saltem magnopere refrigerantem.*

f Paulatim.) *Exemplum vidimus in virgine tumoris ascitici intra 24. horas ita increscentis, ut paulo post diem suum obierit.*

g Duobus mensibus.) *Hæc faciunt ad prognosin meliorem.*

h Sitis perpetua.) *Contrarium extat exemplum apud* Schenk. lib. iij. obs. p. 436.

i Fluctuatio.) *Hæc difficillimè aut*

non

non percipietur, si serum contineatur hydatidibus, sive vesiculis aquosis: quarum exempla vid. apud Frideric. Ruysch. in obs. anat. chirurg. xxvij. & xLvj. Tulp. lib. ij. obs. 34. *Confer* misc. cur. dec. 2. ann. 6. *item* Anton. Nuck adenograph. curios. cap. 6. *de hydatidibus renum, nec dubitandum est in plerisque corporis partibus glandulosis simile quid & evenisse & evenire posse; ita hydropem peritonaei, vid. apud* Tulp. lib. iv. obs. 43. *cornuum uteri apud* eundem l. c. obs. 44. *confer* lib. 3. obs. 32. *thoracis*, lib. ij. obs. 16. *Hydropem ovarii muliebris vid. apud* Fr. Ruysch. obs. chir. anat. xvij. A. Nuck adenog. cur. cap. 7. & seqq. *Aquas intra duplicaturam peritonaei collectas, vid. apud* Job. à Mekeren obs. chir. med. 49. Blas. obs. xviij. &c. *In tympanitide nulla etiam percipitur fluctuatio (nisi fortè ascites ipsi conjungatur) sed tumens abdomen si pulsetur, sonum edit, ferè instar tympani; totus corporis habitus leucophlegmaticus non est, uti plerumque in ascite.*

k Urina aquosa.) *Quae ad ignem posita abit in coagulum, aliquandò tamen talis urina est crassa & quasi gelatinosa quae valdè mala.*

Afficiuntur in hoc ægro *crura*, *scrotum*, & imprimis *imus venter*: idque secundum illam cavitatem, quæ est intra peritonæum *a* & intestina; quod constat ex eorum tumore, & fluctuatione in abdomine percepta. Læditur quoque b *jecur*, *cum liene & vasis gastricis*, *meseraicis*, c *aliisque chylosi & chymosi inservientibus*; quod indicat totius corporis, & præsertim faciei, pallor, item ventris & crurum, ab aquis in iis collectis, tumor.

a Et intestina.) *Id est, inter membranas intestinorum, nam si intra intestina essent aquae, prompte excernerentur.*

b Jecur.) *Haec viscera aliquandò in ascite afficiuntur omnia, aliquando eorum saltem nonnulla: Vid.* Hippocr. Sect. vj. Aphor. 12. & 43. Sect. vij. Aphor. 55. *Confer* Fred. Ruysch. obs. anat. chir. 86. & 87. Schenk. obs. 121. Blas. obs. 19.

c Aliisque chylosi, &c.) *Hydrops ascites oriri potest à ruptione vasorum lacteorum & lymphaticorum mesenterii, &c.*

Morbus qui ipsum affligit, *a* est intemperies sanguinis, & multorum imi ventris viscerum, serosa, quæ multam aquam in abdomen, scrotum, & crura, effundens, illaque in tumorem attollens, *Hydrops ascites* dicitur.

a Est intemperies sanguinis serosa.) *Est intemperies sanguinis humorumque crassa, viscosa, multas canalium in partibus solidis, & praesertim visceribus abdominis, obstructiones, serique in cavitatibus vicinis collectiones pariens. Ascitem cum tympanitide conjunctum vid. apud* Horst. obs. anat. x. Plater. obs. lib. 3. p. 653. *Ascites cum ictero & comate lethalis, vid.* in misc. cur. decur. 2. ann. 3. obs. 109. *aliquando simul afficiuntur mesenterii glandulae tumoribus scyrrhosis, unde etiam ortam passionem hystericam, vid.* in misc. cur. anni j. obs. 32.

a *Causae procatarcticae* hujus morbi sunt febres illæ, quibus æger tamdiu fuit afflictus. Hinc enim calor nativus in partibus chylosi & chymosi inservientibus, primò quidem fuit plus justo intensus; sed postea per dissipationem spirituum & pororum apertionem imminutus; qui deinde serosos & crassos humores, ex copioso illo potu & aliis assumptis alimentis, in vasis, & obstructiones in quibusdam partibus, pariens, *b* *antecedentem* huic morbo præbuit causam.

Pars verò serosæ istius materiæ ex vasis & visceribus, propter malam cum reliquo sanguine, à debilitato calore, commixtionem, in cavitatem abdominis, *c* per evaporationem, & forsan etiam per diapedesin, sese effundens, & liquorem, tum propter loci angustiam, tum ob minorem interioris superficiei ventris calorem, coïens; & forsan etiam, *d* per ductus aquosos hepatis ruptos, in cavitatem abdominis effluens; ac inde in scrotum & crura delabens, partesque illas suâ copiâ extendens & in tumorem attollens, *continens* hujus morbi & symptomatum evadit causa.

a Causæ procatarcticæ.) *Confer* medic. xv. xvj. & xvij. *Maximè autem excubiæ sub Jove frigido & pluvioso, hæmorrhagiæ vel alii fluxus frequentes, legumina, pisces, pinguia, julapia acida, lac ebutyratum frigidum, austera & similia, hydropum causæ fortuitæ procatarcticæ esse possunt.*

b Antecedentem.) *Potius obstructiones multarum venarum circa viscera abdominis, ruptionesque vasorum lymphaticorum in iisdem partibus, continentem & proximam constituunt causam: hùc etiam pertinere potest receptaculi communis vel ductus thoracici ruptio.*

c Per evaporationem, & forsan etiam diapedesin.) *Hæc si vera esset hydropis causa, nihil obstaret, quò minus omnia corpora viventium animalium essent semper hydropica, siquidem transitu humorum ab uno poro ad alium, & tubulo ad tubulum, pervio, & evaporatio & diapedesis locum habent.*

d Per ductus aquosos hepatis ruptos.) *Confer* Hemsterhus. mess. aur. anat. & A. Nuck. l.c.

Dum enim aqua illa, *a* cum sanguine reliquo mixta, ad corpus recte nutriendum & calefaciendum est ineptior; *hinc oritur totius corporis debilitas ac pallor*. *b* In abdomen vero diffusa, & ob circumvolutionem ægri, ab uno latere in alterum, inter intestina, magno impetu ruens, *fluctuationis excitat perceptionem*. Et, copiâ suâ abdominis cavitatem replens, impedit justam diaphragmatis, in inspiratione necessariam depressionem; eoque *respirandi inducit difficultatem*. *c* Secundum exteriorem verò vasorum, *in scrotum & crura* ex abdomine desinentium, superficiem, in illas partes copiosè *descendens, magnum earum facit tumorem*.

a Cum sanguine reliquo mixta.) *Semper debet aqua (s. lympha) cum sanguine esse permixta, verùm in partibus stabilibus non remorari & stagnare: id quod fit si causæ dentur allatæ.*

b In abdomen effusa.) *Ratio cur aquæ nonnunquam colligantur intra peritonæi duplicaturam, &c. Vid.* laudat. A. Nuck, locis jam citatis. *Vix enim ulla corporis pars solida datur, glandularum vasculorumque lymphaticorum expers.*

c Secundùm exteriorem, &c.) *Partim sunt duo effectus (ascites & hydrocele) ab una eademque causa universali, partim aquæ descendere possunt ex abdomine in scrotum, dilatatione.*

Et quoniam serum maxima ex parte, jam dicta ratione, ex vasis abdominis in cavitatem imi ventris exhalat, & per eorum *a* poros nimis apertos forsan etiam transudat; serumque, quod paucum in vasis remanet, ob debilitatem caloris est crudum: hinc *parum seri* ad renes defertur, *urinaque pauca & cruda*, cum nullo sedimento, *excernitur*. Quò etiam multum facit pororum renum obstructio, & intemperies sanguinis frigidior, qua serum ineptius evadit, quam ut *b* vi renum obstructorum à reliquo sanguine separetur.

a Poros nimis apertos.) *Dic potius per lymphaticorum vulnera lympham extravasari, nam nulla ratio suadet, poros nimis apertos fuisse, sed sudorum absentia, & anasarca potius arguunt pororum & tubulorum obstructiones.*

b Vi renum.) *Hi serum, urinosum transmittunt solummodo convenientiâ pororum, atque tubulorum diversæ diametri respondente partibus ejusdem seri integrantibus, contractione musculorum cordis & arteriarum illàc propulsis.*

Eadem aqua secundum partes insipidas, *a* magnam partem per insensibilem transpirationem dissipata, & secundum salsas, quæ difficilius, ob rigiditatem & crassitiem suam, per poros abdominis dissipari possunt, in ventre retenta, b *majorem in dies salsedinem acquirit. Eaque*, superiori ventriculi parte sese perpetuò insinuans, *sitim parit perpetuam. c* In ventriculum verò defluens & succum acrem, famis irritamentum, aquositate & salsedine ibi temperans, *prosternit penitus ægri appetitum.*

a Magnam partem dissipati.) *Repugnat illa transpiratio, naturæ morbi, eo enim in casu hydrops nunquam oritur, cujus veritatis indicium est, quod difficillime aut nunquam ad sudores hydropici deducantur.*

b Majorem indies salsedinem acquirit, eaque, &c.) *Sine dubio quidem, serum non solùm est salsum, dùm in cavitatem abdominis deponitur, verùm etiam acrius stagnando, evadit, sed quid quæso, potest hæc seri abdominis salsedo ad sitis perceptionem facere? multò facilius sitis causa intelligitur ex paucitate aquæ in sanguine, & consequenter laticis salivalis in ore, undè hoc exsiccatur & arescit, salibusque rigidioribus abundantibus vellicatur.*

c In ventriculum defluens.) *Sed si ille succus penetret in ventriculum, quidni & in intestina & vesicam, ut cum maximo ægri levamine, excernatur?*

Dico serum, propter debilem viscerum, vasorum & sanguinis, calorem nativum, *non satis bene cum reliquo sanguine mistum*, atque ideo facile ab eo separabile, *per exhalationem potissimum, ex visceribus* & eorum vasis *a cavitatem abdominis ingredi, ibique in liquorem*, propter causas jam dictas, *coagulari*: quia hic ejus ingressus est facillimus, utpote qui majores pororum apertiones, quales in diapedesi & diæresi requiruntur, non desideret; nec per anastomôsin, cum venarum & arteriarum extrema per universum corpus, sint continua, fieri queat.

a Cavitatem abdominis ingredi.) *Verisimile est, quod in omni circumferentia abdominis concava, existant glandulæ, vasis excretoriis instructæ, quæ obstructis venis multis in vicinia, serum copiosius in cavitatem abdominis deponunt.*

Neque seri in abdomine collecti salsedo his quicquam adversatur; cum particulæ seri salsæ, quæ, hîc nullam sublimem difficilemque evectionem, sed lateralem facilemque tantum è vasorum & viscerum poris in abdomen ingressum, ibique cum partibus aquosis mixtionem, imo sæpissimè descensum solummodo postulent, facile à vaporibus aquosis, per tenues viscerum & vasorum *a* tunicas, hic sæpe nimium dilatatas, in abdominis crassis partibus vestiti cavitatem, saltem sensim propelli, ibiq; facile ob abdominis partium crassitiem retineri, & ita magnâ copiâ colligi in eâ queant. Et certè, cum salsæ seri partes ex abdomine *b* in crassum & densum œsophagum impellantur, ibique sitim, ut diximus, faciant;

ciant; nullam causam video, cur non eædem, per tenues & raras vasorum & viscerum tunicas, in abdomen satis copiosè impelli possint.

a Tunicas dilatatas.) *Hoc nullâ ratione constat.*

b In crassum & densum œsophagum.) *Atqui si (ut supra quoque dictum) per poros crassi & densi œsophagi, particulæ illæ penetrare possint, cur æqualem vim non habent penetrandi in vasa sanguifera, in intestina & vesicam cum sufficiente aquarum evacuatione.*

Morbus hic valde est *a* periculosus, cum aliis morbis supervenerit; & chymosis hic sit læsa; ac aqua per pharmaca *b* difficulter; *c* per paracenthesin verò periculosissimè educi; intemperiesque viscerum vasorum & sanguinis difficillimè corrigi; pororumque apertio nimia difficulter claudi, ac proinde aquarum in abdomine collectio summâ difficultate impediri possit. Quia tamen morbus est recens, *d* & æger juvenis, de recuperatione sanitatis planè desperandum non censeo.

a Periculosus.) *Incipiens hydrops difficulter, confirmatus difficillimè curatur, obstructionibus enim solvendis, cùm adhibenda sint medicamenta impetum facientia, rumpuntur facilius vasa lymphatica; horum autem rupturæ consolidandæ, cùm conducant emollientia atque adstringentia, obstructiones multiplicantur; convulsiones accedentes sunt lethales; critica aquarum evacuatio salutaris est, vid.* Hipp. lib. de judicat. sect. xj. num. 20. Schenck. obs. 140. & 143. & seqq.

b Difficulter educi.) *Præsertim si aqua contineatur in hydatidibus, seu numerosis vesiculis: aut ovariis eorumve tubis.*

c Per paracenthesin.) *Ipsa paracenthesis frustranea est, nisi obstructiones tollantur, & lymphaticorum vulnera potissimum curentur, quod bene etiam annotavit* Helmontius.

d Et æger juvenis.) *Curationem hydropis post annum 60. vide apud* Bartholinum in actis medicis, & philosophicis part. I. obs. 75.

Huc spectant seq. Hippocratis Aphorismi.

Sect. iij. Aphorism. 22. Autumno vero etiam & multi ex æstivis, & quartanæ febres, atque erraticæ, lienes, hydropes, tabes, urinæ stillicidia, intestinorum lævitates, & difficultates, coxendicum dolores, anginæ, &c. *Ob dissipatos nempe in æstate spiritus, id quod crassum est, remanet, & obstructiones varias producere potest.*

Sect. vj. Aphor. 8. Hydropicis, orta in corpore ulcera, non facile sanantur. *Ratio est petenda ab universali sanguinis acrimonia.*

Sic si tussis suboriatur malum est, quia indicat serum in abdomine contentum acescere: Et concussio ista debet vasa lymphatica magis adhuc rumpere.

a *Curatio* primo quoque tempore est auspicanda. *Eaque* consistet in causæ continentis & antecedentis ablatione, & intemperiei ac obstructionum, & pororum nimiæ apertionis per contraria correctione.

a Curatio.) *Nota* primo, *specierum omnium hydropis eandem circiter esse curationem, nisi quod in tympanitide purgationes raro prosint, dummodo simplex fuerit, non præsente ascite:* Hartm. Prax. pag. 237. *Sed potius ad sudorifera ibi confugiendum est.*

Nota secundo, *quod non à diureticis, sed aperientibus & laxantibus curatio incipienda sit, secùs crassior colluvies ad renes confertim coacta, difficultatem summam pareret.*

Nota tertio, purgantia omnia debere esse valde lenia, alias enim æger ad breve tempus levamen quidem sentiret, sed posteà certò moreretur. Idem ibidem pag. 344.

a Itaque æger alternis diebus una hujus pulveris dosi subinde purgetur:

℞. *Senæ mund., turbith gummosi, hermodactylor.*
Sem. ebuli, Jalappæ, mechoacannæ an. ℨij.
Gutt. gamb. ℨß.
Spec. diambræ, diarhod. abbat.,
Sem. fœniculi ana ℈j.
Sacchari candi ℨij.
F. Pulvis, cujus drachma una, vel duæ infundantur per noctem in vini Rhenani unciis tribus, sumatque mane vinum & pulverem.

a Itaque æger subinde purgetur.) *Specifica purgantia, contra hydropem dicuntur gutta gamba, jalappa, cort. median. sambuci, & rad. ebuli.*

Alii extractum elaterii commendant cum spiritu vini factum à gr. j. ad iij. *aut accipe*

Rad. jalappæ gr. xvj. *aut*
Resinæ ejusdem gr. v.
Magist. guttæ gamb. gr. j. *ad* iv.
Trochisci alhand. gr. j. *aut* ij.
M. f. Pulvis, non nisi intercedente usu apozematis usurpandus, interjectis inter purgationes singulas semper 5. 6. aut 8. diebus.

Ubi bis terve purgatus fuerit, a perveniendum ad diuretica; quæ serum cum sanguine exquisitius miscebunt, & evacuationi per renes felicius instituendæ, adaptabunt; obstructiones tollent, ac viscerum intemperiem corrigent; quale ex. gr. hoc est:

℞. *Rad. apii, petroselini, enulæ camp. an.* ℥j.
Cortic. mediani fraxini, tamarisci. an. ℥ß.
Rad. asari ℨiij.
Fol. agrimoniæ, ceterach, capillor. vener.,
Cichorii, chamædryos, centaurei min.,
Absynthii vulgar. & romani an. m. j.
Sem. anisi, petroselini, dauci an. ℨij.
Flor. genistæ, sambuci an. p. j. tamarindor. ℥ij.
Coquantur in aq. communi ad quartaria quinque.
In colatura dissolve syr. de limonib. ℥iij.
M. F. Apozema, pro quatuor dosibus matutinis: addendo unicuique dosi salis juniperini, stipitum fabarum, & genistæ ana ℈j. spiritus salis ℈ß. vel ℈j.

a Perveniendum ad diuretica.) *Specifica hic diuretica sunt cineres alcalici & fimi animalium, in liquore conveniente extracti.*

Purgantia in hydrope sæpiùs nocere, quàm prodesse, vid. in misc. cur. ann. 9. obs. 18. in Schol.

Quidam pro secreto habuit:
Succi rad. plantag. cochl. ij.
Aceti destill. cochl. j.
M. F. H. Nos autem tali remedio adderemus sal quoddam enixum, sive essentiale, ex herbis diureticis vel fimis animalium conflatum, cum oleo aliquo diuretico.

Hic quoque conveniunt pilulæ de gummatibus addito mercurio dulci.

Hartmannus commendat urinam pueri sani: & remedium est satis bonum, quia sal urinæ jam poros corporis pertransit,

transiit, adeoque magis accommodatum est ad poros atque canales in hydropico penetrandum. Egregiæ utilitatis est pulvis, ut & cinis bufonum philosophicè præparatus.

Consumpto hoc apozemate, idem vel simile sæpius reiteretur. Pro potu ordinario utatur *a* vino albo, ex infusione chalybis parato; cum ptisana, ex decocto agrimoniæ, ceterach, capill. veneris, & corticum median. tamarisci, composita. Ad sitim extinguendam in ptisanæ ordinariæ sive cerevisiæ lib. iij. dissolvantur *b* salis petræ, optimè purificati unc. ſ.; eâque utatur pro potu ordinario, cum vino chalybeato.

Verùm bibat quam parcissimè; & sitim toleret, quantum potest.

a Vino albo, ex infusione, &c.) *Præstat omnia medicamenta sub forma sicca, vel ad minimùm exiguâ quantitate in forma fluida propinare, nè serum in abdominis cavitate copiosius colligatur. Hydropem curatum à comestis verno tempore germinibus rusci vid. apud* Rhod. cent. 3. obs. xj. *confer* Riv. cent. 3. obs. 52. misc. cur. dec. 2. ann. 3. obs. 65., dec. j. ann. 9. & 10. obs. 18., ann. 3. obs. 110.

b Salis petræ, &c.) *Caute hoc usurpetur.*

In censu diureticorum numerantur etiam aquæ Spadanæ, aliæque minerales acidulæ & vitriolatæ; utpote quæ viscera potenter deobstruant, poros nimis apertos claudant, aquas per urinas evacuent, & viscerum vasorumque intemperiem emendent. Atque hinc quotannis multi hydropici, *a* usu aquarum Spadanarum similiumque percurantur.

a Usu aquarum Spadanarum.) *Vide* Henricum ab Heers in sua Spadacrene: *casus revera est dubius: non enim omnes ferent potum copiosum gelidarum istarum aquarum.*

Hæ igitur etiam, sed magnâ copiâ, usurpari poterunt, si facilè & copiosè cum urinis transeant: alioqui erunt prætermittendæ; quippe tum inutiles & noxiæ futuræ.

Confugiendum etiam ad ea, quæ *a* foris adhibita serum discutiant: ut ad lotiones, per aquas salsas & sulphureas, vel cataplasma, ex rad. cucumeris asinini, bryoniæ, rutâ, fimo caprino, columbino, vaccino, farinâ lupinorum, sulphure & similibus: ut

℞. *Fimi bovini siccati lib.* j.
Sulphuris vivi, sem. cumini pulv. an. drach. ij.
Urinæ pueri q. s. *b F. Cataplasma*, tumidis cruribus & scroto adhibendum.

a Quæ foris adhibita.) *Cruribus etiam & suris fasciæ leniter obvolvantur, & fasciis aspergatur aq. sambuc. cum pauxillo aq. theriac. camph.*

Clysteres acres & spirituosi etiam conducunt, quatenus poros intestinorum aperiunt, & ita aquas educunt.

b F. Cataplasma.) *Illinatur etiam abdomen penetranti aliquo linimento.*

℞. Unguenti de arthanita majore unc. ij.
Theriac. veter. drach. ij.
Ol. tanac. chamom. destill. ana gutt. xij.
Fellis bubuli q. s. ad consistentiam.
M. f. linimentum.

Si his vel similibus remediis morbus non cedat, cogitandum erit de evacuatio-

ne

ne aquarum, *a* per paracenthesin abdominis, infra umbilicum, vel ad latus, cute prius deorsum vel ad latus tractâ, vel per puncturam scroti, vel levem scarificationem surarum, vel vesicatoria talis adhibita, instituenda, sed cum magni periculi præmonitione.

a Per paracenthesin.) *Hæc temerè non est in confirmato hydrope instituenda, utpote quæ ferè semper lethum infert, rara enim valdè sunt exempla successus boni, qualia apud* Costerum in tab. med. p. 245. *item* Franc. Joël lib. v. prax. cap. x. *Rectè ergò* Hippoc. popular. lib. vj. Sect. vij. *innuit,* quod hydropicos statim (*id est in principio, constantibus viribus ægri, nec non ubi ascites subitò ortus fuerit*) secare oporteat: *confer* A. Nuck experimenta chirurgica cap. xxxij. *item* Barthol. act. Hafn. vol. j. obs. viij. *nec non Cornel.* Solingen Manual. operat. part. iij. cap. j.

b Sed cum magni periculi.) *Quia omnibus his vulneribus facillime accidit gangræna.*

Verùm tutissima paracenthesis est *a* Sanctoriana, à Sanctorio Professore Patavino, circa annum hujus seculi vigesimum, inventa, quæ per acum in tubulum, tres vel quatuor digitos longum, formatam ac tenuioris calami anserini crassitiem, & supra cuspidis extremitatem foramen oblongum habentem, instituitur. Hac acu sive tubulo acuminato, pertunditur ascitici sedentis abdomen, infra umbilicum, in dextro vel sinistro musculo recto, usque in ventris cavitatem, educiturque aquæ, prima vice, *b* una vel altera libra. Post biduum, vel triduum educitur similiter unius; vel alterius libræ aquarum quantitas, per idem vel aliud recens factum foramen; Talisque aquarum eductio reiteratur, quoties morbus & ægri vires hoc permittunt. Post acum singulis vicibus eductam, imponitur foramini plumaceolum ex linteo carpto, illudque imposito emplastro aliquo glutinoso ventri agglutinatur. Nec ulla aqua deinde ex abdomine, invito chirurgo, effluit. Nam educto, ex foraminulo abdominis, tubulo, mox partes cutis, musculorum, & peritonæi, quæ perforatione istius acus fuerunt distentæ, sponte ad priorem viciniam, quantum possunt, resiliunt, atque ita foraminulum, ad aquarum effluxum impediendum, sufficienter claudunt. Simili modo pertunditur hic etiam scrotum.

a Sanctoriana.) *Vid.* Paul. Barbette chirurg. cap. xiv. *Acum autem nonnulli eligunt argenteam, alii chalybeam vel plumbeam, præstat autem chalybea, quatenus mucro eius commodius ad figuram trigonalem cæsim acui poterit, ita ut facilius, tutius & celerius abdomen pertundi poterit: nec adeò facile accidit inflammatio ac gangræna puncturæ, quàm si adhibeatur argentea, nondum à Venere purificata. Veruntamen & huic methodo id evenit incommodi, quod, evacuato (pro re nata) sero, acus debeat extrahi, & vulnusculum cum filis carptis, item emplastro, panno comprimente ac vinculo deligandum sit, nè aquæ sponte effluant & ægrum in vitæ periculum conjiciant, & tunc non rarò contingit, quod vulnusculum obturetur, ita ut novâ compunctione abdomen veniat aperiendum: quapropter Galli aliud instrumentum, (quod vocant,* un trocart) *excogitarunt, ut huic incommodo occurrerent: nempe, sumunt acum sulcatam, mucrone trigonali cœsim acuatam, qua abdomen pertundunt, ita ut aquæ per sulcum mox effluant, tunc stylum argenteum per sulcum acus in vulnus immittunt, acumque retrahunt, postea aliam cannulam argenteam aliquomodo incurvatam super stylum (retrahendum) immittunt, ritèque observant, ut cannulæ diameter, acus diametro optimè respondeat: ad utrumque istius cannulæ latus, duæ sunt formatæ*

matæ alæ, aliquomodò ad figuram abdominis inflexæ, foramine instructæ, per quod lemniscum s. fasciam trajiciunt, quo cannula ad abdomen devincitur: evacuatis (pro re nata) aquis, operculo spiratim striato cannulam claudunt, ita ut nè gutta quidem seri citra voluntatem effluere valeat.

b Una vel altera libra.) *Vid.* Hipp. Sect. vj. Aph. 27.

Toto autem curationis decursu, *a* roborantia nunquam omittenda. Quia frustra aquas educimus, nisi novam earum generationem, per ea quæ viscera reficiunt, & ad pristinam temperiem revocant, inhibeamus.

a Roborantia.) *Id est, deobstruentia temperata, & cardiaca. Contra sitim conducit spir. sal. dulc. in conveniente vehiculo sumptus ad gutt. vj. vel viij. Hartmannus commendat sal absynth. à gr. iij. ad viij. in cochleari uno vel altero vini granatorum usurpandum.*

Inter præcipua roborantia recensenda est aqua cinnamomi: cujus cochlear unum mane, vel ante cœnam exhiberi poterit. Vel usurpetur electuarium diarhodon abbatis, vel de passulis, dimidiæ unciæ quantitate, mane exhibendum; cujus descriptio talis est.

℞. *Passular. corinth. mund. lib. ß. Coquantur in vino generoso ad pultis consistentiam, contusas trajice per setaceum, & admisce conservæ anthos, cort. citri conditi, cinnamomi acerrimi ana ℥j. pulv. aromatici rosati, diamargariti calid., diacinnamomi an. ℥ß. croci ℈ß.* M. F. Electuarium molle.

In *victus ratione*, Aër sit modicè calidus, & siccus. *Cibus* ex carnibus gallinaceis & vervecinis, ex ovis sorbilibus, & vesperi potius assus, quam elixus, ac cinnamomo & caryophyllis conditus. *a Potus*, præter jam præscriptum, sit vinum tenue, parcissimè sumptum. *Exercitium* moderatum fiat ambulatione, navigatione, frictione. *Somnus* sit moderatus. *Alvi* excrementa respondeant quotidie alimentis assumptis. *Venus & tristitia* fugiantur.

a Potus.) Rulandus cent. 1. curat. 76. *commendat serum lactis, in quo cocta sunt grana juniperi, aut vinum absynthites & chalybeatum, vel juniperinum decoctum, sed abstineat à liquidis, quantum possibile, saltim in majore copia.*

XIX.

MEDICATIO VIRI, INFLAMMATIONE LIENIS LABORANTIS.

VIr 35. annorum, temperamento biliosus, post calidiorum alimentorum usum, & vehementiora corporis exercitia, jam à biduo sentit gravitatem *a* & dolorem tensivum in hypochondrio *b* sinistro; quod ubi manu premitur,

tur, *c* pulsationis sensum exhibet. Adest febris continua, magna sitis, *d* respirandi difficultas, vigilia, *e* & oris amaritudo.

a Et dolorem tensivum.) *Lien quidem multorum possidet nervorum plexum, sed tamen non est acuti sensus, quia minus sunt tensi.*
b Sinistro.) *Ita distinguitur ab inflammatione hepatis.*
c Pulsationis sensum exhibet.) *Exemplum memorabile verberantis lienis vid. apud* Tulp. lib. ij. obs. 28.
d Respirandi difficultas.) *Etiam est respirandi metus, ob doloris exacerbationem ex contractione & descensu diaphragmatis.*
e Et oris amaritudo.) *Hæc non est de affectionis hujus essentia.*

Afficitur in hoc ægro *lien*, quod ex dolore tensivo, & gravitate, & pulsatione, in hypochondrio sinistro perceptis; item, ex reliquis in historia enarratis symptomatis, est manifestum. Afficitur etiam *cor*, quod ex febri continua, & siti; atque etiam *cerebrum*, quod ex vigilia patet.

Morbus, quo hic æger laborat, est intemperies lienis sanguinea, & biliosa: quæ *a* cum tumore conjuncta, *b* *Inflammatio lienis* vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est *c* calidiorum alimentorum, ab ægro nostro diu sumptorum, usus: quo, accedentibus vehementioribus corporis exercitiis, humores *d* sanguinei & biliosi in nostro ægro copiosè geniti *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum *e* in lienis substantiam *f* extra vasa effusa, ibique putrescens, caloremq; præter naturam concipiens, & inde in alias partes translata, *continens* hujus morbi, & symptomatum est causa.

a Cum tumore.) *Hoc non constat ex historia.*
b Inflammatio lienis.) *Quam* Etmullerus in prax. *dicit esse rarissimam: forsan quia textura lienis est spongiosa & laxa, multis magnisque arteriis & nervis instructa, quæ sui obstructionem facile non admittit.*
c Calidiorum alimentorum.) *Id est, acrium, sive salinæ sive acidæ naturæ, respectu corporis nostri fixorum.*
d Sanguinei, &c.) *Hæc sunt nugatoria: ratio hujus inflammationis est quæ cœterarum omnium.*
e In lienis substantiam.) *Inflammatio hæc in membranis potius, quam in cavernulis lienis locum habet.*
f Extra vasa effusa.) *Hoc non est extraordinarium in liene. Confer* Malpigh de structura viscerum.

a Ab humoribus enim istis in lienis substantiam effusis, ibique putrescentibus, & præter naturam incalescentibus, oritur hæc *intemperies biliosa & sanguinea;* item *tumor lienis*: unde partes ejus membranosæ & carnosæ distentæ, & graviores factæ, arteriæque ejus pressæ, *dolorem tensivum, gravitatis & pulsationis sensum, in sinistro hypochondrio*, & propter sympathiam diaphragmatis, *respirandi difficultatem*, exhibent. Dum verò pars istius fervidi sanguinis, à *liene* per ductum splenicum, *b* ad hepar, & inde ad cor, perpetuò adscendit, ibiq; justo majorem & maligniorem incalescentiam concipit, hinc oritur in nostro ægro *febris continua*, quæ suo ardore *magnam sitim, vigilias, & oris amaritudinem* producit.

a Ab humoribus.) *Non humores solùm, sed sanguinem ipsum in lienis substantiam effundi, translatitium est; sed in statu naturali ibidem non stagnant.*
b Ab hepar.) *Nempe non nisi medio venarum portarum.*

Morbus hic, ob febrim continuam symptomaticam valdè est periculosus.

Præterea metus est, ne hic *a* in scyrrhum abeat.

a In scyrrhum.) *Accedente scilicet multâ materiâ terrestri & austerâ.* *Vid.* medic. de inflammat. & scyrrho hepatis.

Diligenti igitur *Curatione* erit impugnandus: *quæ* in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei, tumorisque ablatione consistet.

a Mox itaque vena in brachio sinistro aperiatur, sanguisque educatur ad ℥viij. & malo perseverante, post diem unum atque alterum, venæsectio ibidem poterit reiterari.

a Mox itaque vena.) *Omnia remedia, quæ locis superioribus, contra inflammationes sunt commendata hic quoque prosunt.*

Venæsectione peractâ, hypochondrium sinistrum tali *a* foveatur fomento repellente:

℞. b *Ol. rosar. cydonior. an.* ℥j. *vini austeri lib.* ij. *aceti rosac.* ℥ʃs.
M. F. Fotus, cum laneis pannis eo imbutis tepidè adhibendus.

a Foveatur fomento repellente.) *Adstringentibus istis utendum non est, nisi in principio aut declinatione, aliàs citius inflammatio terminabitur in scyrrhum.*

b Ol. rosarum.) *Loco pinguium & crassiorum, tutius utimur Saturninis ut ung. ex sacch. Saturn. cum ol. rosʃ. & vitellis ovorum, vel solutione ejusdem sacchari in aq. plantag. samb. rosʃ. &c.* Poppius *adhibet theriacam, aut ejus loco rob. sambuci cum sacc. Saturn.*

a Postea humores præparandi & evacuandi sunt talibus remediis.

℞. b *Rad. cichorii, dentis leonis an.* ℥j. *polypod. querc.* ℥ʃ.
Herb. fumar., summit. lupuli, borrag., bugloss., scolopendr. an. m. j. *passul.* ℥ʃ. *hord. m.* j.
Decoq. in aq. decoct. hord. ad lib. j. *Colaturæ adde syr. de cichorio cum rheo* ℥j. ʃ. *ol. vitriol. q. s. ad gratum acorem.*
M. F. Apozema.
De quo sumat æger ℥iij. *pro dosi, quater in die.*

a Postea.) *Id est, inflammatione sedatâ, vel ablatâ: non enim aliàs acriora s. calidiora hujus Apozematis ingredientia conducent.*

b Rad. cichorii.) *Hæ dicuntur potiùs hepaticæ specificæ, quàm Splenicæ, sed tamen non adeò singulari alicui parti conveniunt, ut medelam etiam non afferant aliis: adde quod non exiguus sit lienis & hepatis consensus, aut vile mutuum istorum viscerum commercium: ad quod etiam spectat illud* Hippocratis, *quod inflammationem hepatis in lienem converti melius sit, quam lienis in hepar.*

Post primum apozematis usus diem, *a* purgetur tali medicamento cathartico:

℞. *Diacathol., elect. lenitivi an.* ℥ʃ. *dissol. in aq. decoctionis Hord.* ℥iij. *addendo syr. rosar. solutivi* ℥ʃ.
M. F. Haustus.

a Purgetur.) *Lente scilicet, & cum constantibus viribus. Aliàs Auctoris Haustus magis laxans est, quàm purgans.*

Pur-

Purgatione finitâ, tale cataplasma erit adhibendum hypochondrio sinistro:

℞. Farin. hord., fabar., flor. chamomill., meliloti, summit. absynth. an. m. ſ. succi portulacæ ℥jſ. ol. rosac. q. ſ.
a M. F. Cataplasma.

a M. F. Cataplasma.) *Non sine ratione, multi tunc commendant emplastrum de cicuta.*

Ubi *a* fervor inflammationis nonnihil fuerit remissus, tale cataplasma repellens & resolvens adhibeatur:

℞. Farin. hord., fabar. sem. lini, pulv. florum chamomill., absynth., abrotani an. ℥ſ. coq. in ſ. q. aq. & aceti, addendo Ol. de capparibus ℥ij. M. F. Cataplasma.

a Fervor remissus.) *Atqui ex antedictis, judicatur jam dudùm inflammationem remisisse.*

Tandem in statu *a* & declinatione, solis resolventibns utendum; ut tali decocto:

℞. Cort. rad. fraxini, filicis an. ℥jſ. herb. scolopend., viticis, Intybi, ceterach., schænanthi an. m. j. flor. genistæ, camomill., meliloti, an. m. ſ. Decoq. ex aq. hord. ad lib. j. In Colatura dissolve oxymell. ℥jſ. F. Apozema, de quo sumat ℥iij. bis in die.

a Et declinatione.) *Non eadem est conditio statûs & declinationis.*

Si forsan durities aliqua in hypochondrio sentiretur, tali *a* emolliente opus esset Cataplasmate:

℞. Farin. hord., lini, fœnugræci an. ℥j. caricar. aceto maceratar. ℥vj. adipis anserini, ol. liliorum albor., de capparibus an. q. ſ.
F. Cataplasma.

a Emolliente.) *Cautè adhibeantur emollientia, nec sine attenuantibus ulla.*

Si inflammationis suppuratio impediri non potest, ea adjuvanda tali Cataplasmate:

℞. Rad. alth. ℥j. farin. hord., lini, fœnugræc. tritici an. ℥ſ. Ficus Num. iij. *ol. lilior. albor. ℥j. lactis vaccini q. ſ.*
F. Cataplasma.

Vel imponatur emplastrum diachylum.

Suppuratione factâ, ulceris curatio erit instituenda, ut in suppuratione hepatis diximus.

In *victus ratione*, *Aër* sit temperatus. *Cibus* & *Potus* refrigerent. Abstineat in principio à vino, postea utatur diluto, aut potius cerevisia tenuiore.

XX. ME-

XX.

MEDICATIO VIRI, OBSTRUCTIONE LIENIS LABORANTIS.

JUvenis 30. annorum, temperamento *a* melancholicus, crassioribus alimentis diu usus, conqueritur *b* de dolore gravativo & fixo, sinistrum hypochondrium occupante, & per motum corporis vehementiorem, ingravescente. *c* Sine causa tristis est; turbulentaque & tristia habet insomnia; faciei color floridus in lividum est mutatus; corporis gravitas & spirandi difficultas ab ipso percipitur; præsertim post exercitium vehemens: quandoque etiam *d* adest cordis palpitatio.

a Melancholicus.) *Id est, sanguine gaudens crasso, austero, prout suprà ad ravim usque inculcavimus.*

b Dolor gravativus & fixus.) *Distinguitur ita à doloribus colicis, flatulentis, vagisque, uti & à colicis fixis differt dolore suo gravativo.*

c Sine causa tristis est.) *Hoc peculiare est lienosis & hypochondriacis, indubie propter crassiorem sanguinem in tardo motu constitutum, similesque spiritus.*

d Adest cordis palpitatio.) *Conjunguntur rugitus & borborygmi abdominis, præsertim post pastum, aut in motu corporis majore.*

Afficitur in hoc ægro *lien*, *a* quod ex gravativo & fixo hypochondrii sinistri dolore, vehementiore corporis motu ingravescente: item *cerebrum*; quod ex tristitia *b* sine causa ægrum torquente, nec non ex tristibus & turbulentis insomniis: ad hæc *totius corporis musculi & c pulmones*, quod ex corporis gravitate, & spirandi difficultate: & denique ipsum *cor*; quod, ex ejus palpitatione, est manifestum.

a Quod ex gravativo dolore.) *Confer* medic. xiij. hujus libri. *Aliquando conjungitur diabetes, & profluvium urinæ albescentis, præsertim ubi post sufficiens à pastu tempus, chylus distributionem sui molitur.*

b Sine causa.) *Sc. externa manifesta.*

c Pulmones.) *Hoc non constat; potest enim, illis illæsis, respiratio esse difficilis: nempè denegatâ libera diaphragmatis contractione, tam à tumore lienis, quàm à flatibus, spirituumque crassiorum languido influxu.*

Morbus, qui ægrum hunc affligit, est intemperies melancholica lienis; *a* quæ in ejus vasis obstructiones, & ex illis symptomata, jam in historia commemorata, inducens, *b* *Obstructio lienis* vulgò appellatur. Eaque ex symptomatis ejus, mox explicandis, innotescit.

a Quæ in ejus vasis.) *Præsertim capillaribus, tàm sanguiferis, quàm lymphaticis glandulosis & nervosis.*

b Obstructio lienis.) *Hanc aliqui cum Sylvio omninò negant, sed immeritò, non tamen ea tam crebra est, quàm vulgò putatur.*

a Pro-

a *Procatarctica* hujus morbi *causa*, est usus ille crassorum alimentorum diutinus; quo, adjuvante temperamento melancholico, *b* crassi & fæculenti in ejus corpore humores geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum partim ad lienem delata, ibique meatus ipsius angustans *c* temperiemque ejus vitians; partim ad cerebrum, cor, aliasque partes, perveniens, *continens* hujus morbi, & symptomatum jam enarratorum, est causa.

a Procatarctica.) *Vide* Hippocr. Sect. 3. Aphor. 22.

b Crassi & fæculenti.) *Id est, austeri, viscosi, adeoque fixi, sive salini fuerint, sive acidi.*

c Temperiemque ejus vitians.) *Id est, secretionem consuetam lymphæ spirituosæ, ad receptaculum commune devehendæ, prohibens: ex quo fonte, secretionum & distributionum humorum cœterorum, ordo invertitur.*

Dum enim melancholicus ille humor, sua quantitate & copia, lienem distendit & gravat, in eoque fixam sedem habet, isque humor per motum corporis vehementiorem plus solito rarefit, lienemque in sinistro hypochondrio situm fortius expandit, ac diaphragma in respirando premit, hinc ab ægro nostro percipitur *dolor in hypochondrio sinistro gravativus &* a *fixus, ac spirandi difficultas; quæ per vehementiorem motum corporis ingravescunt*. Ille vero in cerebro se cum spiritibus animalibus miscens, melancholico suo temperamento, inducit *sine manifesta causâ tristitiam, & tristia ac turbulenta insomnia*. Et, quia hic *b* humor melancholicus est lividus, hinc eo ad faciem, ubi venulæ sunt copiosiores & cutis pellucidior, delato, *floridus faciei color in lividum mutatur*. Et quoniam idem ille humor, ob crassitiem suam arctat musculorum poros, ineptusque est, qui in copiosos spiritus animales convertatur, hinc ob justæ spirituum animalium copiæ defectum porosque musculorum arctatos, & substantiam eorum gravatam, *sentit noster æger, in corporis motu, & præsertim vehementiore, corporis totius gravitatem, spirandique difficultatem.*

a Fixus.) *Haud rarò cum æstu ferè continuô: aliquando non solùm adsunt frequentes cordis palpitationes, verùm etiam tremores internarum partium, præsertim in latere sinistro locatarum: aliquandò dolores cum tremoribus extenduntur à cervice ad regionem lumborum: adest atrophia, semen frequenter noctu citrà voluntatem rejicitur.*

b Humor melancholicus lividus, &c.) *Livor hic tendit ad fuscum, oriundus ex particulis terrestribus valdè porosis, sed irregularibus, multos radios luminis suffocantibus.*

Et quoniam melancholicus hic, in hoc ægro collectus, humor, partes aliquas acres continet, quæ subinde ad cor delatæ, illud suâ acrimoniâ vellicant, inordinatamque *a* effervescentiam sanguinis in ventriculis cordis efficiunt; hinc fit, ut, spiritibus animalibus ex illa vellicatione in cordis fibras fortiter & inordinatè fluentibus, & ex illa sanguinis inordinata effervescentia, *cor*, subinde *palpitationis molestiam* ægro nostro *exhibeat*.

a Effervescentiam.) *Potiùs irregularem cordis contractionem, tàm propter sanguinem crassum & acrem, fibrillas ejus musculosas & tendinosas vellicantem & nimis expandentem, ita ut liquidum nervosum vehementius & celerius solitô illàc influat, verùm etiam ab aliquali regurgitatione sanguinis, cursum suum naturalem per vasa obstructa continuare nescientis.*

Hic

Hic Morbus a pertinax & diuturnus ſolet eſſe, ob humoris peccantis craſſitiem, b & lienis pororum anguſtiam.

a Pertinax & diuturnus.) *Vid.* Hippocr. Sect. 6. Aphor. 43. & 48. *nec non* Highmori diſquiſit. anatomic. *nec non* de affect. hypoch.

b Et lienis pororum anguſtiam.) *Hæc quidem in ſingulari aliquo homine locum habere poſſet, propter malam aliquam conformationem hæreditariam, verùm aliàs tubuli celluloſi lienis ſunt ſatis laxi & ampli.*

Diligenti itaque *Curatione* hic morbus erit impugnandus: *quæ* in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac obſtructionis, & intemperiei, per contraria, ablatione conſiſtet.

Primò itaque purgetur æger tali purgante medicamento;

℞. *Caſſiæ* ℥ß. *elect. diacathol.* ʒiij.
Aq. decoct. hord. q. ſ. M. F. Hauſtus brevis.

Poſtridie a vena ſecetur, pro ratione virium, ad ℥vj. vel viij. in ſiniſtro cubitu. Poſtea utatur hoc apozemate:

℞. *Rad. cappar.* ℥j. *rad. aperitiv. an.* ℥ß. *polypodii quercini* ℥vj.
Herb. tamariſci, chamædryos, chamæpytios, bugloſſ. capill. vener. an. m. j. ſem. aniſi, fœnic., apii, an. ʒij. *ſem. 4. frigid. major. an.* ʒſ. *flor. geniſtæ, cordialium an. p. j.*
Decoque b *in aq. chalybeata q. ſ. ad* ℔j. *addendo ſub finem decoctionis fol. ſenæ* ʒiſ. *cinnamomi* ʒſ. *Colaturæ adde ſyr. de cichorio* ℥iſ.
M. F. Apozema, pro iv. doſibus matutinis.

a Vena ſecetur.) *Hæc deberet præcedere, ſi ſit neceſſaria, & deinde propinari apozema anti-melancholicum, & denique purgans.*

b In aqua chalybeata.) *Vel part. æqual. vini albi Gallici, & poſt ſuff. infuſionem F. decoctio ad* ℔iij. *in col. diſſolve.*
Oxymell. ſcyll. ℥vj. *aut* ℥j.
Salis mixti ℥ß.

Poſt aliquot dies iterum purgetur tali hauſtu:

℞. *Diacathol.* ℥vj. *confect. hamech.* ʒiij. *ſyr. de cichor. cum Rheo & fol. ſenæ* ℥ſ. *aq. decoct. hord. q. ſ.*
M. F. Hauſtus:

Poſtea reiteretur apozema præcedens.

Interea utatur a his tabulis, lienem roborantibus, & deobſtruentibus:

℞. *Spec. diarrhod, abbatis* ℈ij. *diacappar.* ʒſ. *ſem. urticæ, portulacæ, pulv. rad. filicis an.* ℈j. *chalybis ppt.* ʒſ. *ſacchari diſſoluti in decoct. tamariſci q. ſ.* F. Confectio in tabulis, quarum ʒij. horâ unâ ante paſtum ſunt exhibendæ.

a His tabulis.) *Pro re nata & judicio Medici, uſurpari debent vel ſalina volatilia (ſ. ſpirituoſa ſ. alcalia & terrea,) vel acida volatilia.*

Hypochondrio ſiniſtro adhibeatur mane jejuno ventriculo & veſperi a talis fotus, cum pannis lineis, vel cum ſpongia magna:

℞. *Flor. camomill., meliloti, geniſtæ an. p. j. ſummitat. Anethi, rutæ, an. m. j. ſem. viticis* ℥j. *coq. in æqualibus aq. vini & aceti part. ad lib. j. ſ.* F. Fotus.

a Talis

a Talis fotus.) *Ille haud magis efficax est, quam qui suprà in obstructione & scyrrho hepatis fuit praescriptus, interea est molestum remedii genus; interne usurpentur pil. ex gummatibus cum mercurio dulci, quae etiam antehac fuerunt commendatae.*

Post fomentum regio lienis tali inungatur unguento:

℞. *Ol. de capparibus, lilior. an.℥ß. rutae, amygd. dulc. & amar. an ʒij. gumm. ammoniaci, bdellii aceto dissol. an.ʒij. sem. agni casti, pulv. ceterach, sem. portulacae pulv. an.℈j. croci ℈ß. cerae & aceti parum.* M. F. Unguentum, quo inungatur regio lienis, calide, mane & vesperi mox à fotu.

Post inunctionem imponatur tale Emplastrum, figuram & magnitudinem linguae bovis habens.

℞. *Emplast. de meliloto, diachyli an.℥jß. cortic. cappar., ceterach sicci, & pulv. an.ʒij. sem. viticis, rad. tamarisci an.℥ß. cum ol. lilior. q. s.* F. Emplastrum extendendum super alûta.

Cibi in diaeta sint attenuantes, aperientes, panis bene fermentatus, cappares sint in frequenti usu; cibi condiantur hyssopo, roremarino, sem. foeniculi, anisi, sinap., petroselino, endiviâ, cichoreo. *Potus* sumatur ex poculo facto ex ligno tamarisci: si illud desit, pulvis ligni tamarisci, nodulo, suspendatur in potu.

XXI.

MEDICATIO VIRI, SCYRRHO LIENIS LABORANTIS.

VIr 40. annorum, melancholicus, crassis alimentis & aquae gelidae potu usus, sensit per duos menses, in hypochondrio sinistro, dolorem, *a* cum gravitatis sensu conjunctum. Malo deinde aucto, paulatim ibi obortus est tumor adeo durus, *b* ut tactu facile deprehendatur. *c* Nec crurum ulcera, nec gingivas exesas, nec halitus foetorem habet.

a Cum gravitatis sensu.) *Ubi subest aliquid cancrosi, dolores sunt per intervalla pungentes, quos Belgae vocare solent* stekende scheuten.

b Ut tactu deprehendatur.) *Hoc ipso satis à scyrrho pancreatis distinguitur.*

c Nec crurum ulcera, nec gingivas exesas, &c.) *Hisce probat, sanguini nullam notabilem s. corrosivam acredinem adesse, qualis solet non raro in scorbuto haberi: hoc tamen est quid fortuitum.*

Afficitur in hoc aegro *lien*: quod ex praecedente sinistri hypochondrii dolore gravativo, & secuto ibidem tumore duro, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies *a* melancholica & dura lienis; quae in sinistro hypochondrio duritiei & extuberantiae sensum faciens, *Scyrrhus lienis* vulgò appellatur.

a Melancholica.) *Hanc colligit Auctor ex usu continuo crassorum alimentorum: cœterùm de scyrrho & exquisito, & minus exquisito, vide* Milii opus medico-chymicum part. 1. lib. 2.

Causa procatarctica hujus morbi fuit alimentorum crassorum & gelidarum aquarum usus. Inde enim multi crassi & melancholici circa viscera, & in vasis, geniti humores *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in lienem delata, ibique impacta, eique inhærens, *continens* hujus morbi, & symptomatum est causa.

Cum enim crassi illi & melancholici humores ad lienem primum deferrentur, ortus fuit ex eorum quantitate, lienem distendente, & gravante, *dolor in hypochondrio sinistro cum gravitatis sensu conjunctus*. Cum verò paulatim major melancholicorum quantitas in eo colligeretur, eaque arctius in ejus poros compingeretur, paulatim natus est *durus in liene tumor, tactu manifestè observabilis.*

Morbus hic, ob crassitiem materiæ morbificæ & *a* angustos lienis poros *b* difficillimè tolli poterit. Spes tamen non omnis decollavit; cum malum non sit inveteratum, *c nec ulcera crurum, nec oris fœtorem, nec gingivas exesas* produxerit: inde enim colligitur nondum malum eo processisse, ut valde pravi humores in corpore nostri ægri sint geniti.

a Angustos.) *Supra jam diximus, forte fortuna, vias in liene unius hominis magis quàm alterius esse posse angustas.*

b Difficillimè tolli.) *Ob rationes in scyrrho hepatis allatas: Lienes exscindi posse ex canibus, sine notabili incommodo, experientia docet, nulla autem est sequela, idem æquè facile in hominibus procedere, utut nonnulli hoc contendant, vid.* misc. cur. dec. j. ann. j. obs. 29. dec. ij. ann. 4. & 5. obs. 164. & 165.

c Nec ulcera.) *Acredo, si cum humore melancholico esset conjuncta, symptomata orirentur cancrosa: porrò de prognosi lienosorum vid.* Hippoc. Sect. vj. Aphor. 43. Qui lienosi à dysenteria corripiuntur, his, longâ superveniente dysenteriâ, hydrops supervenit, aut intestinorum lævitas, & pereunt.

Obstructionem lienis sequitur aliquandò sanguinis vomitus, teste Bartholino cent. j. obs. 87. & cent. 4. hist. anat. 51.

Diligentissima itaque *Curatio* hic erit adhibenda: *quæ* in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, intemperiei, & tumoris duri ablatione consistet.

Primò itaque sumat *a* tale purgans:

℞. *Electuarii diacatholici* ℥vj.
Confect. hamech. ʒiij.
Syr. de epithymo ℥ß.
Aq. decoctionis hordei ℥iij. M. F. Haustus subindè repetendus.

a Primò tale purgans.) *Nonnisi attenuantibus præmissis.*

Ubi purgatus fuerit, *a* utatur his tabellis aperientibus & corroborantibus.

℞. *Spec. diarhod. abbatis, pulveris diacapparum an.* ʒij.
Rosatæ novellæ ʒj.
Sacchari in aq. buglossæ dissoluti q. s. F. Tabellæ, quarum ʒiij sumat jejunus, tribus horis ante pastum.

a Utatur his tabellis aperientibus.) *Dulcia pleraque, præprimis saccharata, huic affectui sunt infesta.*

Et

Et simul illinatur regio lienis tali *a* unguento:

℞. *Unguenti dialthææ* ℥j.
Ol. rutacei, de capparibus, an. ℥ij. Misce.

a Unguento.) *Commendatur Emplast. de cicuta, item de ammoniaco gummi Aquapendentis. Vapores ex aceto scyllitico super laminam ferream candentem conjecto, in partem affectam suscepti, magnæ dicuntur esse efficaciæ: opus autem est in hujus remedii usu judicio.*

Postquam per aliquot dies usus fuerit prædictis tabellis, utatur deinde tali apozemate:

℞. *Rad. capparum, tamarisci, filicis an.* ℥ß.
Herb. ceterach. capill. veneris, agrimoniæ, Filipendulæ, chamedryos an. m. j.
Sem. agni casti, portulacæ, endiviæ, an. ℥iß.
Flor. genistæ p. j.
Epithymi, rad. polypod., fol. senæ an. ℥j.
Uvar. passar. ℥ſ. *glycyrrhizæ ras.* ℥ij.
Decoq. in aq. comm. ad lib. j. In Colatura dissolve syr. de cichorio cum rhabarb. ℥iſ.

M. F. Apozema, pro tribus dosibus, mane sumendis.

Magnæ etiam efficaciæ erit hujus decocti usus, per 15. dies continuatus:

℞. *Rad. filicis* ℥ß.
Cuscutæ ℥ij.
a *Decoq. in vini albi generosi* ℥viij.
Ad tertiæ partis vini consumptionem: Colatura detur mane jejuno ventriculo, continuanda, ut jam dictum est.

a Decoq. in vini albi.) *Sit vinum hoc chalybeatum, aut in quo silex albus striis metallicis martis ornatus, candefactus aliquoties sit extinctus.*

Interea temporis foveatur hypochondrium sinistrum *a* tali fomento, mane & vesperi.

℞. *Rad. althææ* ℥j. *cappar. tamarisci an.* ℥ß.
Herb. ceterach, althææ, an. m. j.
Flor. centaur. min. m. ß.
Bulliant in aceti & olei q. s. & Colentur
Pro fotu, *spongiis adhibendo.*

a Foveatur tali fomento.) *Alternis vicibus hoc Auctoris fomentum & aqua calcis (vide* Joëlis operum tom. 5. lib. 2. Sect. 3.) *usurpentur, ita enim tubuli atque pori partim dilatabuntur, partim reserabuntur, ita ut materia obstruens facilius possit elabi.*

Post fotum *a* adhibeatur tale unguentum:

℞. *Oesypi, axungiæ gallinæ, ol. amygdalar. dulc. an.* ℥j.
Ol. camomill., de capparibus an. ℥ß.
Misce. F. Unguentum, mane, & vesperi adhibendum.

a Adhibeatur tale unguentum.) *Præferendum est, quod in obstructione hepatis præscriptum. Huc refer emplastrum de amalgamate Saturni Schröderi.*

Maximæ etiam utilitatis in hoc affectu est hoc unguentum:

℞. *Ol. raparum* ℥j.
Liliorum, amygdalar. dulc., camomill.
Butyr. recentis an. ℥ß.
Succi bryoniæ, cyclaminis an. ℥v.
Bulliant ad succorum consumtionem, addendo gummi ammoniaci in aceto dissoluti ℥ijß. *pingued. gallinæ, crurum vituli, œsypi humidæ an.* ℥ß.
Pulv. rad. capparum, ceterach, rad. filicis an. ℥j.
Sem. agni casti, genistæ an. ℈j. *ceræ parum.* F. Unguentum.

In *diæta Aër* sit purus & temperatus. *Cibus* boni succi, attenuandi vi præditus: abstineat à duris & crassis; utatur capparibus. *Potus* sit vinum & cerevisia benè defæcata. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. *Somnus* sit moderatus. a Moderata exercitia. *Fugiat* tristitiam.

a Moderata exercitia.) *Juxta illud* Plauti: ambula, id lieni optimum est.

XXII.

MEDICATIO VIRI, a LIENTERIA LABORANTIS.

b VIr 36. annorum alimentis frigidioribus & humidioribus diu usus, incidit in affectum, quo alimenta assumpta jàm à quatriduo ferè non concocta & liquida, minimèque alterata, per alvum, cum materiâ quadam pituitosâ admixtâ, illico celeriter & copiosè reddit. c Non febricitat, nec sitit, d sed acidos subinde ructus emittit. Magnam, totius corporis jam in motu sentit debilitatem; magnopere etiam pallet.

a Lienteria.) *Significat intestinorum lævitatem, propter quam alimenta cruda, parùm vel nihil immutata, mox per alvum rejiciuntur: Auctor nullam dat cœliaci fluxus medicationem, quoniam vix nisi gradu differt à lienteria; nempe in passione cœliaca alimenta magis mutata redduntur & albicantia chylosa.*

b Vir 36. annorum.) *Vid.* Hippocr. Sect. iij. Aph. 30.

c Non febricitat.) *Potiùs, non notabiliter febricitat,*

d Sed acidos subinde ructus emittit.) *Huc spectat* Hippocr. Aph. Sect. vj. Aph. 1.

Afficiuntur in hoc ægro a *ventriculus & intestina*; quod ex incoctorum alimentorum per alvum excretione patet. Afficitur etiam *totum corpus*: quod ex debilitate motus & pallore totius corporis est manifestum.

a Afficiuntur ventriculus & intestina.) *Auctor lienteriam non inter affectus ventriculi, sed intestinorum retulit, forsan quia putavit magis intestina, quàm ventriculum hic affici.*

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies frigida, humida, sive pituitosa, & *a* acris, ventriculi & intestinorum; quæ alimentorum assumptorum, & quam minimè alteratorum, cum materiâ quadam pituitosa admixtâ, excretionem celerem, copiosam, & frequentem, per alvum, efficiens, *Lienteria* vulgò appellari solet.

a Acris.) *Rariùs quidem lienteria evenit ab acredine, sæpiùs à nimia laxitate pylori, & intestinorum, propter obstructionem s. paralysin nervorum ejus, nec non copiam ingentem humoris tenacis & glutinosi, quo obducta est ventriculi & intestinorum superficies: attamen lienteriam contumacem ab ulcere ventriculi, vid. apud* Forest. lib. 22. obs. 30. *item ab irritatione stomachi, apud* Gabelchover. cent. ij. obs. 97.

a *Causa* unde hæc primùm originem duxit, fuit diutinus alimentorum frigidorum & humidorum usus. Hinc enim *b* ventriculus & intestina intemperiem frigidam & humidam contraxerunt; quæ paulatim ita est aucta, ut alimenta fere penitus concoquere non possint; eaque in illis existentia acrimoniam quandam in ipsis acquirant, quâ ventriculus & intestina vellicata, & multos poros in cerebro aperientia, per copiosum spirituum ad ea ex cerebro affluxum, ad excretionem celerem, copiosam & frequentem, mox ab alimentorum assumptione, per inferiora faciendam, stimulantur. Atque hinc *alimentorum non concoctorum fit cum pituitosa materiâ frequens, celeris & copiosa excretio*.

a Causa.) Deodatus in valetudin. p. 28. *refert, de puella siticulosa, continuò bibente, lienteriam passâ.* Forestus lib. 22. obs. 25. *notat lienteriam antiquam cum scorbuto: confer* Paul. Barbette prax. cap. iij. s. vj. Etmullerus, *innuit lienteriam oriri posse à venenis, fructibusque horæis: huc pertinent pinguium, lacticiniorum, piscium, &c. nimii usus: confer* Hippoc. Sect. vj. Aph. 43. Sect. vij. Aph. 76.

b Ventriculus & intestina.) *Sunt qui in lienteria magis affici intestina statuunt quàm ventriculum, siquidem alimentorum in chylum conversionem, in intestinis magis quàm ventriculo evenire contendunt ex eo, quòd nullus in massa alimentorum, ventriculo contenta, observari possit chylus, verùm enim verò, nulla est sequela, quòd quoniam nullus in ventriculo chylus est conspicuus, nulla sit chyli ex alimentis in ventriculo elaboratio, cavitas enim ventriculi amplior prohibet chyli ex gremio crassiorum partium ad superficiem expulsionem, quæ magis locum habere potest in canali intestinorum angustiore, dùm continua accedit, ope motus eorum peristaltici, compressio, nec non permixtio bilis, succi pancreatici & lymphæ glandularum intestinorum: præterea ructus acidi, lienteriæ supervenientes, cùm juxta* Hippocr. Sect. vj. Aphor. j. *sint boni ominis, clarum est ventriculum in lienteria quoque maximè cum intestinis affici. Ergò si vel adfuerit paralysis nervorum ventriculi & intestinorum, vel interna partium illarum superficies, muco copioso tenaci obducta fuerint, vel consueta proportio particularum in liquore (s. fermento) stomachali succubuerit, alimenta satis dividi nequeunt, sed pondere suo, laxas per vias, confestim ad anum delabuntur, & sine mutatione notabili excernuntur, præprimis si accedat (ut suprà notavimus) notabilis aliquis acrimoniæ stimulus.*

Et quia debilitatus ventriculi & intestinorum calor alimenta nonnihil immutat, & in acorem convertit, *a* hinc *acidi ructus ab ægro subinde emittuntur*.

a Hinc

a Hinc acidi ructus.) *Attendendum diligenter, an per totum morbi decursum tales fuerint emissi, atque tunc acidi prædominantis (ex quo succumbere potest æquè chylificatio, ac à copia salini, vel viscosi & terrestris humoris) præbent indicium: aliàs solent tales ructus esse salutares, utpote qui denotant, mucum viscosum abstersum & divisum iri, proportionemque naturalem particularum liquoris stomachalis restaurari.*

Propter magnam illam alimentorum cruditatem, copiosamque eorum excretionem, deficit *a* dissipationis spirituum & substantiæ corporeæ ac sanguinis debita reparatio; atque hinc, ex defectu spirituum & sanguinis, *magna adest ægro in corpore movendo debilitas, & pallor totum corpus occupat.*

a Dissipationis.) *Dissipatio tamen hic minor est ob intemperiem positam frigidam.*

Morbus hic valde periculosus est: nisi enim cito curetur, marasmum & *a* consumptionem lethalem inducere solet.

a Consumptionem.) *Vid.* Hippoc. l.c. *Quæ lienteria oritur à dysenteriâ, cholera, vel diarrhæa, utplurimùm lethalis esse solet.*

Celerrimâ itaque *Curatione*, *quæ* in *a* intemperiei & fluxus istius per contraria ablatione consistet, erit impugnandus.

a Intemperiei & fluxus.) *Sicuti etiam obstructionum.*

Primò itaque utatur *a* tali syrupo:

℞. *Syr. de absynthio, de mentha,*
Oxymellitis simpl. an. ℥j.
Aq. stillat. fæniculi, absynthii an. ℥iij.
Misce pro 2. dosibus, mane & vesperi sumendis.

a Tali syrupo.) *Dulcia pleraque hic nocent.*

℞. Oxymell. scyll. ℥j.
Elix. prop. Par. ℨj.
Tartari vitriolati gr. xxv.
Tinct. absynth. cochl. ij. *aut* iij.
M. pro duabus dosibus cum vino rubello, sumendis.

Conveniunt hic pleraque antiparalytica, acidis volatilibus juncta, semperque habeatur ratio juvantium & nocentium, ut melius dirigatur curatio.

Postridie purgetur *a* his pilulis:

℞. *Pil. mastichin. aloëphangin. an.* ℨß.
Cum syr. de mentha q. s. Fiant pilulæ Num. ix.
Mane jejuno ventriculo sumendæ.

a His pilulis.) *Si vomitorium judicaverit Practicus opportunum, eligat lenius aliquod, idemque stomachicis specificis nobilitet.* Faber curat. 56. *refert de lienteria curatâ, præmissâ purgatione, cum aq. cinnam. & syr. corall. Hinc tincturæ corall. ut specificæ quidem commendantur ab Auctoribus, sed indifferentem earum usum prohibemus. Succus recens citri & aurant. cum syr. de mentha vel absynth., granat. cydon. &c. est utilissimus. Post aliquot dierum usum decocti, potest purgatio præscribi ex pituitam purgantibus, ut*

hæc

hæc ex corpore eliminetur, *ut*
℞. Extr. agar. gr. xv.
Trochisc. alhand. gr. iij. *vel* iv.
F. Pilulæ cum aqua, *in qua gummi tragac. maceratum est*, *vel aliàs Pulvis*.

Si à pilulis abhorreat, utatur tali haustu purgante:
℞. a *Myrobalan. chebular.* ʒiij.
Ebulliant in q. s. aq. absynthii.
Expressioni add. syr. ex infus. ros. pallid. cum agar. ℥j.
Spec. hieræ picræ gr. xv. *Misce* F. Potio.

a Myrobal.) *Hæ*, *ut & rhabarbarum*, *specificè hic conducunt*, *utpote quæ*, *levem*, *evacuatione factâ*, *moliuntur adstrictionem*.

Sequenti die mane sumat *a* theriacæ veteris ʒj. Eaque dosis per aliquot dies reiterari poterit.

a Theriaca vet.)
℞. Aq. menth. ℥iij.
ther. simpl. ℥j.
cinnam. ʒx.
tinct. croc. ℈jv. *vel.*
elix. prop. Par. ℈ij.
spir. sal. dulc. gutt. viij.
Ol. mac. still. gutt. iij.
syr. granat. ℥vj.
M. dosis est ad cochl. ij. *vel* iij. *binis horis alternatim indies*, *vel pro re nata sumendæ*.

Et subinde cochleare sumat de hoc syrupo:
℞. a *Syr. de mentha*, *de absynthio an.* ℥ʃ.
Pulver. cinnamomi ʒj. *Misce.*

a Syr. de mentha, absynthio.) *Hæ herbæ potius infundantur in vino chalybeato aut rubello*.

Interim inungatur ventriculi regio *a* tali unguento:
℞. *Ol. absynthii*, *nardini*, *mastichini an.* ℥ʃ.
Pulv. menthæ siccæ, *caryophyllor. Indicor.*, *nucum.*
Cypress., *mastiches*, *acaciæ an.* ʒʃ.
Maceris ℈ʃ. *ceræ parum* F. Unguentum.

a Unguento.) *Substituatur emplastrum de baccis lauri*, *vel de labdano &c.*

Et postea imponatur tale *a* ceratum:
℞. *Mastiches* ℥ʃ. *ladani* ʒij.
Pulver. menthæ, *caryophyll.*, *acaciæ*, *nuc. cupress. an.* ʒʃ.
Calami arom., *galangæ*, *corall. rubr. an.* ℈j.
Ol. menthacei, *ceræ & resinæ q. s.*
F. Ceratum, *corio inducendum*, *& ventriculi regioni imponendum.*

a Ceratum.) Rulandus cent. 7. curat. 57. *habet cataplasma*, *ex*
Micæ panis m. iij.
Salis comm. m. j.
Aceti q. s.
M. F. Cataplasma.

a *Cibus* sit euchymus & eupeptus, ex carnibus pullor. gallinaceorum, perdicum, & pyris, cydoniis; iisque condiatur semine anisi, cinnamomo, caryophyl-

phyllis. *Potus* sit vinum generosum subadstringens, *b* cerevisia generosa. Sæpè, & parùm alimenti, sumatur. Potus sit parcus. *c Corpus* in quiete contineatur. *d Somnus* sit longior.

a Cibus.) *Duas ante cibum horas*
℞. Conf. absynth. ʒij.
Aquæ vitæ cujuscunque ℥j. *aut* ij.
Sp. vener. ʒß.
M. F. Haustus.
Cibi sint potius assati quàm elixi.

b Cerevisia.) *Illa fermentetur cum rad. & herb. aromaticis.*

c Corpus in quiete.) *Exercitia modica prosunt.*

d Somnus.) *Sit brevior, modò non lienteriæ causa fuerit acris.*

XXIII.

MEDICATIO FOEMINÆ, DIARRHÆA *a* BILIOSA AFFECTÆ.

FOEmina triginta annorum, biliosa, multo alliô, porrô, aliisque *b* biliosis alimentis, aliquamdiu usa, incidit in copiosum & frequentem *c* alvi secessum; quo multa liquida, biliosa, crocea, & rufa, jam per multos dies, *d* cum dolore satis magno, excernit; unde jam non tantum corporis lassitudo; sed magna etiam extenuatio ægræ nostræ est orta.

a Biliosa.) *Ad distinctionem pituitosæ, serosæ, sanguinolentæ & purulentæ &c. potest autem præterea, hæc biliosa diarrhæa multipliciter considerari, prout vel flava, vel æruginosa, vel nigra, &c. reddantur excrementa aut per accidens, aut crisin.*

b Biliosis alimentis.) *Hæc ab Auctore enarrata, multô scatent sale acri, simul & aquoso oleaginosô, ad fermentationem putrilaginosam, maxime proclivi: aliàs impropriè talià dicuntur biliosa.*

c Alvi secessum.) *Si simùl adesset vomitus; diceretur hæc affectio cholera, de qua posteà.*

d Cum dolore.) *Qui haud rarò ita urget, ut lipothimiæ cum sudoribus frigidis, nec non convulsiones variarum partium exoriantur.*

Afficiuntur in hac fœmina *a* intestina; ut frequens ille alvi secessus, cum dolore conjunctus, evidenter docet; nec non *totius corporis habitus*; quod ex ejus extenuatione patet.

a Intestina.) *Quidni etiam ventriculus & aliæ partes? sanguis &c.*

Morbus, qui eam affligit, est intemperies intestinorum biliosa & *a* serosa, ac nimis laxa & rara; quæ, per inferiora frequentem & diuturnam biliosæ & acris materiæ excretionem, cum magno dolore conjunctam, excitans, *b Diarrhæa biliosa* appellatur.

a Se-

a Serosa.) *Quamplurimas possident intestina (præsertim tenuia) glandulas, excretoriis in eorum cavitatem hiantibus vasis, instructas, quæ per consequens, occasione vellicationis majoris, lympham (ut hoc in casu) eructant copiosiorem.*

b Diarrhæa.) Hippocrat. Sect. j. Aphor. ij. *vocat perturbationem ventris: carnosæ diarrhææ exemplum extat* in misc. cur. dec. 2. ann. ij. obs. 82.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est frequens biliosorum alimentorum usus; quo multi humores biliosi in corpore, & præsertim in vasis, circa intestina existentibus, geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam, ea verò ex diutinâ morâ magnam acrimoniam adipiscens, illâque intestina vellicans, & poros eorum nimium aperiens, b *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Causa procatarctica.) *Hæreditaria dispositio, multum hic potest: ita multi solo purgantium odore copiosè deponunt, teste* Schenckio lib. iij. obs. *nec non* Rob. Boyle. tr. de specif. rem. *Ab ira ortam diarrhæam, vid.* in misc. cur. ann. 9. obs. 94. *Aliquandò est epidemica diarrhœa: cætera huc pertinentia, vid. in medic. de dysenteria.*

b Continens.) *Diarrhæa haud rarò oritur à diminuto motu sanguinis, utpote quæ non sufficit ad particulas crassiores sanguinis, & ad motum ineptiores, ipsi intime permiscendum, adeoque illæ à sanguine separatæ, per loca minus resistentia excernuntur; & scopus in tali causa non debet esse adstringere, quia illa materia à sanguine separata facile alibi deponeretur, magnamque posset producere anomaliam: scopus debet esse motum naturalem restituere: quô ipsô, superfluis evacuatis cum euphoria, mixtura particularum sanguinis consueta restituitur.*

Diarrhæa quoque aliquando producitur ab aucto sanguinis motu, illaque vulgò vocatur Critica, & observatur in nonnullis reconvalescentibus, quatenùs crassiores peccantes partes, vivaciter ad emunctoria corporis publica amandantur.

Ex vellicatione enim illa motus talis nervo sextæ conjugationis, intestinis implantato, imprimitur, ut ille, ad cerebrum delatus, istos in eo aperiat poros, qui in fibras intestinorum *a* obliquè descendentes spectant; quo à spiritibus, ex cerebro in obliquas illas fibras copiosè fluentibus, easque contrahentibus, intestina versus inferiora ita contrahuntur, ut *b biliosa illa ac acris serosaque materia excrementitia*, ibi restagnans & genita, vel à toto corpore per intestinorum poros, nimium hic apertos, eò à corde per sanguinis circulationem propulsa, *magno cum dolore* ab excrementorum intestina rodentium acrimoniâ orto, *subinde frequenterque per podicem ejiciatur.*

a Obliquè descendentes.) *Dic potius in omnem dimensionem fibras contrahi, sed deorsum ferri excrementa magis quam sursum propter valvulas in intestinis copiosas.*

b Biliosa.) *Talis ejicitur non immediatè ex vasis intestinorum, sed vellicatione factâ, non solùm intestina magis solito contrahuntur, sed omnes partes vicinæ, inter quas est hepar, ductum quendam biliferum ad duodenum vulgò intestinum distribuens. An autem secundùm sententiam quorundam Auctorum, bilis circulum absolvat ab intestinis per vasa mesaraica ad venam portæ hepar ingredientis, & vice versâ ab hepate ad intestina per ductum choledochum? multi hodiè dubitant; nos verò nullâ ratione fundatam esse illam hypothesin, facili negocio probare possemus.*

Et quoniam, cum materia illa excrementitia, etiam humores ac spiritus utiles, magnâ copiâ, jam per multos dies excernuntur, hinc *corporis lassitudo*, ob spiritus animales inde deficientes *a atque ejus extenuatio*, propter justi alimenti hinc defectum, ægram nostram tenet.

a Atque ejus extenuatio.) *Auctor non addidit, an ægra sufficientem alimenti copiam assumat, nec ne? si non comedat, posset id sufficiens extenuationis esse causa; sed insuper etiam nimia salis acrioris copia, à partibus alimentum aufert.*

a *Metus* est, ne hic morbus in dysenteriam, vel corporis consumptionem lethalem abeat: ideoque tempestivè, *Curatio* ejus serio aggredienda.

a Metus est.) *Quoties hæc excretio critica est à motu sanguinis modicè adaucto, facile fertur ab ægris, soletque morborum esse præservatrix, & reconvalescentiæ egregium signum, dummodo vires diuturnitate non admodùm atterat.*

Huc Spectant seq. Hippocr. Aphor.
Sect. II. Aphor. 14.
Sect. IV. Aphor. 21. 22. 23. 28.
Sect. V. Aphor. 12. & 14.
Sect. VI. Aphor. 15. 16. 17. 32. 52.
Sect. VII. Aphor. 29. 30. 75.

Potest diarrhæa biliosa transire in choleram, dysenteriam, inflammationem & gangrænam intestinorum. In gravidis parit abortum.

Eaque consistet in pravorum humorum evacuatione & intemperiei per contraria correctione.

Primò itaque præscribatur tale *a* apozema:

℞. *Rad. cichorii* ℥ß. *taraxici, symphyti,*
Fœniculi, petroselini, tormentillæ an. ʒiij.
Herb. acetosæ, portulacæ, plantag. an. m. j.
Sem. 4. frigidor major. an. ʒij.
Anisi, fæniculi an. ʒj.
Hordei tosti ℥ß.
Decoq. in aq. comm. ad lib. j. *in Colatura dissolve*
Syr. cydoniorum, de cichorio simpl. an. ℥j.
Misce. F. Apozema, de quo sumat haustum bis in die, mane & vesperi.

a Apozema.) *Propter dolorum ferociam, febrem, delirium &c. quæ hunc affectum sæpè concomitantur, præstat anodynum aliquod, quale seq.*

℞. Diascord. Frac. ℈jv.
laud. op. gr. j.
rhab. pulv. ʒß. *vel.* ℈ij.
M. F. Bolus, qui doloribus mitigatis, blandè peccantem materiam educet.

Porro, ubi eo, uno atque altero die, usa fuerit, purgetur hoc medicamento.

℞. *Myrobalan. citrin.* ʒij.
a *Rhabarb.* ʒj. *spicæ* ℈ß.
Infunde per noctem in aq. cichor. & acetos. an. q. s.
Mane fortissimæ expressioni adde syr. ex infus.
Ros. de succo cichorii an. ʒß.
Misce. F. Haustus, mane exhibendus.

a Rha-

a Rhabarb.) *Diarrhæa, hæc, uti omnis alia, non debet nimis subitò sisti, sed pedetentim humores temperandi sunt, quo in casu rhabarbarum leviter tostum ad scrup. ij. exhibitum, cum diascord. Frac. ℥j. conf. hyac. ℥ß. croc. pulv. ℈ß. laud. op. gr. j. maxime prodest, ita enim humores acres educuntur, & leviter ac pedetentim adstrictio subsequitur, vel:*

℞. Rhabarb. tost. ℈j.
Sem. levistici &
Papav. albi an. ℥ß.
Fiat decoctio in aqua aut sero lactis chalybeato ad ℥iij. add. syr. de cichor. cum rheo ℥ß.
M. F. Haust.

Clyster injiciatur emolliens & anodynus ex lacte dulci, vel jusculo carn. non salito, additis vitellis ovor. tereb. ven. philon. rom. & mell. mercur.

Vesperi post purgationem sumat lib. ß. lactis amygdalati cum ℥iij. syr. de papavere.

Ubi malum perseverat, purgetur drach. j. pulveris rhabarb. dissoluti in aq. cichor. q. s. cui adde syr. cydonior. unc j. & vesperi post purgationem *a* exhibeantur laudani opiati gran. IV.

a Exhibeantur laud. opiati gr. IV.) *Nimis subitanea, hinc vitetur mutatio: fiat initium cum grano uno vel altero.*

Ubi materia ita evacuata fuerit, *a* ad magis adstringentia perveniendum; atque ideo utatur hoc condito:

℞. *Conserv. rosar. antiq.* ℥vj.
b *Croci Martis* ℈j.
Pulv. rosar. rubr. ℥j. *coralli rubr. subtil. pulv.* ℥ſ.
Boli armenæ veræ ℈ij. *rob. de ribes* ℥ſ.
Cum syr. myrtillor. q. s. F. Conditum, quod exhibeatur quatuor dosibus, vel exhibeatur subinde quantitas castaneæ majoris.

a Ad magis adstringentia.) *Nihil efficient ad salutem adstringentia, nisi prius materia peccans ritè fuerit temperata, vel evacuata: ergò non conveniunt nisi in declinatione.*

b Croci Martis.) *Præmisso rhabarbaro tosto: si ulterior necessitas urgeat per diem unum aut alterum sequens pulvis, usui esse potest.*

℞. Croci mart. adstring.
Cristall. martis an. gr. viij.
Lap. prunell. gr. xiv.
Laud. opiat. gr. j.
M. F. Pulvis.

c Boli armenæ.) *Terra sigillata huic præferenda.*

Gelatina cornu cervi succo citri acidulata etiam sumitur, optimo cum successu, præcipuè si vires desint.

Ante cibum etiam sumat diacydonii sin. spec. ℥j. & venter mane & vesperi inungatur oleo myrtin., cydon., & rosar., omphacino inter se mixtis.

In *diæta* *a* Aër ad frigidum accedat. *b* *Cibus* sit facilis digestionis, & adstrictoria facultate prædítus; ex carnibus avium montanarum, vitulinis, vervecinis, succo aurantiorum & limonum conditis, piscibus saxatilibus, panatellâ ex tenui cerevisia cum pane parum tosto. *c* *Potus* sit vinum rubellum & cerevisia tenuior bene defæcata. *Corpus* quiescat. *Somnus* sit longior. *Fugiat* vehementiores animi affectus.

a Aër.) *Sit potius temperatus. Si diarrhœa sit epidemica, aër publicus vitetur, quantum fieri potest, & domesticus corrigatur aceto calendulato exhalato.*

b Cibus.) *Prodest oryza cum jure carnium non salso, extremitates vervecis aut vituli coctæ, panis albus calens è furno cum oleo olivarum sumptus.*

c Potus sit vinum rubellum.) *Hic etiam prosunt vinum, & aqua chalybeata, quæ adstringunt absque metu obstructionis.*

XXIV.

MEDICATIO VIRI, ALVO ADSTRICTA VEXATI.

VIr triginta annorum, *a* temperamento melancholicus, jam à multis annis, alvum adstrictam habet; ita ut *b* non nisi tertio vel quarto quoquo die *c* excrementa sicciora ac duriora, & stercoris caprini, figurâ rotundâ similia, excernat. Perpetuo ferè *d* dolore capitis torquetur, & ventriculi coctione difficiliori ac cardialgia: quæ nonnihil levantur, ubi alvus nonnihil est laxior. Sæpe emittit *e* ructus acidos, & cibi in acidum nidorem convertuntur; unde sæpe ipsi acidorum oritur vomitus.

a Temperamento melancholicus.) *Hinc scorbuticis, hypochondriacis, uterogestantibus, hoc familiare solet esse incommodum.*

b Non nisi tertio, &c.) Barthol. in act. Hafn. vol. 4. obs. 60. *exemplum refert mulieris, quæ decem dierum spatio non excreverat, quod ipsi perpetuum fuerat ab infantia sine sanitatis detrimento:* Joh. Nicol. Pechlin. lib. j. obs. phys. med. XLVII. *raram allegat mulierum alvum, mirumque sibi visum esse ait, in sequiore imprimis sexu, mulieres reperiri, sæpè etiam virgines, quæ tam rarò ad excretionem concitentur, ut, etsi quotidiè & edant & bibant, non horas tantùm, sed & dies, quinque, sex, octo, decem, imò duodecim sine alvi transigant dejectione. Homines robusti minus vulgò dejiciunt, quam homines pituitosi, & teneri, quia in iis fermentationes sunt robustiores, dumque plus chyli ex cibis eliciunt, per urinam habitumque corporis plura excernunt, quàm alii.*

c Excrementa sicciora.) *Color fæcum notandus est, qui nonnunquam observatur albescens, nonnunquàm nigricans, eædemque fœces diversa sæpè apparent figurâ.*

d Dolore capitis torquetur.) *Hic & dici potest alter effectus ab una eademque universali causâ, & necessaria alvi adstrictæ sequela, uti posteà dicetur.*

e Ructus acidos.) *Hi præbent causæ diagnosin: sine dubio autem hi ructus simul sunt austeri.*

Afficiuntur in hoc ægro *intestina*, quod ex tarda eorum evacuatione: item *ventriculus*, quod ex difficili coctione; item *caput*, quod ex perpetuo ejus dolore patet.

Morbus, qui eum torquet, est intemperies ventriculi & intestinorum sicca & acida

acida atque adstrictoria, sive vitriolacea & aluminosa; quæ tardam alvi excretionem, acidamque cibi corruptelam inducens, *Alvus adstricta* nuncupatur.

a *Causa continens* adstrictionis alvi, est succus quidam acidus & acerbus, ex acidis ructibus & evomitionibus hic sese manifestans, qui circa ventriculum & intestina existens, ibique propter melancholicum eorum temperamentum genitus, acerbitate suâ fibras eorum oblique descendentes, quibus alvi excretio per spiritus in eas influentes perficitur, b claudit. Dum itaque *fœces* diutius in intestinis hærent, ex diutina illa mora dissipatur ex iis omnis humiditas, atque *hinc fiunt siccæ*; eæque per eorum motum *distractæ, & in globulos, instar stercoris caprini, formatæ, tertio quoque* die, propter magnam illam fibrarum obliquè descendentium adstrictionem, tandem ab earum magna c copiâ & acrimoniâ superatam, *excernuntur*.

a Causa continens.) *Nihil dicit Auctor de causis procatarcticis: vid.* Hipp. Sect.iij. Aph. 5. & 17. *Laudatus* Pechlinus loc.cit. *existimat, vitâ sedentariâ, acidorum, lacticiniorum, farinaceorum & licciorum appetentiâ, potulentorum autem nè justâ quidem mensurâ, vitium illud augeri, maximè etiam illa fœminini corporis curatura, & violenta laterum ventrisque compressione non facilè viâ in illis angustiis relictâ, quâ excrementa transeant. Porrò ad alvum supprimendam conferunt evacuationes immodicæ, s. per sudores, s. sedes, s. urinas, &c. anus imperforata* (*vid.* misc. cur. dec. j. ann. j. obs. 11. dec. 2. ann. 3. obs. 102.) *dysenteria* (*vid.* Rhod. cent. ij. obs. 82.) *enterocele, obstructio hepatis, pancreatis, glandularum, & nervorum intestinorum, febris ardens, copiosa crassorum ingestio, frigus, æstus, &c.*

b Claudit.) *Hæc clausura hoc in casu dependet à siccitate superficiei intestinorum internæ, propter obstructos tubulos glandularum intestinorum.*

c Copia & acrimonia.) *Adde & pondere.*

Quia verò, ex diuturnâ illa fœcum in intestinis morâ, multæ earum partes acres & fœculentæ, tum ad ventriculum a per exhalationem; tum ad caput, per ingressum b in venas meseraïcas, & inde in cor, & porro ad cerebri membranas per translationem deferuntur, hinc oritur difficilis illa in ægro nostro *ventriculi concoctio, cardialgia, ac acidorum vomitus; nec non capitis dolor*: quæ *omnia levantur, ubi fœculentæ illæ partes*, ob alvum laxiorem interdum *copiosius evacuantur*.

a Per exhalationem.) *Viæ sunt nimis ab intestinis ad cerebrum remotæ & angustæ, quàm ut per eas immediatè quicquam nocivum afferri possit: sufficiunt autem viæ ordinariæ, s. venæ lacteæ, quæ acria scybalorum effluvia suscipere possunt, & porrò juxta leges generationis ad alias partes transmittere, putamus tamen (ut supra etiam diximus) cephalalgiam & alvum adstrictam, duos esse ab una eademque sanguinis intemperie crassa & acri effectus; quanquam & hoc addi possit, quod spiritus animales acres, cum nequeant liberè inter fibrillas intestinorum (quorum tunicæ à copiosis & duris fœcibus nimis sunt expansæ) influere nequeant, versùs cerebrum nonnihil regurgitando, vim inferant fibrillis nervosis, doloremque producant.*

b In venas meseraïcas.) *Hæ nullis sunt hiantibus in cavitatem intestinorum osculis instructæ, adeoque nihil ab iisdem suscipere possunt, quod enim flatus impelli nonnunquam (præsertim in pennatis, ut ansere, &c.) ex intestinis in venas meseraïcas possit; id nihil concludit, utpote quod violentiam, & lacerationem præsupponit.*

a Metus est, ne hic morbus viscerum abdominis magnas inducat obstructiones, earumque coctiones magnopere lædat, ac symptomata jam præsentia vel augendo, indies molestior evadat, aliosque graves morbos pariat.

a Metus est.) *Diuturnam alvi suppressionem comitari possunt, dolores colici & iliaci, inflammatio & gangræna intestinorum, palpitationes cordis, lipothymiæ, vomitus, &c.*

Atque ideo diligenti *Curatione*, quantum poterit, est tollendus vel imminuendus; eaque in intemperiei intestinorum correctione, & acidæ acerbæque istius materiæ, per blanda medicamenta, attemperatione, & evacuatione, cõsistet.

Primò itaque utatur *a* cibis alvum lubricantibus, humectantibus, & acidos acerbosque humores temperantibus, ac detergentibus; *b* ut atriplice, malvâ, spinachiâ, blito, oleo, lacte, & butyro, item passulis, ficubus, betâ, & brassicâ.

a Cibis alvum lubricantibus.) *Mira est aliquando hominum diversitas, non solum, quod alii aliis facilius purgentur, sed etiam, quod quidam rebus, alvum alioquin constipantibus, purgentur, v.g. castaneis, mespilis, pane candido calente, & similibus.*

Rectè autem Auctor lubricantia hic commendat, non verò purgantia, siquidem humidum hic deficit; utile est jusculum pinguiusculum cum manna vel pulpa prunor. damasc. tamarind. vel cass. fist.

b Atriplice, &c.) *Tanquam herbis nitrosis & humectantibus.*

Cremor Tartari in jusculo ante singulos pastus exhiberi potest, ad drach. j.

Sal Tartari sulphuratus prodest, non ita vitriolatus, quia de vitrioli natura participat mali causa.

Utatur etiam subinde *a* clysteribus lenibus & humectantibus, *b* vitet clysteres acres & fortes. His enim intestina ita indurantur & occallescunt, ut illa postea nihil sponte, & sine clysterum auxilio, excernant.

a Clysteribus. *In quibus etiam olea (modò non acria) sint dissoluta, ut glabra inde fiant intestina; vulgares autem possint hic sufficere, quemadmodum ex solo oleo communi vel jusculo pinguiore.*

b Vitet clysteres fortes.) *Nè nimis subitaneus & irregularis (qui hic intempestivus est, siquidem scybala sunt copiosa & dura) sequatur spirituum influxus.*

Utilis est ad eundem finem seri lactis, *a* cum pauxillo mellis usus.

a Pauxillo mellis.) *Ne serum acescat: Mel mercurialis cœteris est præferendũ.*

Inter medicamenta utilissima sunt *a* pruna laxativa Num. quatuor vel quinque vel ex massa aloës, cui nonnihil sp. hieræ est additum, quantitatem avellanæ, immediatè ante prandium vel cœnam deglutire.

a Pruna laxativa.) *Aut fol. senę ad ℥vj. infundantur in cerevisia alternis vel ternis diebus semel, aut cassiæ recenter extractæ unc. j. vel mannę unc. j. unc. j ß. sumatur in jusculo cum infuso senæ.*

Riv. *in praxi certissimè dicit, alvum solvere fol. betæ & mercurialis an. m. j. coquendo in jusculo communi; capiatur una hora ante prandium: commendat etiam balnea ex decocto herbarum emollientium, quæ licet valde operosa sunt, attamen valdè utilia, regio umbilicalis inungatur unguento artanit. add. fell. bubul. & elect. hier. pic. Galen.*

Vel

Vel simili modo utatur hac massa pilularum:

℞. *Aloës pellucidæ* ℥ſ. *Sp. diacarthami* ℥j.
Gummi ammoniaci puriſſimi ℥jſ. *Tartari vitriolati* ℥ſ.
Omnia pulveriſata incorporentur cum ſyr. roſ. ſol. q. ſ.

In maſſam, ad pilulas formandas aptam, quæ illigetur veſicæ ſuillæ ol. amygdal. dulc. illitæ, & pyxide lignea includatur. Sumat horâ unâ ante cœnam pil. j. ad majoris avellanæ magnitudinem.

Exercitiis mediocribus *a* ſeſe exerceat: & ſervet *corporis ſtatum ſtatarium* potius, quam ſedentarium. *Somnus* ſit longior. Vitet *triſtitiam*.

a Exerceat.) *Nam quies conſtipat, & alvum ſegnem facit; Verùm & in exercitiis ſit modus; vehementiora quoniam nimium exſiccant.*

XXV.

MEDICATIO JUVENIS, *a* CHOLERA CORREPTI.

JUvenis quidam temperamento bilioſus, *b* dulcibus & pinguibus veſci ſolitus, cum in eadem menſâ æſtivo tempore cœpis, peponibus, raphanis, aromatibus, & vino generoſo largius uſus fuiſſet, cœpit à cœna, cum ſe ad ſomnum compoſuiſſet, nauſeam cum dolore pungente & anxietate, circa ventriculum & reliquum abdomen, ſentire. Paulò poſt ſubſecutus eſt vehemens vomitus, & alvi per inferiora evacuatio, quibus tanta copia humorum corruptorum & bilioſorum, cum flatibus, torminibus, & magnâ anguſtiâ, per vices fuit ejecta, ut jam æger valdè ſitiat, animique deliquiis, *c* exſudationibus, & magna virium imbecillitate affligatur.

a Cholera.) *Dividitur hæc in veram & ſpuriam: illa ſignificat copioſam & frequentem materiæ acris & bilioſæ; nonnunquam flavæ, nonnunquam viridis & æruginoſæ, nonnunquam etiam atræ per vomitum & ſeceſſum rejectionem: hæc verò notat copioſam & frequentem flatuum per ſuperiora & inferiora emiſſionem. Datur etiam cholera critica, tàm ad ſalutem, quàm mortem.*

b Dulcibus & pinguibus.) *Hæc & ſimilia facillimo negocio abeunt in ranciditatem & acorem malignum.*

c Exſudationibus.) *Hæ plerunque ſunt frigidæ.*

Afficitur in hoc ægro *ventriculus cum inteſtinis*, ut ex nauſea, vomitu, alvique copioſo ſeceſſu eſt manifeſtum; afficitur etiam *cor & habitus corporis*, ut ex animi deliquiis, & ſudoribus, ac virium illa imbecillitate patet.

Morbus, qui eum affligit, eſt *a* intemperies ventriculi & inteſtinorum bilioſa, & nidorulenta, ac corrupta; quæ nauſeam, vomitum, alvique ſeceſſum copioſum, ac animi deliquia inducens, *Cholera* vulgò appellari ſolet.

a Intemperies, &c.) *Inter choleram, & diarrhæam, præſertim bilioſam nulla fere alia eſt differentia, quàm quod in diarrhæa, ab inteſtinis tantum fit fluxus*

xus acris, *in cholera autem vomitus simùl & fluxus*: *videtur autem choleræ acrimonia major*: *quapropter curatio etiam non multum differt*, *nisi quoad acredinis gradum*.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est usus alimentorum pinguium & dulcium, antehac ab ægro nostro frequenter usurpatus; item larga illa cæparum, peponum, raphanorum, aromatum, & vini generosi in eadem mensa assumptio. Hinc enim magna biliosorum & acrium humorum copia, in corpore ejus genita, b *Antecedentem* huic morbo præbuit causam. Eaque corrupta, & vehementius circa ventriculum & intestina, item in eorum & reliqui corporis vasis, c ebulliens & effervescens d *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Procatarctica, &c.) *Vide* Sect. 3. Aphor. 20. *aliquando violenta empyricorum purgantia choleram producunt*, *ut antimoniata & mercurialia male præparata*, *aut intempestive*, *vel nimia dosi data*. *Ita choleram ab assumpto antimonio*, *non satis correcto vid. apud* Joh. Rhod. cent. obs. 69. *conferatur* Petr. Borell. cent. ij. obs. 27. *videsis medicat*. 27. *hujus libri*, *ubi occurrit cholera ab arsenico*: *summatim omnia*, *quæ in diarrhæa fuere proposita*, *etiam hùc pertinent*.

b Antecedentem.) *Aliquando symptoma est febris malignæ*, *vid.* River. cent. 3. obs. 78.

c Ebulliens.) *Inæqualiorem solito hic esse motum sanguinis humorumque nullum est dubium*: *sed impropriè is vocatur ebullitio*.

d Continens.) *Est ipsa acredo sanguinis & humorum intestina vellicans*.

Nam hinc *ventriculus* irritatus primùm *nauseam & ad vomendum proclivitatem*, *magnamque* a *anxietatem*, per inordinatum spirituum, in ventriculum, intestina, & cor, ex cerebro defluentium, influxum *induxit*. Aucto verò hinc illo spirituum, in illarum partium fibras, tum obliquè adscendentes, tum descendentes ruentium, inordinato influxu, *mox etiam* per fibrarum istarum contractionem, *subsecutus* b *est vehemens vomitus*, *& alvi per inferna evacuatio*; *quibus humores acres*, *corrupti*, *& effervescentes*, *tum* à corde ex arteriis cœliacis & meseraïcis in ventriculum & intestina propulsi, *tum* in iis antea collecti, *tanto impetu*, *tantâque copiâ per vices cum multis flatibus & torminibus*, à magna illa humorum effervescentia ortis *fuerunt evacuati*, *ut*, dissipatis & expulsis, *c* per magnam evacuationis istius vim, spiritibus, & humoribus utilibus, *æger jam animi deliquiis*, *exsudationibus*, *& siti*, *magnopere torqueatur*.

a Anxietatem.) *Hæc dependet à rosione & couvulsione ventriculi*, *qua turbatur etiam motus regularis diaphragmatis*, *atque adeo respiratio*, *& sanguinis per aërem refocillatio*.

b Est vehemens vomitus & alvi evacuatio.) *Quærit* Riv. in praxi, *unde tanta humorum copia affluat*? *Resp. partim eos jam in ventriculo*, *& in intestinis fuisse congestos*; *partim eos ex sanguine per vasa arteriosa ad glandulas delato immediatè præcipitari & in intestina porro congeri*, *per hiatus vasorum lymphaticorum copiosissimos*.

c Per magnam evacuationis vim.) *Nempe violenta est spirituum distributio*, *adeoque consumptio in hisce convulsionibus*.

Morbus hic *est* a *valde acutus*, *ac* proinde *periculosissimus*: metus enim est, ne *b* ex humorum perturbatione, & spirituum humorumque *c* evacuatione magna, æger subitò per lipothymiam vel convulsionem extinguatur.

a Valde

a Valde acutus.) *Quia ſæpe intra 3. aut 4. horas è medio tollitur æger.*

b Ex humorum perturbatione.) *Id eſt, ſeceſſione particularum integrantium notabili.*

c Evacuatione magna.) *Hæ evacuationes ſæpe criticæ ſunt, quo in caſu ſi paululum naturam juvemus, facile ad ſe redit.*

Curatio itaque mox ſedulò inſtituenda: *eaque* in humorum deterſione, alteratione, & evacuatione, ac ſymptomatum mitigatione conſiſtet.

Primò itaque, *a* cum etiamnum adſit nauſea, *b* humores ita detergantur, *c* & blande educantur:

℞. *Hordei toſti m.j. ſ.*
Decoque in aqua chalybeata ad tertiæ partis conſumptionem, pro lib.j. Colaturæ adde
Syr. cydonior., acetoſitat. citri an. ℥ j ſ.
Syr. de mentha ℥ ſ.
Miſce. F. Julapium, de quo freqnenter aliquid exhibeatur.

a Cum etiamnum adſit nauſea.) *Si æger ſine magnâ moleſtia poteſt vomere; nihil eſt quod impedit, quo minus exhibeamus lene aliquod vomitorium, præſertim ſi magna ſaburræ copia in ventriculo hæreat; hunc in finem conveniens eſt conſerva Aſari, ol. olivar. ol. amygd. dulc. &c. ſi vero vomitus non ſequatur, tunc ſaltem temperabuntur à particulis oleoſis cauſa morbi ſalina & pinguis, ſeu bilioſa.*

b Humores ita detergantur.) *In Curatione deinceps temperantia, & detergentia ſunt uſurpanda, ut in diarrhęa, poſtea leniter adſtringentia, propinanda: quod fieri poteſt ol. nucis moſch. expreſſ. tum nimirum, cum tantum ſupereſt diarrhæa.*

Ad temperandam acrimoniam commode exhiberi poteſt ſequens:

℞. Ol. nuciſt. expreſſ. gr. xv.
Laud. opiat. gr. j. aut ij.
Miſce, ſumatur cum cereviſia, juſculo aut vino rubello calido.

c Et blande educatur.) *Blanda eductio unde illa fiat, non video, quoniam nulla adſunt purgantia, neque emetica.*

Interea temporis frictiones & ligaturæ fiant brachiorum & crurum, ſubinde ſolvendæ; ut iis fluxus humorum ad ventrem nonnihil ſufflaminetur.

Poſt abſterſionem leniter factam, & ubi materia corrupta ſic *a* ſatis evacuata fuerit, *b* exhibeatur hoc electuarium corroborans:

℞. *Conſervæ roſar. antiq.*
Radic. cichor. an. ℥ j. ſ.
Rob. de ribes, carnis cydonior. an. ℥ ſ.
Sem. acetoſæ, citri pulv. an. ℥ ſ.
Cornu cervi uſti præp. ʒ j ß.
Cum ſyr. de acetoſitate citri q. ſ. F. Electuarium, de quo ſumat frequenter quantitatem caſtaneæ majoris.

a Satis evacuata fuerit.) *Evacuatio hæc optimè procedit per rhabarb. pulver. gr. xvj. xx. quod primò purgat leniter, poſtea vero adſtringit.*

b Exhibeatur electuarium.) *In cholera humida maxime commendant Auctores cryſtallum montanam in pulverem impalpabilem contritam (ne ſcabrities lędat ventriculum & inteſtina) ad* ʒ ß. *illud ergò ſi haberi poſſit, addatur electuario: pannus porrò in vinum rubrum immerſus ventriculo applicetur.*

Aut etiam clyſter paretur ex decocto

vervecis, aut vituli, cui inter decoquendum addi potest:

Rosf. rubr. m.j. & in colat. ℥x. dissolve
Theriac. recent. ʒij.
Vitell. ovi Num.j.

M. f. clyster, qui, si opus sit, reiteretur: tutissime sumuntur

Tinct. opii gutt. xxx. vel XL.
Theriac. recent. ʒj. cum
Vino calido rubro

sumatur. Aut

℞. Theriac. recent. aut
Diascord. ʒj.
Laud. opiat. gr. ij.
Caphur. gr. iij.
Sacch. Saturni gr. v.

M. f. Bolus cum vino rubro rhenano sumendus.

Ubi intempestivum fuerit adstringere, capiantur tinct. cap. mort. lap. hæmat: gutt. iij. jv.

Ubi per diem unum & alterum symptomata vehementiora quieverint, blando cathartico reliquiæ materiæ peccantis, si quæ supersint, educi poterunt.

In *victus* ratione, *a* *Aër* ad frigidum paululum declinet. *b* *Cibus* sit ex ovis sorbilibus, carnibus gallinarum, vervecum. *c* Parum autem alimenti admittat, donec vehementiora symptomata mitigata fuerint. *Potus* sit cerevisia tenuis. *Quies* corporis imperetur. *Somnus* omni ratione conciliandus. *Vitetur* ira, mœstitia, sollicitudo.

a Aër.) *Sit temperatus.*

b Cibus sit.) *Victus sit nonnihil incrassans, sale, fumigatione, & aromaticis carens, proficiunt panatellæ crassiusculæ, mala chinensia, citria, aurantia, gelatinæ, acidiusculæ, hordeata, decocta capitis, pedumq; vervecis & vituli.*

c Parum alimenti.) *Cavendum interea, ne per nimiam abstinentiam sanguis fiat acrior.*

XXVI.

MEDICATIO JUVENIS, DYSENTERIA EPIDEMICA LABORANTIS.

JUvenis 25. annorum biliosus, *a* diarrhæam biliosam per tres dies tempore dysenteriæ *b* epidemicæ, cum virium jacturâ, ex frequentioribus dejectionibus ortâ, passus, sanguinolenta *c* spermatique ranarum simillima jam frequenter excernit excrementa. Adsunt dolorosa *d* ventris tormina, tempore excretionis potissimum molesta. Pulsum habet justo celeriorem, *e* caloremque totius corporis acrem ac febrilem. Siti, anxietate, & vigiliis magnopere inquietatur.

a Diarrhæam biliosam.) *Hæc jam videtur prior & levior effectus causæ epidemicæ, & prænuncia majoris gradus sc. dysenteriæ.*

b Epidemicæ.) *Endemiam quibusdam regionibus, ut Hyberniæ, esse dysenteriam notat* Thomas Sydenham.

c Spermatique ranarum) *Hoc docet multum salis corrosivi latere in pituita viscosa; habet dysenteria varios gradus*

pro quorum ratione, nonnunquam sanguis spumosus,& floridus, nonnunquam purulentus fœtens cum filamentis copiosis, nonnunquam nigricans, per anum frequenter excernitur. Vid. Riv. prax. lib. 11. cap. 6.

d Ventris tormina.) *Tormina hæc indicant jam plus quàm primum gradum adesse dysenteriæ, in quo dejiciuntur quasi loturæ sanguinolentæ carnium,& absque his torminibus & exulceratione intestinorum, vocatur, fluxus hepaticus. Exempla dysenteriæ indolorificæ: vid. in* misc. cur. ann. 2. dec. I. obs. 43. & 44. Hipp. lib. 2. epid. text. 25. *confer* Joh. Rhod. cent. 2. obs. 89. *glandulam per alvum rejectam vid. apud* Corn. Stalp. van der Wiel. cent. post. obs. 24. misc. cur. dec. 2. ann. 3. obs. 187.

e Caloremque febrilem.) *Febris comitatur dysenteriam, primò ob ingentes dolores: secundò, ab inflammatione, tertiò, quod aëri permixtum sit tempore epidemicæ dysenteriæ, fermentum acre, quod sanguinis mixturam turbare & febrem acutam excitare poterit.*

Afficiuntur in hoc ægro *a intestina*, ut ex sanguinolenta per anum copiosa excretione, torminibus dolorosis conjuncta, est manifestum. Afficitur etiam *cor & totus corporis habitus;* ut ex pulsu celeri, & acri ac febrili totius corporis calore, ac siti, patet.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies intestinorum acris, biliosa,& putrida; quæ eorum tunicam abradens & erodens, sanguinemque & materiam spermati ranarum similem in capacitatem eorum effundens, ipsaque ad eorum excretionem frequentem & dolorosam irritans, febremque inducens, *Dysenteria*, febri comitata, appellatur.

a Intestina.) *Nonnunquàm superiora, & tunc dolores sunt acerbissimi, aliquando inferiora. Quatenùs etiam in dysenteria quâvis, vomitus sunt frequentes, summa cum anxietate urgentes, eatenùs etiam ventriculus affectus dici potest, sed potissimùm per consensum.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est aëris intemperies acris & *b* maligna à qua, in pulmones per inspirationem delata, sanguis in iis existens simili qualitate & intemperie fuit infectus, qui deinde cor ingressus, & inde per totum corpus dispersus, *Antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò istius infecti sanguinis in intestinis à reliquo sanguine separata, *c* ibique putrescens, & acrimoniam sufficientem adipiscens, intestinaque erodens & abradens, *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Causa procatarctica) *A potu lixivii ortam dysenteriam, vid. apud* Joh. Rhod. cent. ij. obs. 68. *ex vino & aceto in vasis cupreis & plumbeis servato, vid.* Hildan. cent. ij. obs. 100. *ex usu brassicæ capitatæ, noxio rore infectæ lethalem dysenteriam, vid. in* misc. cur. ann. 3. obs. 88. *Adamantem impolitum devoratum, cruentæ dejectionis, tabisque lethalis Auctorem fuisse tradit* Zacut. Lusit. prax. adm. obs. 16. *Huc pertinent causæ omnes in diarrhæa & cholera humida allatæ: aliquando oritur dysenteria spuria ab amputato majore aliquo membro v.g. crure, &c. Criticam dysenteriam vid. apud* Rhod. cent. 2. obs. 85.

b Maligna.) *Id est, corrosiva.*

c Ibique adipiscens.) *Non ibi adeò acredinem adipiscitur, sed ea jam fuit in sanguine.*

Putredine enim, perpetuò ad cor veniente, *accendit febrim*, *anxietatem*, *to-*

tius corporis a *ardorem acrem, pulsum celerem, sitim, & vigilias molestas inducentem. Acrimoniâ* verò abradens & corrodens intestina, eaque ad excretionem, per spirituum animalium in fibras obliquè descendentes influxum perficiendum, vellicans, *excitat excrementorum, spermati ranarum visciditate & colore similium, nec non sanguinolentorum excretionem, dolore & torminibus, excretionis tempore, ob* humores tum eò maximè fluentes, *potissimùm infestantibus comitatā.*

a Ardorem acrem.) *Hic ut & alia symptomata, secundum methodum nostram supra propositam, nullo negocio ab acredine explicantur.*

a *Metus* est, ne hic intestina ob acrimoniam materiæ peccantis ita exedantur, ut vasis meseraicis corrosis, sanguis tantâ copiâ effundatur, quæ ægro nostro vitam adimat.

a Metus.) *Tertio interdum die è medio tolluntur dysenterici.*

Propterea quod hæc dysenteria sit epidemica, *idcirco curatu est difficilior, quia cum aëre semper novum miasma inspirando hauritur; aliàs attendendum diligenter, an fluxus sit* criticus, *an* symptomaticus, *ne forte natura in suo opere turbetur à medico.*

Si singultus vel vomitus superveniat, malum est, nam magnitudinem causæ viriumque imbecillitatem arguunt.

Si mentis abalienatio adsit, malum est, si subito sine manifesta causa dolores cessent sine virium restauratione, mors est in procinctu. Confer Hipp. Sect. vj. Aph. 3. 43. 48. Sect. vij. Aphor. 76. 23. 5. Sect. jv. Aph. 24. 26.

Curatio itaque sedulò instituenda; *eaque* in materiæ acris detersione evacuatione, & attemperatione, intemperieique reliquæ correctione, ac intestinorum erosorum consolidatione consistet.

a Primò itaque præscribatur talis haustus purgans:

℞. b *Rhabarbari tosti & pulverisati* c ℈iiij.
Syr. ros. solut. ℥js. *aqu. hordei tosti* ℥ij.
Misce. F. Haustus, mane exhibendus.

a Primo itaque præscribatur.) *Per totum decursum hujus morbi sedulò observandum est, quod non sit adstringendum; priusquam humores acres evacuati, & bene temperati fuerint: aliàs adstrictionem frustra tentamus; morbus enim revertitur majori cum impetu.*

b Rhabarbari tosti.) *Usu ejus aliquamdiu continuato, anodyna, emollientia, detergentia & adstringentia usurpentur.*

c ℈iiij.) *Nimia est dosis, nam omnis subita mutatio mala; ideoque lente procedendum est, præsertim in principio.*

℞. Rhabarb. tosti ℈j.
Conserv. rosar. antiq. ℨj.
M. f. Bolus.

Riverius cent 1. obs. 64. cent. 2. obs. 37. *Circa octavum diem etiam venam secuit. Confer* cent. 2. obs. 44. cent. 3. obs. 2., *quæ ibi quoque administrata est die sexto.*

Evacuatione peractâ, sub vesperam, ad acres humores, febrilemque calorem temperandum, utatur sequenti potione:

℞. *Aquæ acetosæ, fragariæ, folior. quercus an.* ℥iij.
Pulv. nucis moschatæ, cinnamomi, santal. citr. an. ℈s.
a *Coquantur levi ebullitione.* b *Colaturæ adde*
Syr. de acetositate citri ℥j. *mivæ cydon.* ℥ij.
Misce. F. Potio, *qua utatur ad libitum.*

a Coquantur levi ebullitione.) *Aquę hæ coctæ nihil præstant præ aqua simplici: Potiùs*

℞. Theriac. recent. ℥j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. Bolus.

Vide Riv. cent. 3. obser. obs. 84. *ubi decoctum occurrit pimpinellæ,* & cent. 3. obs. 2. *commendat decoctum myrobalanorum.*

b Colaturæ adde.) *Pro aquarum unc. ix. ebullitione adhuc imminutis, additur nimia quantitas syr. & mivæ.*

Sequenti die, pro ulteriore detersione *a* utatur decocto hordei tosti chalybeato; & simul pro corroboratione & refrigeratione præscribatur sequens conditum:

℞. *Conserv. rosar. antiquæ* ℥ʃs.
Diacydon. simpl. ℥ij.
b *Nucis moschatæ condit.* ℨj.
Spec. diarrhod. abbat. ℨʃs.
Cum syr. de acetos. citri F. Conditum, de quo sumat frequenter magnitudinem castaneæ.

a Utatur decocto hordei.) *Huic add. limat. C.C. ut & flor. hyper. Sub forma pulveris etiam usurpari possunt gumm. tragacanth. Arabic. sic etiam sequens Bolus usui esse potest.*

℞. Theriac. recent. drach. j. *aliquando adde*
Laud. opiat. gr. j.
Camph. gr. iij. vel iv.
Syr. pap. alb. parum.
M. f. Bolus.

Postea lenia (si opus sit) adstringentia usurpanda sunt, ut miva cydonior. adeoque conditum Auctoris, quia non subito adstringit, usui esse potest.

b Nucis moschatæ.) *Nux moschata sola quoque prodest, tam recens, quàm tosta.*

Vel potest sumi panis calens albus asperso pulvere nucis mosch. & caryophyll. madefaciendo cum pauxillo vini rubri; sed hoc remedium empyricum, non est generale.

a Circa quintum aut sextum morbi diem, injiciatur *Clyster* talis abstergens, refrigerans, & adstringens:

℞. *Rad. tormentillæ* ℥ʃs.
Herbar. plantaginis, endiviæ, lactucæ an. m. j.
Flor. rosar. rubr. m. ij.
Coque in s. q. aquæ hordei tosti ad ℥xv *quibus colatis adde*
Sacchari rubri ℥j. *mel. rosat. colati* ℥ʃs.
Vitell. ovi Num. j. Misce. F. Clyster.

a Circa quintum aut sextum diem.) *Nempe postquam præcesserunt clysteres emollientes & abstergentes, ex lacte dulci cum terebinthina in vitello ovi dissoluta, melle mercuriali & diascordio, vel philonio.*

Hic ubi per biduum singulis diebus semel injectus fuerit, & intestinorum exulceratio satis detersa, majoris adstrictionis & *a* consolidationis causâ, talis clyster vicissim per biduum, singulis diebus semel, erit injiciendus:

℞. *Rad. tormentillæ* ℥ʃs.
Herbar. plantag., saniculæ, bursæ pastoris an. m. j. ʃs.
Portulacæ m. ij.
Folior. rub., quercus an. m. j.
Sem. plantag., sumach, oryzæ an. ℨiʃs.

Coq. in s. q. lactis chalybeati ad ℥xv. *Colaturæ* c *adde sevi Hircini* ℥j.
succi acaciæ, hypocystidis an. ℨj.
Vitell. ovor. Num. ij. Misce F. Clyster.

a Consolidationis.) *Hunc in finem mirè conveniunt symphytum, & hypericum.*

Ubi *a* per biduum eo usus fuerit, assumenda erunt per os *b* varia adstringentia, quale est hoc electuarium:

℞. *Conservæ rosar. antiq.* ℥ß.
c *Croci martis,* d *corallor. rubr., boli armeni, terræ sigill., an.* ℨj.
Sem. plantag. tosti ℨjß.
Cum syr. de rosis siccis q. s. F. Electuarium, de quo aliquoties in die sumat castaneæ quantitatem.

a Per biduum.) *Illo tamen biduo quiescendum non est ab internis remediis.*

b Varia adstringentia.) *Post multa remedia frustranea,* Riverius cent. 1. obs. 6. *exhibuit* extract. corall. ℈ß. *cum* aq. plantaginis.

c Croci martis.) *Huc quoque spectat tinctura martis adstringens.*

d Corallor.) *Multum hic possunt sudorifera ex*
Theriaca,
Mitridatio
Diascordio cum
Bezoard. mineral. &
Croco.

Quidam pro secreto habent haustum vini Hispanici cum nuce moschata.

Prosunt hic quoque camphora, laud. opiat. cum coagulare animus sit.

Venter foris *a* inungatur unguentis adstringentibus & corroborantibus.

a Inungatur unguentis.) *Admixto opio.* Riv. cent. 3. obs. 3. *ventri adhibet, oxyrhodinum ex Oleo rosaceo,*
Aceto &
Aq. rosacea.

Panis tostus irroretur aceto rosaceo & ei inspergatur pulvis
Menthæ
Absynthii an. drach. j.
Nucis Moschatæ
Acaciæ an. drach. sem.
Mastich.
Rosf. rubr. an. ℈ß.
Camphoræ gr. viij.
M. & imponatur regioni ventriculi.

In *diæta* a *Aër* sit temperatus. *b* *Cibus* sit ex jure carnium, acetosâ, endiviâ, & portulacâ alterato, cum pauco panis candidi benè fermentati; item puls ex oryza. *Potus* sit cerevisia tenuis, & vinum rubellum, adstringendi vim habens. *Quies* imperetur. *Somnus* concilietur; & *Animi affectiones* tristes aliæque vehementes, ablegentur.

a Aër.) *Aër in ejus cubiculo purgari debet, uti in peste fieri solet; & æger caveat sibi à fœtore propriorum excrementorum.*

b Cibus.) *Sit incrassans & emolliens, in casu salino insulsus & acidiusculus.*

XXVII.

MEDICATIO

[a] CHOLERÆ, AB ARSENICO ORTÆ.

ANcilla ab herâ, ad pharmacopolium, cornu cervi, ad vermes intestinorum necandos, emendi causâ missa, attulit (suâ, incertum, an alienâ culpâ) arsenicum; illudque cum rob de ribes mixtum, à matre, rei hujus insciâ, duobus liberis, post cœnam cubitum ituris, fuit exhibitum. Paulo post uterque puer incidit in magnam sitim, stomachi ardorem, ventriculi & intestinorum rosiones *b* acutissimum dolorem inferentes; quem jam secutus est vomitus magnus, alvique copiosus secessus.

a Choleræ ab arsenico.) *Non opus fuerat entia multiplicare citra necessitatem, cum supra medicationem choleræ instituerit.*

b Acutissimum dolorem.) *Summo sæpissimè cum æstu, siti, crebrisque lipothymiis: iidem effectus sunt mercurii sublimati, œnanthes, aliarumque rerum acrium corrosivarum.*

Afficitur in his pueris *ventriculus*; & præterea *intestina*: quod sitis, ventriculi ardor, intestinorum rosiones, vomitus, & alvi copiosus secessus, satis evidenter docent.

Causa hujus morbi *remota* fuit ancilla, quæ arsenicum, loco pulveris cornu cervi, attulit; *Proxima* vero fuit mater, quæ, culpæ commissæ inscia, arsenicum illud, pro pulvere vermibus necandis apto, liberis suis exhibuit. Idque innotuit ex diligenti inquisitione; quæ occasione vehementissimorum symptomatum, in historia superius commemoratorum, & post hujus pulveris sumptionem subitò apparentium, in pharmacopolio postea fuit facta.

Morbus, qui eos affligit, est intemperies calida acris & corrosiva ventriculi & intestinorum; quæ ab arsenico assumpto orta, materiæque acris copiosum vomitum, & excretionem multam per inferiora efficiens, aliaque commemorata gravia symptomata producens, *Cholera arsenicalis* est dicenda.

Intemperies hæc vulgò deleteriæ & *a* occultæ qualitatis vitium esse dicitur. Verùm cum ea in manifestissimo particularum arsenici acumine, quo illæ instar pulveris vitri scindunt; & præterea in vehementissima incalescendi vi, qua illæ, in modum calcis vivæ, urunt, & partes contactas incendunt, reverâ consistat; atque hinc *sitim magnam*, *stomachi ardorem*, *ventriculi & intestinorum acutissimas rosiones*; ac præterea *excretionem rerum acrium, per vomitum & alvi secessum*, jam manifestè producat; &, nisi remedia tempestivè adhibeantur, *singultum*, *spasmum*, *& ipsam mortem*, hac manifestâ suâ acrimoniâ & caliditate, sit productura; nullam causam video, cur non hic in manifesta hujus morbi intemperie subsistamus.

a Occultæ qualitatis.) *Ad hanc magis confugiunt Auctores, ubi venena fuerint assumpta secundi generis, quæ insensibiliter quasi hominem ad lentam mortem deducunt.*

Morbus

Morbus hic cum à causâ vehementissimè agente, *a* gravissimaque symptomata inducente; & ni ei mox obviam eatur, graviora etiamnum inductura, originem ducat; *in maximo vitæ periculo* versantur hi pueri.

a Gravissimaque symptomata.) *Qualia sunt convulsiones, inflammatio & gangræna ventriculi atque intestinorum, lipothymiæ &c.*

a Celerrimâ itaque *Curatione* suppetias ipsis veniendum: *quæ* in arsenici evacuatione, & in ejus reliquiarum acrimoniæ & caloris attemperatione, & in corrosionis ablatione consistet.

a Celerrima itaque curatione.) *Curatio instituenda est, antequam venenum ad sanguinem eat, alias fere frustranea erit.*

Ubi ad somnum proclives sunt, qui hauserunt arsenicum, non male Joël *vult, ut æger arceatur à somno, donec venenum sit vomitu rejectum.*

Singulis itaque eorum *a* mox exhibeatur tale vomitorium; quod simul acrimoniam veneni retundet, & leniet, atque evacuabit:

℞. *Conservæ asari* ℥v.
Contundantur in mortario marmoreo,
Addendo aq. decoct. hord. ℥ij.
Et exprimatur per linteum succus,
Cui adde olei amygdalar. dulc. recentis ℥j.
Misc. F. Vomitorium.

a Mox exhibeatur tale vomitorium.) *Hic statim & sine morâ exhibendum est vomitorium, non ex antimoniatis, mercurialibus &c. quæ acrimoniâ suâ ventriculum vellicando, convulsionem ejus efficiunt adeoque vomitum, sed ex pinguibus & oleosis, particulas acres involventibus, superficiemque ventriculi & intestinorum oblinientibus ac munientibus.*

Ergò potest constare ex oleo olivarum; vel butyro recenti cum lacte tepido, in quo sit coctum semen lini, & additum pauxillum sacchari. Omnia etiam juscula pinguia conducunt, modò non fuerint salita.

Intereà temporis, dum hoc medicamentum præparatur, ut etiam postea quovis tempore, uterque liberaliter subinde *a* bibat cerevisiam in quâ copiosum butyrum est liquatum; eâ enim ratione & evomitio arsenici procurabitur, & acrium & scindentium ac corrodentium ejus particularum acies, per ramosas & plicabiles butyri & olei partes, implicabitur, & obvolvetur; ejusque rosio & scissio calefactioque impedietur: præsertim cum istâ pinguedine etiam ventriculus, *b* & intestina, aliæque partes, sint obducendæ, eâque adversus corrosionem, tum factam, tum faciendam, muniendæ.

a Bibat cerevisiam &c.) Joël *commendat decoctum rad. rapi, & atriplicis, cui butyrum, aut ol. aliquod addatur, sed hæc sunt nimis operosa.*

b Et intestina.) *Ea, quæ per superiora exhibentur, cum vix perveniant ad intestina, quia statim vomitu rejiciuntur, ideo clysteres emollientes quoque injiciendi sunt ex decoct. sem. rapi, atripl. lini, flor. malv. violar. verbasci, in colatura dissolve pulpam cassiæ, & ol. lini, aut mucilag. sem. lini, Psyllii, & vitell. ovor.*

Ubi

Ubi *a* per vomitum purgati fuerint, exhibeatur singulis diebus hoc medicamentum, ad eundem scopum:

℞. *Olei amygdalarum dulcium* ℥iij.
Theriacæ Andr. ℈ij. Misce.

a Per vomitum purgati fuerint.) *Si suspicio sit exulceratæ tunicæ ventriculi & intestinorum post evacuationem veneni, usurpetur therebinthina veneta vitello ovi dissoluta, cum lacte dulci tepido saccharato.*

Ad sitim leniendam hac *a* utantur ptisana:

℞. *Hord. mund. m.j. liquir. ras. passular. an.* ℥ß.
Malvæ m.j. sem. malvæ ʒij.
Coq. in aq. comm. ad lib.j. ß. postea colentur pro Ptisanâ.

a Utatur ptisana.) *Add. C.C. limat.* ʒiij. *rad. scorzon.* ʒij.

Subinde etiam sumant de hoc syrupo.

℞. *Syr. acetositatis citri* ℥iij.
Violacei ℥j. Misce.

Ad veneni hujus partes implicandas & frænandas magnopere etiam conducent sequentes tabellæ:

℞. *a Crystalli veri,*
Margaritarum an. ʒj.
Contundantur, & postea terantur super marmore in alcohol, sive pulverem omni asperitate orbatum; deinde cum sacchari albi ℥iij. *in s.q. aq. melissæ solutis*, F. tabellæ.

Itaque de his *drachmæ quantitas per vices subinde ipsis exhibeatur.*

a Crystalli veri.) Joël *in libro de venenis proponit crystallum fossilem, tanquam specificum antidotum arsenici, sed vix ab eo sperandum est aliquid boni: etiam ejus scabrities à partibus sauciis videtur ferri non posse: aliàs forte materiam æthercam utilem in corpus nostrum introducere posset ad compescendum fermentationes præternaturales: deberet autem in pollinem impalpabilem primum conteri.*

Item magnopere hîc conducit crystalli alcohol, ad ʒj. quantitatem cum oleo amygdal. dulc. recenti exhibitum.

a Lixivium sarmentorum per os assumptum etiam summopere hic prodest: cum salinæ ejus particulæ, cum arsenici particulis acutis, instar pectinum sibi mutuo implicatorum ita inter se contexantur, ut mutuas acies abscondant, atque ita vehementiores punctiones impediant.

a Lixivium sarmentorum.) *Subita actio acidi & alcali hoc in casu est evitanda; sic etiam supra diximus, partes saucias non posse ferre nova hæc acria.*

Postridie ad excretionem reliquiarum veneni, si tormina adhuc adsint, singuli puerorum sumant *a* ʒv. cassiæ recenter extractæ, in forma boli.

a Cassiæ ʒv.) *Sumatur potius præmissis clysteribus mithridati* ℈j. *aut requiei Nicol.* ℈ß. *aut sumantur species Diamargar. frigidi*

Diatrag. frigidi,
Confect. de hyacinth.

Puer quidam hausto copioso spiritu juniperino, indeque semimortuus simili modo curatus fuit.

Tumque in reliquis remediis etiam perseverandum.

Inter *alimenta a* exhibeantur lac, oryza, juscula pinguia, butyrum, malva, portulaca; vitentur omnia alimenta acria.

a Exhibeantur lac.) *Reliqua per diætam emollientem sunt perficienda, sic conveniunt, butyrum recens, oryza, hordeum excorticatum coctum in jure pulli, aut lacte dulci.*

XXVIII.

MEDICATIO VIRI,

a COLICO DOLORE, AB HUMORIBUS *b* FRIGIDIS ET ACRIBUS, EXCARNIFICATI.

Vir quadraginta annorum, otio deditus, pituitosus incidit subito in vehementissimum totius ventris dolorem, qui subinde in varias abdominis partes *c* divagatur: Adest nausea, & sæpe etiam pituitosorum vomitus; qui dolorem tamen hactenus *d* non levavit.

a Colico dolore.) *Latè significat omnem abdominis dolorem; strictè autem solum dolorem intestini coli, cujus cavitas cum sit in sinistro latere minor propter incurvationem, dolor solet eo in loco esse acerbior:*

b Frigidis.) *Ad differentiam colicæ passionis ab inflammatione oriundæ; sed tamen quatenùs mox addit* acribus, *idcircò & hæc passio colica esse potest calida.*

c Divagatur.) *Distinguitur dolor hic à nephritide, quod in hac sit magis fixus circa lumbos, qui externo contactu exacerbatur; urina est pauca, aquosa, arenosa, vel sanguinolenta; sed in colica vagus & sub ventriculum in latere sinistro potissimum se manifestans.*

d Non levavit.) *Propterea quod vomitus non aufert ea, quæ in intestinis continentur; significat quoque humores acres esse tunicis impactos.*

Afficiuntur in hoc ægro *ventriculus & intestina*: ut ex nausea, vomitu, & doloribus abdominis vagis, est manifestum.

Morbus, quo æger affligitur, est intemperies ventriculi & intestinorum pituitosa acris & flatulenta; quæ nauseam, vomitum, & vehementem illum abdominis dolorem vagum excitans, *a Dolor Colicus* pituitosus acris & flatulentus appellari consuevit.

a Dolor colicus.) *Symptoma familiare est scorbuti:* vid. misc. cur. ann. 3. obs. 149.

a *Causa prima* hujus morbi, est otium & temperamentum pituitosum nostri ægri. Hinc multa pituita in corpore ejus genita, & cum sanguine mixta, ac in intestinis existens, *antecedentem* huic morbo præbet causam. In intestinorum verò ventriculi, & præcipuè in coli tunicas & cavitatem effusa, ibique in flatus conversa, eaque acrimoniâ suâ pungens, & rarefactione distendens, & varie per illa discurrens, vomitûs, nauseæ, & doloris istius vehementis & vagi, b *continens* existit causa.

a Causa prima.) *Colicam periculosam à lacte acido, æstuante corpore hausto, vid.* misc. cur. ann. iij. obs. 100. Petrus Borellus cent. 4. obs. 25. *exemplum habet nobilis, qui furtim deglutitis centum aureis nummis, adeò vehementes passus fuerit colicos dolores, ut in vitæ periculum incurrerit: à purgantibus acrioribus, vid.* Forest. lib. 21. obs. 13. Barthol. hist. anat. cent. 4. obs. 23. *Ex hernia inveterata, vid.* Lotich. lib. 4. cent. 6. obs. viij. *Etiam oriri potest colica à lumbricis, calculisque intestinorum, obstructione hepatis, copia & duritie fæcum, &c.*

b Continens.) *Hæc consistit vel in expansione, vel mordicatione fibrillarum nervosarum intestini coli, s. à fæcibus induratis & copiosis, sive flatibus, s. vermibus, humoribus acribus, &c.*

a *Periculum est*, ne hic morbus suâ doloris vehementiâ convulsionem, syncopen, vel intestinorum inflammationem inducat.

a Periculum.) *Quandoque nephritidis est comes, quandoque parit passionem iliacam, paralysin, delirium, &c.*

Curatio itaque therapeutica a circumspectè mox adhibenda.

a Circumspectè.) *Ne videlicet ante evacuationem universalem per intempestiva sudorifera impellamus pituitam acrem in angustias viarum, & tali modo plures & pertinaciores obstructiones oriantur.*

Eaque consistet in humorum pituitosorum evacuatione, flatuum expulsione & discussione, ac intemperiei per contraria correctione.

Mox itaque injiciatur a talis clyster:

℞. *Herb. malvæ, betæ, mercurialis an. m. j.*
Rad. althææ ℥j.
Flor. camomillor. p. j.
Furfuris m. ß.
Sem. anisi, carui, ammi an. ʒiß.
Fœniculi ʒj.
Decoque in aq. comm. ad. lib. j. In Colatura dissolve elect. de hiera picra, diaphœnici an. ℥ß. sacchari rubri, ol. camomil., anethini an. ʒvj. salis comm. ʒj. m. f. Clyster, mox injiciendus.

a Talis clyster.) *Si plethora adsit, aut magna cacochymia, viresque constent, debet vena secari.*

Calidiora possent ingredi hanc formulam, in casu aut pituitæ solius, aut aciditatis, v. gr.

Rad. galangæ
Calam. aromat.
Herb. absynth.
Card. bened.
Menthæ
Rutæ.
Sem. cumini &
Allii an. ℥ß.

F. decoctio in aq. comm. colat. ℥viij. adde,
Aquæ vitæ unc. j.
Bals. sulph. anis. ℈ij.
Mell. mercur. unc. ij.
M. F. Clyster.

Et *a* oblinatur venter calidè hoc oleo:
℞. *Ol. anethini.* b *camomill.*, *lilior. an.* ℥ß.

a Oblinatur venter.) *Externe prodest sacculus ex tritico vel hordeo macerato, tosto, & molâ contrito, cum cumino, sale, & flor. camomill.*
℞. Farin Hordei *aut* Maltæ, m. iij.
Flor. camomill. m. j.
Sem. cumin. unc. j.
Salis m. sem.
Camphor. drach j.
M. pro sacculis, qui calefacti, alternatim imponantur.

Si æger cuminum aut camphoram ferre non possit, substituantur
Sabina
Ruta
Mentha
Majorana
Salvia
Abrotanum
Absynthium romanum, &c.

b Ol. camomill.) *Non putem inunctionem multum posse.*

Si æger clystere purgatus, à dolore non levetur, *a* exhibeatur ipsi hic haustus.
℞. *Pulv. intestinorum lupi, vel testicul. equi* ℈j.
Vini albi ℥iij. *misce, f.* Haustus.

a Exhibeatur ipsi hic haustus.)
℞. Aq. cort. aurant.
Fœn. ana ℥jß.
Sp. Carm. Sylv. ℥ß.
Laud. op. gr. j.
Antim. diaph. ℈j.
Sp. nitr. dulc. gutt. viij.
Syr. pap. rh. ℨvj.
M. f. Haustus.

Lac cum floribus camom., & sambuci coctum, tempore præsertim matutino haustum, prodest, & tum in lecto bene tectus æger contineri debet, ad diaphoresin promovendam.

Sperma ceti recens, & non rancidum cum vino generoso cum successu exhibetur ad ℈ij.
℞. Vini albi Gallici generos. *aut*
Malvatici ℥jß.
Aquæ vitæ Matth. ℥ß.
Ol. amygd. amar ℈j.
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.
Syr. de papav. ℥ij. *aut* iij,
Extract. croci ℨß.
Sp. salis ammoniaci ℈ß.
M. f. Haustus.

Quæ potio fortiter debet conquassari, & quamvis intime omnia non misceantur, parum interest; nam si eo momento, quo concutitur fortiter, bibatur, satis erit mixta.

Aut sumatur tinct. opii cochl. ß.
Cum vino albo calido, cui etiam addi potest
Oleum nucistæ expressum & liquefactum ad gutt. xv. *aut* xx.

Si dolor nihilominus perseveret, vel revertatur, in decocto prioris clysteris dissolvi poterunt aquæ benedictæ Rulandi unc. iv. cum diaphœnici unc. j. atque ita injici per anum.

Postea si etiamnum perseveret, vel revertatur dolor, exhibeatur pilula facta ex *a* gr. v. laudani opiati.

a Gr. v. laudani.) *Nimia est dosis, potius*
℞. Mithridat. ℈j.
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij.

In

In *victus ratione*, Aër sit temperatè calidus, & abdomen calidis tegumentis bene muniatur. *Cibus* sit facilis digestionis, liquidus, minimè flatuosus, ex carnibus vervecinis, pullis gallinaceis; elixis potius, quam assis. Conveniunt hic juscula caponum & pullorum; præsertim in quibus thymus, rosmarinus, hyssopus, origanum, apium, similiaque sunt cocta. Prandium sit parcum, cœna parcior. *Potus* sit cerevisia & vinum generosum. Ante cibum sumtum se *exerceat*; à cibo quiescat. *a Somnus* sit longior solito. *Alvus* respondeat arte vel natura. *Animi pathemata tristia* vitentur.

a Somnus sit longior.) *Per longiorem tamen somnum humores magis incrassantur.*

XXIX.

MEDICATIO JUVENIS, COLICO DOLORE, AB HUMORIBUS CALIDIS ET ACRIBUS, LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum, biliosus, alimentis calidioribus aliquamdiu usus, incidit in vehementissimum ventris dolorem, ab umbilicali regione *a* versus inguen sinistrum præcipuè vergentem, *b* eundemque locum servantem. Cumque ipsi vinum cum aromatibus quibusdam à mulierculis esset exhibitum, *c* doloris cruciatus in universum fuit auctus. Jamque interna lancinari, morderi, & exuri videntur. *d* Adest sitis, linguæ ariditas, insomnia, atque etiam urinæ in excernendo acrimonia; *e* item nausea, & biliosorum vomitus.

a Versus inguen sinistrum præcipuè.) *Colon à dextro inguine incipiens, supra & citra renem sursum ascendit versus hepar, & indè sub costis nothis transversim fertur ad hypochondrium sinistrum, cujus magnam quidem partem occupat, nihilominus tamen mox angustatum contorquetur ad renem sinistrum in hypochondrio sinistro, indeque porrò ad inguen sinistrum, ubi tandem ad os sacrum, in intestinum rectum terminatur.*

b Eundemque locum servantem.) *Signum est, humorem impactum esse membranis intestini coli, adeoque difficiliorem fore ejus curationem.*

c Cruciatus doloris auctus.) *Nempe juvant quidem illa in causa frigida, sed nocent in causa acri s. calida.*

d Adest sitis.) *Hæc videtur comes esse febriculæ alicujus symptomaticæ ex doloribus & fortè etiam inflammationis principio oriundæ.*

e Item nausea, vomitus.) *Hæc symptomata adesse possunt in passione colica, tàm per essentiam, quam consensum.*

Afficitur in hoc ægro *venter infimus*, & in eo potissimum *intestinum colon*; idque ex ingenti illo dolore ventris, ab umbilicali regione, ubi colon angustius creditur, & quo potissimum vergit, versus inguen sinistrum præcipuè inclinante, est manifestum.

Mor-

Morbus, quo hic æger affligitur, *a* est intemperies intestinorum, ac præcipuè coli, biliosa, sive calida & acris, vehementissimum dolorem in illis partibus vehementissimo suo motu excitans; Eaque idcirco *dolor colicus biliosus*, à symptomate, parte affecta, & causa efficiente proxima, appellari potest. Isque ex symptomatis, in historia commemoratis, innotescit.

a Est intemperies intestinorum biliosa.) *Potius temperamentum ægri biliosum, & vomitus biliosorum, significat colicā esse ab humoribus acribus ortam.*

Causa procatarctica hujus morbi, est diuturnus calidiorum alimentorum usus, calidique inde in ægri corpore geniti humores, *antecedentem* hujus morbi constituunt causam.

Pars verò eorum in intestina, ac præcipuè in colon propulsa *a* ab eoq; imbibita, ibique ab aromatibus cum vino exhibitis exagitata, ac illas partes vehementius vellicans, humoresque ac spiritus in toto corpore *b* perturbans, *intemperiei hujus calidæ & acris intestini coli, vehementissimique istius colici doloris*, interna lancinantis, mordentis, & exurentis; *nec non omnium reliquorum symptomatum*, ægrum hunc affligentium, quæque satis facile, ex iis, quæ jam diximus, explicari possunt, *continens* est causa.

a Ab eoque imbibita.) *Omnes corporis partes stabiles, semper & naturaliter imbibunt humores, id est, habent tubulos humoribus repletos, sed præternaturaliter sicubi stagnent, & hæreant, dolores producere possunt, item secretiones, distributiones & excretiones invertere.*

b Perturbans.) *Id est perducens ad solito vehementiorem, & celeriorem motum.*

Pars enim perturbatorum humorum & spirituum ad os & œsophagum delata & partes illas exsiccans *inducit sitim, & oris ariditatem*; ad cerebri verò ventriculos devecta, eosque vehementi spirituum animalium dilatatione, & copiosa in ventriculos cerebri impulsione, nimis diu & vehementer distendens, & expandens, *producit insomniam*; ad vesicam verò cum urinis perveniens, & urethram mordicans, *gignit acrimoniæ in urinæ excretione sensum*; in ventriculum verò effusa, eumque suâ quantitate & qualitate acri & calida ita vellicans, ut fiat influxus vehementior spirituum animalium in fibras ventriculi obliquè ascendentes, excretionique per superiora inservientes, *parit nauseam & biliosorum vomitum*.

a *Periculum* est, ne hic morbus, doloris sui vehementiâ, syncopen, convulsionem, vel intestinorum inflammationem inducat.

a Periculum.) *Colica biliosa sæpe transit in paralysin, præcipuè si bilis viscositatem habeat adjunctam, quod per metastasin fieri vult* Deod. in panth. hygiast. lib. pag. 158. *confer* River. Prax.

Curatio consistet in humorum biliosorum expulsione, intemperiei biliosæ *a* correctione, & doloris ablatione.

a Correctione.) *Singulariter etiam in pororum obstructorum reseratione.*

a Mox itaque injiciatur *b* talis clyster:

℞. *Rad. althææ, malvæ an.* ℥j.

Fol.

Fol. malvæ, althææ, violariæ, lactucæ,
Betæ, mercurialis an. m. j.
Fl. camomill. p. j.
Sem. lini, fœnugræci an. ℥jß.
M. F. Clyster.

a Mox itaque, &c.) *Si plethora, aut magna cacochymia & vires adsint, precedere debet venæsectio.*
b Clyster.) *Sit hic clyster emolliens & carminans, in colat. ℥x. dissolve*
Confect. Hamech. ℥j.
Lap. prunell. ʒij.
Mell. merc. ℥ij.
M. F. Clyster.

Per os etiam capiat talem haustum, acres humores temperantem,
℞. *a* *Syr. ex infusione rosarum pallidarum* ℥ij.
Seri lactis ℥iij. M. F. Haustus.

a Syr. rof. pall. ℥ij.) *Sit istius syrupi* ℥j. *& addatur syr. de papavere* ℥ß.
Si malum est pertinax, adde
Laud. opiat. gr. j. *aut* ij. *aut*
Tinct. opii cochl. ß.
Cum cerevisia bis terve sumantur quotidie,
Spiritus salis,
Sulphuris, *aut*
Nitri ad gutt. vj. *aut* viij.
ad infringendum videlicet salem.

a Postea adhibeantur purgantia, *b* quæ bilem evacuant, quale hoc sequens:
℞. *Fol. senæ mund.* ʒiij. *rhabarb.* ʒj.
Sem. anisi ℈iiij.
Infundantur in aq. decoctionis hordei q. s.
Colaturæ fortiter expressæ adde
Syr. de cichorio cum rhabarb. ℥j. M. F. Haustus.

a Postea adhibeantur purgantia.) *Primò dolores atrocissimi leniendi sunt, & impetus humoris acris infringendus est, per tincturæ opii cochlear unum, ut ita inducias habeat æger, & medicus tempus lucretur ad salem viscidum educendum.*
Dein lenis purgatio institui debet cum extr. rhabarb. ℈ij. *aut gr.* LXV.
Postea sudoriferum exhiberi potest, quod simul nonnihil sit anodynum: ex. g.
℞. Bezoar. miner. gr. xiv. *aut* xviij.
Croci gr. vj.
Camph. gr. iij. *aut* iv.
Laud. opiat. gr. j. ij.
Aq. card. ben. unc. ij.
Spir. sal. dulc. gutt. v.
Syr. papav. unc. sem.
M. F. Haustus.
b Quæ bilem evacuant.) *Generatim hic notandum, quod purgantia vehementia hic sint vitanda, sed* Hartmannus *commendat extract. esulæ majoris.*
℞. Extr. rhabarb. ʒß.
Resinæ scammon. gr. ij. *aut* iij.
M. F. Pilulæ.
Diuretica etiam multum salis eliciunt ex corpore.

Ad ventris inunctionem *a* adhibeatur tale linimentum:
℞. *b* *Ol. rosac., camomill.* ℥vj.
Butyri vulgaris ℥ß. *misce.*

a Adhibeatur tale linimentum.) *Quanquam putem id non magis hic, quam in med. præced. adjuturum esse; tamen si quis volet,*

℞. Un-

℞. Unguent. de arthanita unc. j.
Camphoræ ℈j.
Laud. opiati ℈ß.
Ol. papav. *aut*
Hyoscyami q. s.
M. F. Linimentum.

Doloris mineram (inquit curiosissimus Engelbertus Kempfer dec. obs. exot.) *nõ intra intestina semper latere, sed frequentissime in membranoso genere, intestinis, mesenterio, omento, peritonæo, musculisque abdominis à concluso flatu acri distendente excitari, felicissima curatio illa docet apud Japonenses, quæ Acu-punctura absolvitur, &c. vid.* cit. Auct. §. ix.

In magnâ doloris perseverantis contumaciâ *a* exhibeantur pilulæ laudani opiati gr. iij. vel iv. cum vel sine lacte amygdalato.

a Exhibeantur pilulæ laud. opiat.) *Aut pilul. de cynoglossa gr. vj. aut viij. Vide* Ruland. cent. 3. curat. 5.

Balnea hic etiam conveniunt ex decocto malvæ & violariæ, cum floribus chamæmeli.

Victus ratio a sit frigida & humida. Cremor hordei hic est utilis, & lactuca; sive cruda, sive cocta, & alia ejus generis. Laudantur hic pedes, & extremæ partes vitulorum & ovium. *Potus* sit cerevisia tenuissima.

a Sit frigida.) *Frigida hic non prosunt, nisi nitrata sint, quia potius magis claudunt & obstruunt: ergò sint temperata, juscula condiantur taleolis citr. vel aurant. temperata.*

XXX.

MEDICATIO VIRI,

ILIACA PASSIONE

LABORANTIS.

VIr 36. annorum, ingluviei deditus, cum varii generis malis cibis longo tempore esset usus, incidit in intolerabilem doloris cruciatum; totum quidem ventrem circumdantem, sed maximè in umbilicali regione, & circa hypochondria, ipsum miris modis torquentem. Accessit cibi fastidium, & deinde etiam vomitus, quo nec cibus, nec potus, retineri potest. Multos *a* corruptos humores per superiora excrevit. *b* Alvus ita adstricta est, ut nullum flatum, necdum quicquam aliud, per inferiora excernere queat.

a Corruptos humores.) *Ergò hic gradus iliacæ passionis non est maximus, in quo excrementa stercoracea evomuntur, unde ægri hoc affectu laborantes,* Hippocrati *dicuntur* κοπριήμετοι, *i. e. merdivomi.*

b Alvus ita adstricta est.) *Hæc alvi adstrictio, cum intestinorum convulsione, horrendis doloribus, & vomitibus stercoraceis, constituunt essentiam iliacæ passionis.*

Affi-

Afficiuntur in hoc ægro *ventriculus & intestina*, ac inter ea potissimum *intestinum ileum*. Idque ex vomitu & ingenti illo dolore, totum quidem ventrem, sed regionem umbilicalem & hypochondriorum, ubi intestinum ileum situm est, potissimum occupante, est manifestum.

Morbus, quo hic æger affligitur, est intemperies ventriculi & intestinorum, *a* ac præcipuè ilei, acris *b* & putrida, *c* & forsan eorum etiam angustatio; quæ dolorem crudelissimum in iis partibus, ac præcipuè in ileo, ac *d* præterea corruptorum humorum per superiora copiosam excretionem per inferiora impediens *e* *Ileus, vel Iliaca passio*, à parte præcipuè affecta, vulgò appellari solet.

a Ac præcipuè ilei.) *Non opus est hic illa anxia partium distinctione, nam iidem etiam effectus oriri possunt ab affecto intestino colo.*

b Et putrida.) *Quid opus est hoc obscuro uti vocabulo? an non sufficit intemperies acris corrosiva?*

c Et forsan etiam angustatio.) *Vid.* Fred. Ruysc. obs. anat. chirurg. xcj. *ubi ilei affectus veræ causæ, per varia exempla sunt demonstratæ.*

d Ac præterea corruptorum humorum.) *Etiam aliquando fœcum alvinarum, nec non clysterum, & suppositoriorum.*

e Ileus, vel iliaca passio.) *Item volvulus, miserere mei, Chordapsus.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est ingluvies illa, quâ varii generis pravi cibi diu à viro hoc ingesti fuerunt. Pravi verò & corrupti humores hinc in partibus affectis, jam commemoratis, geniti, ibique existentes, & cum sanguine mixti, & per corpus diffusi, *antecedentem* hujus morbi constituunt causam.

a Causa procatarctica.) *Ab immoderatiore casei esu, ortam passionem iliacam, vid. apud* Helwig. obs. 90. *ab ossiculis parvis gallinarum & avium in vetula, vid.* misc. cur. ann. 6. obs. 44. item in Schol. ad eandem obs. Platerus lib. 3. obs. p. 656. *refert quod in puero hydropico & volvulum intestinalem perpesso, post obitum intestina non solùm flatibus fœcibusque admodum distenta, sed & vermibus vivis ac oblongis, qui rursùs aliis minoribus referti erant, repleta invenerit: ab hernia tam umbilicali, quàm inguinali & scroti vid.* misc. cur. ann. 8. obs. 93. ann. 4. obs. 79. Sylv. prax. lib. j. cap. 15. §. 82. *observavit ilei gangrænam. Ex scyrrho & ulcere cancroso intestini cæci vid.* Hild. cent. j. obs. 61. &c.

Pars verò eorum ab illis imbibita, eaque suâ acrimoniâ & copiâ vellicans & forsan etiam crassitie suâ, *a* vel convolutionem eorum *b* pravam excitando, angustans, *intemperiei hujus, ac doloris crudelissimi; nec non excretionis per superiora institutæ, per inferiora verò*, ob spiritus animales, qui in fibras intestinorum obliquè ascendentes fortissimè ab irritatione hic factâ fluunt, penitus impeditæ; itemque cibi fastidii, *c* *continens* est causa.

a Vel convolutionem.) Hofferus *negat hanc convolutionem fieri posse, sed ratio & experientia contrarium docent.*

b Pravam.) *Id est, quasi in nodum unum vel plures, quod facile explicatur ex convulsionis essentia.*

c Continens causa.) *Causa frequens est obstructio intestinorum à fœcibus induratis, aut ab inflammatione, vel exulceratione intestinorum à bubonocele, vide* med. seq. *vel ab intestinorum colico dolore vehementiori, unde intestinorum fit convulsio.*

a *Periculum* est, ne hic morbus, stercoris vomitum inducat, & ægrum syncope, doloris vehementiâ inducta occidat.

Diligentissima itaque *Curatio* mox est adhibenda; *Eaque* in humorum pravorum per inferiora eductione, doloris sedatione, & intemperiei per contraria correctione consistet.

a Periculum.) Celsus *dicit, quod si morbus non resolvatur ante septimum diem, occidat, vide* Hippocr. Sect. 6. Aphor. 44. Sect. 7. Aph. 10. *si extrema frigeant, oriaturque lipothymia, mors est in propinquo.*

Mox itaque *a* injiciatur talis clyster:

℞. *Malvæ, bismalvæ, mercurialis, betæ, an. m. j.*
Rad. althææ ℥ij.
Flor. meliloti, camomill., an. m. ß.
Caricar. ping. ℥ſ.
Decoq. b *in jure pulli ad lib. jſ. in Colaturâ*
Dissolve c *electuar. diacatholici, diaphœnici an.* ℥j.
Vitelli ovi Num j. d *butyri, ol. anethini an.* ℥jß.
e *Salis comm.* ʒj. *Misce* F. Clyster; mox injiciendus, & quam diutissimè æger poterit *f* retinendus, & aliquoties reiterandus.

a Injiciatur talis clyster.) *Si passio iliaca producatur ab inflammatione, quod patet ex febri continua acutâ, venæsectio debet præcedere.*

Dein clyster debet injici, qui hic optime convenit ex lenientibus & emollientibus paratus, ut ita partim humores acres temperentur, partim ut viæ lubricentur, & denique ut fœces duræ emolliantur.

Non autem magnâ quantitate simul & semel injiciendus est clyster: ne nimium distendantur intestina, & dolor exacerbetur: adeoque dosis ad unc. x. *sufficiet.*

Aliqui intestina mediante folle distendere conantur, ut eò facilius fœces descendant, sed tamen plus nocet talis operatio quam prodest, nam si fœces induratæ sint, quo pacto contra aëra folle inflatum descendant, non video, sed cum flatus remittitur, intestina arctius constringuntur ob majorem influxum spirituum animalium; ad hæc, pori à vento frigido constipantur. River. *commendat clysma ex decocto intestinorum & omenti vervecis in quo butyrum, & sal gemmæ dissoluta sunt, alii laudant decoct. hord. in quo nitrum ad* ℥iij. *dissolutum sit.* Rulandus *habet observationem ilei periculosi curati clystere ex ol. sem. lini* ℥vj. *trochisc. alb.* ʒjß. *quæ simul postquam ebullierint, partim ventriculo inunguntur, partim injiciuntur formâ clysteris. Clysteres ex fumo Tabaci dicuntur præstantissimi, prout videre licet apud* Barthol. cent. 6. epist. pag. 523. item cent. ult. histor. anat. *Instrumenta autem & injiciendi modum, vid. apud* Theod. Schoon *in* Exercit. phytolog.

b Jure pulli.) *Quod sit insulsum, aut in aqua hordei, aut si febris absit in lacte dulci: si sit ab inflammatione, fiat decoctio in oxycrato ad unc.* viij. *vel* x.

c Elect. diacathol.) *Ubi ter quaterve injectus fuit clyster, & jam minor est convulsionis metus, clysteri aliqua vis potest addi ad expellendas fœces, adeoque in eo dissolvi poterunt elect. diacathol. drach. vj.*

d Butyri, ol. anethini.) *Optimus clyster leniens paratur etiam ex ol. olivar. cum parte butyri insulsi.*

Si materia per vomitum ejecta fuerit biliosa, tunc ab oleosis possumus abstinere.

e Salis.) *Hunc vitandum esse putem, nisi forte absente acredine, nè flatibus intestina tendantur.*

f Re-

f Retinendus.) *Ergo sal absit; nam mora clysteris juvat, ubi ileus est à fœcibus induratis. Tunc, postquam collegimus omnia satis esse emollita, potest in secundo, aut tertio clystere sal addi.*

Ubi per inferiora excretio aliqua facta fuerit, *a* tale purgans per os dandum erit:

℞. *Cassiæ recent. extractæ* ℥ß.
Electuar. diaphœnici, diacatholic. an. ℥ij.
b *Ol. anisi* ℈ß.
Aq. decoct. hordei q. s. Misce F. Haustus *brevis*.

a Tale purgans.) *Rectè purgans non præscribitur, priusquam sedata fuerit intestinorum irritatio, eorumque motus inversus. In casu desperato assumi potest mercurius vivus ad aliquot uncias, pondere enim suo & mobilitate magnâ globulorum, scybala deorsùm pellit: postea autem commendantur juscula pinguia non salita, nec non corporis saltationes, ut melius descendere possit mercurius. Alii commendant globulos aureos & plumbeos, verùm hi magis sunt periculosi, minusque efficaces: conf.* River. in prax. Henr. ab Heers, Joh. Rhod. Lyser. in obs. cult. anatomico *adjunctis*.

b Olei anisi.) *Nimis calidum & acre esset, nisi viscidus & acidus humor peccaret.*

Per os etiam exhibeatur *a* oleum amygdalarum dulcium ad uncias duas, cum jure vervecino mixtum.

a Oleum amygd.) *Pinguia hic suspecta sunt in casu inflammationis.*
Pro vomitu optimum est ol. nucistæ: vel quod sequitur.
℞. Ol. nucistæ expr. gr. xiij. xv.
Salis absynth. scrup. j.
Croci gr. vj.
Laudan. opiat. gr. ij.
M.
Horstius *dicit sese iliacos curasse solo elyx. propr. Par. sed id vix credibile est; est tamen medicamentum proficuum.*

Venter *a* foveatur tali fomento:

℞. *Fol. malvæ, althææ, violariæ, an. m.* j ß.
Flor. camomill., meliloti an. m. s.
Sem. lini, anisi, anethi an. ℥j.
Decoq. b *in aq. comm. q. s.* pro Fomento.

a Foveatur tali fomento.) *Aliqui pro fotu utuntur spir. vini solo, si sit ab humoribus frigidis; aut, uti dicunt, à flatibus.*
Etiam balnea parantur ex oleo solo, vid. Riv. in Praxi.
Fotus generatim potest fieri ex sedimentis clysteris.

b Aq. communi.) *Potius in lacte dulci aut aq. hordei, porro ex sedimentis hujus fomenti fiat cataplasma.*

Et postea venter oblinatur tali oleo:

℞. a *Ol. anethini, camomill.*
Amygdalar. dulc. an. ℥vj. *Misce.*

a Olei anethini.) *Potius*
Hyoscyami *aut*
Papaveris *& addantur*
Mucil. sem. fœnugræc.

Lini	Anatis &
Psyllii *cum*	Butyro recenti insulso.
Axungia gallinæ *vel*	*M. f. Linimentum.*

Dolore perseverante exhibeatur talis bolus:
℞. a *Theriacæ Andromachi* ℈ij.
Requiei Nicolai ʒß.
b *Laudani opiati gr.* iij.
Cum syr. de papav. alb. q. s. F. Bolus.

a Theriacæ Androm.) *Add. camphoræ gr.* v. *vel etiam salis, seu sacchar. Saturni gr.* v. *aut* vj. *præsertim in inflammatione.*
b Laud. opiat.) *Narcotica tolerari possunt ob dolores atrocissimos: sed tamen alvum magis constipant.* Paulus Barbette *dicit, aliis nil juvantibus remediis, apertionem abdominis instituendam esse, & manuali opera situm intestinorum corrigendum; sed crudelis non solùm est, verùm & periculosissima talis operatio.*

In clystere etiam antea proposito, addi poterit a philonium Romanum ad drach. jß. vel drach. ij.

a Philonium.) *Aut tinct. opii cochl.* j. *aut* ij.

In *victus ratione*, Aër sit calidiusculus. *Cibus* eupeptus & euchymus, ex jusculis. *Potus* sit cerevisia & a vinum mediocre. *Somnus* sit longior. *Alvus* respondeat arte, vel naturâ: *Tristia* vitentur.

a Vinum.) *Hoc potiùs planè omittendum: Bibat æger ptisanam aliquam emollientem loco cerevisiæ; Sedeat æger aliquando in semicupio emolliente, ad regionem pectoris usque.*

XXXI.

MEDICATIO FOEMINÆ, ILEO, EX BUBONOCELE LABORANTIS.

Mulier quadraginta annorum, jàm à multis annis a ex partu in dextro inguine herniosa, incidit in diarrhæam; quâ, dum alvum frequenter deponere cogitur, intestina, quę ligamentis externis artificialibus in loco suo retinere solebat, in inguen cum tumore sunt prolapsa; cumque ea b ob duritiem renitentem, in locum reduci non possent, incidit in intolerabilem ventris dolorem, circa umbilicum ipsam potissimum torquentem, ac cum vomitu enormi & continuo variorum excrementorum, imo ipsarum etiam fœcum alvi, conjunctum. Jam à biduo hoc torquetur malo, multaque remedia per os & anum sunt

sunt adhibita, sed ea hactenus fuerunt irrita. *c* Adest febricula.

a Ex partu in dextro inguine herniosa.) *Tumores, qui in inguine oriri solent, plerumque sunt quadruplices:* primo *pestilentiales*; secundo, *venerei*; tertio, *tumores vulgares glandularum in inguinibus*; quarto, *herniæ, ideoque attendendum est, quinam sit humor, ne alias magna producantur incommoda.*

Refert enim Aquapendens part. 1. cap. 72. *de Chirurgo, qui, cum putaret tumorem, quem curabat, esse venereum, applicavit et emollientia, & cum ad maturitatem jam videretur perductus, Lancettâ tumorem pertundit, & simul quoque intestinum, unde mors brevi subsecuta est: Signum diagnosticum, tumoris ab intestinis prolapsis oriundi, est, quòd ægro jacente supino situ, capite deorsum, & pedibus sursum, tumor diminuatur, & subsidat.*

b Ob duritiem renitentem.) *Hæc durities dependet à fœcibus induratis.*

c Adest febricula.) *Hæc est symptomatica.*

Afficitur in hac ægra *inguen dextrum*, quod ex ejus tumore; & *intestina*, *a* quod ex dolore ventris, circa umbilicum ipsam potissimum torquente, & tumorem in inguine faciente, nec non ex enormi illo vomitu, est manifestum.

a Quod ex dolore.) *Non adeò dolor potuit hunc tumorem fecisse, quam quidem intestinum prolapsum.*

Morbus, qui ipsam affligit, est tumor inguinis dextri, ex intestinorum in illud prolapsu ortus; qui intolerabilem ventris dolorem, vomitumque excrementorum imo etiam ipsarum fœcum, enormem & continuum faciens, a *Ileus b ex Bubonocele* appellari solet.

a Ileus.) *Rarum est, quod habet* Schenk. lib. 3. obs. de ileo contagioso; *item quod refert* Amat. Lusit. cent. 7. cur. 93. de ileo epidemico, *in quo unà cum Scybalis vermes per vomitum rejiciebantur. In Insula Americana Jamaica, dicitur hic affectus* endemius. Pet. Forest. lib. 21. obs. 19. in scholio *notat ex* Dodonæo *ileum periodicum, tertio quoque die recurrentem: forsan autem magis fuit colica, quàm iliaca passio.*

b Ex bubonocele.) *Simile quid vid.* in misc. cur. dec. 2. ann. iij. obs. 125.

a *Causa procatarctica* hujus morbi *b* est diarrhæa illa; qua ægra alvum frequenter evacuare, corpusque *c* inclinare coacta, intestina cum copiosis fœcibus frequenti illo motu *d* in inguen deturbavit; eaque ibi hærentia, atque contorta ac pressa partesque vicinas distendentia, ac dolorem in iis excitantia, descensumque excrementorum impedientia, *continens* hujus morbi & symptomatum sunt causa.

a Causa procatarctica.) *Hic Auctor nihil profert de partu difficili, quem tamen in historia attulit ut bubonoceles causam concurrentem.*

b Et diarrhæa.) *Diarrhæa hic vix dici potest causa herniæ, cum hernia jam fuerit ipsi ante diarrhæam; dein etiam multi diarrhæa laborant, non tamen hernia: adeoque aliud quid requiritur, nempe primò, ut fœcibus intestina distendantur: secundò ut peritonæum rumpatur, aut dilatetur.*

c Inclinare.) *Præsertim si gravida fuisset mulier.*

d In inguen.) *Dilatato videlicet vel rupto peritonæo, cujus occasio potest esse saltus, lapsus, ictus, & elevatio nimii ponderis.*

Ab

Ab illapsis enim intestinis factus est inguinis tumor & tensio, & intestini clausio; indequè dolor; & à dolore pori in cerebro ita fuerunt aperti & spiritus ita in eo determinati, ut illi in inguen multos, *a* impellerent humores, tumoremque & dolorem ita ibi augerent, ut tumor induraretur, & *b* dolor intolerabilis evaderet: in fibras verò intestinorum oblique ascendentes spiritus continuò ita influerent, ut ea, versus superiora magno impetu ab iis contracta, quicquid in iis continetur, magnâ vi per vomitum continuò ejicerent.

a Impellerent humores.) *Dic potius, quia humorum circulatio & fæcum descensus ibidem sistitur per pressionem prolapsi intestini.*

b Dolor intolerabilis.) *Hic est convulsionum, & febris symptomaticæ causa.*

Morbus hic periculosissimus est. Metus enim est, ne intestini illapsi fiat inflammatio, ex qua oriatur gangræna. Et præterea, ne ex vomitu & dolore vires ita prosternantur, ut ægra in lethalem incidat lipothymiam.

Celerrima itaque, quantum fieri potest. *a Curatione* morbus est impugnandus: quæ tota *b* in intestini reductione, & doloris sedatione consistet.

a Curatione.) *Curatio ut in præcedenti affectu consistit in emollitione, & discussione flatuum per externa & interna.*

b In intestini reductione.) *Intestina, præmissa emollitione iterum sunt leniter reponenda in suum locum, & retinenda subligaculo conveniente, postea leniter adstringentibus est procedendum, ut peritonæum dilatatum iterum sensim contrahatur.*

Itaque tali decocto emolliente & flatus discutiente inguen dolens continuo *a* foveatur:

℞. *Fol. malv., flor. camomil., anethi,*
Sem. lini an. M.j. *sem. cumini* ℥ij.
Concoquantur in lacte bubulo pro fotu, quo spongiæ imbuantur, eæque calidæ adhibeantur, & leni pressione manuum reductio intestini tentetur.

a Foveatur.) *Fotus emolliens simul & discutiens præscribi debet, ut fibræ blandè relaxentur, dolores leniantur, & flatus dissipentur, atque postea leni pressione manus intestinum potest facilius reponi, sic & fæces stabulantes intra prolapsum intestinum duriores emolliuntur nonnihil, atque facilius ad anum delabuntur.*

Dum autem hoc agitur, ægra ita in lecto erit collocanda, ut *a* caput valde sit declive, crura vero elata.

a Caput valde sit declive.) *Nonnulli pedibus suspensi citissime liberati fuerunt.*

Præstantissimum gluten dicitur ad hernias recentes, ab exuviis, sive cute anguillarum paratum.

Si vero hac ratione intestinum non potest reduci, cutis & peritonæum in inguine, ad intestini illapsi restitutionem, *a* chirurgiâ erunt aperienda: & intestina reducta, ope subligaculi, in abdomine retinenda.

a Chirurgia erunt aperienda.) *Confer* Soling. manual operat. & A. Nuck exper. chirurg.

XXXII.

MEDICATIO VIRI, *a* CHOLERA, CUM CONVULSIONE, LABORANTIS.

VIr triginta annorum, craſſus *b* & ingluviei deditus, incidit in enormem evacuationem *c* ſpontaneam, qua *d* multa corrupta per ſuperiora & inferiora magno impetu rejicit. Hanc ſubſecuta eſt ſyncope; à quâ vix liberatus mox prolapſus eſt in magnam muſculorum manuum, pedum, crurum, colli, gutturis, pectoris, dorſi, & ventris inferioris, contractionem; quæ tantis doloribus *e* & animi deliquiis eſt comitata, ut adſtantes ipſum jamjam moriturum metuant.

a Cholera.) *Vix aliquid hìc notatu dignum occurrit peculiare, præter ea, quæ ſupra medicationibus de cholera continentur; convulſiones enim aliorum membrorum, non minus quàm ventriculi & inteſtinorum, ex eodem fonte ſunt petendæ.*

b Ingluviei deditus.) *Hoc liberat à ſuſpicione veneni.*

c Spontaneam.) Joh. Nic. Pechlin. obſ. LV. lib. j. *ita loquitur: utut aliquando fluxus ille ſit ſymptomaticus, & ab errore vel ægri aut medentis natus, plerumque tamen criticus eſt, ſubitoque & vehementer, quæ eſt Criſis natura, ægrum abſolvit, ne quis tantum viribus cum illa excretorum mole deceſſiſſe credat.*

d Multa corrupta.) *Idem laudatus* Pechlin. loc. cit. *eleganter dicit. Ego vero nec hoc obſervare potui, bilis aut bilioſum eſſe ſemper hunc fluxum, quando & ſeri & alterius malè corrupti humoris ingens copia maximam excretionis partem faciat. Eſt quidem, non diffiteor, humor, ſi quis alius, bilis potiſſimùm ad* εὔροιαν *prona & volubili impetu, attamen, ſi copiam & celeritatem excretionis in cholera conſidero, non video, quomodo ab una veſicula fellea & hepate, quantumvis mole magno, repeti illa poſſit. Et quamvis quotidianum non ſit choleram eſſe* ἄχολον, *omniſque bilis expertem, novi tamen, quibus ſerum ſolum, idque limpidum, dulce & ad frigus congelabile* ἄνω καὶ κατω *prodierit, incomitata bile, certè non animadversâ.*

e Animi deliquiis.) *Partim ob magnam ſpirituum evacuationem; & partim quia cor & vaſa arterioſa convulſivos quoque motus patiuntur, eoſque contrarios motibus rarefactionis & circulationis.*

Partes, quæ in hoc ægro afficiuntur, ſunt *ventriculus & inteſtina*, ut ex vomitu & alvi ſeceſſu: *cor*, ut ex ſyncope: item *muſculi totius corporis*; nec non *cerebrum*, ut ex ingenti illa partium contractione eſt manifeſtum.

Mor-

Morbus, quo hic æger laborat, *a* est intemperies ventriculi & intestinorum varia, acris & nidorulenta, ac corrupta: quæ vomitum alvique secessum copiosum, animique deliquia, & musculorum totius corporis contractiones vehementes inducens, *Cholera convulsione comitata*, appellari potest.

a Est intemperies varia.) *Id est, partim viscosa aut serosa, partim acris in sanguine; illa obstructiones in tubulis partium affectarum facit, hæc vero vellicationem.*

Causa procatarctica hujus morbi est ingluvies nostri ægri, qua multi variique humores acres, in corpore ejus geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum, *a* circa ventriculum & intestina, & in eorum reliquique corporis vasis, *b* ebulliens & effervescens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Circa ventriculum.) *Id est, in ejus vasculis & tubulis.*

b Ebulliens & effervescens.) *Quanquam hoc aliquando fieri posse non negemus, tamen id non semper opus est.*

Hinc enim ventriculus & intestina irritata, motum vehementiorem inordinatumque impresserunt nervis sibi implantatis; quo, per illorum fibrillas ad cerebrum, cerebrique spiritus delato, pori cerebri ita fuerunt aperti, spiritusque cerebri ita determinati, ut illi in fibras ventriculi & intestinorum, obliquè ascendentes, & descendentes magno impetu confluxerint, easque, secundum latitudinem dilatando, & longitudinem abbreviando, contraxerint. His contractis ventriculus & intestina ita fuerunt mota, ut *a copiosi humores acres corrupti & effervescentes*, tum à corde ex arteriis cœliacis & meseraicis in ventriculum & intestina propulsi, tum in iis antea collecti, *magno impetu, tum per os, tum per alvum, fuerint rejecti.*

a Copiosi.) *Neque hic de viis (inquit* Pechlin.*) post tam manifestas & multiplices observationes ullus est scrupulus, cùm ventriculus, totus quantus, cùm intestina, quâ patent, tubulis hydragogis, velut siphunculis pertusa, in illo serosi humoris orgasmo suppeditare possint, quod tot ac tantis alvi dejectionibus vomitibusque sufficiat, confer* Malpigh. de struct. gland. conglo.

Dissipatis autem & expulsis, per magnam istius evacuationis violentiam, spiritibus & humoribus utilibus, sanguis ad cor perveniens ineptus fuit ad justam dilatationem in corde suscipiendam, quo *spiritus vitales deficientes syncopen induxerunt*. *a* Expulso verò deinde ex corde pravo illo sanguine, & meliore ad illud redeunte, spiritibusque vitalibus satis copiosè recens ex eo genitis, *æger noster à syncope fuit liberatus.*

a Expulso.) *Illa restitutio potius dependet à convulsionum remissione & cessatione.*

Quia verò reliqui pravi humores, in corpore postea effervescentes; jam vehementius suo impetu membranosas vellicant partes, motumque illum vehementem & inconvenientem per nervos ad cerebri ventriculos spiritusque ibi contentos deferunt; hinc fit, ut illi tam pravam motus determinationem accipiant, porique cerebri ita aperiantur, ut spiritus, inordinate in partes fluentes; *a* valvulas

vulas nervorum, musculis totius corporis insertorum, quæ iis contrahendis inserviunt, citra aut contra voluntatem nostri ægri jam aperiant; tantaque vi, tum ex cerebro, tum ex oppositis musculorum poris & cavitatibus, in musculos gutturis, dorsi, pectoris, inferioris ventris, item brachiorum & crurum, fluant eosque *b* cum magno dolore, novam lipothymiam per constrictionem cordis subinde inducente, vehementer, secundum latitudinem & profunditatem distendant, secundum longitudinem verò contrahant: atque ita *totius corporis vehementissimam convulsionem nunc excitent.*

a Valvulas nervorum.) *Adde & musculorum: confer* medic. de epileps. lib. j.

b Magno dolore.) *Ille arguit, non motus convulsivos, sed etiam spasmodicos.*

a *Morbus* hic periculosissimus est. Metus enim est, ne æger ex vehementia doloris & perturbationis, subitò extinguatur.

a Morbus est periculosissimus.) *Quia est omninò acutissimus.*

a *Curatio* itaque diligens quam primum est adhibenda. Mox igitur sumat hoc medicamentum; ut ventriculus ab humore acri abluatur, humoresque acres temperentur, & excernantur:

℞. b *Decocti hordei communis, non excorticati* ℥iij.
Syr. ex infusione rosar. rubr. ℥j. *Misce.*

a Curatio.) *Eadem prorsùs est quæ suprà fuit tradita, in fluxionibus acribus.*

b Decoct. hord.) *In quo cocta sit rasura cornu cervi, cum rad. scorz. & flor. pap. rh. & sim.*

Pro lipothymia aqua digitis in faciem ægri inspergatur, & *a* vinum generosum, cum linteis, naribus admoveatur.

Postea ad impetum choleræ inhibendum, vomitum & alvi secessum reprimendum, ut etiam ad lipothymiam tollendam, de sequenti mixtura quotidie aliquid sumat:

a Vinum generosum.) *Aut acetum castorinum aut aqua antepileptica.*

℞. a *Rob. de ribes* ℥ij.
Cerasorum ℥j.
Syr. cydoniorum ℥jß.
Manus Christi cum perlis ʒvj. *Misce.*

a Rob. de ribes.) *Acidiuscula quidem nonnihil hic possunt temperare salem acrem, sed modice tantum sunt exhibenda, & aliis admiscenda, ne partibus erosis noceant.*

Et conferunt omnia, quæ in medicatione de cholera fuerunt præscripta, v. g.

Sal. Saturni,
Diasc. sylv.
Conf. Hyac.
Camphora
Requies Nicolai,
Pil. de cynogloss. &
Laud. opiat. *si malum est pertinax*

Nonnulli præscribunt magist. perlar. *aut* corallorum, *horumque tincturam: vide* Grulingium in Praxi.

Ad contractiones membrorum, partes omnes convulsionem patientes inungantur indesinenter, *a* cum frictione forti, *b* hoc sequente linimento:

℞. *Olei irini, vermium terrestrium. an.* ℥ij.
Castorei pulverisati ℈iiij. *Misce.*

a Cum frictione.) *Sæpe humores, in tubulis versantes, ea ratione pressi contra obstructiones, has nonnunquam feliciter tollunt.*

b Hoc sequenti linimento.) *Add.*
Ung. nerv. ℥vj.
Theriacæ recent. ʒj.
Croci ℈ß.

Pro vomitu compescendo
℞. Ol. nucistæ express. gr. xvj.
Laud. opiat. gr. ij. *aut* iij. *aut*
Tinct. opii cochl. dimidium

Si etiam clyster possit injici ex jure insulso carnium, aut lacte dulci cum vitellis ovorum benè id fiet; si opus sit, etiam indi possunt narcotica, ut req. Nicol. diascord. Sylv. &c.

℞. Aq. borag. ℥jß.
Menth. ℥j.
Ther. simpl. ʒß.
Conf. Hyac. ʒj.
Bezoard. mineral. gr. xij. *aut* xjv.
Tinct. opii cochl. ß.
Croc. ℈iv
Syr. de papav. ʒvj.
Spiritus salis communis gutt. v.
M. F. Haustus.

Ubi malum inclinaverit, nutriatur lacte amygdalato, cui modicum sacchari sit additum, & reficiatur cibis euchymis; ut ovis sorbilibus, & pullis gallinaceis, ac similibus. Exhibeatur etiam diacydonium post singulos pastus.

Ubi per diem unum atque alterum symptomata vehementiora quieverint, *a* blando cathartico reliquiæ materiæ peccantis, si quæ supersint, educi poterunt.

a Blando cathartico.) *Post sufficientem humorum temperationem, reliquiæ humorum acrium, leniter expurgari possunt ope rhab. & myrobal.*

Ad *præcautionem* novi paroxysmi, utatur parciore *Cibi & Potus* quantitate, corpusque subindè blandè *expurgetur*.

XXXIII.

MEDICATIO INFANTIS,

LUMBRICIS LABORANTIS.

a PUellus quatuor annorum, lumbricis antehac valde obnoxius, laborat *b* inappetentiâ & *c* nauseâ. *d* Valde pruriunt ipsi nares; ac multum sitit. Adest etiam *e* inflatio ventris, cum torminibus, & lenta febricula.

a Puellus.) *Contingunt etiam, quamvis non adeo sæpe, vermes grandioribus ætate.*

b Inappetentia.) *Interdum adest fames canina, quia lumbrici multum chyli consumunt, quapropter sanguis acrior*

acrior redditur, adeoque fermentum in ventriculo ab eo separatum.

c Et nauseâ.) *Nausea hic oritur partim ab humoribus viscoso-acidis, partim à vermibus rodentibus.*

d Valde pruriunt ipsi nares.) *Pruritus hic narium non est universale & reciprocum vermium signum, sed verisimile, sanguinis humorumque acrimoniam indicans: etiam consuetudini hic aliquid tribuendum.*

e Inflatio ventris.) *Hæc oritur partim à copia vermium conglomeratorum, patim à flatibus propter pororum tubulorumque viscerum abdominis obstructionem.*

Afficiuntur in hoc infante *intestina & ventriculus*; ut ex inappetentia, nausea, siti, ventris inflatione, ac torminibus est manifestum. Afficitur etiam *cor*; quod ex febricula constat.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies quædam ventriculi & intestinorum, ac chyli ibidem contenti serosa & *a* putrida; quæ lumbricos, & hinc flatus ac tormina, ventrisque inflationem, & sitim, nauseamque producens, *Affectus intestinorum & ventriculi* b *verminosus sive lumbricorum*, appellatur. Isque ex eo etiam est manifestus, quod infans, his symptomatis ante hac laborans, copiosos vermes excernere per alvum sit solitus.

a Putrida.) *Hanc hypothesin refutatam vid. apud* Fr. Redi de insectis.

b Verminosus.) *Tria observantur lumbricorum genera*, *vide* Galenum ad Sect. 3. Aphor. 26. *aut sunt teretes, ut plurimum in intestinis tenuibus versantes, unde in ventriculum & os subinde repunt; alterum est genus ascaridum, qui minusculi sunt instar acarorum casei putridi: versantur in inferioribus intestinis, præsertim juxta musculum sphincterem ani, ubi tenesmum faciunt: tertium genus rarum est, nempe latorum & cucurbitinorum, qui similes sunt ficubus Indicis; vid.* act. Hafn. ann. 1673. obs. 47. Item vol. iij. obs. 58. & 71. *Datur etiam singulare aliud genus, humanis musculis innascentium lumbricorum, non paucis torridi cœli incolis vernaculum: inter primos (notante curiosissimo* Engelberto Kemfer dec. obs. exotic. §. 6.) *numerantur Sinus Persici accolæ boreales, præsertim Ormusiensis Provinciæ, qui alumnos suos Pejũ, & Nάις nuncupant; ac circa mare rubrum præ cæteris Arabes Medinenses, undè* Avicenna lib. can. 4. F. 3. Tr. 2. cap. 21. *vermem ab hac Patria, irk Medini id est, nervum Medinensem vocat, seu, ut Carmonensis ex vocabuli homonymia interpretatur, Venam Medini. Latini Medici bestiolam nomine Dracunculi donant, & aliquandò confundunt cum pororum viscosis excrementis vermiculos mentientibus, quos Crenones puerorum, Germani* Mit-effer *appellant. Vermifera quoque loca sunt in Terra Gangetica Indiæ Orientalis, pagi ultra Paliacattam, in Africa Guinæa; & si fides Rhasi & Avicennæ, Chorasmia & Ægyptus. Vermis obiter inspectus, prout plerunque successivè aut frustillatim editur, nervum refert, at pariter extractus, prorsùs lumbricum tenuiorem albidum, indefinita (pedis, cubiti, & amplius) longitudine, sed instructum proboscide, quam Persæ Riis, seu barbam vocant, digitum longa, pellucida, rigidiuscula, pili instar tenuissima & tenerrima; Indè illa aut sponte fatiscit, aut cum epithemate divulsa, segnis Chirurgi oculos rarò subit: Ad radicem barbæ punctum atricans, & armato oculo ibidem oris vestigium, in caudæ quoque extremitate foraminulum conspicitur. Duplici constat tunica, cujus interioris tenellæ cavitas, liquore albo pingui, nonnunquam & seroso referta est. Vermem revera esse cum Avicenna dubites, nisi vitam suam ægroto proderet repentinis quos spontaneo motu causat, doloribus, eandemque ipse uno*

nixu, quod rarius evenit, in lucem editus, clarissimè ostenderet spectatori: præsertim enim in aquam frigidam injectus (nam in calida marcet) serpentino flexu masculè se movebit, & caput frigidi humoris impatiens, subinde supra aquam exerit, aliter planè ac chordæ & similia. Plura similia curiosa de eodem verme, vid. Auctorem l. c.

a *Causa proxima*, quæ hos lumbricos, & symptomata infantem infestantia, producit, est materia quædam putrida & acris, in intestinis & ventriculo, hujus puelli genita; quæ particulas insensibiles *b* ita figuratas habet, ut ex earum compositione & dispositione *c lumbrici* oriri queant; uti passim ex rerum aliarum putrescentium particulis, diversimode figuratis, pediculos, pulices, culices, aliaque insecta nasci videmus. Hi autem lumbrici in intestinis geniti corrumpunt adeo succos in iis existentes, ut illi partim conversi in flatus, *d tormina intestinorum & ventris inflationem*; partim ad ventriculum delati, illumque vellicantes, *e nauseam*, & œsophagum exsiccantes, *sitim*, ac fermentaceum illum succum acrem, famem excitare solitum, corrumpentes, vel serositate illum temperantes, *inappetentiam*; partim vero per venas gastricas, lacteas & meseraicas ad cor, & deinde copiosè ad nares ascendentes, acrimoniâ suâ *magnum narium pruritum*; febrili malignitate *febrim* inducant.

a Causa proxima.) *De causis procatarcticis cùm sileat Auctor, paucis dicimus, quòd in omnibus ferè nostris alimentis & potulentis, imò & ipso aëre lateant vel ova, vel vermiculi, ita ut nido in corpore humano adaptato, excludantur, foveantur & nutriantur: speciatim verò saccharata, lacticinia, acida & similia vermes suppeditant, siquidem & ipsa animalcula possideant, & acidum viscosum, quod vermes fovet, suppeditent. Nulla autem corporis est, pars, in quâ vermes non latere possint, undè eleganter* Th. Barthol. act. Hafn. vol. v. obs. 21. *sequentem in modum loquitur: vermiculorum ferax est corpus nostrum, nec ulla pars immunis. In capite dolores excitant, quos exindè, excretos, capsulæque impositos in templo meo Hagestedano in Nobilissimi Friderici Frisii loculo servatos memini. In ozæna vermiculi prodierunt. In dentibus nascuntur, & sevo cervino eliduntur. In corde observatum vermem ex Majo Severinus de abscessibus memorat. Renum familiares esse hospites non semel vidimus, undè non mirum est cum lotio excerni. Pedes verminosos alibi descripsimus. Vulgatum est lumbricos in intestinis hospitari, & in dysenteria nuper grassante non pauci observati: Ex ventriculo Viri religiosissimi Hafniæ, ante fata, vermis vomitu rejectus. Pestem Viennensem nuperrimè à vermiculis ortam, Medici notarunt, & succo citri profligari, scilicet omnem pestem à vermibus advocat Kircherus. Credo verò effectum esse putredinis, non causam. Quid plura? vermiculi vivos nos torquent & mortuos consumunt. Ut verè Job. c. vij.* 5. Caro mea undique verminosa est. *Confer* obs. microscop. Anton. à Leeuwenhoek. de vermibus in semine, aceto, &c.

b Ita figuratas.) *De generatione vermium, insectorum aliorumque animalium magna est inter Auctores controversia: alii eam derivant ex ovo, quod Majoribus nostris (ut loquitur* Excellentissimus Carolus Drelincurtius de fœminarum ovis) *spirantium omnium elementum est commune, & omnia animalia principiis iisdem succrescunt: alii enim ab vermiculis in vermibus animalibusque latentibus, alii ex putredine, alii ex determinata congerie particularum insensibilium quantarum, & figuratarum diversimodè coëuntium: In prioribus hypothesibus latet petitio principii, undè enim ovum? undè delineamenta vermiculorum in ver-*

vermibus; ergò potius nos cum Lucretio, lib.2. de rer. nat.

Nunc ea quæ sentire videmus, cumque necesse 'st
Ex insensibilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare: neque id manifesta refutant,
Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt;
Sed magis ipsa manu ducunt & credere cogunt,
Ex insensibilibus quod dico animalia gigni;
Quippe videre licet vivos existere vermeis
Stercore de tetro putrorem cùm sibi nacta est
Intempestivis ex imbribus humida tellus, &c.

c Lumbrici.) *Horum diversa figura & magnitudo, &c. dependent maximam partem ex diverso nutrimento, quod in diversis animantium partibus inveniunt.*

d Tormina intestinorum.) *Hæc dependent partim ab acribus humoribus, partim ab ipsis lumbricis rodentibus, ita ut etiam in cadaveribus nonnullorum foramina exesorum intestinorum sint observata.*

Dolores hi mitigantur post pastum, quia tum chylo vermes pascuntur.

e Nauseam.) *Quatenus pituita acida collecta est in ventriculo; item quatenus vermes se multum in ventriculi vicinia commovent, nervosque ejus rodunt.*

Quæritur, cur aciditas peccans non consumat vermes? Resp. non tantum adesse ejus gradum, ut sit corrosiva: secundo, illi assueverunt acido, ut vesica urinæ, & acrimoniæ naturali, ventriculus fermento.

a *Metus* est, ne hi lumbrici intestina exedant, vel excorient, vel syncopen, epilepsiam, atrophiam, vel alium gravem affectum, accersant, ideoque magnâ diligentiâ *Curatio* est auspicanda.

Eaque consistet in vermium enecatione, expurgatione, & pravorum humorum evacuatione, & intemperiei per contraria correctione.

a Metus est.) *Vid.* misc. cur. ann. j. obs. 145. 146. *pessimi censentur rubri teste* Tulpio lib. ij. obs. 49.

Præscribatur itaque hoc remedium: quo forsan, ut in aliis infantibus sæpe contigit, lumbrici evacuabuntur & simul omnia symptomata tollentur:

℞. a *Mercurii dulcis optim.* b *gr.xij.*
c *Scammonii gr.v.*
Conservæ rosarum ʒj. *Misce, pro* Bolo; *qui, necessitate urgente, sæpius reiterari poterit.*

a Merc. dulcis.) ℞. *Merc. dulc.* ʒij. *corallin. præp.* ʒj. *C. C. phil. præp.* ʒß. *sacch. in s.q. aq. gram. solut. q. s. f. s. a. tabellæ; dosis est ad* ʒj. *&* ℈iv. *habita ætatis & virium ratione. Vel*
℞. Corallin. scord. sicc. ana ʒiß.
Mechoac. ℈ij.
Rhab. pulv. C.C. phil. præp. ana ℈iv.

b Gr. xij.) *Nimia est dosis pro ea ætate simul & semel.*

Pro infante
℞. Mercurii dulc. gr. iij.
Scammon. gr. j.
Ocul. canc. præp. ℈ß.
Sacch. perl. gr. viij.
M. f. Pulvis pro dosi: vid. Joh. Nic. Pechlin. lib. j. obs. LXIV. LXV. LXVI.

c Scammonii.) ℞. *Diagrid.* ℈j. *Merc. dulc.* ʒß. *M. f. Pulvis, cujus dosis est pro re nata ad gr. xij.*

Notan-

Notandum autem, vermes sæpe per medicamenta assumpta non tantum occidi, sed penitus etiam dissolvi, quemadmodum lumbrici, phialæ vitreæ fimo equino obrutæ, inclusi, dissolvuntur: ac hinc sæpe fit, ut quamvis vermes adfuerint, nulli tamen à medicamentis assumptis excernantur.

Si malum perseveret, exhibeatur infanti hoc purgans, cum sequenti Julapio.

℞. *El. de hiera picra* ℨj. *Aq. portulacæ* ℥j. ſ.
Syr. rosacei ℥j.
a M. F. Haustus *brevis*.

a M. F. Haustus brevis.) ℞. Ol. amygd. amar. ℨiß. Tanac. dest. gutt. vj. M. *Externè regioni umbilicali & abdominis inungatur seq.* ℞. Ung. de artan. ℥j. Elect. hier. pic. ℨj. Ol. absynth. ℨiß. Tanacet. ℨiß. Fell. bubul. q. s. *M. f. Ung.*

b Summit. hyper.) *Vid.* act. Hafn. Barthol. ann. 1671. obs. 40.

c Julapium, de quo capiat ℥iij.) *Hæc dosis est potius pro adulto.*

℞. *Fol. acetosæ, portulacæ, endiviæ an. M. j.*
b *Summit. hyperici, scordii an. p. j.*
Coquantur in aq. comm. ad lib. j. Colaturæ adde
Syr. de limonibus ℥iij. *Misce.*
c F. Julapium, *de quo capiat* ℥iij. *mane, meridie, & vesperi*

Maximæ etiam utilitatis est hic pulvis, cum cerevisiâ vel lacte exhibitus:

℞. *Rhabarb.* ℨſ *Rasuræ cornu cervi an.* ℈ſ.
Sem. santonici ℈j. *Scammonii gr. vij.*
Corallinæ,
F. Pulvis *tenuissimus, in* iij. *doses æquales dividendus.*

In *diæta Cibus* sit boni succi, & satis liberalis, ad punctiones lumbricorum tollendas, quæ dulcibus oblatis etiam imminui solent. *Vitentur* lac, *a* caseus & pisces, omniaque alia pituitosos humores gignentia. *Excrementa alvi* naturâ vel arte respondeant.

a Caseus.) *Optime: succus verò citri & aurantiorum commendatur.*

XXXIV.

MEDICATIO VIRI, *a* NEPHRITICO DOLORE EXCRUCIATI.

VIr 45. annorum, crassus, obesus, crassis, & viscidis alimentis diu usus, *b* subitò incidit in dolorem intensissimum, *c* lumborum regionem occupantem; nec non in omnimodam urinæ sufflaminationem. *d* Supervenit etiam vomitus; *e* qui tamen dolorem hactenus non levavit. Antehac sæpe cum urinis *f* copiosas arenulas *g* & materiam viscidam excrevit.

a Ne-

a Nephritico dolore.) *Nephritis est vox generalis significans omnem renum affectionem, in specie autem hic sumitur pro dolore lumborum ab arenulis & calculis, renibus vel ureteribus inhærentibus, orto.*

b Subitò incidit in dolorem.) *Non rarò fit, ut homines subito in ætate senili incidant in dolorem nephriticum, cum antea ei nunquam obnoxii fuerint; ratio est, quod in ipsa substantia renum (quæ paucos habet nervos) lapilli hæserint, qui ab ictu, lapsu, equitatione, aut alia de causa fortuita deturbantur in pelvim, & ureteres, qui sunt magis exquisiti sensus.*

c Lumborum regionem occupantem.) *Externo contactu hic dolor exacerbatur: ubi calculi latent in ureteribus, dolor sese extendit versùs hypogastrium & inguina: vagus aliquando, fixus etiam solet esse hic dolor per totum abdomen, tuncque vocari solet colica nephritica.*

d Supervenit etiam vomitus.) *Vomitus solet in nephritide fieri per sympathiam solum; id est, quia renes & ventriculus habent ramos ex sexto pari, idcirco spiritus animales versus ventriculum æque ac renes maximâ vi influunt, vomitumque producunt.*

e Qui tamen dolorem non levavit.) *Quia causa mali non unice latet in ventriculo sed etiam renibus, à quibus ad ventriculum non excurrunt ductus excretorii.*

f Copiosas arenulas.) *Aliquando excernuntur arenulæ rubræ per totum vitæ tempus sine noxa, quia sunt magis friabiles & divisibiles quàm albæ; aliquando urinæ sunt paucæ, coloris expertes & aquosæ, aliquando sunt sanguinolentæ, nigricantes, quæ deponunt sedimentum instar loturæ carnium, aliquando sunt purulentæ, albicantes, copiosum sedimentum ex albo fuscum deponentes.*

g Et materiam viscidam.) *Instar tenacissimi muci narium, quæ poris matulæ vitreæ etiam inhæret tam pertinaciter, ut eam difficulter quassatione matulæ inde excutias.*

Afficiuntur in hoc ægro *renes* primariò: ut *a* dolor ille intensissimus, circa regionem lumborum perceptus, & urinæ sufflaminatio, indicant. Afficitur etiam per sympathiam *ventriculus*: quod ex vomitu, dolorem hunc comitante, est manifestum.

a Intensissimus.) *Hic demum præcipue oritur, cum ad pelvim & ureteres pervenerit materia hæc scabra.*

Morbus, qui illum affligit, est obstructio renum & ureterum, à materiâ *a* arenosâ vel lapillis facta; quæ urinam sufflaminans, doloremque intensissimum in renibus excitans, à symptomate potissimo, ab hoc in illis producto, *Dolor nephriticus* appellatur.

a Arenosa.) Joh. Nic. Pechlin. lib. j. obs. xvij. *ita ait: quotidianum est, ubi arenæ comparent in urinis, promiscuè calculum crepare. Ego autem non statim vel renalis, aut vesicarii calculi injiciendam suspicionem reor, quod ejusmodi φαινόμενον ab aliis quoque causis originem sumere possit. Vidi quæ oculis patebant arenæ velut indigestæ lapillorum moles, ad visus armati aciem instar glebarum ex multis & figuratis crystallulis conflatarum sese prodidisse, nullo calculi argumento. De calculo vesicæ cum ulcere renum, vid.* misc. cur. dec. j. ann. ij. obs. 81. Sylv. prax. lib. j. cap. 56. §. 4. *Dicit se calculum ovi columbini molem penè æquantem in ureteris medio invenisse, ad cujus latera urina liberè descendebat. Ambos renes in alabastrinam duritiem obriguisse in nobili quadam fœmina, testantur* misc. cur. an. 1. obs. 27. *substantiam renum*

num nondum corruptam, frustillatim excretam cum mictione sanguinis lucidi lethalem vid. in misc. cur. dec. 2. ann. iij. obs. 76. *Nephritidem spuriam scorbuticam, vid. in* misc. cur. ann. iij. obs. 44.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diuturnus usus alimentorum crassorum & viscidorum; unde, *b* adjuvante temperamento nostri ægri frigidiore, (ex ipsius obesitate & corporis crassitie manifesto) humores crassi, *c* tartarei, & *d* mucilaginosi in vasis & renibus geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò ejus cum sero & reliquo sanguine ad renum poros delata, ibique à calore ipsorum debili non satis incisa, agitata, & dissoluta, naturam lapideam arenularum, & lapillorum, antehac cum urinis excretorum, per cohæsionem immediatam & quietem particularum insensibilium, à particularum istarum figura & magnitudine cohæsioni lapideæ aptâ, natam, acquisivit. Ea verò jam à copia urinæ ex renum poris & pelvi in principio ureterum copiosius propulsa, atque illa penitus obstruens, omnemque urinæ transitum impediens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

a Causa procatarctica.) *Omnia crassa, acria, salina, & acida, ut & scabra & terrestria, nephritidem generare possunt, præsertim si fuerit renum mala conformatio ab hæreditate: à febribus ardentibus ortam nephritidem, vid.* Schenk. lib. 3. obs. p. 469. *Vermes mentiuntur haud rarò calculum renum & vesicæ: confer laud.* Pechlin. obs. 4. lib. j.

Baco sylv. sylv. cent. j. exper. 83. *dicit indurationem & lapidificationem substantiarum molliorum esse alterum indurationis gradum, ingens alterationis in natura momentum: effectum, ejusque accelerationem digna esse ut inquirantur. Tribus, inquit, efficitur rationibus. Primum frigore; secundum calore; tertium assimilatione. Exempla indurationis promiscuè sumpta varia sunt, ut generatio lapidum sub terra, qui prius erant rudis terra & argilla. Atque ita de mineralibus, quæ primò (proculdubio) ex succis concretis proveniunt, qui postea indurescunt, & sic de porcellanis vasis, quæ sunt artificiale cœmentum sub terra diutissime defossum: sic quoque confectio laterum & tegularum, & vitri ex arena quadam & radicibus fractis & alia materia: sic exsudationes adamantum in rupibus repertorum, & crystalli qui progressu temporis indurescunt: Sic induratio electri s. succini, corallii, &c. quod primò substantia existit molli, posteà verò induratur. Elegantia plura exempla ad dilucidationem rei vid. apud* eundem loco cit.

b Adjuvante temperamento frigidiore.) *Multum disputarunt Auctores, an à calore vel frigore nascerentur calculi, sed frustra est: reverà enim calculus oriri potest à spiritu quodam coagulante, i. e. quædam liquida in durissimam lapidis substantiam cogente. Imo inde excipienda non sunt solida & arenosa in alimentis & potulentis omnibus latentiâ, & ope chyli ad sanguinem, renes aliasque partes delata, quæ sæpe sola tantum intercedente glutinosa & acri substantia cohærent.*

c Tartarei.) *Non ex tartaro calculum humanum oriri, probat* Helmontius parte 2. cap. 17. *tartarum enim, inquit, est lapis vegetabilis, à quo ut & minerali maxime discrepat lapis animalis. Vide* Helmontium de lithiasi, *allegatque puerum, sanis parentibus natum, fratres habentem 5. & sorores 3. omnes sanos, ille solus nutritur à nephritica nutrice, calculo vesicæ laborabat, moriebaturque annos natus 13. ex tertia lithotomia.*

d Mucilaginosi.) *Mucosam pituitam in multorum calculorum urinis apparentem omnium sæculorum medicos fefellisse, ait* Riverius in Praxi lib. 4. cap. 1. *quippe quæ in renum calculo ut plurimum non apparet, sed frequenter* in

in calculo vesicæ: si autem esset calculi materia formalis, deberet apparere in omni calculo, sed memini tamen, me in nephritide non semel illam observasse, notatu dignum est, quòd si ligneus bacillus: aut aliud quoddam durum corpus, apertione in collo vesicæ canis facta, intrudatur, vulnusque consolidetur, brevi temporis spatio, crusta circumnascatur calculosa & lapidea.

Dum enim urinæ transitus propter obstructionem illam impeditur, hinc tenduntur pelvium & ureterum membranæ, in easque acuminati lapilli & asperæ arenulæ vehementius pressa, *intensissimum hunc excitant circa lumbos dolorem*; quo spiritus in cerebro ita moventur, porique tales in eo aperiuntur, ut illi inde in ventriculi obliquè ascendentes fibras copiosè fluentes, ventriculumque contrahentes, ac eum versus superiora vehementius pellentes, *vomitum excitent*. Illo tamen *dolor hactenus non est levatus*, quia motus, à vomitu proficiscens, materiam calculosam ex renibus non expellit, sed eam, ob copiam ejus, arctius in ureteres impingit.

Metus est, ne hic dolor renum *a* inflammationem inducat; vel mortem ex cordis constrictione, ab indebito spirituum in fibras ejus constrictorias in fluxu ortâ, brevi accersat: vel ne, ex urinæ sufflaminatione, serum perpetuò excernendum cum sanguine maneat mixtum, illudque reliquum sanguinem ad justam dilatationem in corde faciendam faciat ineptum, atque ita ægro nostro vitam brevi adimat.

a Inflammationem.) *Etiam exulcerationem, consumtionem, stupendamque dilatationem. Calculum per lumbos excretum vid. apud* Tulp. lib. 4. obs. 28. *Ureterum ruptionem vid. apud* Helwig. obs. iij. *conf.* Fred. Ruysch. obs. anat. chir. xciv. Hippoc. Sect. 6. Aph. 6.

Curatio itaque mox maximâ cum sollicitudine auspicanda; *quæ* in arenularum & urinæ exturbatione *a* mox facienda, & intemperiei sanguinis pororumque renum obstructionis per contraria correctione, & ablatione postea instituendâ, consistet.

a Mox facienda.) *Est hoc magnum postulatum, quod non facile est admittendum, quia dolores indè exacerbantur, & haud rarò oritur ischuria lethalis: quapropter emollientia & oleosa debent præmitti, ut tubuli renales aliæq; viæ lubricentur & dilatentur, posteà diureticis fortioribus procedere licet.*

Mox itaque *a* fœces alvi ejiciantur, & materia in renibus existens ipsique *b* renes laxentur & emolliantur, urinaque & materia viscida ex renibus expellantur, tali clystere:

℞. *Rad. althææ mund.* ℥j.
Herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ, mercurialis an. m. j.
Flor. camomill., meliloti, summit. anethi an. m. ß.
Far. sem. lini ℥iij. *sem. anisi* ℥ij. *furfuris macri p. j.*
Decoq. in aqu. com. pro lib. j. Colaturæ adde diacathol.,
Elect. benedictæ laxat., diaphœnici an. ℥ß. *ol. amygd. dulc., camomillini, anethini an.* ℥ß. c *salis comm., Gemmæ an.* ℈ij.
Misce F. Clyster, *mox injiciendus.*

a Fœces alvi ejiciantur.) *Ne intestina fœcibus induratis distenta, renes magis premant; item ut flatus dissipentur.*

 b Re-

b Renes laxentur, &c.) *Ab ejus scilicet vaporibus blandis per intestinorum poros ad renes, ureteres, & vesicam ascendentibus, viæ laxantur, & leniuntur.*

c Salis, &c.) *Conferunt huc sales alcalici ad poros intestinorum melius aperiendum, sumatur itaque*

Salis genistæ ℥j. *aut* ℈iv.

Alias non multum salis addendum est clysteri, quia clysterem diutius retinere, non est inconsultum.

Alvo evacuatâ, & urinâ nonnihil fluente, pectini, post clysteris operationem, ad urinam copiosius evocandam, adhibeatur *a* cataplasma ex parietariâ, cum butyro in patella frixâ.

a Cataplasma.) *Fila recenter ex lino ducta, necdum lixivio excocta, decoquantur in cerevisia veteri, & regioni lumborum & vesicæ calide imponantur, quod sæpè vidimus cum fructu factum.*

Si calculus in urethram penetraverit, exiguo cochleari chirurgico feliciter extrahitur, sin minus, infligatur exiguum vulnus penetrans penem ad lapillum usque, ex quo vulnere tum promptè expellitur.

Postridie, cum venas satis latas habeat æger, *a* venæsectio adhiberi poterit in brachio, ad materiam morbificam imminuendam, & inflammationem præcavendam.

a Venæsectio adhiberi poterit.) *Hanc sæpe profuisse compertum est, in Plethoricis præsertim.*

Dolore perseverante, balneum erit adhibendum, vel talis fotus adhibendus lumborum regioni:

℞. *Rad. althææ mund.* ℥iiij.
Fol. malvæ, parietariæ, chærefolii,
Flor. camomill., meliloti an. m. iiij.
Sem. lini ℥j.
Malvæ, Petroselini an. ℥ijß.
Decoq. in aq. comm. ad lib. iij. *pro* Fotu.

a Reliquiæ decocti deinde pistentur, & fiant duo sacculi quadrati; qui post fotum, pannis laneis vel lineis expressis, lumbis calidi applicentur.

a Reliquiæ.) *Illis reliquiis addi potest*
Ol. amygd. dulc. scorp. &
Spiritus terebinth.
Semicupium ex lacte dulci, præsertim ubi dolor urget, convenit.

Ubi *a* urina jam fluere incipiet, *b* utatur ad libitum hoc decocto:

℞. *Rad. ononidis, fœniculi, petroselini, glycyrrhizæ ras. an.* ℥ß.
Sem. althææ, malvæ, cicer. rubr. an. ℥ijß.
c 4. *frigid. major. an.* ℥j.
Ficus ping. Num. v. *sebesten.* Num. iij.
Hordei mund. ℥j *grana alkekengi* Num. vij.
Decoq. in aq. comm. ad lib. jß. *Colaturæ adde syr. de limonibus, de* 5. *rad. an.* ℥j. F. Apozema.

a Urina fluere, &c.) *Inter diuretica potentiora est tinct. verm. majal. sique hæc vehementius operetur & stranguriam excitet, bibendum est lac dulce.*

Can-

Cantharides vero sunt nimis vehementes, & vesicæ inflammationem minantur.

b Utatur hoc decocto.) *Decocto add.*

Ligni sassafras &
Nephritici an. unc.j., *quod posterius etiam solum à quibusdam cum fructu macerantur in vino Mosellano per septem dies, vinumque bibitur.* Celeberrimus Pechlinus obs.xvj. lib.j. *ita loquitur: Profectò, si indicantium in illa Empirices invalescentis auctoritate aliqua adhuc vis est, nulla etiam post curiosum examen magis convenire morbo illi possunt, quàm aquea, dulcia, pinguia, & quibus aliquid inest nitrosi, aut si quid renali fermento affinius, urinæque juvat secretionem: in quo casu cum omnibus numeris absolutum sit Foresti Belgæ, Practici celeberrimi, decoctum,* (vid. lib. xxiv. obs. xxv.) *dubitem ego, an quid convenientius morbo huic excogitari possit. Mihi certe in plurimis felicissimè cessit ejus usus. Reperias autem ibi primò aquam cœteræ virtutis vehiculum, quæ etiam mucosum pelvis involucrum diluvio solvit, materiamque præbet seri. Reperias mucilaginosa malvæ Althææque semina, dulce caricarum, sebesten & glycyrrhyzæ delinimentum, hordeum denique & ciceres, quæ cum nitrosa constent & abstergente facultate, & secretionem adjuvant seri, nutantisque fermenti renalis vires confirmant. Quibus si deindè juscula adjungas vitulina, acido citri, oleo amygdalarum dulcium, manna tabulata, & syr. de althæa Fernelii, parte etiam vini mosellani delibuta, jam haberi puto, quod omnibus Chemicorum arcanis, ipsi imprimis Aroph & Samech Paracelsi fastum facere possit, nam cum hæc uni, aut summùm alteri indicationi, illa ex æquo omnibus respondent. Non negaverim interim, si caloris immune corpus obtigerit, misceri illis posse spiritus antenephriticos ardentes, balsama, sulphura & terebinthinata, at certa & circumspecta dosi.*

c Sem. 4. frigida majora.) *Omittantur tanquam hujus viri temperamento frigido & viscido repugnantia, adde potius*

Sem. dauci &
Violar. an.℥iij.
F. decoctum in aquæ & vini Mosellani an.p.æq. ad ℔iij.

Aliqui commendant flores sulphuris ad gr. xij.xv.

Dum eo utitur, *a* purgetur materia morbifica tali haustu:

℞. *Syr. rosar. sol. cum fol. senæ & rhabarb.* ℥iß.
Elect. diapruni ℥ij.
Aq. malvæ q. s. M. f. Haustus brevis.

a Purgetur.) *Ad purgationem phlegmagoga prosunt; ut & pulp. cassiæ fist. cremor tartari verus, sal prun. tart. vitriol. pulv. Cornach. &c.*

Deinde, *a* ut calculi melius expellantur & comminuantur, sumat subinde mane jejuno ventriculo, unc.ij. *aq. still. ex rad. ononidis & raphani rustici cum vino rhenano extractæ, cum ocul. cancr. pulv.* ʒß.

Vel ℞. b *Pulveris nephritici Amsterodamensium, vel Ultrajectinorum* ʒj.
c *Aq. petroselini* ℥iij. *Syr. althææ Fernelii* ℥ß.
Misce f. Haustus, *mane & vesperi sumendus.*

a Ut calculi melius expellantur & comminuantur. *Per spiritum nitri solvuntur quidem calculi humani, sed amittit ille vim potiorem per fermentationes priusquam ad renes & vesicam pervenerit.*

Matrona quædam nephritica mel miscebat cũ pauxillo Zinziberis electi, cujus mane & vesperi bolum magnitudine castaneæ sumpsit multo cum levamine.

Gummi cerasorum ad drach. j. aut drach. ij. cum successu potest sumi, vel in pulvere, vel liquefactum, quod viscositate suâ vias laxat, & præterea vim habet antinephriticam.

Etiam pulvis millepedum ad drach. sem. cum vino mosellano, aut jure cicerum rubrorum.

b Pulv. nephritici.) *Lapis nephriticus pharmacopæorum arenas exonerat; forte uti vermes exsiccati vermes intestinorum expellunt: nos non sine prægnante ratione scabra & terrestria quævis in hoc affectu omittimus, calculos enim fovere & generare valent.*

c Aq. petroselini.) *Hic etiam prosunt pimpinellæ, petrosel. maced. ut & omnium specierum Apii, lign. nephritic. auriculæ muris decoct. vel succi. Decocta cicerum, saxifrag. &c. semen violar. vulgar. quantum capit digitale unum, pro secreto cuidam erat.*

Raphanus rusticanus multis quoque prodest.

Cum calculus pellentibus non cedit, sapo Hispanicus cum olei junip. gutt. iij. mixtus prodest; nam potenter pellit & vias lenit.

Atque ut viæ laxiores fiant, per quas arenulæ & calculi transire debent, inungat lumbos obliquè ad inguina descendendo tali linimento:

℞. *Ol. lilior., amygdal. amar. an.* ℥ß.
Scorpion.,
Pingued. gallinæ, vel caponis,
Unguent. de althæa an. ʒij. *M. pro* linimento.

Sæpe etiam uti poterit de hoc julapio:

℞. *Syr. de althæa Fernelii* ℥iß.
Tartari albi ʒß.
Aq. petroselini lib. j.

Misce pro julapio, de quo sumat quotidie mane jejuno ventriculo, & à prandio horâ quartâ pomeridianâ, haustum trium quatuorve unciarum.

Alvus si durior fuerit, emolliatur his pilulis:

℞. *Aloës, scammonii an.* ℈j. *ol. caryophyll. gutt. j.*

F. Pilulæ Num. vj. quorum sumat ij. semihoram ante, vel post cœnam.

In *a* *diæta*, *Aër* sit temperatus. *Cibus* ex carnibus vitulinis, agninis, aviculis; potius elixis quam assis, moderatè sumtis. *b* Lacticinia & omnia viscosa vitentur. *Potus* *c* sit vinum album, cerevisia bene defœcata, lupulo bene condita. *Exercitium* sit moderatum. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. *Animi* vehementiora pathemata fugiantur.

a Diæta.) *Recte, laudatus* Pechlinus loc. cit. *dicit, quod non adeò Medicinis illis specificis, neque unis aut alteris dosibus, evertatur calculi fermentum, nimis toti sanguini, nimis universæ constitutioni infixum, sed toto vitæ ordine & diætæ ductu, imprimis quotidiani potus qualitate usque continuata. Hinc præter victum benè compositum cerevisiæ, hordeatæ magis, quàm siligineæ, tenues quàm crassæ, molliculæ & pingues, quàm diobolares & aqueæ; inter Germanicas Goslariensis, Belgicas, Leodiensis, utræque metallicum quid redolentes; inter medicatas juniperina, scolopendriata, petroselinata, dauci seminibus, liquiritia aliisque dùm fermentationem sustinent, perfusæ, vel excogitatissimis remediis palmam præripiunt, &c In Belgio Hispanico rubeolę sylvestris pulvis, velut specificum, in maximo est pretio, amplissimisque elogiis venditatur, si & ille in calida bibatur.*

b Lacticinia.) *Item caseus, quia sunt res coagulationi aptissima.*

c Sit vinum album) *Vinum rubrum vitetur, tanquam adstringens, multas particulas terrestres & acidas fixas fovens. Vesica urinaria cum urina in fi-*

stili clauso ac lutato calcinata, dicitur omnem calculum frangere in misc. cur. dec. 2. ann. 3. obs. 68. *credat Judæus Apella, non Ego*; *confer* misc. cur. dec. j. ann. 2. obs. 63. act. Hafn. vol. iv. obs. 39. *De nephrotomia vid.* Tulp. lib. 2. obs. 49. & lib. 4. obs. 47. Riolan. enchir. Anat. lib. 2. c. 20.

XXXV.

MEDICATIO VIRI,

a ISCHURIA LABORANTIS.

VIr quadragenarius ex calculosis parentibus natus, & calculos, arenulas, pituitosam, viscosamque materiam, cum urinis excernere solitus, patitur jam *b* à quatriduo totalem urinæ suppressionem, ingenti dolore & tumore *c*, in hypogastrio comitatam.

a Ischuria.) *Confer medicationem quadragesimam hujus libri: duplex autem hæc dicitur, vera & spuria, illa significat urinæ suppressionem vesicæ, hæc verò, renum. Dysuria nonnullis habetur ischuriæ minor gradus, aliis urinæ ardor, stranguriæ affinis. Vid.* Riv. in praxi

b A quatriduo.) *Ischuriam ad decem dies continuatam vid.* in misc. cur. dec. j. ann. iij. obs. 39. *ad duodecim dies,* in misc. cur. dec. j. ann. 2. obs. 176. *conf.* Riv. cent. 4. obs. 45. Horst. lib. 4. obs. 45. Cornar. obs. 21. Pison. de colluv. Seros. *An vera sit historia apud* Fonsecam lib. 2. cons. 96. *de Moniali Patavina, quæ ischuriam per sex menses passa, tamen supervixit? dubito. Conf.* Tulp. lib. 4. obs. 26.

c In hypogastrio.) *Hoc ipsum docet, ischuriam esse veram, sive, ut diximus, ab affecta vesica.*

Afficitur in hoc ægro *vesica urinaria*, ejusque *collum*: ut ex urinæ suppressione, item ex dolore illo & tumore, in hypogastrio percepto, est manifestum.

Morbus, quo hic æger laborat, est meatus urinarii, in collo vesicæ existentis, obstructio, à materia calculosa, arenosa, viscida & tenaci facta; quæ, urinæ in vesicâ contentæ suppressionem jam à quatriduò faciens, *a Ischuria* appellatur. Atque hæc ex præcedente calculorum, arenularum, viscidæque materiæ cum urinis excretione, & præsente hypogastrii dolore & tumore patet.

Causa procatarctica hujus morbi *b* est intemperies calculosa *c* renum & vesicæ reliquique corporis, à parentibus nostro ægro per generationem communicata, indeque viscidi & tenaces humores, ac arenulæ calculique, in ipsius corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum meatui urinario, in vesicæ collo existenti, impacta, *d continens* hujus morbi, & symptomatum ejus est causa.

a Ischuria.) *Huic opponitur urinæ incontinentia, quæ oriri potest à relaxatione sphincteris vesicæ, ejusve discissione infelici in lithotomia &c. hujus remedium satis ridiculum, vid.* in misc. cur. ann. 2. dec. j. obs. 21.

b Intemperies calculosa.) *Ischuriam lunaticam vid. apud* Tulp. lib. 2. obs. 43.

obs. 43. *Huc pertinent omnia in medicatione præcedente allata procatarctica.*

c Renum.) *Horum affectorum nullum signum certum est in historia.*

d Continens.) *Apud Celeberrimum* Joh. Pechlin. obs. x. *extant* ischuriæ latentes causæ. *Suppeditat quidem, inquit, Anatomia Practica magnam causarum seriem, at quæ, ex tot numero causis, huic illive affectui individuo, in tam obscuro indiciorum lusu, applicari debeat, non æquè constat. Prona autem & facilis est calculi suspicio, simulac ischuriæ nomen auditur, at tamen, in plurimis casibus calculi nullas esse partes, præcedentia, maximè & conjuncta signa ostendunt: Ischuriam (verba sunt* Auctoris ejusdem *purissimi) vidi, à resolutione fibrarum musculosarum vesicæ, quam improvisum & diuturnum aquæ frigus hypogastrio attulerat. Alteri puero, Tympanistæ, à frigore, bellique incommodis, Vesicæ musculus sphyncter, velut spasmo affectus, urinas non transmittebat, in ingentem globum elevato hypogastrio &c. Jam etiam, contenta in ureterum uno materia crassa obstruente, in utroque excretionem aboleri non est insolens, sed verò & secretionem seri urinosi, sic quoque tolli posse, planè sum persuasus: Cætera cedro digna* vid. l. c. *A glandulis in vesica & extra eam tumefactis vid.* in misc. cur. dec. 2. ann. 2. obs. 114. *A grumis sanguinis vid.* Brunon. Lex. Med. Castell. renov. p. 747. *A retentione urinæ intempestiva obiit Excellentissimus Mathematicus Danus,* Tycho Brahe 24. Octob. Ann. 1601. *ejusque mortis tempus significatum fuit hoc disticho chronographico*

oCtobrIs VIsa est Vt LVX VIcesIMa qVarta,
aVLa sVbit CæLI, o generose TyCho.

Aliquando ischuria oritur ab inflammatione & scyrrho vesicæ, dolore prægrandi, hypersarcosi urethræ &c.

Inde enim *urinæ per urethram excretio penitus impeditur*; dumque interim urina per ureteres ad vesicam perpetuò defluit, hinc oritur *vesicæ distentio*, & *ex ea in hypogastrio*, ubi vesica urinaria est sita, *ingens ille dolor & tumor*, qui ægrum nostrum jam magnopere torquent, percipiuntur.

Morbus hic periculosissimus est: metus enim est, nè ingens ille dolor *a* vesicæ inflammationem, & inde gangrænam, ac mortem inducat. Præterea ex hac urinæ in vesica, ureteribus ac etiam in ipsis renibus, retentione, tum præsenti, tum futurâ, impedietur seri in renibus à sanguine separatio. Serum itaque in sanguine propterea manens faciet sanguinem ad dilatationem, in corde, vivificationis causâ, perpetuò faciendam, ineptum; atque ita, nisi aptis remediis huic malo obviam eatur, etiam mortis necessariò erit causa.

a Vesicæ inflammationem.) *Calculorum per anum rejectorum exemplum vid.* in act. Hafn. vol. 5. obs. 65. *De calculo ex scroto elapso, vid.* misc. cur. dec. j. ann. 2. obs. 142. *de Urina circa os sacrum extillante, vid.* act. Hafn. vol. 2. obs. 51. *Ad radicem penis, vid.* misc. cur. dec. j. ann. 2. obs. 204. *de ischuria paroxysmo epileptico sociata, vid.* misc. cur. ann. 3. obs. 212. *confer* Tulp. lib. 2. obs. 43. *Ptyalismum criticum ischuriæ supervenisse vidimus. Post dysuriam scyrrhosa intestini recti incrassatio, & mira coarctatio extat apud Celeb.* Fred. Ruysch. obs. anat. chir. xcv.

a *Curatio itaque*, quam celerrimè & diligentissimè erit instituenda. *Eaque* in calculosæ arenosæ & viscidæ materiæ, ex meatu colli vesicæ urinariæ, remotione, consistet.

a Cu-

a Curatio consistet.) *Hic prosunt omnia, quæ in præcedenti affectu modò commemorata sunt.*

a Mox itaque injiciatur per syringam in urethram tantum olei amygdalarum dulcium mediocriter calidi, quantum in ea commodè contineri poterit; & *b* deinde in anum injiciatur talis clyster emolliens, ad fæces alvi ejiciendas, & materiam in collo vesicæ hærentem, & intestino recto incumbentem, emolliendam, ac partes vicinas laxandas:

℞. *Rad. althææ, lilior. alb. an.* ℥j.
Herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ, Mercurialis, brancæ ursinæ an. m. j.
Sem. lini, fænugræci an. ℥ß.
Ficus Num. iv.
Coq. in suf. quant. aq. comm. ad lib. j.
Colaturæ adde diaphœnici, diapruni sol. an. ℥ß.
Olei violacei, camomill. an. ℥j. *salis comm.* ʒj.
M. F. Clyster, mox injiciendus.

a Mox itaque injiciatur.) *Quando solummodo ischuria est ex lapillo & viscoso humore, orificium colli uteri claudente, tunc cathetere solo, s. a in vesicam immisso, urina depromitur.*

Difficultatem urinæ solvit aliquandò venæ-sectio, teste Hippocr. Sect. vj. Aphor. 36. *confer* Sect. vij. Aphor. 48. *succum betulæ contra calculum commendatum, vid.* in misc. cur. ann. iij obs. 155.

Interne quoque prosunt nuclei persicorum, qui sumuntur 4. vel 5. contusi cum aquâ urticæ, vel sumitur sal. rad. lupinorum à ℈ß. *ad* ℈j. *cum vino.*

Inter pellentia externa etiam prosunt ol. scorpionum cum spiritu terebinth. vel ol. juniperi, pectini & perinæo inuncta.

Fortis admodum, & violenta est tinctura vermium majalium, internè sumpta ad gutt. xxx.

Si vero hæc pellentia dolores augeant, sume ol. amygd. dulc. aut lac dulce tepidum, &c.

Aut æger immitti potest in balneum aq. dulcis, quod (dum diureticis æger utitur vehementioribus) laxat fibras & acredinem illorum diureticorum emollit.

b Deinde in anum injiciatur clyster.) *Clysteres hi (ut aliis in casibus alii) prosunt, quatenùs non solùm vapores in omnem dimensionem transmittunt, sed & vasa lactea intestinorum crassorum subeunt, prout nuperrimè in collegio suo Anatomico, demonstravit* Acutissimus & Dexterrimus Godefridus Bidloo, Anatomes in hac Universitate Professor *Excellentissimus.*

Ubi clyster munere suo functus fuerit, hoc est, post horas præter propter duas vel tres: tum supinè collocato ægro, ita ut crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariam ipsum, ad lapillos ex meatu urinario expellendum *a* concutiet chirurgus; his peractis, jubeat ut æger urinam reddere tentet. Quod si urina nihilominus adhuc retineatur; rursus ipsum concutiet, sed vehementius. Atque si sic quoque suppressa permanserit *b* immisso argenteo & in fistulam excavato in urethram cathetere, simul & calculos ac arenulas viscidamque materiam à collo vesicæ repellet, & urinam evocabit.

a Concutiet.) *Contingit aliquando ut saltu & equitatione lapilli expellantur, at ubi id non successerit, dolores inde exacerbantur, adeo ut omnia violenta exercitia sint suspecta.*

b Immisso cathetere.) *Dummodo pru-*

prudens adsit exercitatus Chirurgus, qui catheterem dextre & absque dolore, sanguinisque profusione per obliquam viam urethræ transmittat, Vid. exper. chir. 4. NUCK. Tolet. in lithot. item Groenevelt de lithotom.

At si in collo vesicæ deprehendatur calculus vel materia arenosa & viscida, ita obstruens meatum, ut nullis præsidiis removeri possit; ægerque jam propinquus sit perditioni, neque ullo modo instrumenti illius ope curari possit: vel etiam forte adsit inflammatio, & catheterem ferre non possit, tum collum vesicæ inter anum & testes, *a* parvâ scissurâ secundum longitudinem, est aperiendum, cannulaque, ut urina egrediatur, vulneri imponenda, & in vesicam usque deducenda.

a Parva scissura.) *Nè videlicet membranosa vesicæ pars lædatur: veruntamen habitâ ratione calculi extrahendi, scissura vel major esse debet vel minor. confer citatos Auctores*, Tolet. & Groenevelt.

Interea temporis dum urina, per cannulam illam vulneri insertam, subinde excernitur, medicamenta emollientia circa peritonæum & hypogastrium ac urethram sunt adhibenda, & catheter vel candela cerea tenuissima, oleo amygdalarum dulcium oblita, meatui urinario est immittenda, tentandumque, ut ea ratione causa obstructionis illa continens ex eo removeatur. Cumque hoc successerit, vulnus, inter anum & testes inflictum, *a* erit consolidandum.

a Erit consolidandum.) *Vesica prius est eluenda ope liquoris alicujus emollientis v. g. cerevisia* Wesopensi *calidâ &c. digitisque explorandum est, annon fragmenta quædam calculosa remanserint.*

XXXVI.

MEDICATIO VIRI, INFLAMMATIONE RENUM LABORANTIS.

VIr 36. annorum temperamento biliosus, post vehementius corporis *a* exercitium, correptus est acerbissimo dolore regionem dorsi, juxta extremas vertebras, paulò supra costas spurias sitas, occupante, & à lumbis ad jecur sursum, deinde deorsum ad vesicam & pudendum, nonnunquam etiam ad coxendicem & femora se diffundente. Febris adest satis acuta, *b* & stupor dextri cruris. *c* Neque se rectè erigere potest æger. Frigent interdum extrema, & præ cæteris suræ ac pedes. His tandem *d* accessit mingendi difficultas, *e* nausea & ventriculi morsus, *f* ac bilis vomitus.

a Exercitium.) *Speciatim post immodicam venerem, talis inflammatio gigni solet.*

b Stupor cruris.) *Plane uti in nephri-*

phritide propter pressionem nervorum ad crus excurrentium.

c Neque se erigere potest.) *Potius erigere se metuit æger ob dolorem ingravescentem, musculis lumbaribus extensis, parteque inflammatâ hinc magis pressâ.*

d Accessit mingendi difficultas.) *Quia tubuli renum sunt ab inflammatione compressi, & angustati: si tantum unus ren sit inflammatus, difficulter quidem redditur urina; ubi vero ambo affecti sunt, maxima oritur difficultas.*

e Nausea & vomitus.) *Vid.* med. de nephritide: *possunt etiam esse duo effectus ab una eademque causa universali, sive intemperie sanguinis acri.*

f Ac bilis vomitus.) *Vomitu scilicet violento, bilis sursum fertur ab intestino duodeno per pylorum in ventriculum.*

Afficiuntur in hoc ægro a *ren uterque*; sed præcipuè dexter: quod ex dolore à lumbis ad jecur, & deinde deorsum ad vesicam & pudendum se diffundente, item ex pedis dextri stupore & mingendi difficultate liquet. Afficiuntur quoque *pedes & corporis extrema*, quod ex eorum frigore; nec non *ventriculus &* b *folliculus fellis*, quod ex nauseâ, & bilis vomitu, patet.

a Ren uterque.) *Si enim alteruter tantum affectus esset, in mingendo non tanta esset difficultas, dexter tamen ren magis fuisse videtur inflammatus, quia stupor fuit dextri solummodo cruris.*

b Et folliculus fellis, quod ex nauseâ, & bilis vomitu.) *Hæc nulla est sequela.*

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies renis utriusque, sed præcipuè dextri, sanguinea & biliosa, cum tumore & ardore conjuncta; a quæ vulgò *Inflammatio renum* appellatur. Eaque ex symptomatis in historia commemoratis innotescet.

a Quæ vulgò inflammatio renum appellatur.) *Inflammatio intestini coli aliquando mentitur hunc affectum; sed non adeo opus est, ut anxie distinguamus; nam curatio eadem est; attamen in inflammatione intestini coli dolor magis in abdomine sentitur acerbus, sed renum magis est gravativus, etiam in inflammatione coli excretio fæcum magis depravatur: in inflammatione renum urina est suppressa, pauca, intensè rubicunda splendescens, cum ardore lumborum & stranguria.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi fuit temperamentum biliosum ægri nostri, quo multus biliosus sanguis in corpore ejus genitus, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus vehementiore isto exercitio corporis in renum substantiam, ob poros eorum nimis relaxatos, copiosius propulsa, vehementiusque ibidem incalescens, & partes alias per sympathiam afficiens, *continens* hujus inflammationis, ejusque symptomatum, est causa.

a Causa procatarctica.) *Huc facit ætas juvenilis; interdum quoque nativa renum dispositio, à parentibus contracta, id est, pororum tubulorumque angustia; cibi salsi & multo pipere aliisve aromatibus conditi; consuetarum evacuationum suppressio; dein ictus, lapsus, compressio & contusio; febres continuæ, expurgatio puris per renes aliquandiu continuata, ut in empyemate; calculus &c. causæ esse possunt hujus inflammationis & urinæ ardoris.*

Ab humoribus enim illis biliosis & sanguineis in substantiam renum effusis, ibique præter naturam incalescentibus, orta est hæc *intemperies biliosa & sanguinea*, *item tumor renum* ardore comitatus; unde partes eorum membranosæ vehementer tensæ & agitatæ *a dolorem illum acerbissimum in lumbis*, ubi renes sunt siti, produxerunt. Et quia renes cum aliis partibus vicinis sunt connexi, motusque eorum vehementior iis propterea communicatur, hinc *dolor ille sese sursum ad hepar & deorsum ad vesicam, pudendum, & femora corporisque* b *commodam erectionem impedivit; ac nauseam, imo & vomitum bilis*, ventriculum folliculumque fellis afficiendo, *excitavit.*

a Dolorem acerbissimum.) *Haud rarò pulsantem, si locus afficiatur proximus arteriæ emulgenti.*

b Commodam erectionem impedivit.) *Neque in latus oppositum se facile convertunt, neque in idem neque in ventrem, quia tum pars inflammata expanditur, sed commodissime in dorso decumbunt; ex sternutatione, aliave corporis agitatione dolor augetur.*

Et quia magna illa *a* humorum ad renes decumbentium copia, poros eorum, per quos urina ad ureteres defluit, imo & ipsos ureteres, valde angustat, nervosque à lumbis ad crus dextrum descendentes magnopere premit, hinc *mingendi difficultas, & dextri cruris stupor in ægro nostro observatur.*

a Humorum decumbentium.) *Colliguntur ibi potius humores propter obstructionem tubulorum & excretionem per ureteres sufflaminatam.*

Dum verò pars istius sanguinis fervidi *a* in renibus effervescentis, perpetuò ab ipsis per venas emulgentes in venam cavam & inde ad cor defertur, eaque ibi maligniorem & valde magnam effervescentiam in corde ulterius concipit, quæ deinde cum sanguine per totum corpus diffunditur, *b hinc oritur febris illa acuta*, ægrum nostrum jam graviter infestans.

a In renibus effervescentis.) *Nempe materia ætherea per poros salium, quibus obstructi sunt pori tubulique renum, continuo & copiose trajicitur.*

b Hinc oritur febris.) *Interdum & vigiliæ & deliria.*

Et denique, quia præ doloris vehementiâ, subinde cor vehementius constringitur, quo sanguis parcius ad remotiores corporis partes propellitur, hinc *contingit*, a *ut extrema, & præcipuè pedes & suræ, in nostro ægro interdum valde frigeant.*

a Ut extrema frigeant.) *Id ex singularibus quibusdam in hoc ægro circumstantiis dependere videtur, non enim fluit ex natura morbi: hoc frigus quidem fit in trunco & artubus in febribus intermittentibus & malignis, quando notabiliter imminuti aut depravati sunt motus sanguinis & humorum.*

Morbus hic *periculosus* est, ob vehementia, quæ inducit, symptomata. Præterea periculum est, *a* ne in suppurationem abeat, & in ulcus renum degeneret.

a Ne in suppurationem abeat.) *Cum ad suppurationem inflammatio tendit, tum pus, & ichor cum urina solent excerni: urinæ in morbi principio tenues*

aut

aut flavæ esse solent, quæ in progressu flammeæ evadunt: qui color urinæ flammeus hic oritur à multo sale.

Huc Spectant seqq. Hippocr. Aphorismi.

Sect.IV. Aphor.57.76.78.
Sect.V. Aphor.58.
Sect.VI. Aphor.6.11.
Sect.VII. Aphor.34.35.36.

Diligentissima itaque *a Curatio* adhibenda; *quæ* in causarum & intemperiei ac tumoris per contraria ablatione consistet.

a Curatio.) *Convenit fere cum medicationibus inflammati lienis & hepatis.*

Mox itaque injiciatur talis clyster:

℞. a *Decocti comm. emollientis lib.j℥.*
In quo dissolve el. diapruni, diacatholici an.℥j.
b *Olei lilior., rosacei an.℥vj. salis comm.℥j.*
Misce F. Clyster.

a Decocti comm. lib.j℥.) *Sint decocti ℥ix. aut x. solummodo, ne intestina nimium distenta premant dolentes renes; admittitur autem clyster, aut propter induratas fæces, aut emollitionem.*

b Olei lilior.) *Deleantur olea, sed vitellus ovi, & sal prunell. addantur.*

Corpore ope clysteris evacuato, aperiatur eodem die in eodem latere vena circa talum, sanguisque educatur ad ℥viij. vel x. & deinde oblinatur regio lumborum tali *a* linimento:

℞. *Unguenti refrigerantis Galeni.℥ß.*
Olei rosarum ℥j. aceti parum, misce F. Linimentum.

a Tali linimento.) *Admisce* camphor. gr.viij.
Sacch. saturni gr.x.

Hartmannus *commendat* caphuram *cum* Olei amygd. dulc. solut.

Eique imponatur tale *a* emplastrum.

℞. *Unguenti refrigerantis Galeni ℥j.*
Ceræ q.s.Mixta inducantur linteo & F. Emplastrum.

a Emplastrum.) *Nobile hic est emplast. de sperm. cet. camphor. Mynsichti.*

Interea ad humorem fervidum contemperandum, doloremque & sitim ac urinæ ardorem vigiliasque imminuendas, utatur tali decocto, & talibus tabellis:

℞. *Hordei mundati ℥j.*
Fol. violariæ, malvæ, portulacæ an.m.j℥.
Flor. nenupharis, p.ij.
a *Sem. 4.frigidor. major. an.℥ij.*
Decoque in aq. vulgaris q.s. ad lib.j℥.
In Colatura dissolve syr. violarum ℥j. papaveris ℥ß.
Misce, F. Apozema.

℞. b *Spec. diatragacanthi frigid.*
Trochisc. alkekengi an.℥s.
Dissolutis in aquæ alkekengi q.s. adde sacchari ℥is.
F. tabellæ ponderis ℥ij. de quibus sumat subinde ℥j. quantitatem.

a Sem. 4. frigid. major.) *Subinde ad ardorem sanguinis compescendum, sumatur Pulvis* ex lap. prunell. gr. xvj.
Camph. gr. iij.
Sacchar. Saturni gr. iv.
M. F. Pulvis.

Contra febrem continuam bis indies sumatur medicamentum sequens.
℞. Bezoar. mineral. ℈ß.
Camph. gr. iij.
Sperm. cet. gr. xv.
M. F. Pulvis.

Vel accipe mixturam aliquam febrifugam temperatam.

Sudorifera lenia, ut mithrid. theriac. &c. bezoar. miner. aut antimon. diaphor. *Non autem salia prosunt acriora.* Lapis prunell. camph. & spiritus acidi volatiles hic curationis magnam partem efficiunt.

b Spec. diatrag. frig.) *Pro specifico quidam habent succum cancrorum fluviatilium crudorum ad cochlear integrum, cum jusculo carnium aut decocto prunorum, exhibitum.*

Dolore magis urgente, adhibeatur tale fomentum, reiterato prius clystere, & postea reiteratâ etiam venæsectione.

℞. *Fol. violariæ, malvæ, portulacæ an.* M. j.
Flor. rosar. rubr., nenupharis, camomill., meliloti,
Summitat. anethi, parietariæ exsicc. an. p. j.
Rad. althææ ℥j.

Decoq. in aq. communi, a addendo aceti parum, ad lib. iß. pro Fomento, spongiis vel pannis laneis eo imbutis & expressis adhibendo.

a Addendo aceti parum.) *Non adstringendum est nisi in principio, & declinatione, cæterum adde*
Lap. prunell. ʒiij.
Camphoræ ℈j. *quæ addenda est post decoctionem.*

A fotu a tale adhibeatur cataplasma:

℞. *Flor. camomill., meliloti, rosar., rubr.*
Fol. malvæ an. M. j.
Coq. ex aq. comm. ad mollitiem pro Fomento:
Reliquiæ contundantur, iisque adde farin. fabar. ℥ß.
Far. sem. lini, fœnugræci an. ʒiß.

b *Ol. rosacei, camomill., an. q. s.* F. Cataplasma, quod linteis inductum loco dolenti sæpe adhibeatur.

a Tale adhibeatur cataplasma.) *Quale fieri posset etiam ex sedimentis prioris fomenti.*

b Ol. rosacei &c.) *Pinguia in inflammationibus suspecta sunt, adde*
Camphoræ ℈ß.

a Si febre cessante, deinde inflammatio suppuretur, ægerque pus excernat, b pro ejus abstersione subinde sumat c talem haustum:

℞. *Aq. decoctionis hordei excorticati* ℥iv.
Syr. de cichorio cum rhabarbaro ℥j. M. F. Haustus.

a Febre cessante.) *Siquidem Auctor præter venæsect. nihil præscripserit ad febrem, sumatur mixtura aliqua antifebrilis, ex. gr.*
Aq. card. bened.
Melissæ,
Rosar. an. ℥j.
Confect. hyacint. ʒiß.
Bezoar. mineral. gr. xxv.
Syr. de papav. ʒvj.
Lap. prunell. ℈j.
Sp. nitri q. s. *ad levem acorem*
F. mixtu-

F. mixtura, cujus 2. aut 3. cochlearia, ter quaterve quotidie sumantur, aut etiam sæpius, usque dum febris imminuatur.

b Pro ejus abstersione.) *Ubi discutientia non prosunt, ad emollientia, & maturantia deveniendum est, quò spectat terebinthina non lota, cum vitello ovi, sol. & syr. papav. vel mell. ros.* unc. sem. *cum aq. hordei propinetur.*

c Talem haustum.) *In principio nempe, aut declinatione.*

Victus ratio sit tenuis & refrigerans ac humectans. *Cibus* itaque sit refrigerandi & humectandi vi præditus, ex ptisana hordeacea, pone cum jusculo gallinaceo, in quo endiviæ & acetosæ folia ebullierunt. *Potus* sit ptisana hordeacea, cerevisia tenuis, aqua hordei in qua glycyrrhiza est cocta. *a* Abstineat in principio à diureticis, ne morbifica materia copiosius ad affectos renes confluat. *b* *Motus* vitandus. *Clysteribus* emolliatur alvus.

a Abstineat in principio à diureticis.) *Etiam in statu, nè particulæ nimis crassæ & acres ad renes copiosius pellantur.*

b Motus vitandus.) *Somnus sit longior.*

XXXVII.

MEDICATIO VIRI, RENUM EXULCERATIONE LABORANTIS.

VIr 40. annorum, *a* tribus mensibus ardore urinæ vexatus, jam continuò pus fœtidum, interdum etiam saniem simul & sanguinem copiosum, cum urinis excernit. Adest quoque dolor *b* circa lumbos, cum gravitatis sensu conjunctus; urinæque *c* ardor ipsum etiamnum vexat.

a Tribus mensibus ardore urinæ vexatus.) *Verisimile ergò est, præcessisse renis alterutrius vel utriusque inflammationem.*

b Circa lumbos cum gravitatis sensu.) *Sunt duo signa, quibus discernitur ab exulceratione vesicæ.*

c Ardor.) *Sæpe adest lenta febris & continua. Vide* Riv. cent. j. obs. 48. *ubi etiam singultus per vices aderant.*

Afficiuntur in hoc ægro *renes*; quod ex dolore cum gravitatis sensu, circa lumbos, ubi renes sunt siti, percepto; *a* item ex pure fœtido, sanie, & sanguine, cum urinarum ardore excretis, est manifestum.

a Item ex pure fœtido.) *Quod aliquando etiam per alvum excernitur, ubi nempe abscessu ruptô pus sibi viam per intestina sternit. Hoc pus, si excernatur ante urinam, aut etiam sine urina, designaret ulcus vesicæ, aut prostatarum, vel meatus urinarii.*

Mor-

Morbus, qui ægrum hunc affligit, est solutio continui purulenta & saniosa renum; quæ *renum ulcus sive exulceratio* vulgò appellatur. *Eaque* ex præcedente urinæ ardore, & *a* puris saniei, & copiosi sanguinis subsecutâ cum urinis excretione, dolore gravativo lumborum comitatâ, est manifesta.

a Puris.) *Vid.* Hipp. Sect.iv. Aphor. 75. & 76.

Causa remota hujus affectus fuerunt *a* humores acres, in sanguine nostri ægri existentes, qui ad renes & vesicam delati easque partes suâ acrimoniâ vellicantes, primum *urinæ ardorem, per tres menses durantem*, produxerunt. Acquisitâ verò tandem majore humorum acrimoniâ, eâque ad renes delatâ, contingit jam, ut ab ea *tanquam causa conjuncta* renum vascula & *b* substantia carnosa sint corrosa & exesa; quo sanguis è vasculis egressus, & in poris renum hærens, partim diutinâ morâ in pus fœtidum & saniem acrem convertatur, doloremque gravativum in lumbis pariat, partim recens ex vasculis corrosis vel secundum poros nimium dilatatos, in renum pelvim copiosè defluat, atque inde cum serosis sanguinis partibus, urinæ liquorem constituentibus, ad pelvim renum, & inde in vesicam perpetuo delabatur, eamque ad excretionem cum rosione stimulet, atque ita *continuam* c *puris & saniei, interdum etiam copiosi sanguinis excretionem, cum ardore quodam urinæ conjunctam*, jam excitet.

a Humores acres.) *Aliquandò renum ulcus oritur à calculis, vermibus, item pure ab aliis locis (v. g. pulmonibus, in empyemate) ad renes delato: Lues venerea quoque subindè renes exulcerat, teste* Horst. lib. 4. obs. 43.

b Substantia carnosa.) *Substantia renum constat ex meris canaliculis, sive tubulis glandulosis: confer* Celeberr. Bellin. & Malpigh. de struct. renum.

c Puris & saniei.) *Pus distinguitur à pituita, quod illud conjectum in prunas, edat fœtorem, & concussione urinæ dissipetur, pituita verò, ut & semen longis in urina oberrent filamentis, sine notabili fœtore.*

a Periculosus, & difficilis curationis est hic affectus; propter gravia & molesta, quæ inducit, symptomata; acresque humores, perpetuò ad renes delabentes.

a Periculosus.) *Inveterata exulceratio renum non curatur, teste* Hartmanno in Praxi: *ulcus renum lumbos aliquando perforâsse ibique in fistulam degenerâsse, curioso exemplo notavit* Willis tract. de urinis.

Cita itaque & *a* diligenti *Curatione* erit impugnandus. *Eaque* in acrium humorum evacuatione, & attemperatione, item in ulceris detersione & consolidatione consistet;

a Diligenti curatione.) *Si vires permittant, & jam sanguis non fuerit copiosè excretus, præsertim in plethora, venæsectio præmittatur, vide* River. cent. 1. obs. 48.

Primò *a* tale sumat catharticum mane jejuno ventriculo:

℞. *Cassiæ recens extractæ* ℥j.
Terebintinæ in aq. violariæ decies primum lotæ,
Et deinde ita tostæ, ut possit pulverisari ʒiß.
Pulveris glycyrrhizæ ʒij. *sacchari albi* ʒij. M. F. Bolus.

a Tale

a Tale sumat catharticum.) *Optimè præscribitur lene; melius hic additur terebinthina, quam in medicatione sequenti omittitur; lavatur, ut omnis acredo salis absit.*

Hartmannus prax. cap. CXLII. *dicit Practicos solere aliquoties pilulas aloëticas in hoc casu exhibere non sine patientis commodo ex aloë, cum pulvere lumbricorum terrestrium & chalybe, per aliquot septimanas.* Ibidem etiam *valdè laudat merc. dulc. cui (inquit) si succedit spiritus merc. dulc. nulla exulceratio refragatur.*

Postridie vena secetur in brachio dextro, sanguisque educatur quantitate ℥vj. Porro singulis septimanis semel injiciatur talis clyster:

℞. *Herb. malvæ, althææ, violariæ, acanthi, an. m. j.*
Hordei m. ß., pruna damascena Num x.
Decoq. in aq. comm. ad tertiæ partis consumtionem,
Colaturæ sume lib. j. in qua dissolve cassiæ rec. extr. ℥j.
Sacchar. rubr. ʒx. *ol. violacei* ℥ij. *vitell. ovi* Num. j.
Misce F. Clyster.

Et passim, ad humores acres & salsos mitigandos & temperandos, doloremque sedandum, *a* utatur tali decocto:

℞. *Hordei mundati p. j.*
b *Herb.* c *lactucæ, malvæ, violariæ, portulacæ,*
Intybi, plantaginis, agrimoniæ an. m. j.
Sem. 4. frigid. major. an. ʒiß.
Jujubas, sebesten recent. an. Num. vij.
Decoq. in aq. comm. ad lib. j. Colat. adde d *syr. violacei,*
Nimpheæ an. ℥j. *syr. capill. vener., papav. an.* ℥ß.
Misce, e F. Apozema.

a Utatur tali decocto.) Rondeletius *post evacuationes, usurpat* guajacum *tanquam sudores movens, & tanquam ulcera tergens; sed propter ejus acredinem in præscribendo decocto, illud potius præterirem.*

Riverius cent. 1. obs. 48. *exhibet* salem prunell. ad ʒiß. *cum magno successu, etiam* salis perlarum ʒß.

b Herb.) *Auctor habet nimiam herbarum quantitatem pro* ℔j. *decoct. sit ad* ℔iv. *aut* v.

c Lactucæ.) *Adde*
Sem. levist. ʒiij.

d Syr. violacei.) *Deleantur* syr. violar. & cap. vener. *& adde*
Mell. rosacei ℥j.
Spiritus salis dulcis ℈iv.
Salis prunell. ℈ij. *aut* ʒj.

e M. F. Apozema.) *Imo sufficere potest decoctum solius salsaparill. quod copiosè sumatur ter quaterve quotidie, cui add.*
Salis prunell. &
Syr. nymphææ &
Papaveris.
Decoctio fiat in aquæ & hydromell. ana p. æq.

Singulis septimanis purgetur semel, vel bis tali bolo:

℞. *Cassiæ recens extractæ* ℥ß.
a *Trochiscor. alkekengi* ℈j. *Misce*, pro bolo.

a Trochisc. alkekengi.) *Attendendum, an ulcus jam sit sufficienter detersum, alias bolo primo ulterius est utendum. Abstineat æger à diureticis fortioribus acrioribusque.*

Et quotidie sumat ex sequenti electuario castaneæ magnitudinem, superbibendo cyathum *a* seri lactis.

℞. Sac-

℞. *Sacchari violacei* ℥j.
Conserv. rosar. unius anni ℥ß.
Sem. malvæ ℨij. *papaver. albi* ℨj. *4. frigid. major. an.* ℨjß.
Hyoscyami albi ℈ij.
Pulver. glycirrhizæ ℨjß. *granor. alkekengi cum suis vesicis* ℈iv.
Succi glycyrrhizæ ℨiij.
Boli armeni veri, terræ sigill. an. ℨß.
Cum syr. violaceo q. s. F. Electuarium mediocris consistentiæ.

a Seri lactis.) *Rectè, quia est detergens.*

Si ventriculus ferat, identidem capiatur terebinthinæ Venetæ claræ in aq. petroselini lotæ drach. j. cum Vitello ovi Num. j. in jusculo, vel lacte commisceatur.

Aliqui vomitum probant v. gr. ex aq. tepida & ex pauxillo olei communis, ut Forestus lib. 24. obs. 28. *at nos judicamus ex concussione illa vehementi partes exulceratas adhuc magis lædi.*

Post usum detergentium, ubi ulcus satis detersum fuerit; quod cognoscitur, ubi pus cum urina minore quantitate excernitur, idque album & æquale, ac minimè sordidum; ea, quæ exsiccant, adstringunt, glutinant & consolidant, exhibenda sunt, quales sunt *a* trochisci sequentes:

℞. *Boli armeni, terræ sigill., coralli rubri, an.* ℨiij.
Gummi Arabici, tragacanthi an. ℨs.
Cum aq. agrimoniæ F. Trochisci, ponderis ℨij. Capiat unum mane & vesperi, cum lacte ovillo vel decocto symphyti majoris.

a Trochisci.) *Si pulverem velimus, sit sequens:*

℞. Sem. papav. albi
Cydonior.
Croci martis adstring.
Terræ sigill.
Tragacanth.
Corall. rubr. an. ℨß.
Rof. rubr. gr. xviij.
Mercurii dulcis gr. ix.
M. F. Pulvis pro sex dosibus, quarum una quotidie sumatur mane & vesperi cum lacte dulci & mell. ros.

Hi Auctoris trochisci paulò serius sumendi sunt, quam trochisci Gordonii, seq. medic. descripti, quia hi minus adstringunt.

Species diatrag. frigid. ad ℨß. *aut ultra, sumi possunt solæ, ut & lac asininum vel caprillum, vel ovillum, præsertim febre absente.*

Pilulæ sequentes multum etiam proderunt:

℞. *Terebinthinæ aq. plantag. lotæ* ℨj.
Succi liquirit., gummi tragacanthi an. ℈ij.
Boli armen., trochiscor. alkekengi an. ℈s.
Cum succo equiseti F. Pilulæ, de quibus capiatur ℨs. mane & vesperi.

Præ cæteris verò *a* lac vaccinum recens mulctum, ad cyathi unius quantitatem, cum boli armeni veri ℨs. singulis diebus mane haustum, maximè conferre testatur experientia.

a Lac vaccinum.) *Prodest etiam lac amygdalarum dulcium cum syrupo papaveris alb. vel errat.*

Exterius, ad consolidationem ulceris juvandam, *a* sequens unguentum admoveri poterit:

℞. *Succi*

℞. *Succi plantag., solani an.* ℥iiij. *ol. rosʃ. omphacin.* ℥iij.
Aceti ℥j. *lithargyrii tenuiss. pulv.* ℥jʃ. *cerussæ lotæ* ℥ß.
Tutiæ subtilissimè pulv. ℥ij. *sang. dracon.* ℥j.
Reducantur omnia ad formam Nutriti.

a Sequens unguentum.) *Convenit quoque unguentum populeum & refrigerans Galeni, cui addatur ol. rosar. q. s.* Riverius *narrat empyricum sola inunctione unguenti mercurialis sanasse ulcus renum, obs. comm.* 12. *Unguento Auctoris adde* Camphoræ gr. xv. *estque hoc unguentum præferendum ei, quod in sequenti medicatione præscribitur.*

Cibi sint euchymi & eupepti, ex cremore ptisanæ, carnibus gallinaceis, agninis, amygdalis dulcibus. Vitet acria & salsa. *Commodus* est usus lactis. a *Potus* sit parcior. b Vitetur *Motus* præsertim vehemens. *Vinum* hic etiam nocet.

a Potus.) *Sit decoctum* hordei, graminis & liquir. *ad detergendum ulcus. Vide* River. cent. j. obs. 48. *ubi æger potissimum ex sero lactis convaluit.*

b Vitetur motus.) *Ut & venus: nocent quoque omnia aromata, salitæ carnes & pisces.*

XXXVIII.

MEDICATIO VIRI, EXULCERATIONE VESICÆ LABORANTIS.

VIr 42. annorum, jam ab aliquot mensibus dolorem perpetuum, in imo ventre a circa pubem sentit; urinamque purulentam, ac graveolentem, b ac surfuraceam, magna cum difficultate, & ardore, sæpe etiam c cum stillicidio, excernit. Adest alvi evacuandæ frequens appetitus. Nihil arenularum in fundo urinæ apparet: neque antea albam & crudam urinam excrevit.

a Circa pubem.) *Distinguitur exulceratio renum, ab exulceratione vesicæ, quatenùs in hac dolor est in hypogastrio, in illâ verò dolor circa lumbos percipitur.*

b Ac surfuraceam.) *Vid.* Hippoc. Sect. iv. Aphor. 81. & 77.

c Cum stillicidio.) *Etiam hoc ad vesicam pertinet, uti & alvi evacuandæ frequens appetitus, s. tenesmus, ratio est, quia ei annexum est intestinum rectum.*

Afficitur in hoc ægro *vesica*; quod ex dolore perpetuo circa pubem percepto, item ex urina purulenta & surfuracea, magna cum difficultate & ardore, ac stillicidio excreta, est manifestum.

Morbus, qui hunc ægrum torquet, est solutio continui purulenta & saniosa interioris superficiei vesicæ, quæ vulgò *Exulceratio vesicæ* appellari consuevit. *Eaque* ex symptomatis partem affectam indicantibus, quæ jam commemoravimus;

mus; item ex eo, quod nullæ arenulæ in urinis appareant, nec urina antea cruda & alba fuerit excreta, patet.

Causa remota hujus morbi est *a* congeries multorum humorum acrium in sanguine existentium. Pars verò eorum à corde in vesicam subinde propulsa, ibique *b* propter pororum ejus pravam dispositionem à reliquo sanguine copiosius separata, majoremque acrimoniam adepta, *c* & in pus & saniem conversa, ac deinde interiorem vesicæ superficiem erodens, eamque perpetuò cum vicinis partibus vellicans, *proxima* hujus vesicæ exulceratæ, urinæque purulentæ, graveolentis, farinaceæ, *d* cum ardore & sæpe etiam *e* cum stillicidio excretæ, ac præterea etiam perpetui alvi excernendæ appetitûs *est causa*.

a Congeries humorum acrium.) *Aliquandò vesica inflammatur, excoriatur, ulcusque suscipit ab acrioribus diureticis v.g. cantharidibus, vermibus majalibus, &c. incautè usurpatis: item à calculo, lithotomia infelici & simil.*

b Propter pororum, &c.) *Consistit hæc prava dispositio in pororum tubulorumque nimia angustia.*

c Et in pus & saniem conversa.) *Pus oritur à lympha chylosa, propter fibrarum tubulorumque erosionem, extravasata.*

d Cum ardore.) *Hic oritur à copioso sale fixo.*

e Cum stillicidio.) *Quoties sc. ob vellicationem, musculus sphincter vesicæ arctius contrahitur; aut etiam materia viscida principium meatus urinarii obstruit.*

Affectus hic *difficillimæ erit curationis*; *a* propterea quod urina acris, quæ perpetuò ad vesicam defluit, non patiatur exulcerationis hujus commodam consolidationem; ideoque diligentissima erit adhibenda *Curatio*.

a Propterea quod urina acris.) Secundo *etiam, quia pars hæc affecta est à corde valde remota, ad quam vires medicamentorum, nonnisi valdè infractæ perveniunt.*

Cœterum curatio hæc similis est ei, quæ in exulceratione renum, fuit proposita: vid. Platerum prax. parte 3. pag. 86. *editionis in quarto.*

Eaque in causæ remotæ & proximæ ablatione & attemperatione, & in ulceris detersione, exsiccatione, & consolidatione consistet.

Primò *a* itaque purgetur æger *b* tali Bolo:

℞. *Cassiæ recens extractæ unc. j.*
Sacchari violacei q. s. Misce F. Bolus.

a Itaque purgetur.) *Si vires permittant, curatio incipienda est à venæsectione, præcipue si plethora adsit, & purgationi præmittenda est, ne sanguis tantum impetum faciat in partes affectas, eaque aliquando reiteranda est.*

b Tali bolo.) *Ubi purgandum est, debent lenia præscribi, mordacitatis expertia.*

Humores deinde acres contemperentur & præparentur *a* tali decocto:

℞. *Decoctionis hordei, sem. 4. frig. maj., lactucæ,*
Capill. Veneris lib. j.
Syr. violacei, mell. rof. an. unc. j. Misce, pro 4. dosibus uno die sumendis.

a Tali decocto.) *Probata est potio* Thoneri in obs. p. 176.

℞. *Herb. Agrim.*
Plantag.

Equi-

Equiset. ana M.ß.
Liquirit. mund. drach. ij.
coq. in aq. plant. & beton. ana q. s. ad consumt. tertiæ partis in colat. ℔ß. dissolv. mell. ros. ℥jß. M. Ipse etiam æger singulis horis per syringam, portionem ejus injecit.

Utile quoque est decoctum sudoriferum, idque per mensem, aut diutius, ex Chinâ & salsaparill. liquir. florib. & semin. papav. valde enim mundificant sanguinem, & acrimoniam obtundunt.

Potus aquarum mineralium hic quoque multum prodest ad ulcera detergenda, & mundanda. Vid. Tulp. lib. 2. obs. 53.

Postea iterum leviter purgetur tali bolo:

℞. *Cassiæ recens extractæ ℥vj.*
Diapruni solutivi drach. ij. cum saccharo asperso F. Bolus.

Commodissimus hic est lactis & seri dulcis usus; ideoque mane sumat cyathum unum atque alterum lactis vel seri.

Pro ardore urinæ, sub noctem sumat lac amygdalatum, cum emulsione sem. 4. frigid. major. & papav. albi.

Ad eundem scopum syringâ in vesicam injiciatur *a* lac ovillum cum emulsione sem. cucumeris; & interdum etiam, ut simul fiat detersio, *b* injiciatur decoctum hordei excorticati, fol. plantag. & glycyrrhizæ, cui, propter acrimoniam, addatur aliquid amyli, aut sem. malvæ, althææ, cucumeris, vel fœnugræci, & sem. papaveris.

a Lac ovillum.) *Hoc magis detersivum est, quam bubulum.*

b Injiciatur decoctum hordei.) *Cui decocto etiam aliquid vini theriacalis potest adjici, sed paucum, si quidem ardores adsint.*

Commodissiè *a* trochisci Gordonii ponderis drach. ij. in lacte caprillo, vel ovillo, vel bubulo, vel in decocto hordei, dissoluti, in vesicam syringâ injiciantur, *b* hoc enim remedium ulcus purificat, & conglutinat, doloremque & ardorem sedat. Trochisci illi Gordonii tales sunt:

℞. *Sem. 4. frigid. maj., papav. albi, malvæ, bombac.,*
Portulacæ, cydonior., myrtillor.,
Tragacanthæ, gummi Arabici, pineor. mundat.,
Pistachior. sacchari candi, sacchari penidiati,
Glycyrrhizæ, hordei, mucilag., psyllii, amygdal. dul. an. ℥j.
Boli armeni, sang. dracon. spodii, rosar. myrrhæ an. ℥ß.
Cum hydromelite, F. Trochisci ponderis drach. ij. quorum unus cum lacte dissolutus, & per os intro assumi, & per syringam in vesicam injici potest.

a Trochisci Gordonii.) *Vide* Riv. lib. 14. cap. 5. *ubi etiam eos commendat, sed his demum locus esse potest in fine, mundificatione* peractâ.

b Hoc enim ulcus purificat.) *Satis detersum esse indicatur, cum pus evadat paucum, album & æquale.* Platerus *commendat seq. ℞. Terebint. drach. vj. mell. unc. j. vin. malv. unc. iv. vitell. ov. num. j. diluta servanda ad usum: dos. drach. vj. Vel ℞. Terebin. unc. sem. vitell. ov. n. j. mell. unc. ij. agitentur in mortario, donec albescant, add. vin. alb. aq. pariet. flor. fab. ana unc. j. sem. syr. limon. unc. j. M.*

Et subinde purgetur tali bolo:

℞. *Pulpæ cassiæ recens extractæ unc. j.*
Trochisc. alkekengi ℈j. F. Bolus.

Et urgente dolore, talis fotus adhibeatur cum pannis laneis pectini adhibitis:

℞. *Malvæ & altheæ cum foliis & rad. an. m. j.*
Flor. camomeli, meliloti,
Rad. nymphęæ & sem. ejusd. an. ℥j.
a *Sem. halicacabi* ℥ß.
Calami aromatici ℥ij.
Decoq. in s. q. aq. comm. pro fotu *ad lib.* ij.

a Halicacabi) *Addite* sem. levist. & Fœnugræci an. drach. ij. | *Sed calamus aromaticus ut nimis calidus omittatur.*

Post fotum pectini adhibeatur a tale unguentum.
℞. *Ol. amygdal. dulc.* ℥jß. *violacei* ℥ß.
Mucilag. sem. althęæ, fœnugræci, lini an. ℥j.
Pulv. sem. alkekengi, nymphęæ an. ℥j.
Croci ℥j. *cum cera q. s.* F. Unguentum.

a Tale unguentum.) *Cera deleatur, utpote quæ poros obstruit: adde* | *camphor. gr.* viij. x.

Victus sit talis, qualis in renum exulceratione superius fuit præscriptus.

XXXIX.

MEDICATIO VIRI, STRANGURIA GRAVI LABORANTIS.

Vir 40. annorum, postquam cœlo pluvioso & frigido iter aliquot dierum peregre fecisset, vesperi domum reversus cœpit magnum dolorem & ardorem in urinæ excretione a circa perinæum sentire. Paulo post, malum, hoc ita fuit auctum, ut frequenter & non nisi guttatim, nec sine b maximo dolore & acrimoniâ, urinam excernere cogeretur. Idque jam, quamvis remedia aliqua sint adhibita, per triduum durat; maximâque cum molestiâ ipsum torquet.

a Circa perinæum.) *Nempe antequam urina excernitur, posteà verò maximè dolor occupat glandem, colisque internam partem juxta frænum.* | b Maximo dolore.) *Qui ob viciniam intestini recti, simul parit tenesmum, uti hic vice versa producit stranguriam: vid.* Hipp. Sect. v. Aph. 58.

Afficitur in hoc ægro *vesica*, ac præcipuè circa collum ejus, & meatum urinarium: idque, ex dolore in excernendâ urinâ circa perinæum percepto, patet.

Morbus, qui ipsum affligit, a est intemperies acris, salsa, viscida & aspera vesicæ, ac præcipuè b ejus fundi & colli; quæ dolorosam, frequentemque, guttatim effluentis urinæ excretionem efficiens, c *Dysuria gutturalis*, sive *Stranguria* appellatur.

a Est intemperies salsa.) *Id non planè constat ex historia, quoniam Auctor nec diætam, nec temperamentum adjecit, multo minus constat, quod adsit asperitas vesicæ; conjectura ergò hæc admodum difficilis est, estque asperitas non intemperies, sed morbus organicus.*

b Ejus fundi & colli.) *Hę tamen partes vesicę ab invicem satis remotę sunt.*

c Dysuria.) *Vide* Barthol. Act. med. & philos. part. 1. obs. 32.

Causa procatarctica hujus morbi est, *a* aër frigidus & pluviosus, in quo hic vir iter peregre fecit. Inde enim acres halitus, qui ex corpore alioqui exhalassent, in corpore ob poros ejus ab aëris illâ inclementiâ clausos, retenti, & cum reliquis acribus sanguinis partibus arctius conjuncti, & complicati, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum à corde identidem *b* ad renes propulsa, ibique à reliquo sanguine separata, & ad vesicam defluens, eamque suâ acrimoniâ salsedine & viscitate imbuens, & ideò fere perpetuò rodens & hinc asperans, & ad excretionem perpetuò stimulans, *continens* hujus intemperiei & dysuriæ est causa.

a Aër frigidus.) *Vid.* Hipp. Sect. 3. Aph. 16. 20. 22. 31. Sect. iv. Aph. 80. Sect. v. Aphor. 58. Sect. vij. Aphor. 39. *Huc pertinent omnia acria in præcedentibus medicationibus allata, item gonorrhæa virulenta, &c.*

b Ad renes propulsa.) *Quidni immediatè ad vesicam per proximas arterias, glandularumque canales?*

Malum hoc, cum contumax sit, *a* vesicæ exulcerationem inducere posset.

a Vesicæ exulcerationem.) *Aliquando hinc volvulus, & est pessimum signum vid.* Hippocr. Sect. 6. Act. 44. *de stranguria in ischuriam versa, vid.* Forest. lib. 25. obs. 11. *à stranguria Gallica, intempestivè suppressâ, scrotum perforatum, primoque urinam, deindè materiam purulentam transmisisse. Vid.* Schenk. obs. pag. 813. *Carunculas itidem s. hypersarcoses urethræ, itidem talem gignere potest stranguriam.*

Curatio itaque diligens ei adhibenda. *Eaque* in causæ antecedentis, continentis, intemperiei, & doloris ablatione consistet.

Primò itaque talis exhibeatur haustus purgans:

℞. *Cassiæ recent. extractæ* ℥j. *el. lenitivi* ℥ij.
a *Nucis moschatæ* ℈ſ. *seri lactis* ℥iij. *syr. althęæ Fernelii* ℥ß.
Misce, F. Haustus.

a Nucis moschatæ.) *Sola nux moschata ad acrimoniam acidam temperandam valet, præsertim si pauxillum spir. vin. simpl. vel aromat. aut carm. Sylv. superbibatur.*

b Misce, F. Haustus.) *Symptoma hoc per se non indicat purgationem, sed hæc respicit universalem sanguinis intemperiem.*

Et postea utatur hoc decocto:

℞. *Rad. althææ* ℥j
Herb. lactucæ, endiviæ, portulacæ,
Summit. malvæ, an. m.j.
Gemmar. a *ribes nigræ m.s.*
Sem. melonum, malvæ, lactucæ,

Papa-

Papaver. an. ℥iij.
Flor. violar. rosar. nymphææ an. p.j.
Liquiritiæ rasæ ℥ij.
Coque in aq. decoct. hordei q.s. ℔ijß. *Colaturæ adde syr. Violac., jujub., papaveris albi an. unc.j.*
Fiat Apozema, *de quo sumantur unc. iv. bis in die.*

a Ribes nigræ.) *Hæ præbent egregium diureticum. Ita quoque*
℞. Sabinæ quantumvis.
Coq. in vino vel aq. decoct. hordei, & add. syr. de alth. Fern. q.s.
Hic omnia emollientia conveniunt, quæ in nephritide convenire diximus.
Vinum generosum solum hunc morbum solvit juxta Hippocr. 7. Sect. 48. Aph. *pleraque aromatica hic sunt utilia. Aliqui sal commune injiciunt in cerevisiam, & sic cum fructu bibunt.*
In haustu vini generosi cape etiam salis vol. oleosi gutt. xij. *aut* xiv. xvj. *aut spiritus sal. ammoniaci cum spirit. Terebinth. gutt.* viij. xij. *Similiter in casu acido, auxilio erunt salis fabarum stipitum aut salis genistæ gr.* xxv. *Huc quoque pertinent pulveres terrestres acidum absorbentes.*

Decoctum flor. camomillorum in lacte bubulo, & decoctum fol. & flor. malvæ & althææ hic summopere prosunt.
Et ℥j. trochisc. alkekengi, cum lacte vaccino exhibita, etiam hic est utilis.
a Fotus etiam talis adhibeatur:
℞. *Rad. althææ* ℥ij.
Fol. malvæ, violariæ, althææ,
Flor. rosar. camomill. an. m.j.
Sem. lini ℥ß.
Malvæ ℥ij.
Coque ex aq. comm. ad. lib. ij. *& colentur.*
Pro Fomento, *ter quaterve in die, pannis laneis vel lineis calidè immersis & expressis, pectini & perinæo adhibendo.*

a Fotus talis.) *Fomenta hic eundem usum habere possunt, quem in nephritide, sed videntur nimis operosa, nisi in stranguria diuturna.*

Post fotum pecten & perinæum sequenti oleo oblinantur calidè:
℞. a *Ol. amygdalar. dulc., nymphææ*
Rosar. an. ℥ß. Misce.

a Ol. amygdalar. dulc.) *Valde prodest, pectinis & perinæi inunctio cum oleo scorpion., spiritui therebinth. juncto. Sevum quoque vaccinum umbilico illitum, multos juvit, vid.* Hoffer. Herc. Med. tom. j. lib. 3. cap. 4.
Interius etiam conveniunt pilulæ ex terebinth. aliquoties cum aq. petrosel. lotæ.

Inter *Alimenta* conveniunt lac, ova sorbilia, juscula vervecina, amygdalæ dulces, oryza, lac amygdalatum. *a* Cerevisia tenuis, bene defæcata.

a Cerevisia tenuis.) *Potius recens modò benè defæcata, quàm pinguior, antiqua & austera, neque varia; etiam potus nimius vitetur, ne nimia salis copia cum urina præcipitetur.*

XL. ME-

XL.

MEDICATIO VIRI, URINÆ SUPPRESSIONE LABORANTIS.

VIr 40. annorum vitam otiosam inter varium crassioremque cibum, & potum in cauponâ degens, *a* nullis tamen calculis vel arenulis antea infestatus, incidit in plenariam urinæ sufflaminationem, ingenti in hypogastrio, circa pectinem, *b* dolore & tumore comitatam, jamque per quinque dies durantem. Multa remedia hactenus, sed frustra, adhibita fuerunt.

a Nullis tamen calculis vel arenulis antea infestatus.) *Confer* medic. xxxv. hujus lib.

b Dolore.) *Sine dubio ex retentione urinæ per 5. dies, ut Auctor testatur, adeoque etiam hinc cognoscitur, hanc suppressionem urinæ non esse ab obstructis ureteribus.*

Afficitur in hoc ægro *vesica*; quod ex dolore & tumore circa pectinem in hypogastrio; Item *principium meatus urinarii*; quod ex urinæ suppressione, tamdiu durante, est manifestum.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, *a* est intemperies crassa, viscida & tenax ac pituitosa colli vesicæ, quæ in eo tumorem faciens, & meatum urinarium angustans, urinæque in vesica existentis egressum impediens, *Ischuria* vel *Urinæ suppressio* appellari solet.

a Est intemperies.) *Aliquando est intemperies totius sanguinis, sed aliquando sanguis est ex vasis vesicæ extravasatus, & in ejus cavo coagulatus &c.*

Causa procatarctica hujus morbi est vita otiosa; & cibus potusque crassus *a* & varius, quo hic æger diu fuit usus. Inde enim crassi viscidique in corpore geniti humores, *b antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum cum urinis & cum sanguine arterioso ad vesicæ collum delata, *c* & ab eo imbibita, meatusque urinarii angustiam, ut *causa continens*, ibi faciens, *urinam jam per quinque dies in vesica retinet*. Cumque perpetuo major urinæ copia ad vesicam propellatur, quæ, propter illam colli angustiam, imo *d* totalem ejus occlusionem, excerni non potest, hinc necessario ab urinâ illâ eò copiosè propulsâ, *ingens in hypogastrio circa pectinem, oritur tumor, magno dolore*, à distensione partium orto, *comitatus*.

a Et varius.) *Varietatem non putem huc facere, imo potius fermentationes adjuvare; saltem reliquis paribus.*

b Antecedentem.) *Interdum ischuria est à delirio in phrenitide, dum æger non cogitat de urina emittenda, phantasmatis variis nimis intentus, estque tunc symptomatica.*

c Et ab eo imbibita.) *Quid hoc opus est?*

d Totalem ejus occlusionem.) *Sic differt à dysuria.*

Mor-

Morbus hic valde *a* est periculosus: ex dolore enim inflammatio vesicæ lethalis est metuenda; & deinde nisi cito urinæ detur egressus, serum excrementitium, in sanguine manens, faciet illum ad justam *b* dilatationem, in corde ad vitæ conservationem perpetuo faciendam, ineptum; atque ita vitam ipsam adimet.

a Periculosus.) *Quia multa remedia incassum adhibita fuisse dixit Auctor.*

b Dilatationem in corde.) *Sollicitudo longe petita, propinquior verò est ruptio fibrarum vesicæ.*

Curatio itaque recta quam celerrimè est adhibenda; *quæ* in causæ antecedentis, & continentis, ac intemperiei, & oppilationis ablatione, & urinæ eductione consistet.

Mox itaque injiciatur talis *a* clyster emolliens & expurgans:

℞. *Rad. althææ, lilior. albor. an.* ℥j.
Herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ
Mercurialis, brancæ ursinæ an. M.j.
Sem. lini, fænugræci an. ℥ß.
Ficus siccas Num. IV.
Coquantur in suff. quant. aq. comm. ad lib. j.
Colaturæ adde diaphænici, diapruni an. ℥vj.
Olei violacei, camomill. an. ℥j.
Salis comm. ℥j. M. F. Clyster, mox injiciendus.

a Clyster emolliens.) Hartmannus *bene monet* diuretica *ab initio non esse exhibenda, vultque, externa præmitti.*
Clyster seq. hic prodest;
℞. Rad. bryon. unc. sem.
Bulb. lilior. alb. unc. j. sem.
Herb. Majoran.
Menth.
Apii a. m. j.
Sem. anisi.
Levist.
Dauci a. drach. j. sem.
Tartari alb. unc. sem.
Coq. in s. q. seri lactis, aut vini Rhen. unc. x.
Colat. adde
Elect. diaphænic.
Diaprun a. drach. vj.
Spiritus therebinth. scrup. j.
Sal Cardb. *aut Genistæ, aut stipitum Fabarum drach. j. sem.*
M. F. Clyster.
Hunc clysterem coquendum commendavimus, non in aquâ communi, sed sero lactis aut vin. Rhenan. quia magis quadrant poris tubulisque aperiendis.

Post evacuationem clystere factam, *a* adhibeatur fomentum tale pectini & perinæo inter testes & anum.

℞. *Rad. althææ* ℥jß.
Herb. althææ, malvæ, parietariæ an. M.j.
Flor. malvæ, althææ, camomill. an m. ß.
F. decoctio in aq. comm. ad lib. jß. *pro* fotu, cum filtris laneis eo imbutis & expressis, calidè pectini & perinæo adhibendo.

a Adhibeatur fomentum.) *Fotus quoque adhiberi potest ex herbis emollientibus, si causa sit calculus; aut aromaticis si causa sit crassa, viscosa: & addi quoque debet sal diureticus.*
Vel fomentum parari potest ex sedimento clysteris.

Et

Et propinetur tale decoctum emolliens laxans, *a* & dolorem sedans:

℞. *Herb. malvæ cum radicibus* M.j℥.
Sem. Malvæ ℥iij.
4. frigidorum major. an.℥ij.
F. decoctio in aq. comm. ad lib.j.
Colaturæ adde syr. de althæa Fernelii ℥jß. F. Apozema.

a Et dolorem sedans.) *Atqui hic nulla doloris sedatio expectanda, nisi per evacuationem urinæ.*

b Herb. malvæ.)

℞. Ligni Guajaci
Cort. ejusdem an. unc.sem.
Ligni Sassafras drach. vj. *aut* unc. j.
Rad. Allii drach.iij.
Apii drach.vj.
Herb.Card. bened.
Apii an. m. j. sem.
Sem. Apii
Dauci an. drach.j.sem.
Tartari albi drach.iij.

(*Tempore æstatis Tartarus omittatur, ne decoctum nimis citò acescat*) *fiat infusio, & decoctio in aquæ & vini Moselani an. p. s. in col. lib.*iij. *dissolve*

Mell. Scyll. unc.j.
Salis genistæ *vel*
Stipit. fabar. &
Spiritus sal.ammoniaci an.℈j.
M. F. Apozema.

Prudenter hic spiritus, aut oleum diureticum exhibendum est, dummodo spes affulgeat, viam aperiri posse; alias nimis distenditur vesica, dum urina augetur. Lithontripticum & diureticum insigne ex grillis in aqua petros. vel saxif. maceratis, vid. in misc. cur. dec.3. ann.9. & 10. obs. 72. *usum vini alkekengi, vid.apud* River.prax. lib.14. c.8.

Si his urina profluat, postea eodem die, postquam enema fuerit reiteratum, hoc decoctum incidens *a* & detergens ægro præscribatur:

℞. *Rad. asparagi, brusci, fœniculi an.* ℥ß.
Sem. fœniculi, carui, fænugræci, lini an. ℥ij.
Cicer. rub. m.s. Coq.in aq. comm. b *& vino Rhenano ad* ℔j.
Colaturæ adde oxymell. simpl., mellis rosacei an.℥j. F. Apozema.

a Et detergens.) *Hic tamen exulceratio nulla adest.*

b Et vino Rhenano.) *Decocta hic non adeo bene commendantur, quia augent humiditatem sanguinis, adeoque, nisi evacuatio succedat, distensionem vesicæ augent. Quidam desperans à suppressione urinæ, sumpsit copiose vinum generosum Rhenanum antiquum; & curatus fuit.*

Dum eo utitur æger, inungatur pecten & perinæum *a* tali unguento, moxque imponatur tale cataplasma:

℞. *Olei amygdalar. dulc., butyri recent., olei scorpion. an.*℥ſ. *Misce.*
℞. *Herb. majoranæ, pulegii, origani, thymi an.* M.ß.
Incisa contundantur & decoq. in modica aq. & vini quantitate ad liquoris consumptionem, leviterque expressis adde butyri recent., pingued. anatis, axungiæ canis an.℥ß.
Ol. de scorpion. vermium terrest. an.℥j.
Misce & F. ad modum Cataplasmatis, quod pectini & perinæo calidè imponendum.

a Unguento.) *Adde spiritus terebinth.* ℥ß.

Si urina his promoveatur sequentem hanc sumat purgationem:

℞. *Diacathol.* ℥vj. *cassiæ recent. extractæ*
Diapruni lenitivi an. ℥jß.
Dissolve in decocti pectoralis, in quo malva est decocta, ℥iij.
Syr. althææ Fernelii ℥j. *Misce.*
Et postea bis in die utatur hoc decocto:

℞. *Rad. glycyrrhizæ ras., malvæ,*
Cort. rad. fæniculi an. ℥j.
Flor. cordial. an. p.j.
Sem. lini, malvæ, 4. frigid. major. an. ʒiß.
Cicerum rubr. m. iß. hordei mund. m. j.
F. decoctio in aq. comm. ad lib. is.
In qua dissolve oxymellis diuretici ℥iij.
Butyri recent. ℥ij. *Misce pro* Apozema, de quo sumat ℥iij. vel iv. pro dosi, sumendâ cum tribus ex sequentibus pilulis:

℞. *Terebinthinæ Venetæ parum tostæ* ʒij.
Succi glycyrrhizæ, pulv. liquiritiæ an. ℈ij.
a F. Pilulæ, cicerum majorum magnitudinis.

a F. Pilulæ.) *Auctoris pilulis inspergi potest pulvis millepedum: Spiritus diureticus sulphuris, vitrioli, nitri, & sal prunellæ, cremor tartari, etiam conveniunt: sem. violarum purpurearum pro specifico habetur, ex quo fit emulsio, apud* Cratonem, *cum aquâ veronicæ.*

Sal succini vol. etiam valde est diureticus.

Si verò urina his non fluxerit, ad catheterem, si illum admittere posset, post olei amygdalarum dulcium in urethram injectionem, esset veniendum, eoque urina esset educenda; & postea in præcedentibus remediis esset perseverandum.

a *Cibus* hic sit eupeptus, ex carnibus vervecinis, gallinaceis, cherefolio, petroselino. *Potus* vinum album Rhenanum, cerevisia lupulo condita. *Alvus* sit fluida.

a Cibus.) *Omnia adstringentia & viscosa vitanda: potus parcus, Cerevisia non sit fæculenta, nec acida, sed generosa & bene cocta.*

XLI.

MEDICATIO FOEMINÆ, DIABETE AFFLICTÆ.

Fœmina *b* sexaginta annos nata, temperamento *c* biliosa, calidis alimentis frequenter uti solita, jam ab aliquot diebus *d* urinam magnâ copiâ ita excernit; ut omnem potum ingestum protinus per urinas emittat, eumque crudum, ac à natura *e* vix concoctum. Adest magna sitis *f* item calor, dolor & punctio circa lumbos, corporisque totius *g* macilentia.

a Diabete.) Galen. lib. vj. de loc. aff. c. 3. *ita scribit: Ad renes quoque pertinere is videtur affectus, quem alii hydropem matellæ, alii urinæ profluvium, alii diabetem, alii diapsacon appellant, qui certè quàm rarissimè venire solet. Equidem eum antehac bis duntaxat videre potui, supra modum videlicet sitientibus infirmis, atque iccirco exuberanter bibentibus, celeriterque per urinam id, quod biberunt reddentibus tale, quale biberunt. Atque hic renum vesicæque affectus similis est ventriculi intestinorumque levitati. Conf.* Riv. prax. lib. xiv. cap. vi. *dividitur ergò in verum & spurium: ille significat affectum, in quo potulenta assumpta colore & odore parùm vel nihil immutato, citissimè per diuresin redduntur, hic verò uberrimum urinæ (diversæ naturæ uti postea dicetur) mictum, etiamsi liquida vel nulla, vel exigua copia fuerint hausta.*

b Sexaginta.) *Hæc ætas dabit difficilem prognosin.*

c Biliosa, calidis, &c.) *Hæc addit Auctor, quia rarissimè solet verus diabetes observari, nisi ubi magno ardore corpus vexatur.*

d Urinam magnâ copiâ, &c.) *Non eodem sub schemate quovis in diabete, urinæ copiosissimæ eminguntur, nec ubique ejusdem qualitatis sedimentum deponunt, aliquando sunt coloris expertes & aquosæ, aliquandò intensè coloratæ, flammeæ, albescentes, &c. Nuperrimè autem, cùm historia quædam oppidò rara, huc quadrans,* Celeberrimi & expertissimi hujus civitatis Practici Domini Frederici Deckers, meæque curæ Hagæ-Comitum fuerit commissa, *pretium valebit operæ, integrum (prout æger ipse proposuerat) casum hic adjungere, præprimis, cùm æger, diabete vexatus, nunquam siticulosus fuerit, secùs quidem ac evenire solet.*

Vir triginta trium annorum, non ita pridem Bacchi castra nimis fideliter secutus, incidit in nimiam ciborum appetentiam, imò caninam voracitatem: brevi post palpitationibus cordis corripitur, frequentibus lassitudinibus, tremoribusque partium totius corporis, præcipuè verò lateris sinistri, secundùm ductum totius medullæ spinalis à capite ad regionem lumborum usque: æstus percipitur in hypochondrio sinistro; crebri adsunt rugitus, & borborygmi ventris, qui à cibo & potu ingravescunt: corpus subitò extenuatum est maximè, pulsus est frequens & debilis, alvum nonnunquam singulis, nonnunquam alternis duntaxat deponit diebus: urinæ in principio morbi intensè erant rubicundæ, s. flammeæ, quæ sedimentum deponebant crassum & copiosum coloris subpurpurei: posteà verò indies circa pomeridianam horam quartam, vel quintam reddebantur turbidæ, colorem seri lactis referentes, odoremque lixiviosum spirantes, in quarum superficie cuticula satis densa (qualis vulgò in colliquatione apparet) remansit, cum sedimento albo, levi, flores benzoës recens sublimatos, vel nivem subtiliorem repræsentante: & semper quidem maxima cum angustia præcordiorum & oppressione; quod etiamnùm evenit nonnunquam bis, nonnunquam ter indies; semper triplo plus minxit, quàm hausit & id quidem toto morbi decursu, nunquam verò (quod mirum) præternaturaliter sitivit, nec sudavit; alternis ferè noctibus, pollutionibus vexatur, & nonnunquàm binis una eademque nocte, undè valdè debilitatur. Morbus hic jam annuus est. Diabeten spurium periodicum singulis mensibus instante plenilunio revertentem, vid. in act. med. Hafn. ann. 1671. & 1672. obs. v.

e Vix concoctum.) *Equidem hoc nostris in regionibus rarissimum est.*

f Item calor.) *Hic cum subsequentibus symptomatis indicat inflammationem ejusque gradum.*

g Macilentia.) *Vide* Barth. act. p. 1. obs. 5.

Afficiuntur in hac ægra *a renes*; quod ex copiosa illa urinæ excretione; item ex calore, dolore, & punctione circa lumbos percepta, est manifestum. Afficitur etiam *cor*, quod ex magno illo calore: nec non *totum corpus*, quod ex totius corporis macilentia patet.

a Renes.) *Haud rarò quoque, alia viscera, abdomine contenta, dùm afficiuntur, diabetes spurius oriri potest, ut infra dicetur: undè etiam dividi potest in idiopathicum, sympathicum & criticum, tàm ad salutem, quàm ad mortem. Diabete laborantium historias varias vid. apud* Schenk. lib. 3. obs. 1.

Morbus, quo ægra affligitur, est intemperies renum calida & nimis rara & laxa, quæ serum sanguinis, nimis copiosè separatum, per poros eorum nimis apertos perpetuo magnâ copiâ transmittens, urinæque evacuationem nimis copiosam efficiens, *Diabetes* appellatur.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diutinus ille calidorum alimentorum usus: unde multi humores calidi & acres, ac serosi in corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Illi vero in corde existentes & deinde ad renes delati, ibique intemperiem eorum calidam & nimis raram inducentes, *b continens* hujus morbi & symptomatum sunt causa.

a Causa procatarctica.) *A nimio aromatum usu, vid.* misc. cur. dec. 2. ann. 2. obs. 122. *à succo betulæ lethalem diabeten, vid.* misc. cur. ann. 2. obs. 198. *à continuo usu vini malvatici cum semine urticæ præparati: vid.* Tulp obs. lib. 2. cap. 46. *à febribus malignis ardentibus, vid.* Th. Barthol. act. Hafn. vol. 3. obs. 34. *à renibus malè affectis, vid.* Fred. Ruysch. obs. anat. chir. xiij.

b Continens.) *Hæc (ut supra monuimus) non ubique eadem est, sed diversa: nos sententiam nostram (salvo aliorum judicio) de quibusdam diabetis speciebus, breviter hic significabimus: Nempe, primò, si contigerit, sanguinem crassiorem intra venas visceris alicujus notabilis v. g. lienis, hepatis, pancreatis, &c. tardius progredi, vel easdem obstruere, major necessariò erit sanguinis à tergo secundum ductus arteriarum sequentis pressio versùs glandulas & vasa lymphatica in omnem dimensionem excurrentia, ergò cùm idem simùl versùs renes eveniat, serum majori copia appellens, immensum dilatat tubulos renum urinarios, ita ut uberior sequatur seri ad vesicam translatio: præprimis autem hoc accidet, si simùl canaliculi glandularum in prædictis visceribus ita sint obstructi, ut serum, prout oportet, secerni, distribui & excerni nequeat, tunc enim serum in sanguine uberius permanens, vias sibi quærit per alia loca minus resistentia, qualia sunt in renibus præsertim si forte fortuna laxiorem hi habeant in aliquo subjecto texturam; consimili modò supra diximus ab ischuria oriri ptyalismum, &c. hinc ergò patet, quomodo vel hypochondriaci, vel morbo aliquo ardente & maligno affecti, in diabeten incidere possunt, ubique enim sanguis tardius circulum suum intra venas absolvit, ubique hæ sunt obstructæ:* secundò, *si vel à copia nimia fluidorum, vel diureticorum fortiorum, vel à calculis & renum canaliculi valdè fuerint dilatati (testantur enim Auctores à nephritide diabeten oriri posse) vel si nervi illac excurrentes fuerint relaxati, mirum non erit, serum à sanguine alluente, majori copia ad vesicam transferri; denique* tertiò, *si tubuli lactei, à ventriculo & intestinis immediatè ad renes excurrentes, in subjecto aliquo fuerint plures, majores, vel ab aliqua causa fortuita valdè dilatatis, assumpta liquida, parùm aut vix immutata; illac ferri verisimillimum est: tales autem tubulos dari lacteos, immediatè ad renes à ventri-*

triculo & intestinis excurrentes, facili negocio probare possemus & à priori & à posteriori: verùm talis disquisitio non adeò est hujus loci.

Hinc enim cor nimis incaluit, & pori renum nimis sunt aperti, sanguinisque partes crassiores arctius vi caloris unitæ, ac serosæ à reliquo sanguine nimium separatæ, & acriores factæ, jam à fervido corde vehementius in omnes corporis partes, ac proinde etiam in renum poros, nimis hic raros, & laxatos, perpetuo propelluntur; *eaque ipsos dolore circa lumbos afficiunt, immoderatamque hanc producunt urinæ crudæ*, utpote, ob celerem suum transitum, satis concoqui nequeuntis, *evacuationem*; ex eaque *ingens corporis exsiccatio, & inde sitis, calor, & totius corporis macilentia, originem ducunt.*

Morbus hic *a* periculosissimus est, primo propter ægræ nostræ *b* senectutem; & deinde propter macilentiam jam inductam: & præterea quod hæc sit tam vehemens non tantum excrementitiarum, *c* sed etiam utilium partium, perpetua evacuatio; unde metus est, ne vires brevi penitus prosternantur, ægraque citò exstinguatur.

a Periculosissimus.) *Præcipuè, si alii morbi acuti complicati sint: vidimus nos criticum diabeten, in hydropico quadragenario ascitico, ad salutem.*

b Senectutem.) *Pori enim & tubuli constantiores tunc sunt, adeoque præternaturalem magnitudinem, & figuram constantius retinent.*

c Sed utilium partium, &c.) *Nempe chylosarum & subtilium.*

Curatio itaque serio est auspicanda: *eaque* in causæ antecedentis & continentis, ac intemperiei per contraria ablatione, & symptomatum mitigatione & sufflaminatione, consistet.

Primo itaque præscribatur medicamentum *a* tale purgans:

℞. *Pulpæ cassiæ recent. extractæ* ℥v.
Tamarindor. ℥iij.
Rhabarbari pulveris. ʒß.
Cum syr. rosar. q. s. f. Bolus, mane deglutiendus, vel cum jusculo exhibendus.

a Tale purgans.) *Rectè: sed tamen præmisso aliquo præparante martiato, aut alio temperato: ita quoque ptyalismum purgantibus imminui & sisti observamus; abstinendum tamen erit ab acrioribus & fortioribus, utpote quæ etiam urinas movent. Apud* Etmuller. *commendatur vomitus juxta* Brendel. conf. 83. & Ferdin. Epiphan. conf. 37.

Riverius in Praxi *non malè præscribit clysterem*

Ex Foliis lactucæ,
Portulacæ,
Malvæ,
Plantag. an. m. j.
Hordei mund.
Flor. rof. rubr. an. p. j.
F. decoctio ad ℔iß. (*potius ad* ℥xiv.) *in col. dissolve*
Diapruni simpl. ℥vj.
Mell. rosacei &
Ol. omphacini an. ℥ij.

Et porro frequenter *a* utatur de sequente Apozemate:

℞. *Rad. borrag., buglossæ an.* ℥iß.
Plantag. ℥j.
Fol. portulacæ, plantaginis, violariæ an. m. j.
Sem. plantag., portulacæ an. ʒiij.
Flor. borrag., violarum, nymphææ, bugloss. an. p. j.

Myrobalanor. citrin. ℥vj.

Coq. in aq. comm. qu. suff. ad lib. j℥. *Colaturæ adde syr. rof. ex infus. multipl.* ℥ij. M. F. Apozema.

a Utatur de sequenti Apozemate.) *Cum dosibus singulis potest assumi aliquid spec. diatrag. frigid. trochisc. terræ sigill. aut boli armeni.*

Riverius *ad majorem adstrictionem, præscribit hoc julapium ex*

Rad. consolid. major. &
Plantag. an. ℥j.
Fol. plantag. m. j.
Flor. Balaust. &
Myrobalan. citrin. an. ℥j.
Sem. plantag. &
Pottulacæ an. ℥ß.
Rof. rubr. p. j.

Coque in aq. comm. ad lib. j. (nos sumeremus aquam fabrorum ferrariorum) in colat. dissolv. syrup. cydonior. unc. iij.

F. Julapium pro tribus dosibus. Huc pertinet vinum rubellum, in quo absynthium, & mentha macerata fuerint, Nota, quod adstringentia nunquam nisi in fine conveniant : potius in critico diabete natura est adjuvanda.

Atq; etiam subinde sumat de sequenti electuario quantitatem castaneæ majoris.

℞. a *Conservæ flor. buglossæ, mivæ cydonior. an.* ℥j.
Gummi tragacanthi, in aq. rof. dissol. ʒiij.
Sanguinis draconis, boli armeni an. ℈ijß.
Cum syr. de papavere q. s. F. Electuarium.

a Conf. flor. buglossæ.) *Hæc nihil boni efficiet:* Hartmannus *habet essentiam martis adstringentem.*

Riverius *sequentem habet formulam:*

℞. Conserv. rosar. antiq. ℥iv.
Boli armeni,
Corall. rubri præp.
C.C. ust. ana ℈j.
Cum miva cydonior. *f. Opiata.*

Conveniunt autem hic (nempe sub finem) ea omnia, quæ lentorem blandum in sanguinem introducere possunt, ut gumm. tragacanth. & ejus species, Mithridat. theriaca recens, laud. opiat. req. Nicolai, & decoctum prunor. sylvestrium, Zac. Lusit. lib. 2. prax. admir. obs. 71. *commendat lac asininum cum philonio mixtum.*

Lumbi & spina, ab ultimis costis, mane & vesperi *a* inungantur sequenti unguento;

℞. *Unguenti rosacei, populei an.* ℥vi.
Camphoræ ʒj.
Ol. rosar. cydoniorum an. ℥vj.
Ceræ & aceti parum.
F. Unguentum.

a Inungatur sequenti unguento.) *Cera deleatur : acetum verò sit prius super lithargyrio infusum.*

In victus ratione, Aër, ad frigidum & humidum declinet. *Cibus* sit euchymus, & qui crassum succum gignat, ac acrimoniam humorum temperet, ex lacte amygdalato, ovis sorbilibus, *b* piscibus saxatilibus, carne bubula, pomis, pyris, oryza, caseo recenti, intybo, lactuca, portulaca. Abstineat à diureticis & acribus. *c Potus* sit vinum adstringens. Abstineat ab exercitiis : contineat se in *quiete*. *Somnus* sit consueto longior. *Alvi excrementa* arte vel natura respondeant. Fugiat vehementiores *affectus*.

a Ad

a Ad frigidum & humidum.) *Sint omnia temperata, diverso respectu vel aperientia, vel nonnihil adstringentia.*

b Piscibus saxatilibus.) Hartmannus *non absque ratione cibos hic in aq. chalybeata vult coquendos.*

c Potus sit vinum.) *Nempe generosum, modicè sumptum, nisi febris prohibeat.*

Sunt qui laudant lac bubulum, aut caprillum, in quod injecti sunt silices candentes, striis martialibus instructi.

XLII.

MEDICATIO VIRI, GONORRHÆA SIMPLICI LABORANTIS.

VIr triginta quinque annorum, temperamento pituitosus, *a* diu alimentis humectantibus usus, jam à longo tempore ex urethra, inscius *b* & sine sensu, frequenter emittit liquorem aquosum, crudum, viscidum. *c* Toto corpore gracilescit: oculi sunt concavi. Vires ejus indies magis magisque imminuuntur. *d* Cum impura fœmina non consuevit.

a Diu alimentis. *Dividitur ab* Etmullero in praxi *gonorrhæa in veram & notham: vera dicitur quando vera materia seminalis, aut ipsi saltem proximè similis, in testibus tamen (adde, & vesiculis seminalibus) elaborata, crebro nimis excernitur: notha verò, quando alia materia vitiosa (ex prostatis) loco seminis excernitur: subdivisiones autem utriusque hujus gonorrhææ videbimus circa causas.*

b Et sine sensu.) *In gonorrhæa maligna, sive virulenta & venerea, semen profluit acre & mordax, lividum atque utplurimùm tenue, in quo vermiculos nullos vivere, testantur micrographi.*

c Toto corpore gracilescit.) *Hoc phænomenon bene notandum est, ut dignoscatur, num affectus sit ex solâ abundantiâ seminis, quo casu non adeo deberet emaciari æger.*

d Cum impura fœmina non consuevit.) *Sæpè perversâ confessione Medicos, & adhuc magis semetipsos fallunt ægri, & profectò color seminis in linteamine puro exsiccati, haud raro idem est livescens in gonorrhæa utraque.*

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*; quod ex gracilitate & ejus debilitate innotescit. Sed præcipuè afficiuntur *prostatæ a & aliæ partes, quæ seminis generationi inserviunt*; quod testatur involuntarium illud, ac imperceptum liquoris istius *b* aquosi, crudi, & viscidi effluvium.

a Et aliæ partes.) *Sine dubio relaxatis prostatarum canaliculis, testium atque epididymidum canaliculi etiam sunt relaxati: attamen hic præcipuè prostatas affici, testatur ipsa cadaverum inspectio.*

b Aquosi, crudi, &c.) *Ergo non adest debita mora & præparatio seminis in testibus, parastatis, & prostatis, saltem virorum.*

Mor-

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies frigida ac humida *a* & nimis laxa & rara testium, eorumque prostatarum & parastatarum, quæ frequentem liquoris aquosi, crudi & viscidi, ac sine sensu ex urethra effluentis excretionem, *b* magnamque totius corporis extenuationem inducens, *Gonorrhæa* simplex appellari solet.

a Et nimis laxa.) *Adde etiam, quod obstructi sint nervi ad partes, generationi seminis dicatas, excurrentes, per quos spiritus, fœcunditatis (nostra quidem opinione) authores, ad hasce partes deferri deberent; cujus veritatis indicium desumitur ex eo, quod semen non solum crudum & aquosum destillet, sed &* sine sensu, *quod sine nervorum paralysi fieri vix potest; etiam corporis pallor, extenuatio & tarditas omnium functionum, similiter arguunt eorundem obstructionem.*

b Magnamque totius corporis extenuationem inducens.) *Calculum ineunt Auctores, quod seminis excreti pars una plus debilitet, quàm sanguinis partes decem; sed quæritur hujus phœnomeni ratio? respondemus, primò, quod spiritus magnâ copiâ consumantur; secundò, quòd cum chyli portio nobilior semen constituat, quò plus evacuetur, eò majus indè reliquæ partes patiantur dispendium; tertiò, materiæ seminalis effluxus & macies hoc in casu ab unâ eademque causa dependent, scilicet à sanguine crasso & viscoso, adeoque ad nutritionem minus apto.*

a Causa procatarctica hujus morbi est diutinus alimentorum humectantium usus. Inde verò, adjuvante temperamento ægri pituitoso, aquei in corpore copiosè geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò *b* ad parastatas, parenchyma testium, & prostatas delata, iisque partibus intemperiem frigidam, ac nimis laxam raramque impartiens, *c continens* hujus morbi, & aquosi, crudi & viscidi humoris, per urethram sine sensu copiosè effluentis, symptomatumque hinc sequentium, est causa.

a Causa procatarctica.) *Hùc pertinet immatura & immodica Venus, execrabilis mastupratio, usus aquosorum, refrigerantium, lacticiniorum, fructuum horæorum, &c.*

b Parastatas, & prostatas.) *In mulieribus fluor albus (de quo postea) dependet ab affectione glandularum vaginæ & uteri.*

c Continens.) *Hanc ponimus obstructionem venarum spermaticarum nervorumque ad testes, testiculos prostatasque excurrentium: confinis huic malo est pollutio nocturna frequentior, quæ itidem oriri potest ab abundantia & acrimonia seminis.*

Dum enim sanguis à corde in illas partes, intemperie ista laborantes, impellitur, propter ipsarum intemperiem frigidam & humidam, relinquitur crudus, ac *convertitur in materiam aqueam & viscidam*, quæ, cum nullos aut paucos habeat spiritus, *è partibus istis*, ob laxitatem & raritatem earum nimiam, *sine ullo voluptatis sensu copiose emittitur*. Et quoniam ille fluxus est perpetuus, quo succus alimentarius subducitur toti corpori; hinc *totius corporis est extenuatio, oculorum excavatio, viriumque quotidie sese augens debilitatio*.

Affectus hic, *a* quia diu duravit, & est in partibus genitalibus interioribus & à ventriculo remotis, ad quas vis medicamentorum difficulter deferri potest; satis difficilis ejus erit *Curatio*.

a Quia diu duravit.) *Nempe tubuli tractu temporis, accedente acrimoniâ, nimis eroduntur. Producit ergò atrophiam viriumque debilitatem.*

Quæ

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei correctione, consistet.

Primò itaque ad causæ antecedentis, nempe pituitosorum humorum evacuationem, *a* præscribatur hoc purgans:

℞. *El. diacathol.* ℥ß. *turbith. pulv.* ʒß.
Rhabarb. ℈ß. *cinnamom. gr.*iiij.
Dissolve in aq. card. benedict. ℥ijß.
Aq. fœnicul. ℥ß. *Misce* F. Haustus aliquoties repetendus.

a Præscribatur purgans.)
℞. El. diacath. *aut*
diaphœnic. drach.iij.
Troch. alhand. gr.iv. v.
Ol. mac. Still. gutt.iv.
Cum vini, & sacchar. q.s.
M. F. Haustus.

Vel ℞. Spec. diaturbith. gr.xvj.
Trochisc.alb.gr.ij.*vel* iij.*vel* iv.
Mercurii dulcis scrup.sem.
M. F. Pulvis.
*Mercurius dulcis hic appropriatus est, adeoque ejus dosis (si opus est) extendi potest ad gr.*xv.

Interim *a* utatur hoc decocto ad intemperiei alterationem:

℞. b *Fol. menth., absynthii rom. an. m.j.*
Sem. agni casti, rutæ, myrti,
Cupular. gland., sem. rosar. rubr. an. ʒiß.
F. decoctio in vino rubro gallico ad lib. j. cum sacchar. q. s. Et fiat Apozema, de quo sumat haustum ℥jv. omni mane & vespere.

a Utatur hoc decocto.) *In principio nullis, aut non nisi mitissimis, utendum est adstringentibus, nihil enim iis efficietur, sed naturæ vis saltim inferetur.*

Si decoctum videatur necessarium, potest esse, quale antea in dolore capitis à causâ frigidâ præscripsimus, augendo dosin Lign. Guajac. ad unc.ij. Et loco cort Tamarisc. & Cappar. sumemus ligni Sassafras unc.j. Rad. Salsaparill. & Chinæ a. unc.j.

Interea sudoriferum, præmissis universalibus, in gonorrhæâ simplici est necessarium.

℞. Mithridat. drach.j.
Bezoar.mineral. gr.xvj. xx.xxv.
Vel Antimonii diaphor.scrup.ij.
Camph. gr.iij. *vel* iv.
Syr. granator. drach.iij.
Aq. menth. unc.ij.
Spir. carmin. Sylv. drach.ij.
M. F. Haustus.

b Folia menthæ.) *Hæc specifice dicuntur semen imminuere.*

c Cupular. glandium &c.) *Adstringentia corpori adhuc impuro frustra adhibentur.*

Et inungatur regio lumborum & perinæi, inter scrotum & anum, *a* hoc unguento:

℞. *Ol. mastichini* ℥j. *rutacei, menthacei an.*℥iij.
Sem. agni casti, urticæ, rutæ an. ℈j.
Menthæ, caryophyll. an. ℈ß.
Ceræ q. s.
Pulverisatis pulverisandis. F. Unguentum.

a Hoc unguento.) *Præterea etiam fotus potest fieri talis*
℞. Rad. lilior. albor.
Tormentill.an.unc.j.sem.
Angelicæ drach.vj.
Herb. menthæ m.iv.
Scord. m.j.
Flor. ros. rub.

Calendulæ an. p.ij.
Sem. agni casti drach.v.
Rutæ drach.iij.
Tartari albi drach.v.
Vitrioli
Nitri an. unc.sem.
Contusa & conscissa, coque in s. q. aq. fabror. ferrariorum.

Postea utatur drachma una sequentis pulveris, cum haustu vini rubri, vel cum lacte, cubitum iturus:

℞. *Gland. quercus in furno exsiccatarum* ℥vj.
Sacch. rof. tabellati ℥j. *mastiches, thuris an.* ʒj.
Sem. coriand. ʒjß. a *succini* ʒj.
Viticis, fol. menth. an. ℈j.
Oculor. cancri ʒj.
F. Pulvis subtilissimus.

a Succini.) *Succinum hic solet specifice commendari, utpote huic affectui appropriatum, ut & ol. calami aromatic.*

Hartmannus *commendat nucem moschatam cum gutt. aliquot olei calami aromatici.*

Ut & seq.
℞. Pulv.oss.Sepiæ, scrup.j.
Conserv.Rosar.Antiq.drach.ij.
M. F. Bolus.

Commendatur quoque ad hanc gonorrhæam aqua Quercetani ad cochl.j.

Hartmannus habet seq.
℞. Fol. menth.
Mumiæ,
Corall. Rub.
Sem. Agni Cast.
Carabes a. drach.j.
Fiat pulvis. De quo accipiat æger aliquid mane jejuno ventriculo, cum ovo tremulo.

Simile quid habet Riverius *additis* Rhabarb.pulv. drach. j. Terebinth. drach.iij. *Sed ingrata nimis assumptio est tam magni boli.*

Si hæc & similia parum juvent, poterit per cauterium potentiale fonticulus excitari in utraque tibia, paulo infra poplitem, in partibus internis, ad humores pituitosos, cum materia seminis ad genitales partes fluentes, easque nimis laxantes, aliò deducendum.

In *diæta* alimenta sint exsiccantia & calefacientia, & frequens oryzæ usus.

XLIII.

MEDICATIO JUVENIS, GONORRHÆA VIRULENTA, ET ULCERE PRÆPUTII MEATUSQUE URINARII. LABORANTIS.

JUvenis 30. annorum, jam à quatuordecim diebus patitur fluxum materiæ cujusdam a purulentæ & fœtidæ, ex meatu ejus urinario perpetuò fere effluen-

fluentis, & indusium ipsius commaculantis. *b* Ardor in fine mictionis adest immensus, *c* præputiumque ipsius *d* extrinsecus est exulceratum. Hæc omnia *e* præcessit coitus, cum fœmina non satis pudicâ *f* aliquoties peractus.

a Purulentæ & fœtidæ.) *Aliquando flavæ, aliquando virescentis tuncque gradus est summus.*

b Ardor.) *Qui cum sit summè dolorificus non solùm dysuriam, sed & tenesmum & priapismum parit.*

c Præputiumque exulceratum.) *In inguinibus aliquando simul bubones, & in penis glande ulcera oriuntur; scrotumque sæpe excrescit ad magnitudinem capitis infantilis, quod nisi mature curetur, vehementer indurescit.*

d Extrinsecus.) *Sæpius etiam intrinsecus exulceratio fit urethræ, adeò ut hypersarcosis (de qua postea) resultet molestissima.*

e Præcessit coitus, &c.) *Sic distinguitur ab ulcere renum & vesicæ, nec non gonorrhæa simplici.*

f Aliquoties.) *Sufficiunt autem vices primæ: nec rara sunt exempla gonorrhææ virulentæ, coitum iteratum, sine accessu alterius, subsequutæ: quinimò cum* eadem *impudica duo mares coëuntes sortem experientur prorsùs contrariam.*

Afficiuntur in hoc ægro *a prostatæ glandulæ, & meatus urinarius*: quod tum ex perpetuo illo purulentæ & fœtidæ materiæ ex urethrâ effluxu; tum ex ardore illo magno, ab urinæ excretione percepto, est manifestum. Afficitur etiam *præputium*; uti ex ejus externo ulcere patet.

a Prostatæ glandulæ.) *Aliquandò etiam parastatæ, vesiculæ seminales (sed rarius) partesque vicinæ plures.*

Morbus, quo æger hic laborat, est *a* intemperies prostatarum, & forsan etiam vicinarum partium, maligna, *b* contagiosa, acris, & nimis laxa & rara; cum urethræ ulcere & præputii externa exulceratione conjuncta: quæ perpetuum fere *c* materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra effluxum, urinæque, *d* ab ejus excretione, ardorem producens, vulgò *Gonorrhæa virulenta* appellari solet.

a Est intemperies.) *Potius est ulcus aut ejus species, ex sale quodam corrosivo (ut mox dicetur) ortum ducens.*

b Contagiosa.) *Scilicet per coitum, aut irrorationem genitalium, mediante liquore illo virulento, ita ut non necessariò per impuri coitus exercitium plenum, gonorrhæa virulenta contrahi possit, ut ut rarius.*

c Materiæ purulentæ.) *Aliquandò etiam ichorosa & cruenta est illa materia, præsertim si incaute & violenter mercatus sit æger cum diureticis.*

d Ab ejus excretione.) *Hinc oritur spasmus musculorum penis maximè dolorificus, præprimis tempore nocturno.*

Morbus hic *a* originem duxit à coitu, cum fœminâ impudicâ & impurâ aliquoties instituto. Inde enim, per contactum *b* partium genitalium, malignâ intemperie laborantium, partes genitales hujus ægri, & in iis præcipuè prostatæ, similem intemperiem pravam contraxerunt. Eaque humores ad alituram & seminis generationem eò propulsos, *c* in materiam purulentam & fœtidam convertit. Hi vero prostatas laxantes & acrimoniâ suâ vellicantes, urethramque cum præputio erodentes & exulcerantes, partesque illas ad excretionem perpetuò stimulantes, *perpetuum materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra pro-*

fluvium, urinæque magnum, ab ejus excretione, ardoris, vel potius acrimoniæ, sensum producunt.

a Originem.) *De prima hujus mali origine, variæ sunt Medicorum opiniones: alii eam deducunt ab Hispanis & Lusitanis, alii ab Indis, alii denique à Gallis: ita nempe* Fracastor. ad Petr. Bemb. lib. j. de morb. Gall.

Qui casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint, nostra qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ Libyæque per urbes
Sæviit in Latium, verum per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque à gente recepit.

Conf. Thom. Sydenham epist. resp. ij. ad Henr. Paman. *item* Schenk. lib. vj.

Nos quæstionem illam parvi facimus, paucis hìc solummodò explicaturi, quomodo gonorrhæa virulenta oriri poterat & propagari: Nempe primò *existimamus, quòd coitu immodico nimisque frequenti (quemadmodum extat de Cleopatra, quod sub una nocte sumpto cucullo in lupanari prostibulo, centum & sex virorum concubitus pertulerit) fibrillæ vasculaque nonnullæ tenella vaginæ fuerint attrita nimis & rupta, ita ut humores in viciniæ stagnando, acredinem notabilem susceperint, qui postea, æstu in venereo, virgæ virili dùm insinuantur, prostatarum fibrillas & vascula similiter corrodere valent:* secundò, *judicamus, quòd & acredo liquoris seminalis utriusque sexus, & varia ejus (quoad particulas integrantes) indoles, fermentationem quandam peregrinam causare poterunt, quâ mediante novum genus acrimoniæ corrosivæ resultare poterit, quemadmodum experimeutis id circa alia venena evinci potest plurimis.*

b Partium genitalium.) *In quarum poris tubulisque valdè laxis & spongiosis facile suscipiuntur humores illi acres contagiosi.*

c In materiam purulentam convertit.) *Prout in diversis subjectis pori tubulique fuerint minus magisve laxi, humoresque minus magisve acres, eatenùs vel citiùs vel tardiùs gonorrhæa succedet.*

Morbus hic *a periculosus* est; cum luem veneream & carunculam in meatu urinario, producere possit.

a Periculosus est.) *Verba* Pechlini obs. LXXij. lib. j. *elegantissima lubet hic apponere: Primum (inquit) quâ parte peccatum est maximè, sanies stillat virulentissima, jamjam, nî tempestivè succurras, carnem absumptura, specie edacis cancri, indè collum collique caput vesiculæ cingunt collaris instar, itidem maligni contagiosique humoris diverticula; mox etiam in testiculos durus migrat & lapideus tumor; jam in inguina perniciosus bubo, tandem etiam serpente in sanguinem contagio, extremum corporis habitum cutisque glandulas maculæ invadunt & pustulæ, & tubercula tam acri succo stillantia, ut non mollem duntaxat carnium contextum, sed & ossium cum tempore erodant. Atque hisce quidem noxis invalescentibus membro sæpè mutilantur, quo prima mali labes recepta est, inde etiam voce, qua olim conciliatrice membri prurigo accensa, jam verò hinc etiam altius surgens corruptela in nares manat, ut & illæ meretricii nidoris pœnam luant; post quoque in vultum, illam partium reginam & ad ostentationem paratam; tandem in universum corpus dolores intolerabiles, ὀστεοκόποι & nocturni; quo diritatem culpæ exasperari credas, &c. Propagari potest per generationem & lactationem, æque ac per coitum.*

a *Curatio* itaque prudenter instituenda : *quæ* in intemperiei per contraria correctione, & ulcerum mundatione, & consolidatione, consistet.

a Curatio itaque.) *Lues venerea à gonorrhæâ virulentâ inveterata non nisi gradu differt, adeoque curatio fere eadem est. Venæsectio non adeo spectat ad hunc affectum, nisi plethora adsit, aut magna cacochymia.*

Primò itaque *a* talibus purgetur bolis :

℞. *Rhabarbari pulv.* ℥j.
Terebinthinæ Venetæ ℥iij.
Cassiæ recens extractæ ℥ß.
Misce F. Boli, mane à jejuno sumendi cum nebulis ; qui subinde reiterari poterunt.

a Talibus purgetur bolis.) Thom. Sydenham loc. cit. *ait curationis omnis cardinem verti in remediis catharticis, sed profectô, nisi serie accuratâ, adhibeantur diuretica, mundificantia & balsamica, prout res postulaverit in diversis symptomatibus, malum protrahitur, si non exacerbetur : in principio gonorrhææ, non opus est acriora adhibere purgantia, cùm mitiora præstent, nam haud rarò observatum fuit malum acrioribus fuisse exacerbatum : sed res aliter se habet in gonorrhæa inveterata, quæ vix aliis cedit medicamentis, quàm mercurialibus.*

Posteà mane, & vesperi circà horam 4. sumat cum lacte trochiscorum alkekengi pulv. drach.j. continuando per aliquot dies.

Si malum perseveret, utatur bis in die, de hoc decocto, haustu unc.iv.

℞. *Rad. petroselini* ℥j. *althææ* ℥jß.
Liquiritiæ, a consolidæ an. ℥ij. *Bistortæ* ℥ß.
Herb. plantag., alchimillæ an. m.j.
Flor. malvæ arborescentis p.j.
Sem. lini, cydonior. an. ℥ij. *glandium* ℥j.
Nucleor. persicor. ℥ß.
Decoq. in aq. hord. q. s. b *ad lib.ij. & Colentur ad usum.*

a Consolidæ, bistortæ.) *In principio nè quidem cogitandum est de adstringentibus & consolidantibus, imò in totum suspecta sunt, si tamen post violentorum remediorum usum, remanserit quædam imbecillitas, sufficit decoctum hordei cum flor. pap.rh. & rosf.rub., vel usurpetur gelatina C.C. acidulata.*

Dum his utitur, in penem primò talis *a* fiat injectio detergens, syringa injicienda :

℞. *Lithargyr. argent., cerussæ, tutiæ præpar. an.* ℥j.
Sacchari candi ℥ß. *camphoræ* ℈ß. b *aluminis* ℥j.
Aq. rosar., plantag. an. ℥iv. *Misce.*

a Fiat injectio.) *Ad stranguriam mitigandam, conducit immersio nervi in lac dulce tepidum croco nobilitatum, etiam tale quid ope syringæ injici potest cum fructu & bibatur emulsio, vel ptisana : posteà verò si necessaria judicetur injectio nonnihil detergens simul & consolidans, tunc*

℞. Aq. plantag. rosf. solan. ana ℥j.
Troch. alb. Rhas. ℈iv.

Sacch.

Sacch. Saturn. gr. viij.
Theriac. ℈j.
M. pro injectione.

b Aluminis.) *Hoc potius est omittendum, utpote quod nimis adstringit: ad cancrum penis tollendum valet aq. virid.* Hartmanni, *vel aq. divina* Fernelii *vel*

℞. Ung. basil. unc. sem.
Merc. præc. rub. ℈j.
Mell. rof. drach. ij.
M. f. Unguentum linteis carptis imponendum.

Posteà, *a* ad cicatricem inducendam, tali injectione utendum.

℞. *Trochiscor. alb. Rhasis* ʒß.
Boli armeni ʒß.
Aq. rosar, plantag. an. ℥iv.

a Ad cicatricem inducendam.) *Præstat solutio gum. Arab. vel tragac. cum pauxillo boli armen. vel relinquatur opus naturæ, multi enim fuere quos debilitate magna affectos gonorrhæa vexavit ultra sesqui-annum.*

a Ulceri in glande adhibeatur hoc Unguentum:

℞. *Cadmiæ fossilis, sive lapid. calaminaris* ʒiß.
Sulphuris, argenti vivi an. ʒj.
Cum terebinthina misceantur in formam Unguenti, addendo parum axungiæ porci.

a Ulceri in glande, &c.)
Add. mell. rof. drach. vi.
Contra testiculum venereum conveniens cataplasma vid. apud Th. Sydenham loc. cit. *Bubo si adfuerit, maturandus est quanto ocyus & lancettâ vel cauterio potentiali aperiendus & dilatandus, posteà mundificandus, demumq; consolidandus; cave autem festinationem præmaturam; nec utere externis solis. De caruncula in meatu ordinario dicetur in seqq.*

a Si malum pertinacius perseveraret, drach. j. vel drach. sem. sumatur quotidie de hoc pulvere cum lacte:

℞. b *Rhabarbari opt., myrobalanor. citrin.,*
Mercurii dulcis an. drach. j. F. Pulvis.

a Si malum pertinacius perseveraret, &c.) *Usurpetur quoque decoctum chinæ, salsaparillæ, & liquiritiæ.*
Pro pauperibus paratur cum fructu decoctum ex ligno quercino, guajacin. & rad. lappæ major. Varietatis ergò, potest subinde exhiberi aqu. theriac. comp. aut ol. ligni guajaci cum vino, vel gumm. guajaci.

b Rhabarbari.) *Propter additionem mercurii dulcis, os sæpius eluatur, nisi salivationem intendamus.*

Maximæ etiam utilitatis ad gonorrhæam est *a* hic pulvis, quantitate drach. j. cum vino rubro bis in die exhibitus:

℞. *Coralli rubri præp., succini an. drach. sem. camphoræ gr.* v.
. *Terræ lemniæ veræ drach.* ij. *nucis moschatæ drach.* j.
F. *s. art.* Pulvis subtilis.

a Hic pulvis.) *Optima hoc in casu tinctura paratur, ex Scoriis reguli antimonii Martiati, ope spiritus terebinth. dos. ad gutt.* xxiv.

a *Vi-*

a *Victus ratio*, hic instituenda, quæ humorum acrimoniam obtundat. Propterea utilis est ptisana hordeacea cum amygdalis dulcibus & 4. sem. frig. majoribus. Utatur frequenter oryza & lacte. Vitentur acria, salsa, acida, *b* & diuretica.

a Victus.) *Sit tenuis, ex passulis, prunis, pane biscocto, jusculis insulsis, pulte, hordeato, & similibus: evitentur omnia pinguia, ut & plerique fructus horæi: vinum oliogophorum, præsertim in adsuetis, modicè sumptum non nocet.*

Potus ordinarius potest esse bochetum decocti præcedentis, vel decoctum hordei & glycyr.

b Et diuretica.) *Scilicet in fine curationis, ut ulcus melius consolidetur.*

XLIV.

MEDICATIO JUVENIS,

HYPERSARCOSI LABORANTIS.

JUvenis 27. annorum, postquam per aliquot menses gonorrhæâ virulentâ, admodum *a* acri & mordaci, ex coitu cum impuro scorto peracto natâ, laborasset; ab ea liberatus cœpit laborare magnâ urinæ difficultate, ita ut ea aliquando penitus supprimatur, nonnumquam paulatim & guttatim magno cum urethræ ardore & dolore emittatur. Immissa in eam candela cerea liberè non transit, sed in medio meatus urinarii impedimentum invenit, quod tamen paulò fortiore ejus pressione cedit.

a Acri & mordaci.) *Hinc ergò erosæ sunt fibrillæ tunicæ nervoso-glandulosæ in urethra, quæ, cum in cincinnos resiliant, accedentibus à tergo humoribus, carunculam gignunt.*

Afficitur in hoc ægro *media pars meatus urinarii in pene*; quod ex urinæ & candelæ cereæ immissæ impedimento, & magno urinæ excretionis *a* ardore ac dolore, in eo ibi percepto, patet.

a Ardore & dolore.) *In progressu, ubi caruncula cuticula fuerit cooperta, nullus persentitur ardor, aut dolor.*

Morbus, quo hic æger laborat, est obstructio meatus urinarii, orta à caruncula in media urethra nata, urinæ justam excretionem impediens, magnamque dysuriam inferens.

Hæc cum *a* à gonorrhæa virulenta, ex impura Venere contractâ, & carunculam in urethra penis producente, sit profecta, græcè *Hypersarcosis Urethræ Venerea*, & latinè *Caruncula in meatu urinario*, à causa proxima & parte affecta, appellari solet.

a A gonorrhæa.) *Potest ea tamen etiam esse ab aliis humoribus acribus, ut in ulcere vesicæ, aut à calculo urethram in transitu lædente, citra Gonorrhæam, aut luem veneream.*

Can-

Causa procatarctica hujus morbi est coitus, cum impuro scorto ab hoc juvene aliquando peractus; quo ejus partes genitales per contactum pravam intemperiem contraxerunt, indeque succus seminalis & alimentarius *a* in iis corruptus *antecedentem* huic morbo præbuit *causam*. Pars verò ejus ad prostatas delata, ibique in liquorem virulentum, acrem & mordacem conversa, antehac suo profluvio *gonorrhœam virulentam* aliquot menses durantem, & posteà acrimoniâ suâ urethram erodens, primo ibi *ulcus*, & deinde poros ibidem vitians, & nimis laxans, *carnem nimis laxam & copiosam sive hypersarcosin*, *meatum urinarium obstruentem*, in urethra genuit; eaque ibi ita genita *proxima & continens hujus obstructionis Urethræ*, symptomatumque, insequentium nempe *urinæ modo guttatim cum magno dolore & ardore effluentis*, est *causa*.

a In iis corruptus.) *Quemadmodum fermenta res alias convertunt in sui naturam.*

Morbus hic periculosissimus est, difficillimæque curationis; propterea quod sit in loco valde angusto, acutissimoque sensu prædito; ad quem remedia difficillimè applicari, & applicata *a* ægerrimè ferri possunt; atque ideo sæpè per totam vitam durare solet. Sæpè etiam, urinam penitus sufflaminando, mortem inducit. Non tamen de sanatione desperandum censeo; quia hoc malum est recens, caruncula est mollis, non callosa; sed pressioni fortiori candelæ immissæ cedens.

a Ægerrimè ferri.) *Debent enim medicamenta acria applicari carnem superfluam brevi consumptura, quæ, nisi prudentia accedat Medici, etiam sanas læderent partes.*

Curatio itaque diligentissima hic est adhibenda. *Eaque* primò in carunculæ extirpatione & consumptione, & deinde in ulceris, post carunculam ablatam reliqui, exsiccatione, & cicatrizatione consistet.

Quæ ut rectè peragantur primo æger noster blando hoc medicamento *a* purgetur:

> ℞. *Electuarii lenitivi,*
> *Cassiæ recent. extractæ an. unc sem.*
> *Dissolve in s.q. aq. hordei, & f.* Haustus brevis.

a Purgetur.) *Purgatio nullam unquam sanabit hypersarcosin, sed quidem medebitur malo alicui comitanti: idem sit de Venæ-sectione dictum.*

Postridiè venæsectio instituatur ad uncias sex.

His peractis, adhibeatur carunculæ in meatu urinario cannula lintea, intus cerâ albâ & foris sequenti erodente linimento oblita, *a* transversum digitum longa, & justa cavitatis latitudine prædita, longoque *b* filo appendente transfixa. Medicamentum illud tale erit, ex. gr.

> ℞. *Mellis in cineres usti,*
> *Tuthiæ præp.,*
> *Butyri recent. in aq. plantag. loti,*
> *Terebinth. similiter lotæ,*
> *Ceræ flavæ, an.* ℥ß.
> *Aluminis usti* ℥ß.
> c *Misce* F. Linimentum.

Hoc, crebrâ experientiâ teste, carunculas meatus urinarii, absque dolore, & sanarum partium excoriatione, consumit.

a Trans-

a Transversum digitum longa.) *Sit accommodata ad profunditatem loci affecti. Confer* Corn. Stalp. van der Wiel obs. rar. cent. post. part. 1. obs. XL. *ubi varia notatu, circa hunc casum, digna ex aliis allegantur.*

b Filo transfixa.) *Metuendum quidem non est, nè intro rapiatur cannula illa per incurva viarum, commodi autem ergo id fieri potest.*

Misce F. Linimentum. *Aut*

℞. Cerussæ ℈j.
Camphoræ gr. iv.
Tuthiæ præparatæ gr. vi.
Litharg. aur. gr. v.
Mercurii sublim. corr. *in pollinem comminuti* gr. vij.
Alum. usti ℈ß.
Opii,
Olibani,
Mastich.
Aloës optim. an. gr. iij.
Ol. rosar. &
Ceræ an. q. s.

M. F. Unguentum duriusculum. Vid. Riv. cent. ij. obs. 14. *Vel*

℞. Ceruss. unc. iv.
Ung. Diapalm.
Cer. alb. an. unc. j.
Axung. porc. unc. j.
Bals. sulph. iriat. unc. viij.
Sacch. Sat. drach. ij.
Merc. viv. unc. sem.
præcip. alb. drach. ij.

M. F. Emplast. ex quo formentur candelæ in urethram immittendæ.

Quidam hoc experimentum summis laudibus extollunt.

℞. *Pulv. argenti viv.*
Merc. præcipit.
Viridis æris,
Antimonii crudi an. ℥iij.
Ceræ alb. ℥j.

Misce s. a. in mortario plumbeo ad formam unguenti.

a Cannula igitur, cujus jam memini, ubi uno ex his medicamentis foris fuerit oblita, stylo, extra fistulam argenteam ad digiti transversi longitudinem prominenti, adaptetur, atque una cum argentea fistula & stylo inserto, in urinarium canalem immittatur, donec occurrat carunculæ, & cum jam est in loco carunculæ, primum stylus & deinde argentea fistula retrahatur; quo fiet ut cannula, ex linteo cerâ inducto parata & immissa, relinquatur in meatu urinario, ut per eam urina excernatur, eaque simul prohibeat, ne medicamentum, carunculæ admotum, ab urina elui possit.

a Cannula igitur, &c.) *Hæc operosa nimis sunt, opus tantum est stylo ex barba balenæ, aut turundâ lineâ, cera (ad rigiditatem) obducta, quæ non ibi relinquenda est diu, ne dolore nimis acerbo conficiatur æger, & pars affecta inflammetur ulterius, sed turunda illa corrosiva removeri debet, prout urget necessitas, & unguentum aliquod leniens eodem modò est intrudendum, sicque pedetentim aliquid consumendum est, donec advertamus impedimentum carunculæ esse omnino ablatum, postmodum vero ad detersionem, exsiccationem, & consolidationem ulceris procedendum est.*

Cum volumus renovare medicamentum *a* post unum, vel alterum diem, tum ope affixi & propendentis fili cannula extrahenda est, aliaque modo jam explicato adhibenda.

a Post unum, vel alterum diem.) *Hinc dysuria resultare posset horrenda.*

Vel exstirpatio carunculæ institui potest sequente unguento, quo extremitas candelæ cereæ inungitur, eaq; ad partem affectam per urethram immittitur, ibique noctu, diuque relinquitur; &, cum mejendi est pruritus, extrahitur, & postea rursus adhibetur.

℞. *Præcipitati ʒij. unguenti de cerussa ℥iß.*

Misce, quibus pro magnitudine effectus aliquid olei vitrioli addi potest.

Consumtâ carunculâ, quod ex facili & libera urinæ excretione deprehenditur, ulcus erit exsiccandum, & cicatrice obducendum tali medicamento:

℞. *Butyri recentis ℥ij. cerussæ lotæ in aq. ros. ℥j.*
Camphoræ ℈j. ceræ parum.

F. Unguentum, quod candela cerea immissa loco affecto adhibeatur.

Vel ℞. *Aquæ fabrilis lib. ß.* *Cort. mali granati an. ʒiß.*
Nucum cupressi, *Alumin. rochæ ʒß.*
Gallæ, *Bulliant omnia.*

Ex hoc decocto tepido fiant injectiones in meatum urinarium syringâ, donec ulcera sanentur.

Victus ratio hic exsiccet, & humorum acrimoniam etiam obtundat: propterea convenit ptisana hordeacea cum amygdalis dulcibus, & 4. sem. frig. major. Utatur quoque frequenter oryza, & lacte. Vitentur acria, salsa, & acida, atque etiam a diuretica.

a Diuretica.) *Hæc enim obruunt partem affectam, neque quietem ipsi concedunt, sanando ulceri sufficientem.*

XLV.

MEDICATIO FOEMINÆ, SUPERFLUIS MENSIBUS LABORANTIS.

FOemina quadraginta annorum, alimentis acribus, & serosioribus diu usa, a incidit in mensium copiosum & acrem fluxum, jam quatuor menses durantem, qui ipsam magnopere debilitavit. b Vertigo ipsi imminet, quamprimum caput ejus nonnihil refrigeratur.

a Incidit in mensium copiosum fluxum.) *Si consuetis periodis reverteretur hic fluxus, titulus Auctoris valere posset de mensibus superfluis, sed quoniam simile quid in historia non narrat, præstaret titulum facere de hæmorrhagia uteri, hujusve vaginæ.*

b Vertigo.) *Aliquando accedit frequens lipothymia, cachexia leucophlegmatica, pedumque œdema.*

Afficitur in hac ægra *uterus*, quod ex immoderato illo mensium fluxu: atque etiam *caput*, quod ex vertigine patet.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies uteri acris & serosa, ac nimis laxa & rara; quæ superfluum sanguinis ex utero fluxum, jam ultra quatuor menses durantem, inducens *Menstruorum superfluorum nomine* vulgò indigitatur.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diuturnus alimentorum acrium & serosorum usus; quo humores acres, in corpore copiosè geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò ejus ad uterum copiosius delata, b ejusque

que poros nimium laxans & aperiens, *continens* hujus morbi & symptomatum ejus est causa.

a Procatarctica.) *Qualis etiam esse potest ictus, lapsus, & subitus vehemensque terror, nec non partus difficilis; causa interna haberi potest plethora, licet illa non videtur posse hunc fluxum facere tam diuturnum, nisi accedat acredo.*

b Ejusque poros nimius laxans.) *Causa continens eadem hic esse potest, quæ aliarum hæmorrhagiarum.*

Hinc enim fit, ut sanguis justo copiosius & diutius ex utero per ejus poros nimis apertos effluat, partesque nutritioni & vivificationi inservientes, magnopere inde debilitatæ, acrem, crassum & serosum porro gignant sanguinem, qui sua alendi ineptitudine, & nimio effluvio, a *ægram nostram valde debilitat*. Hic deinde ad cerebrum delatus b suppeditat crassos ventriculis cerebri spiritus; qui, capite nostræ ægræ subinde refrigerato, in vorticem in ventriculis cerebri, ob suam crassitiem, & poros cerebri ex frigore nimis arctatos, qui idcirco in nervos satis copiose diffundi nequeunt, aguntur, atque ita *vertiginosam rerum visibilium perceptionem* in nostra ægra interdum *excitant*.

a Ægram nostram valde debilitat.) *Nempe propter nimiam evacuationem vasa valde collabuntur & flaccescunt, ita ut secretiones, & distributiones humorum rite non procedant.*

b Suppeditat crassos spiritus.) *Ex historia non patet, crassitiem spirituum hic culpandum esse, sed potius eorum inopiam.*

Hic *Morbus* valde periculosus est. Metuendum enim, ne ex diuturno illo fluxu atrophia, extabescentia a vel hydrops oriatur.

a Vel hydrops.) *Tam universalis, quàm particularis, oriri quoque hinc potest fluor albus, mola spuria, &c.*

Ideoque diligens *medela* mox est adhibenda; *quæ* causam procatarcticam, antecedentem & continentem, ac intemperiem, per remedia contraria, tollet.

Primò itaque a præscribatur tale purgans:

℞. *Rad. plantag.* ℥iß.
Rhabarb. optimi ʒj.
Myrobalanor. citrin. ʒiij.
Coq. in aq. comm. q. s. ad ℥iij.
Colaturæ adde rhabarb. electi pulv. ℈j.
Syr. cydonior. ℥j. *misce.*

F. Haustus, qui semel, vel bis in septimana reiteretur.

a Præscribatur tale purgans.) *Purgantia nullis hæmorrhagiis sunt dicata: si tamen alvus non respondet, usurpetur laxans, vel clyster. Quæ porrò huc spectant remedia, videre licet locis superioribus, de hæmorrhagia narium, hæmoptoë, dysenteria, &c.*

Corpore purgato, adhibeantur ad revulsionem humorum cucurbitæ aliquoties in die scapulis & regioni umbilici, sine scarificatione: ac porro utatur hoc julapio:

℞. *Syr. portulacæ* ℥iß.
De rosis siccis, myrtillor. an. ℥j.
Papaverini ʒvj.
a *Aq. plantaginis* ℥iij.
Rosar. ℥j.

F. Julapium, pro tribus dosibus, mane & vesperi sumendis.

a Aq. unc. iv.) *Urgente necessitate, tali julapio cum fructu addi possunt laud. op. gr. ij. sal. prunell. ʒ sem. Porrò huc pertinent diasc. Sylv. corall. rub. gum. Arab. & tragac. gelat. C.C. acidulata, & similia.*

Malo perseverante, utatur hoc pulvere:

℞. *Succini, sanguinis draconis, lapid. hæmatit., coralli rubr.*
Sem. portul. an. ʒj.
Balaustior. ℈ij.
Boli armeni orient. ʒij.
Omnia redigantur in pulverem subtilem: de qua sumatur drachmæ quantitas cum aq. plantag. vel vini rubelli, & adstringentis q. s.

Vel ℞. *Conservæ rosar. antiquæ ʒiij.*
Pulv. rosar. rubr., carabes,
Trochisc. de spodio, vel terrâ sigillatâ an. ʒj.
Cum syr. myrtino q. s. F. a Conditum, de quo sumat castaneæ magnitudinem, ter quaterve vel pluries in die.

a Conditum.) *Exhibere solemus cum fructu pulverem* Riverii *seq.*
℞. Testar. Ovor. calcin. gr. xvj. xx.
Vitrioli Martis, gr. vi. ad x.
M. f. Pulvis pro dosi. *Vel huic pulveri addatur laud. op. gr. j.*

Ventri inferiori, & circa os sacrum, a hoc applicetur ceratum:

℞. *Unguenti Comitissæ ʒß.*
Mastiches, rosar. rubr. exsicc., acaciæ,
Balaustior., coralli rubr., cornu cervi usti an. ʒj.
In pulverem redacta, cum ol. ros. q. s. ac cera & pauxillo laudani, formentur in consistentiam cerati, quod extendatur super corium & F. Emplastra duo, dictis locis, unguento Comitissæ primo perunctis, adhibenda.

a Hoc applicetur ceratum.) *Parùm verò aut nihil præstabit: ergò præferimus solutionem salis Saturni in s. q. aq. plantag. cui immergantur linteamina, regioni lumborum & hypogastrii circumvolvenda.*

Morbo non cedente in uterum a injiciatur talis injectio:

℞. *Mellis rosati ʒj.*
b *Aloës, thuris, boli armeni,*
Terræ sigillatæ an. ʒj.
Corall. rubr., myrrhæ, balaust an. ℈ij.
Misce. F. Pasta, de qua drachmæ duæ, cum aq. plantag. unc. iv. tempore usus per metrenchytam in uterum injiciantur.

a Injiciatur talis injectio:) *Hoc videtur ultimum esse debere refugium*
b Aloës.) *Hæc omittenda est, quia acredine suâ vasa magis aperiret.*
Præstant Gummi tragacant.
Arabic.
Spec. diatrag. frigid. &
Diamargarit. frigid.

Vel vicissim adhibeantur talia pessaria:

℞. *Succi plantag. q. s.*
Boli armeni, cort. granator.
Thuris an. q. s.
Cornu cervi usti, gallarum an. ʒß.
Misceantur, & cum cotone iis madefacto F. a Pessaria Num. ij.

a Pessaria.) *Nonnisi in nuptis hæc hodie locum habere solent.*

In *victus ratione*, *Aër* sit temperatus. *Alimenta* sint adstringentia & incrassantia, ex pedibus animalium, carnibus pullorum gallinaceorum, *a* assatis potius, quam elixis. *b* *Cerevisia* mediocrium virium, in qua fol. & sem. plantaginis suspensa sunt. *Motus & animi pathemata* vitentur. *Somnus* sit moderatus.

a Assatis.) *Si nempe causa sit sanguinis aquositas & tenuitas, alioquin assata postponenda, quia habent plus salis penetrantis.*

b Cerevisia.) *Commendatur etiam vinum rubellum.*

XLVI.

MEDICATIO PUELLÆ,

OBSTRUCTIONE MENSIUM, ET LEUCOPHLEGMATICA CACHEXIA

LABORANTIS.

Puella 18. annorum, temperamento pituitosa, post diuturnum *a* frigidorum & viscidorum alimentorum usum, jam à sex mensibus menstruum fluxum non habet. *b* Accessit faciei pallor, *c* totiusque corporis cachexia. Adest etiam *d* stomachi compressio, *e* respirationis difficultas, ac spontanea lassitudo.

a Frigidorum.) *Ita* Hippocr. lib. de aëre, loc. & aq. *Scythicis mulieribus lunares purgationes (ait) non contingere, quemadmodum est necesse.*

b Accessit faciei pallor.) *Hinc nonnullis dicitur hic affectus febris alba, chlorosis & morbus virgineus.*

c Totiusque corporis cachexia.) *Pedes ipsis, præsertim sub vesperam, tument.*

d Stomachi compressio.) *Aliquando adest in hypochondrio sinistro, ut & in hypogastrio durus & magnus tumor.*

e Respirationis difficultas.) *Adest quoque per intervalla crebriora vel rariora passio hysterica.*

Afficitur in hac ægra *uterus*; ut ex mensibus suppressis: item *facies*, &, præter *viscera nutritioni inservientia*, etiam totius *corporis habitus*; quod ex pallore, & totius atrophiâ ac spontaneâ lassitudine: nec non *ventriculus & pulmo*; quod ex stomachi compressione, & respirationis difficultate, constat.

Morbus præcipuus, qui ipsam affligit, & unde reliqua omnia consequuntur, est intemperies quædam uteri pituitosa, viscida, tenax; quæ *a* poros uteri obstruens, mensiumque fluxum sufflaminans, & gravissima alia symptomata, in historia hic commemorata, inducens, *Obstructio mensium, cum leucophlegmaticâ cachexiâ conjuncta*, appellatur.

a Poros

a Poros uteri .) *Non solùm pori, sed vasa capillaria sanguinea tàm vaginæ, quàm uteri, sunt obstructa à sanguine viscoso, glutinoso & austero: aliquandò mala uteri & vaginæ conformatio obstructionis mensium immedicabilis causa est, si nempe vasa sanguinea profundius intra fibras lateant, nec ad superficiem ritè excurrant.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est diuturnus frigidorum & viscidorum alimentorum usus: unde multa viscida, & tenax pituita in visceribus & toto corpore genita, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus ad uterum aliasque partes affectas delata, ibique poris inserta, iisque, inhærens, *continens* hujus morbi & symptomatum existit causa.

a Causa procatarctica.) *Præcedit hunc affectum haud raro pica, in qua puellæ multa absurda devorant: terror & subitanea corporis mutatio à calore in frigus, familiares sunt hujus mali origines.*

Hinc enim humores, singulis mensibus per uterum evacuari soliti, fuerunt sufflaminati, qui ex diutina mora pravam qualitatem adipiscentes, ac per sanguinis circulationem in totum corpus delati, *induxerunt* a pallido suo colore *in facie pallorem*; ineptitudine verò suâ, qua non sunt apti, ut partibus, in quibus perpetua est substantiæ corporeæ dissipatio, bene agglutinentur, sed in aquosam consistentiam convertitur, *inducunt totius corporis cachexiam*, sive justæ nutritionis defectum, & aquosæ constitutionis habitum.

a Pallido.) *Pallor, dyspepsia, membrorum lassitudo, anhelitus, suffocatio hysterica, sunt totidem effectus à causa universali, nempe sanguine & humoribus nimis glutinosis, & austeris, poros, tubulos atque vascula partium multa obstruentibus.*

Ventriculus verò & vicina viscera obsidentes, eaque pondere suo prementes, a faciunt *stomachi & præcordiorum compressionem*. In pulmonum autem substantiam effusi bronchiaque eorum arctantes, *respirationis inducunt difficultatem*. Et quoniam pituitosus hic sanguis, in cerebrum delatus, ineptus est, qui in copiosos spiritus convertatur; in habitum verò corporis propulsus, *musculis gravitatem & motus difficultatem addit: hinc spontanea lassitudo*, in levissimis etiam corporis motibus molesta, necessario tenet nostram ægram.

a Faciunt compressionem.) *Cujus causa quoque esse potest viscerum circumjacentium, & obstructorum tumor.*

Morbus hic valde est a periculosus, tum propter obstructionis uteri tollendæ difficultatem; tum ob viscera insignia, quæ hic afficiuntur; tum ob gravia symptomata, quæ producit. Atque ideo, ne veram leucophlegmatiam inducat, *Curatio* primo quoquo tempore seriò est instituenda.

a Periculosus.) *Infert ordinariè cephalalgiam pertinacem, dyspepsiam & sterilitatem, nec raro abit in hydropem, scyrrhum uteri, scabiem &c. Porrò vid.* Hippocr. Sect. iij. Aph. 28. Sect. v. Aphor. 32. 36. & 57. Sect. vj. Aphor. 29.

Eaque consistet in pravorum humorum præparatione & evacuatione ac uteri visce-

visceremque & totius corporis *a* intemperiei, per contraria, correctione.

a Intemperiei correctione.) *Nec non obstructionum ablatione.*

Primo itaque tali *a* utatur vino alterante & laxante:

℞. *Rad. helenii, calami aromat. an.* ℥iij.
Eryngii, pimpinellæ, fœniculi an. ℥ſ.
Herb. praſsii, ſcordii, menthæ, card. bened. meliſſ. an. m.ſ.
b *Fol. ſenæ* ℥x. *agarici trochiſc.* ℥iij. *rhabarb.* ℥jſ.
Summit. ſambuci in vere collectar. m.ſ.
Flor. acaciæ, ſambuc. an. p.j. & ſ.
Sem. fœniculi, aniſi an. ℥j.
Tartari vini albi ℥jß.
Zinzib., galangæ an. ℥j.
Paſſular. minor. ℥x.
Inciſis incidendis, cum linteo raro fiat Pupa, quæ infundatur in vini albi lib. vj. de quibus ægra bibat hauſtum bis in die.

a Utatur vino alterante & laxante.) *Aliquandò neceſſaria eſt Venæſectio in pede vel alio loco conveniente, poſteà F. Vinum Medicatum ex*
Lign. guajaci
Rad. helenii
Calam. aromatic. &c.
Cort. rad. capparum
Tamariſci
Stipit. dul. amaræ
Rad. bryoniæ
Salſaparill.
Polipod. quercini.
Herb.
Matricar.
Puleg.
Artemiſ. &
Sabina.

b Fol. ſenæ.) *Potius aloë lucida. Porrò huc ſpectat elixyr Prop. Par. tinct. antim., mart. vol., ſuccin. ſal. tart. caſtor. & ſim.*

Ubi hoc modo alterata & evacuata fuerit, ſequenti utatur ſyrupo:

℞. *Rad. 5. aperient. in vino macerat. per noctem an.* ℥j.
Eryngii, ireos, ſcorzoneræ, an. ℥ß.
Helenii ℥ij. *polypod. q.* ℥v.
Cort. rad. cappar. ℥iij. *citr.* ℥jß.
Paſſul. min. ℥x.
Herb. marrubii albi, meliſſæ an. M.iij.
Medull. ſem. cartham. ℥v
Fol. ſenæ ℥j. *hermodactil.* ℥ij.
Sem. dauci, apii, an. ℥ß.
Flor. anth., ſtæchad. an. p.j. ſambuci, geniſtæ an. m.ſ.
Cicer. rubr. ℥ß.
Tartari albi puri ℥iij.
Macerentur per noctem in vini & aq. part. æq. q.ſ. & poſtea coq. ad tert. part. conſumt. Colaturæ lib. ij. *ſ. adde ſacc. lib. jſ. & decoq. in formam a Syrupi*, de quo ſumat quotidie ℥ij. vel ℥iij. per octiduum continuando.

Poſtea perſeverante morbo, utatur ſequenti remedio:

℞. *Cremor. tartari* ℥jß.
Magiſterii tartari vitriolati.
Corall. rubr. an. ℥ß. Miſce.

De *b* hoc medicamento sumantur ℈ij. cum haustu vini sequentis:

℞. *Herb. absynthii, card. benedicti an. m. s.*
Rad. calami aromatici, helenii an. ʒij.
Galangæ, zedoariæ an. ʒj.
Ligni sassaphras ʒß.
Incisa infundantur in vini albi mensura j.

Ubi his per biduum fuerit usa, purgetur tali pulvere:

℞. *Rad. mechoacannæ pulv.* ℈ij.
Tartari vitriolat. ℈ß.
Scammonii gr. ij Misce. F. Pulvis, cum præcedenti vino exhibendus.

a Syrupi.) *Dulcia pleraque hic nocent: præterea coctione diuturnâ vires potiores ingredientium evanescunt.*
b Hoc medicamento.) *Add.*
Aloës luc. drach. j.
Ol. Sabin. gutt. xij.
& loco tartari vitriolati sumatur borax Venet.

Denique tali utatur Clareto laxativo, ubi novilunium instabit:

℞. *Rad. helenii, fœniculi, eryngii an.* ʒiij.
Passular. corinth. ʒx. *fol. senæ* ʒj. *agarici trochis.* ʒß.
Turbith. hermodact., an. ʒiß. *Rhabarbari* ʒß.
Ligni sassaphras ʒj.
Sem. anisi, fœniculi an. ʒß. *crem. tartar.* ʒiß.
Sacchari albi ℥iij.
Vini q. s.
Incisa & contusa in vino semel ebulliant, postea macerentur per noctem in loco calido: Mane colentur per manicam Hippocratis ad lib. ijß. F. *a* Claretum, de quo bibat semel, vel bis in die haustum ℥iij. vel iv.

a Claretum.) *Balnea huic affectui valdè sunt appropriata artificialia ex herbis aperientibus composita: pessaria hodiè rarissimi sunt usus.*

℞. *Aloës succotrinæ* ʒiij. *Myrrhæ opt.* ℈j.
Extract. calami aromat., card. benedict. an. ℈ſ.
Extract. croci gr. iij. rad. gentianæ, aristol. long. dictamn. an. gr. v.
Cum rob. sambucino q. s. F. Massa pilularum, *de cujus* ʒſ. *f. pilulæ* Num. v. quas per dies tres quatuorve sumat mane jejuno ventriculo.

Toto curationis tempore *Aër* sit temperatus, *Cibus* eupeptus & *a* euchymus. *Motus* corporis sit moderatus. *Tristitiam* vitet.

a Euchymus.) *Corpora impura non indigent copioso nutrimento: evitentur lacticinia, acetaria, pisces, legumina & similia.*

XLVII.

MEDICATIO FOEMINÆ, FLUXIONE UTERINA LABORANTIS.

MUlier *b* quinquagenaria, pituitosa, otiosam vitam ducens, jam à semestri per *c* inordinata aliqua temporis intervalla excernit ex utero copiosum humorem, *d* mucosum, album, & interdum subluteum, ac mordace aliqua qualitate præditum. Ventriculus ipsius cibum non rectè concoquit. Eumque vomitionibus exonerare solebat, quas jam aliquot menses intermisit.

a Fluxione uterina.) *Audit quoque fluor albus, & gonorrhæa muliebris simplex: certè etiam respondet gonorrheæ simplici Virorum*. Charleton *rectè hoc malum vocat* uteri rheumatismum.

b Quinquagenaria.) *Etiam (licet rarius) observatus fuit hic affectus in minorennibus, virginibus, sæpius autem in mulieribus nuptis, viduis atque senioribus.*

c Inordinata.) *Verè* Etmullerus *dicit periodum certam hunc fluxum observare nullam, sed nunc continuis, nunc interruptis variisque vicibus recurrere: circa menstruationis tamen tempus legitimum copiosius & uberius scaturire.*

d Mucosum, album, &c.) *Aliquando serosus est & aquosus, aliquando pituitosus, haud rarò etiam fœtet, & acri mordacitate genitalia infestat: fluorem mulierum croceum, vid.* in misc. cur. ann. 3. obs. 115. *De muliere, cujus uterus & intestinum rectum à fluxu albo erat erosum, vid.* Joh. Rhod. cent. 2. obs. 91.

Afficiuntur in hac ægra *a uterus*; quod ex humore mucoso, albo & interdum subluteo, ac mordaci, utero copiosè & frequenter excreto, constat. Afficitur etiam *ventriculus*, quod ex coctionis ejus vitio est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies uteri pituitosa; quæ excretionem copiosam humoris mucosi, albi, & interdum etiam sublutei, ac mordacis, per intervalla quædam temporis inordinata, efficiens, *Fluor uterinus* appellari solet.

a Uterus.) *Secundùm suas glandulas & vasa lymphatica, item vagina, non secùs ac dictum fuit suprà de gonorrhæa simplici virorum.*

a Causa procatarctica hujus morbi est vita otiosa, quâ, adjuvante temperamento ægræ nostræ pituitoso, multa humorum pituitosorum copia *b* in venis & arteriis collecta, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus ad uterum ad excretionem copiosam, per inordinata quædam temporis intervalla stimulans, *continens* hujus morbi, & molestæ istius excretionis est causa.

a Procatarctica.) *Hunc affectum sæpè generat frequentior partus.*

b In venis & arteriis collecta.) *Sufficit, quòd dum sanguis ab arteriis in venas liberè satis ferri nequit, lympha mucosa majori vi & copia protrudatur, versùs glandulas earumque vasa excretoria.*

Morbus hic difficulter curari solet, præsertim *a* in provectioribus. Et sæpe uteri exulcerationem inducit: Ut & pigritiam, lumborumque dolorem, inappetentiam, aliosq; *b* similes affectus, ideoque diligenti *Cura* erit impugnandus.

a In provectioribus.) *Nempe sanguinem habent effœtum, & ferè spiritibus vacuum, nec non partes rigidiores, medicamentorum virtuti minus obsequiosas. Si fluxui muliebri convulsio & animi deliquium superveniat, malum est, teste* Hippoc. Sect. V. Aph. 56. *glandulas uteri tumefactas, & magnitudine pisi induratas, vid. apud* Dolæum in Encyclopedia p. 645. *Parit fluor albus non rarò uteri & vaginæ procidentiam, hydropem, &c.*

Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

Primò itaque, quia hic affectus est ortus ex eo tempore, quo vomitum intermisit, *a* vomitus excitetur singulis hebdomadis semel tali vomitorio:

℞. *Electuarii diasari Fernelii* ℥iij.
Dissolve in juris pulli vel vini ℥iij.
Misce pro Haustu.

Vel ℞. *Conservæ fol. asari* ℥j.
Aquæ hordei ℥iij.
Contunde in mortario, deinde exprimatur per linteum liquor, cui adde aq. cinnamomi ℥ij.
Misce. F. Haustus vomitivus.

a Vomitus excitetur.) *Præprimis si adsit nausea, & dyspepsia.*

Et semel in mense *a* purgetur tali purgante:

℞. *Rad. jalappæ pulverisatæ* ℈ij. *vel* ℨj.
Pulpæ tamarindor. ℨvj.
Cum syr. rosar. sol. q. s. F. Boli, mane jejuno ventriculo deglutiendi.

a Purgetur tali purgante. *Add. ol. mac. still. gutt.* iij.

Eâ autem septimanâ, quâ per alvũ purgatur, abstineat à vomitorio sumendo.

Interim *a* ubi purgata fuerit, quotidie mane ante ingressum balnei, mox præscribendi, sumat cochleare talis pulveris cum jusculo mixtum:

℞. *Pulver. aromatici rosati* ℨj.
diamargariti calid.,
Cort. citri sicc. an. ℨß.
Rasuræ eboris, cornu cervi,
Rad. galangæ, cyperi an. ℈j.
Cineris spongiæ combustæ & lotæ in aq. ros. ℨijß.
Sacchar. ℥j. *F. omnium* Pulvis.

a Ubi purgata fuerit. *Paratur cum fructu vinum medicatum ex radic. & herbis aromaticis, additô rhabarbaro: conveniunt quoque tinct. mart. aper. antimon. succin. cast. sp. C. C. & sim.*

Balneum, quod quotidie per horam ingreditur, tale præscribatur.

℞. a *Rad. bistortæ, lapathi an. lib. j. gallar., malicorii an. m. j.*
Flor. camomill., meliloti, rosar. absynthii an. m. j.

Alu-

Aluminis ℨij. *salis* ℨj. *tartari p. j. f. decoctio in f. q. aqu. commun.* pro insessione in Balneo.

In *diæta*, *Aër* sit purus, calidus, siccus. *Cibus* euchymus, eupeptus, siccans. *Vitentur* pisces, & lac, olera, fructus fugaces. *Somnus* sit moderatus. Vitet *Motum* vehementem. *Potus* sit vinum parum adstringens. Abstineat à *Venere*. *Mœstitia* vitetur.

a Rad. bistortæ.) *Perversè procedunt, qui hunc affectum adstringentibus sanare conantur.*

XLVIII.

MEDICATIO FOEMINÆ, UTERI DOLORE LABORANTIS.

FŒmina 38. annorum, cum post solitam mensium expurgationem sese aëri frigido, vestibus non satis bene munita, exposuisset, incidit in tantum cruciatum tamque intolerabilem dolorem, à pectine imoque ventre ad diaphragma & inguina usque se diffundentem, ut eo pene enecaretur, nec posset corpus in ullam partem movere. Ubi tamen corpus subinde movet, incidit *a* in lipothymiam vel syncopen, à qua difficillime deinde potest revocari. Aliquando flatus ex collo uteri per sinum pudoris erupit; qui dolorem magnopere *b* levat.

a In lipothymiam.) *Sæpè conjungitur febris satis acuta, nec non passio hysterica.*

b Levat.) *Nonnisi ad pauca momenta, siquidem mali causa nondùm sit ablata.*

Afficitur in hac fœmina *venter*, & in eo potissimum *uterus*; quod ex dolore à pectine & inguinibus ad diaphragma usque se diffundente; ac ex flatibus, ex utero erumpentibus, doloremque levantibus, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies frigida & flatulenta uteri; quæ dolorem ingentem, ab imo ventre ac pectine & inguinibus ad diaphragma usque extensum, excitans, *dolor uterinus* appellari à Medicis consuevit.

Causa procatarctica hujus morbi est aër frigidus, cui ægra nostra, vestibus non satis bene munita, *a* post mensium expurgationem sese exposuit. Inde enim uterus, à mensibus recens expurgatis adhuc debilis & laxus, fuit refrigeratus; quo reliqua, tum insensibilis evacuatio uterina fuit impedita, pravique humores in utero & circa illum fuerunt collecti & retenti, qui *antecedentes* hujus morbi sunt *causæ*. *b* Illi verò ibi in flatus, & vapores resoluti, & egredi nequeuntes, partesque uteri *d* & vicinas distendentes, vehementiusque moventes, *continens* hujus morbi & symptomatum sunt causa.

a Post mensium, &c.) *Nempe brevi post, dùm pori tubulique notabiliter adhuc fuêre aperti.*

b Illi verò ibi in flatus.) *Obstructis nempe*

nempe poris, vapores liberum in omnem dimensionem transitum non inveniunt, adeoque præternaturalem producunt expansionem fibrillarum uteri.

Humores enim illi frigidi & vitiosi, in substantia, & *a* cavitate uteri, & circa illum, collecti, *intemperiem frigidam induxerunt*: illi vero in flatus & vapores resoluti, uterum partesque vicinas suo motu vehementi distenderunt, eoque vehemente *b* distensionis motu *ingentem istum & intolerabilem excitarunt dolorem, à pectine ad diaphragma usque per totum ventrem*, propter motum vehementem per nervos & membranosas vicinorum partes communicatum, *sese diffundentem & ipsam ægram*, propter cordis constrictionem ex dolore ortam, *pene enecantem*, & *motum corporis*, ex metu lipothymiæ ab eo orituræ *impedientem*.

a Cavitate uteri.) *Cujus circumferentia plurimis gaudet glandulis, quæ habet sua vasa excretoria illàc hiantia.*

b Distentionis motu.) *Si forte fortuna fuisset sanguis acris, dolores fuissent pungentes, febrisque continua acuta.*

Ubi autem corpus movet, incidit in lipothymiam, ex qua difficulter revocari potest; quia per motum corporis augetur *a* motus vaporum circa uterum existentium, eoque augetur dolor, (quippe qui nihil aliud sit, quam nimis vehemens partium tactui inservientium motus) atque ex dolore illo vehementer aucto determinantur ita in cerebro spiritus, talesque aperiuntur in eo pori, ut spiritus fluant copiosius in fibras cordis constrictorias, eoque ingressum justum sanguinis in illud impediant, atque ita vehementem & sublatu difficilem inducant lipothymiam.

a Motus vaporum.) *Etiam hinc nervi, & membranæ viscerum abdominis magis tenduntur.*

Ubi verò vapores in capacitate uteri valde sunt aucti, tum erumpunt illi, propter suum motum & copiam, quibus os uteri aperiunt, foras ex utero per sinum pudoris; illis autem egressis, quia in utero cessat, vel imminuitur *a* motus uteri vehementior, *cessat etiam vel levatur dolor*.

a Motus uteri.) *Gaudet uterus tunicâ intermedia villis musculosis refertâ, quâ & extendi potest, & contrahi.*

Morbus hic, ob doloris vehementiam, lipothymiam accersentem, *est a periculosus*: diligenti itaque *Curatione* erit mox impugnandus.

a Periculosus.) *Præprimis si accesserit inflammatio, quæ lethalis esse solet.*

Eaque consistet in intemperiei, doloris, *a* & lipothymiæ ablatione.

a Lipothymiæ.) *Hæc est consequens uteri doloris, quo sublato, illud symptoma cessabit sua sponte.*

Mox itaque per anum *a* injiciatur talis clyster:

℞. Herb. mercurialis, artemisiæ, calaminthæ,
Pulegii, an. m. j.

Flor.

Flor. camomeli, meliloti an. m. ß.
Sem. lini, fœnugræci an. ℥ß.
Decoq. in aq. comm. ad lib. j. in colatura dissolv.
b *Electuarii hieræ simpl., bened. laxativ. an. ℥ß.*
Ol. cheirini ℥ij. Electuar. de baccis lauri ℥ß.
M. F. Clyster.

a Injiciatur talis clyster.) *Quia vapores calidi clysteris facile transeunt per poros intestini recti ad uterum, utpotè qui isti proximus est.*

b Electuarii hieræ.) *Optimè hoc & similibus in casibus additur bals. sulph. anis. & ther. vet.*

a Post injectum clysterem, b utatur subinde haustu talis decocti:
℞. *Calaminthæ, pulegii, artemisiæ an. m. j.*
Flor. camomill. m. ß.
Sem. dauci, anisi, carui, fœniculi an. ℥ij.
Nucis moschatæ ℥j.
Decoq. ex aq. commun. ad lib. j. Colaturæ adde oximell. simpl. ℥ß.
Misce F. Apozema.

a Post injectum clysterem.) *Qui etiam pro re nata iterandus est, sed dosis colat. est minuenda.*

b Utatur subinde haustu talis decocti.) *Vel hæc vel alia similia ingredientia infundantur in vin. gener. Gall. aut Rhen. addendo quædam laxantia, ut fol. Alexand. rhab. tamar. &c. hùc spectant omnia quæ allata sunt in obstructione mensium, nisi Practicus observarit acrimoniam humorum peccare, & inflammationem; tunc enim contrario planè modò procedendum est, & attendendum est ad opiata, camphorata, emulsiones, ptisanas, sperma ceti, &c.*

Sæpe etiam potest uti diacalamintho, & diacymino.
Ventri dolenti talis a applicetur sacculus:
℞. *Rutæ, calaminthæ, pulegii, artemisiæ an. m. j.*
Flor. camomill. meliloti an. m. ß.
Sem. cumini, anisi an. ℥ß.
F. Sacculus ex linteo, cui hæc includantur: Iste vino calido immersus, & deinde expressus, applicetur ventri inferiori.

a Applicetur sacculus.) *Hujus ingredientibus add. polentæ M. j. sal. comm. unc. j. sem. mic. pan. similag. acid. M. sem. & inde fiant duo vel tres sacculi, qui alternatim sunt usurpandi.*

Applicari etiam poterit ventri a emplastrum de baccis lauri, super linteo vel corio extensum.

a Emplastrum de baccis lauri.) *Vel in casu calido emplastrum de sperm. cet. Mynsichti.*

Perseverante dolore talis a clyster uterinus in uterum injiciatur:
℞. *Artemisiæ, calaminthæ, betonicæ, an. m. j.*
Sem. nigellæ, cumini, dauci, anisi an. j.
Spicæ nardi, schœnanthi, nucis moschatæ, cinnamomi, drach. sem.

Coq.

Coq. ex suff. q. vini gallici ad lib. j. M. F. Clyster, per metrenchytam in uterum injiciendus.

a Clyster uterinus.) *Talis clysteris uterini vapores suscipiantur prius per metrenchytam in vaginam.*

Ad alvum movendam a exhibeatur manna cum jure vervecino ad drach. j. sem. vel unc. ij.

a Exhibeatur manna.) *Dulcis nimis hæc est & flatulenta.*

Si doloris perseverantis necessitas desideret, sumat a gr. iv. laudani opiati, cum theriacæ drach. sem.

a Gr. iv. Laud. opiat.) *Nimia hæc est dosis, sufficiunt grana duo necessitate urgente, nisi consuetudo huic difficultati obstiterit.*

a Ad lipothymiam sumat subinde aquam cinnamomi.

a Ad lipothymiam.) *Equidem ad hanc valet aq. cinnam. sed tamen nimis est debilis, potius*

℞. Aq. menth.
Fœnic. ana unc. ij.
Spir. antihyst. unc. sem.
Carm. Sylv. drach. iij.
Tinct. croc.
Castor. ana drach. sem.
Laud. op. gr. j.
Syr. limon. drach. vj.
Ol. cinn. gutt. iij.

M. dos. cochl. j. *vel* ij. *singulis vel alternis horis. Confer* medic. vj. lib. ij. de syncope.

Aër, in quo existit, sit calidus; *cibus* eupeptus; *potus* vinum tenue. *Motus* vitetur; omni ratione concilietur *somnus*. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. Vitet *vehementes animi affectus*.

XLIX.

MEDICATIO PUELLÆ, a HYSTERICA PASSIONE AFFLICTÆ.

b PUella viginti annorum, sanguinea, alimentis crassis diu usa, & menses inordinatè fluentes habens, subinde, per dierum aliquot intervalla, afficitur crurum imbecillitate c & cardialgia, quas subsequitur d faciei pallor, e & respirandi difficultas, in qua ipsi f fauces constringi videntur. Deinde, malo ingravescente, sentitur in ipsius abdomine g globi cujusdam, ad diaphragma identidem h magno impetu ascendentis, motus. Audiuntur quoque i murmura & varii imi ventris sonitus. Privatur denique k omni sensu & mo-

tu *l* pulsusque valde parvus & debilis evadit. Durat interdum hic paroxysmus per horas duas aut tres: à quo liberata magnam totius corporis sentit *m* perturbationem & lassitudinem.

a Hysterica passione.) *Aliis audit* Epilepsia, *ut &* syncope uterina, *quatenus affinitatem habet magnam cum utroque illo affectu, prout ex progressu Historiæ Auctoris patebit: sic etiam* Galen. 6. de loc. aff. cap. vj. *vocat* τῆς μήτρας ἀπόπληξιν, f. uteri apoplexiam *aliis autem (præprimis* Sylvio *ejusque sequacibus) placet nomen* suffocationis hypochondriacæ, *siquidem flatus & borborygmi ventris hunc affectum & comitantur & producunt, sed revera, æquè potest oriri hic affectus ab utero ejusque annexis, sese malè habentibus, quàm partibus aliis: in viris cùm & hæc affectio locum haud raro habeat, impropriè apud illos vocaretur hysterica.*

b Puella.) *Exemplum parturientis, suffocatione uteri convulsivâ extinctæ, videsis apud* Joh. Nic. Pechl. obs. 30. lib. j. *dantur etiam in minorennibus hystericæ passionis exempla crebra; præsertim verò viduæ plethoricæ ut & seniores, quibus cessare solent menstrua hoc malo vexari solent.*

c Cardialgia.) *Ergò mali causa hoc in subjecto est acida & austera: alibi autem alia dari potest.*

d Faciei pallor.) *Genæ aliquandò valdè rubent.*

e Respirandi difficultas.) *Hinc* Helmontius *vocat hunc affectum asthma uterinum.*

f Fauces constringi.) *Sic distinguitur ab asthmate omni quod semper conjunctum habet sibilum.*

g Globi cujusdam.) *Quem mulierculæ falsò putant esse uteri corpus in gulam scandens.*

h Magno impetu.) *Convelluntur quoque musculi pectorales, intercostales & abdominis, ut & nonnunquam musculi plurium partium, quâ ratione convenit cum epilepsia, vid.* Forest. lib. 28. obs. 26.

i Murmura &c.) *Hinc superstitiosi sibi imaginantur, in illis ægris mirandas voces ex imis visceribus audiri, nunc ranarum coaxatus, nunc serpentum sibilos, crocitationes corvorum, canum vel* κακοδαιμόνων *latratus, &c. vid.* Corn. gemm. cosmocrit. cap. 7.

k Omni sensu & motu.) *Non tamen semper & ubique: vid.* Lotich. lib. v. cap. j. obs. 3. *Est ergo hic major gradus, & eatenus convenit cum pluribus morbis soporosis.*

l Pulsus valde parvus.) *Aliquando tamen robustus & inæqualis, atque eatenus convenit, & cum lipothymia, & Apoplexia sanguinea.*

m Perturbationem & lassitudinem.) *Hoc etiam observatur post paroxysmos epilepticos.*

Afficiuntur in hac puella *a pulmo, cor, & fauces;* ut ex difficili respiratione, pulsu debili, & pressionis faucium sensu patet. Afficiuntur item *intestina,* ut *b* ex ascensu globi, & murmure ac sonitu in abdomine perceptis constat. Afficitur etiam *cerebrum,* ut ex sensus & motus privatione patet. Afficiuntur hæ partes *secundariò:* c *primariò* verò *uterus;* quod ex mensibus inordinatè fluentibus, item ex eo, quod hic affectus talia symptomata, quæ jam commemoravimus producere soleat in fœminis ex utero laborantibus, est manifestum.

a Pulmo, &c.) *Hæ partes nonnisi per consensum afficiuntur, quemadmodum mox Auctor inculcat, voce* secundario

b Ex ascensu.) *Præcedunt sæpe dolores colici.*

c Primariò verò uterus.) *Non semper tamen uterus primariò afficitur, prout mox patebit ex causis.*

Mor-

Morbus, qui ipsam affligit, est quædam *a* intemperies putrida & maligna uteri; quæ difficultatem respirandi, *b* pressionem faucium, & globi cujusdam vehementius in abdomine ascendentis motum, ac abdominis *c* murmura, sensusque motusque privationem, ac pulsum debilem subinde per intervalla quædam dierum excitans, *Præfocatio uterina*, vel *Hysterica passio* vulgò appellari solet.

a Intemperies putrida.) *Imò certè ulcus ovarii, cervicis uteri, &c. locum hic habere potest*: Ita Vesal. de corp. hum. fabr. lib. 5. cap. 15. *dissecuit duas nobiles puellas, uteri strangulatu vexatas, quibus alter testiculus, instar majusculæ pilæ protuberabat, croceo humore, simulque gravissimè olente, venenosum quid & tetrum præ se ferente infarctum, &c. conf.* misc. cur. ann. j. obs. 3. Riol. anthropog. lib. 2. cap. 34.

b Pressionem faucium.) *Qualis etiam tempore omni accidit in incubo.*

c Ac abdominis murmura.) *Hisce suborientibus oculi contorquentur; facies & labia livescunt, suntque hæc signa imminentis affectus.*

a *Procatarctica* hujus morbi *causa* est diutinus crassorum alimentorum usus, *b* item adolescentia, & temperamentum sanguineum nostræ puellæ, unde partim crassus humor, partim multum seminis in ipsa, circa uterum genitum, & mensium inordinatum fluxum efficiens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus *c* circa uterum per quædam dierum intervalla corrupta, malignitatemque adepta, & uterum suâ rarefactione, motu, vel acrimoniâ vellicans, ac venis sese insinuans, & deinde ad cor, cerebrum aliasque partes affectas, per sanguinis circulationem, vel transpirationem, delata, *d continens* hujus morbi & symptomatum, est causa.

a Procatarctica.) *Eadem esse potest, quæ incubi, melancholiæ hypochondriacæ & cachexiæ leucophlegmaticæ: speciatim autem hic culpanda occurrunt dulcia & suaveolentia: confer* Forest. obs. 28. lib. 28. in Schol. *huc pertinent affectiones animi vehementiores, & suppressæ evacuationes consuetæ.*

b Item adolescentia.) *Hæc causa nimis longè petita est.*

c Circa uterum.) *V. g. in testibus, tubis Fallopianis, &c.*

d Continens.) *Hæc petenda est vel à copia flatuum copiosorum, subitò (à quacunque demùm causa fortuita) vehementius motorum, undè diaphragmatis musculorumque pectoralium contractio reciproca naturalis impeditur, vel ab humore aliquo acri vellicationem prædictarum partium producente, quemadmodum suprà dictum de incubo, & spasmo.*

Pravus enim ille humor, primò parcius ad cor delatus sanguinisque dilatabilitatem suis crassis particulis impediens, efficit ut sanguis justo parcius cuti reliquisque partibus suppeditetur, & in justo pauciores spiritus convertatur, unde ex illo sanguinis defectu *oritur cutis pallor*; & ex defectu illo spirituum animalium, *crurum* in movendo *debilitas*. Ad ventriculum verò propulsus, superioremque ejus partem acrimoniâ suâ rodens, producit *cardialgiam*.

Dum autem ab hujus humoris acrimoniâ & quantitate ac motu fibrillæ ipsius uteri vehementius vellicantur, motusque ille per nervos ad cerebrum defertur, pori in cerebro ita aperiuntur, ut spiritus animales ex eo in constrictorios musculos faucium, *a* abdominis, aliarumque vicinarum partium vehementius & inordinatius fluentes, *convulsivum & constrictorium quendam motum*, *inspirationem*

tionem lædentem, in abdomine ac diaphragmate & aspera arteria *circa fauces*, aliisque partibus respirationi inservientibus, producant.

a Abdominis, &c.) *Nempe propter connexionem membranarum, distributionemque nervorum ad has partes ab eodem pari.*

Spiritus verò fluentes identidem magnâ vi in fibras intestinorum, *a* eaque in globum contrahentes, & vehementissimè agitantes, faciunt *sensum convulsivi motus; quo intestina in globum contracta vehementi impetu versus diaphragma vicissim propelluntur*, & læsionem inspirationis magnopere augent.

a Eaque in globum contrahentes.) *Equidem negari non potest, intestina, etiam in hoc affectu aliquomodo convelli, sed tamen globi istius sensum oriri potius judicamus ex subitanea & violenta flatuum, aërisque in vicinia gulæ compressione & unione, dùm subitò & violenter musculi respirationi dicati spasmo corripiuntur.*

Alii globum illum, versus superiora in hystericis tanta vi in abdomine versus diaphragma propulsum, ipsum uterum vel tubam uteri Fallopianam esse existimant. Verùm, cum illæ partes, præsertim in virginibus, in tantam molem distendi, & tam altè, ubi ille globus percipitur, *a* attolli nequeant, ipsos errare existimo.

a Attolli nequeant.) *Nempe talem uteri ascensum prohiberent non solùm uteri ligamenta quatuor robusta, sed viscera alia superiora plurima.*

Humores autem illi pravi, ubi postea ab utero ad cor copiosius deferuntur, sanguini *a* ibidem misti, dilatabilitatemque ejus summopere imminuentes, inducunt spirituum naturalium in corde, & animalium in cerebro, partim inconvenientem motum, partim defectum; unde necessariò, ex cordis læsione, sequitur *pulsus debilis*; & ex læsione cerebri *sensus motusque voluntarii privatio.*

a Sanguini ibidem misti.) *Quemadmodum supra explicavimus in febribus intermittentibus, epilepsia, mania, &c. ita fieri quoque potest, ut humor aliquis ex canaliculis cujusdam partis stabilis, ubi aliquandiu hæsit, per rarefactionem expellatur, &, lege circulationis ad partes prædictas delatus, convulsiones earum spasmodicas pariat.*

Dissipato vero, vel discusso, vel expulso post duas aut tres horas *a* ex corde pravo illo humore, & *b* bono sanguine ad cor & cerebrum per circulationem redeunte, paroxysmus cessat, & *ægra valde*, ex magna illa perturbatione, c *fatigata ad se redit*.

a Ex corde.) *Dic potius ex tota massa sanguinis, non enim in corde humor ille tandiu morari potest, propter reciprocas ejus contractiones.*

b Bono sanguine redeunte.) *Dic potius, impetu flatuum humorumque acrium cessante, malique causa vel suppressa vel evacuata.*

c Fatigata.) *Tam propter impeditam sanguinis humorumque circulationem (à qua dependent secretiones, distributiones & excretiones, adeoque functiones corporis omnes) quàm fibrillarum nervosarum, tendinosarumque violentam in paroxysmo expansionem.*

Cum vero nova materia morbifica postea rursus est genita, & justam maturitatem est adepta, tum ea rursus attenuata, & vehementius mota novum paroxysmum hystericum inducit.

Morbus hic valde est *a* periculosus, cum paroxysmi gravissimis symptomatis sint comitati, & valde frequentes; unde metus est, ne ægra nostra in paroxysmo aliquo suffocetur.

a Periculosus.) *Præsertim si sæpe redeat & vehementer, periculum enim est, ne in epilepsiam transeat, & maniam, furorem uterinum, apoplexiam, & suffocationem lethalem.*

Viragines minus huic affectui sunt obnoxiæ, quam fœminæ sedentariæ, & otiosæ, quia viraginum sanguis, reliquis paribus, fluidior est, adeoque minus obstructiones parit.

Sternutatio superveniens bona est juxta Hippocr. Aph. Sect. 5. Aph. 35. *confer* Dolæ. encyclop. lib. 5. c. 2. Forest. lib. 28. obs. 29.

Curatio itaque maturanda. Quæ *a in paroxysmo* consistet in humorum & vaporum istorum putridorum & malignorum discussione & expulsione: & *extra paroxysmum*, præter causæ procatarcticæ ablationem, in pravorum humorum ex toto corpore evacuatione, & uteri intemperiei per contraria correctione.

a In paroxysmo.) *Vix discrepat cura hujus affectus à cura morborum aliorum soporosorum.*

a *In paroxysmo* itaque mox *b* injiciatur clyster acris, & naribus adhibeantur pennæ perdicum incensæ & fumantes, vel oleum succini, vel assa fœtida, vel castoreum, vel sulphuris fumus.

a In paroxysmo.) *Quæritur, an etiam liceat venæsectionem instituere in paroxysmo? respond. quòd si subitò eveniat à causa manifesta externa, & adsit plethora, nihil esse quod impediat; fiat autem in pede, si vena ibi sit satis magna.*

b Injiciatur clyster acris.) *Vel hujus loco usurpetur suppositorium acre, & umbilico atque genitalibus admoveantur graveolentia: nec omittendæ sunt cucurbitæ, pro re nata, cum vel sine scarificatione; accedant frictiones & ligaturæ artuum, atque abdominis: Vomitoria multis hystericis subitum præbuere levamen, sed & hìc cautelâ opus est: Quærunt Practici an liceat vinum propinare juxta* Hippocr. lib. de nat. mul. *cùm* Celsus cap. 20. lib. 4. *id prohibeat, ut &* Forest. lib. 28. obs. 32. in Scholio. *Verùm pro causæ & subjecti varietate mutari hæc debere, nemo non videre potest.*

Adhibeantur etiam frictiones & ligaturæ crurum, ut & brachiorum, subinde solvendæ; quibus pravorum humorum, ab illis partibus ad cor tendentium, reditus impeditur.

Emplastrum quoque, ex galbano, & gummi ammoniaco, æqualibus partibus in aceto dissolutis, & super corio ad magnitudinem volæ manus extensis, factum, inter umbilicum & os pubis admoveatur.

Naribusque inspiretur, *a* ad sternutationem excitandam, pulvis subtilis, ex tabaco, euphorbio, & helleboro albo confectus.

a Ad sternutationem) *Absit tamen violentia, præsertim in gravidis, utpote quæ facile hinc abortirent.*

Man-

Mantili etiam, ligaturæ instar adhibito, abdomen super umbilico arctè, ad globi istius ascensum impediendum, circumcingatur.

In principio perturbationis novi paroxysmi, præstantissimum remedium est sequentium pilularum usus:

℞. *Castorei ℈j.*
Fœculæ bryoniæ ℈ſ.
Cum a ſyr. de artemiſia q. ſ.
F. Pilulæ, Num. iij.

a Syr. de artem.) *Præterquam quod ope hujus ſyrupi malum facillimè exacerbari poſſet, difficillime etiam exindè formarentur pilulæ, ſiquidem cum aliis ingredientibus ſatis non cohæreret: præſentaneum magis eſſet remedium tinct. caſtor. & aſſ. fœt. tartariſ. cum aq. cort. aurant. ſpirituoſa: Vel*

℞. Aq. puleg.
matric. ana ℥ij.
Spir. carm. Sylv. ℥vj.
Tinct. croc. ℈iv.
caſtor. ℈ij.
Ol. cort. aurant. gutt. iv.
Syr. de artemiſ. ℥vj.
M. doſ. cochl. ij. ſingulis horis.

Extra paroxyſmum laborandum, *a* ut ſemen & cacochymia circa uterum non gignatur, vel ibidem non ſubſiſtat.

a Ut ſemen non gignatur.) *Id naturæ vim inferret inexcuſabilem: acrimonia autem humorum craſſiorum temperanda eſt, dividenda, & evacuanda.*

Optimum itaque remedium hic erit conjugium. Quod ſi ejus commoda occaſio non offeratur; ſanguis educendus erit ex venis, circa utrumque talum existentibus, pro ratione virium. Et menſes, non ſatis ordinatè & parcè fluentes, movendi erunt primo *a* talibus pilulis purgantibus:

℞. *Maſſæ pil. de hiera ℈j.*
Agarici trochiſc. ℈ſ.
Scammonii gran. x.
Caſtorei, ſeminis agni caſti, an. gr. iij.
Cum ſyr. de artemiſia q. ſ. F. Pil. Num. vij. Mane jejuno ventriculo ſumendæ.

a Talibus pilulis.) *Quarum doſis ſufficit dimidia. Vid.* med. de obſtruct. menſ.

Et *a* deinde tali apozemate menſes movente utatur:

℞. *Rad. cyclaminis, bryoniæ, valerianæ, petroſelini,*
Rub. tinctorum an. ℥ſ.
Fol. artemiſiæ, meliſſæ, nepet., matricar., pulegii,
Sabinæ, an. M. ſ.
Sem. aniſi, fœniculi, dauci, an. ℥j.
Decoq. in aq. hordei ad lib. j. Addendo ſub finem decoct.
Fol. ſenæ ℥iſ.
In colatura diſſolve ſyr. de artemiſia ℥iſ.
F. Apozema, de quo ſumat quotidie vel alternis diebus, hauſtum unc. iij. vel iv.

a Deinde apozemate utatur.) *Poſt talis apozematis uſum exhiberi poſſunt pilulæ ſeq. quæ magnarum ſunt virium.*

 ℞. Gum.

℞. Gumm. ammon. vel galban. cum vin. Rhen. præp. drach. sem.
Chalyb. præparat.
Mastich. elect. a. scrup. j.
Myrrh. rub.
Castor. opt. a. scrup. sem.
Trochisc. alhand.
Vitriol. mart.
Mercurii dulcis.
Diagrid. a. scrup. j.
Ol. succin. gutt. xvj.
M. f. Pilulæ Num. XL.
Deaurandæ.
Dosis vesperi num. 4. vel 5. manè 6. seu 7. pro ratione virium.

Adhibeantur *a* ad seminis extinctionem *b* mentha, ruta, lactuca. Et lumbi illinantur unguento refrigerante Galeni, cum succo sempervivi.

a Ad seminis extinctionem.) *Hanc intentionem suprà rejecimus.*

b Mentha, &c.) *Conf.* med. de gonorrh. simpl.

In *Victus ratione*, *Aër* sit temperatus, tranquillus. Caveat sibi ab *Alimentis*, quæ multum sanguinis & spermatis generant. Parcè victitet. Vitentur alimenta, *a* quæ flatus & humores pravos & melancholicos gignunt. *Potus* sit cerevisia tenuis, & vinum aquâ dilutum. In syncopes tamen periculo admittatur vinum merum. *Exercitia* sint mediocria. *Somnus* solito brevior. *Excrementa alvi* respondeant arte, vel naturâ. *Tristitia* vitetur, & procuretur omni modo gaudium.

a Quæ flatus & humores pravos gignant.) *V. gr. pisces marini, leguminа, olera, &c.*

L.

MEDICATIO

IMMODICI SANGUINIS FLUXUS IN GRAVIDA, CUM FOETU MORTUO.

FŒmina 30. annorum, cum in noni ingravidationis mensis initio *a* ictum in ventre satis vehementem accepisset, & postridie, cum vehementiore brachiorum motu, onus aliquod ponderosius sæpius de loco in locum transtulisset, incidit in sanguinis ex utero fluxum, per intervalla quædam cessantem & redeuntem, & vires ipsius valdè dejicientem, jamque *b* per quatuordecim dies durantem. Fœtus jam à multis diebus in utero immobilis & conglomeratus sentitur. Nullaque parturitionis adsunt indicia.

a Ictum vehementem cum vehementiore brachiorum motu.) *Duæ hic memorantur validæ causæ concurrentes, quarum alterutra posset sufficere ad abortum.*

b Per quatuordecim dies.) *Hæc una cum seqq. pertinent ad prognosin.*

Afficitur in hac fœmina *uterus*; quod ex sanguinis ex utero fluxu, jam per intervalla plusculos dies durante, *a* & ex fœtu mortuo, in eo hærente, est manifestum.

a Et ex fœtu mortuo.) *Hoc in casu frigus percipitur circa lumborum, & hypogastrii regionem, adest febricula continua, nausea, virium imbecillitas, &c.*

Morbus, qui eum affligit, est vasorum uteri apertio, nimium sanguinis fluxum producens; & *a* cum præternaturali cavitatis ejus, à fœtu mortuo distensione conjuncta; qui *Immodicus sanguinis fluxus in gravida, cum fœtu mortuo*, appellari potest.

a Cum præternaturali distensione.) *Nempe non solùm à fœtu uterus expanditur, sed etiam à sanguine intùs conglomerato copioso.*

Hic morbus *originem* duxit, primò *a* ex ventris ejus satis vehementi percussione; & deinde ex vehementiore illa *b* magni oneris, cum magna brachiorum expansione factâ, translatione.

a Ex ventris vehementi percussione.) *Hùc pertinent, ut causæ, vomitus violentus, diarrhœa, cholera, animique passiones vehementes.*
b Magni oneris.) *Id est, vires superantis.*

Inde enim fœtus in utero graviter fuit læsus, & membranæ fœtum involventes, & etiam hepar uterinum fuerunt, si non tota, saltem ex parte, ab utero separata; eorumque *a vasa* modò copiosius aperta, modò clausa, *sanguinem copiosum per intervalla emiserunt*. Atque hinc primò *gravida valdè fuit debilitata*: & deinde *fœtus*, ab ictu jam antea læsus, accedente nutrimenti, ex vasorum ruptura, defectu, etiam fuit *extinctus*. *Isque* propterea jam à multis diebus *immobilis & conglomeratus sentitur.*

a Vasa aperta.) *Nempe vasa sanguinea non adeò quidem aperta hic fuêre, quàm rupta.*

In maximo periculo versatur hæc gravida: propterea quod, propter fœtum mortuum in utero existentem, sanguinis ille fluxus sisti non facilè possit: & fœtus, quia mortuus est, *a* difficillimè ex utero exturbari poterit: isque, ibi diutius manens magnum suâ corruptelâ matris necandæ inducit metum. Omni itaque ratione, ad *Curationem* hic peragendam, *b* partus erit procurandus.

a Difficillimè ex utero, &c.) *Exitum enim fœtus moliri nequit, & vires matris jam valdè sunt prostratæ.*
b Partus erit procurandus.) *Si non succedat per pharmaceutica, instituatur operatio chirurgica, secundum methodum* Corn. Soling. Justinæ Dietrichs in Speculo Obstetricum, Portal, &c.

Primò idcirco *a* tali clystere uteri excretio excitari poterit:

℞. *Decocti emollientis comm. lib.j.*
Electuarii diaphœnici, diapruni an. ℥vj.
b *Salis commun.* ʒiβ.

Olei

Olei lilior., *camomill.*, *castorei an.* ℥j.
Misce F. Clyster.

a Tali clystere.) *Ita scilicet & fæces ex intestinis educuntur, & utero fit major locus, ut ad excretionem stimulatur.*
b Salis commun.) *Vel hujus loco borax sumatur, aut sal gemmæ.*

Parturitione hinc non sequente, exhibeatur, ad fortiorem ejus excitationem, *a* tale *vomitorium*:

℞. *Salis vitrioli* ℥j.
Aq. Artemisiæ ℥iv.
Misce.
Vel ℞. *Mercurii vitæ gr.iv.*
Conserv. rosar. ℥j.
Misce pro Bolo vomitivo.

a Tale vomitorium.) *Deficientibus matris viribus, suspectum est tale remedium, conf.* Clariss. Fred. Dekkers exerc. pract. p.m. 145. edit. in quarto.

Parturitio deinde sequens, si non satis valida fuerit, ad illam augendam, vel fortius excitandam, talis exhibeatur haustus:

℞. *Dictamni cretici*,
a Aristolochiæ utriusque,
Trochiscor., *de myrrha ana* ℈ß.
Croci, *cinnamomi an. gr.x.*
Confect. alkermes ℨj.
Aq. cinnamomi ℥ß.
Artemisiæ ℥ij. *Misce*, F. Haustus.

a Aristol. utriusque.) *Omnia quæ in sequentis affectus curatione prosunt hic etiam possunt adhiberi.*
Interne.
℞. Boracis ven.
Sal. vol. succin.
Ocul. cancr. a. gr.xv.
Croci ℈ß.
M. F. Pulvis.

Fœtu excluso procul dubio lochia sequentur, quibus deinde bene fluentibus, nihil ulterius erit tentandum.

Si autem neque his, neque ullis aliis remediis, partus procurari posset, ad chirurgicam *a gasterotomiam*, si ægra illam admitteret, esset ex quorundam sententiâ perveniendum.

a Gasterotomiam.) *Tentanda priùs est fœtus extractio, sive per partes frustillatim, sive in totum. Vid.* Corn. Solingen. part.iij. Cap.42. & 43.

LI.

MEDICATIO FOEMINÆ, IN PARTU DIFFICILI VERSANTIS.

FŒmina *a* viginti octo annorum, temperamento sanguinea, *b* jam triduum in difficili partu laborat, *c* quo vires ejus nunc valde sunt prostratæ; uterusque, ob elapsas aquas, *d* valde est exsiccatus: *e* alvum etiam adstrictam habet.

a Viginti octo annorum.) *In junioribus, ut & senioribus, partus procedit ob angustiam viarum difficilius.*

b Jam triduum.) *Hoc faciet malam prognosin, præsertim cum aquæ jam ex utero sint elapsæ: vid.* Pechlin. lib.j. obs.xxix.

c Quo vires, &c.) *A viribus matris collapsis, etiam vires fœtus collabuntur.*

d Valde est exsiccatus.) *Hinc non rarò supervenit tumor, & inflammatio.*

e Alvum etiam adstrictam habet.) *Stercora nempe dura aliquando fœtui egressum impediunt.*

Partûs hæc difficultas, in qua hæc fœmina versatur, nunc *a* est *à viribus* non tantum ejus, sed etiam fœtus, ob spiritus ex diutinis illis totius tridui pariendi nixibus nimium dissipatos, valde dejectis: & præterea *ab utero* ejusque collo ob elapsas aquas nimis arido & sicco: adhæc *fæces alvi*, adstrictionem in intestinis nimis diu retentæ, ad commodam fœtus expulsionem impediendam suâ etiam copiâ hic multum conferunt.

a Est à viribus.) *Conf.* Riv. in praxi, *ubi recensentur satis nitidè, causæ tàm externæ quam internæ, à parte matris & fœtus.*

Difficilem partum propter uteri abscessum, vid. in misc. cur. dec.j. ann.2. obs.180. *propter circumvolutionem vasorum umbilicalium circa collum fœtus, vid.* Schenk. obs. p.586. *quid huc contribuere poterit infelix obstetricis manus, vid. apud* Joh. Nic. Pechl. lib.j. obs.32. *Porrò hùc pertinet moles major fœtus, ejusque in utero præternaturalis situs, angustia cervicis uteri, dolor & tumor uteri, passio colica, frequentes lipothymiæ matris, viriumq; imbecillitas &c.*

Partus difficilis *periculosissimus* est; cum vasorum ruptionem, & uteri inflammationem, *a* aliaque mala sæpissime inducat: ac, viribus dejectis, sæpe matrem, vel fœtum, vel utrumque interimat.

a Aliaque mala.) *Velut cervicis uterinæ, aut ipsius uteri lacerationem, exulcerationem, gangrænam & sphacelum, vel procidentiam.*

Paralysis, etiam aut difficilis motus alterutrius cruris, aliquando remanet post partum difficilem.

Diligentissima itaque *Curatio* ocyssimè erit adhibenda.

Eaque

Eaque in spiritibus reparandis, iisque ad uterum ad fœtus expulsionem bene determinandis: viisque fœtui transeundis bene lubricandis & laxandis; præter parturientis rectam collocationem, *a* & fœtus rectam exceptionem ab obstetrice faciendam, consistet.

a Et fœtus rectam exceptionem.) *Id est, simul fœtus inversionem si perverse fuerit locatus.*

Mox itaque ano talia vicissim inserantur *a* suppositoria:

℞. *Mellis ad justam duritiem cocti q. s.*
Salis comm., gemmæ an. ℥ß.
Spec. hieræ ʒj. M. F. Suppositoria, Num. ij.

a Suppositoria.) *Ut duriora in intestino recto hærentia scybala, irritatione priùs deponantur: posteà verò injiciatur clyster emolliens & carminativus.*

Vel *a* clyster acris & emolliens etiam injici potest.

a Clyster acris & emolliens.) *Clyster hic præstat suppositorio, quia potentius emollire valet fæces induratas, uterumque ad evacuationem stimulare.*

Et inungat obstetrix frequenter vulvam & vicinas partes *a* tali linimento:

℞. *Ol. amygdal. dulcium* ℥ij.
Liliorum, lini an. ℥j. Misce.

a Tali linimento.) *Nempe ad vias lubricandum & emolliendum.*

Tum etiam *a* foveatur venter inferior decocto emolliente ex rad. alth. lilior., fol. malv. violar. artemis., sem. lini, fænugr., flor. chamom. & meliloti.

a Foveatur venter.) *Nempe vapores calidi fotus ad uterum transire possunt, eumque emollire: huc ergò spectat semicupium.*

Interim exhibeatur *a* talis potio, ad partum facilitandum efficacissima:

℞. *Dictamni cretici, aristoloch. utriusque,*
Trochiscor. de myrrha an. ℈ß.
Croci, cinnamomi an. gr. xij.
Confect. alkermes ʒß.
Aq. cinnamomi ℥ß. *aq. artemisiæ* ℥iij.
Misce, F. Haustus, qui post tres quatuorve horas reiterari poterit.

a Talis potio.) *Huic addi potest aq. vitæ Mulierum unc.* j. *sicque dimidia ejus quantitas sumatur pro haustu: altera usurpetur ut mixtura. Fortuitam excussionem partus fœtentis jam & semilaceri, vid. apud* Joh. Nic. Pechlin. obs. 28. lib. 1.

Quantum ad interna, Helmontio *vix quicquam magis commendatur hepate anguillæ, cum felle suo in umbrâ exsiccato, & in pulverem contuso, confer* misc. cur. dec. j. ann. 2. obs. 127. item dec. 2. ann. 3. obs. 106.

Aliis secundina humana cum vasis umbilicalibus exsiccata & in pulverem contrita, vid. Sennert. prax. lib. iv. part. ij. sect. 6. cap. 4. *remedium est universale & in hoc casu, & in epilepsiâ.*

Vel exhibeatur hic pulvis:

℞. *Cinnamomi* ʒiß.
Ossium dactylorum ʒß.
Dictamni cretici ℈j. F. Pulvis, in tres partes æquales, cum vino vel jusculo vicissim dandas, divisus.

Est etiam hic efficacissimum oleum cinnamomi ad gutt. iv. vel v. vel *a* oleum succini ad gutt. xij. vel xv. cum vino, jusculo vel alio liquore exhibitum.

a Ol. succini.) *Non solùm oleum succini, sed & alia olea aromatica & pleraque medicamenta ex salinis volat. oleos. cephal. & uterin. præparata, hic prosunt.*

Singulis tribus horis si *a* exhibeatur ʒß. pilularum de assa fœtida, cum haustu decoctionis verbenæ, artemisiæ, & sabinæ, in vino Rhenano factæ, id etiam maximæ hic est efficaciæ, secundinamque retentam expellit.

a Exhibeatur ʒß. pilularum de assa fœtida.) *Vix in ventriculo solvi possunt tot pilulæ, tàm crebrò sumptæ. Cæterùm hic prosunt spirituosa, mensesque efficaciter provocantia* v. gr. *ol. sabinæ ad gutt.* x. *vel* xv.

Pilularum de assâ fœtidâ descriptio hæc est:

℞. *Assæ fœtidæ* ʒß. *sem. rutæ*,
Cassiæ ligneæ, rasuræ lapid. dactylorum,
Boracis an. ʒiß. *croci* ʒß.
Myrrhæ, theriacæ diatessaron an. ʒj.
Cum syr. de artemisia q. s. a F. Massa pilularum, cujus dosis est ʒſ. ℈ij. vel ʒj.

a F. massa pilularum.) *Potiùs hinc bolus, quam massa pilularum parari potest.*

a Sternutatio partum etiam promovet: ideoque, partu nondum satis procedente, præscribendum est hoc sternutatorium.

℞. *Rad. hellebori albi* ʒſ. *piperis longi* ℈j.
Castorei gr. v. F. Pulvis, qui infletur in nares ad pisi magnitudinem.

a Sternutatio partum etiam promovet.) *Vid.* Hippocr. Sect. 5. Aphor. 35. *etiam hic vomitus prodesse potest, dummodo eum vires ferant.*

Fœtum autem præpostero modo, ut uno brachio vel pede primum, vel aliâ pravâ ratione, *egredi incipientem*, obstetrix non excipiet; sed in uterum *a* retrudet, & ad legitimam formam convertet. Hoc ut commodè fiat, puerpera in lecto supina, capite demisso, & clunibus elatis, est collocanda. Tumque ventrem ipsius versus præcordia blandè comprimendo, fœtum ipsum in uterum impellet. Postea artificiosâ manu procurabit obstetrix, ut fœtus faciem tergo matris obvertat, & deinde nates & crura versus matris umbilicum elevet, atque ita ad legitimum partum celeret.

a Retrudet.) *Leviter nempe, & quantum possibile sine dolorum matris augmento viriumque decremento.*

Si, fœtu jam edito, *secundina retineatur*, *a* in usu remediorum jam jam propositorum similiumque perseverandum.

a Remediorum propositorum.) *Conf. medicationem de mensium obstructione, hæc enim huic casui quadrant maximè, ut & corroborantia analeptica.*

Præter illa aliaque remedia multum hic potest *a* manus obstetricis vel chirurgi, oleo amygdalarum dulcium & liliorum oblita, & in uterum immissa; antequam inflammatio vel inflatio augeatur. Sic enim apprehensis manu secundinis, & molliter circumductis, poterunt illæ extrahi, mulierque pariens à gravissimis malis imminentibus liberari.

a Manus obstetricis.) *Conf. Auctores in medic. præced. citatos.*

In hoc, & quovis alio partu, *Aër* in cubiculo parturientis sit calidus. Omnis *fœtor* amoveatur. Ubi partus diutius protrahitur, ova sorbilia, & panis vino madidus, nuces conditæ, caro citri cum saccharo, & cortices citri conditi, *a* aqua cinnamomi, aliaque similia sunt exhibenda.

a Aqua cinnamomi.) *Præscribatur mixtura potius cardiaca cochleatim usurpanda, qualis commendatur in syncope, absint autem suaveolentia.*

Hùc spectant lap. bezoar. infus. Pedra del porco, rad. ninzin. &c. pro ditioribus.

FINIS LIBRI TERTII.



PRA-

PRAXEOS MEDICÆ,

LIBER QUARTUS.

De Medendis Morbis habitus corporis, & partium externarum.

I.

MEDICATIO PUELLÆ, MORBO VIRGINEO, SIVE CHLOROSI, LABORANTIS.



Uella annorum 18. *a* frumentum crudum, cretam, & arenam ſubinde edere ſolita, incidit in *b* menſium obſtructionem, per tres menſes durantem; acceſſit faciei & labiorum *c* pallor, totius *d* corporis laſſitudo, *e* ac hypochondriorum nonnunquam inflatio & intumeſcentia. *f* Palpitatione cordis & reſpirandi difficultate ſæpe etiam afficitur; præſertim ubi ſcalæ ſunt aſcendendæ. Ac præterea etiam *g* capite & ventriculo frequenter dolet.

a Frumentum crudum, &c.) *Vid.* med.4. lib.iij.

b Menſium obſtructionem.) *Vid.* medic.xLvj. lib.iij.

c Pallor.) *Vid.* medic. xvij. lib. iij. *Vergit autem hic pallor ad viridem & flaveſcentem ſquallorem.*

d Corporis laſſitudo.) *Anxietas adeſt præcordiorum continua, dolor lumborum, anorexia & dyſpepſia.*

e Ac hypochondriorum inflatio.) *Præſertim poſt paſtum, motionemque membrorum vehementiorem, eamque inflationem haud rarò ſequitur vomitus, & paſſio hyſterica.*

f Palpitatione cordis.) *Vid.* medic.5. lib. ij.

g Capite & ventriculo frequenter dolet.) *Dolor hic ſolet eſſe diſtenſivus non ſolùm, ſed & lancinans & acerbus, ut periculum immineat lipothymiæ.*

Afficitur in hac ægra *uterus*, quod ex menſibus obſtructis; *facies & labia*, quod ex pallore, *a totum corpus*, quod ex laſſitudine; viſcera in hypochon-

driis existentia, *lien*, *sc. & hepar*, quod ex hypochondriorum tumore; *cor & pulmo ac diaphragma*, quod ex respirandi difficultate; ac denique *caput & ventriculus*, quod ex eorum dolore patet.

a Totum corpus.) *Ita certè, ab universali labe fluidarum partium, stabiles plurimæ hîc afficiuntur, quatenus earum canales majores & minores sunt obstructi.*

Morbus, quo hæc ægra laborat, est pituitosa & serosa viscerum, sanguificatione & chymosi ac chylosi inservientium, intemperies, cum obstructionibus conjuncta; quæ pallorem faciei & labiorum, item respirationis difficultatem, ac cordis palpitationem, nec non hypochondriorum inflationem, & totius corporis lassitudinem in hac *a* virgine inducens, *Morbus virgineus*, & *Chlorosis*, vulgò appellari solet.

a Virgine.) *Accidit quoque non raro hic affectus viduis junioribus.*

Causa procatarctica hujus morbi est consuetudo illa, quâ hæc puella frumentum crudum, cretam, & arenam subinde comedere solebat. *a* Inde enim crassi & fæculenti in corpore ejus geniti sunt humores, qui ad uterum delati porosque ejus obstruentes, sanguinemque ad menstruam evacuationem ineptum facientes, mensium induxerunt sufflaminationem, jam per trimestre spacium durantem. Pravi deinde humores, per menstruorum obstructionem in corpore retenti, atque ad viscera chylosi & chymosi atque hæmatosi inservientia delati, debilitarunt istarum partium calorem nativum; unde serosior & pituitosior in ejus corpore productus est sanguis, qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus ad varias partes delata, variaque symptomata inducens, *continens* hujus morbi & symptomatum est *causa*.

a Inde enim crassi & fœculenti, &c.) *Non est quod multis hic demonstretur, quomodo talem per diætæ errorem, qualem Auctor in historia puellam hanc commisisse monstravit, chylus resultet plus nimis viscosus, terrestris & austerus, ut indè similes gignantur sanguis humoresque, facillimè enim unusquisque, qui vel de limine Medicinam salutavit, ea explicare poterit; totius rei cardo vertitur in eo, quòd à sanguine humoribusque crassioribus, pori, tubuli & canaliculi multarum partium sint obstructi.*

Nam serosi isti & pituitosi humores ad viscera, quæ jam commemoravimus, delati, *iis intemperiem jam dictam conciliarunt*. In faciem verò & labia per circulationem sanguinis pervenientes, *pallidum illis colorem* suo pallore excitant. In habitu corporis autem existentes, suoque pondere musculos gravantes, & crassitie sua in cerebro justam spirituum animalium *a* generationem impedientes, inducunt *totius corporis lassitudinem*. In hypochondriis verò *b* nonnunquam rarefacti & in crassos vapores, qui satis commodè, ob cruditatem & crassitiem suam, dissipari non possunt, dissoluti, excitant ibidem *inflationem & distensionem hypochondriorum*.

a Generationem.) *Adde, & per omnes corporis canales distributionem liberam.*

b Nonnunquam.) *A qua sodes causâ? Nos respondemus à sex rebus nonnaturalibus, ita dictis & fortuitis.*

Dum

Dum verò subinde acriores quidam humores ad cor feruntur, qui cor vehementius & inordinatius vellicant, hinc oritur ex illa vellicatione, per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum delatâ, & poros ejus copiosius & inordinatius aperiente, inordinatus & vehemens spirituum ex cerebro in cor influxus, *palpitationem* sive inordinatum & vehementem *cordis* motum subinde efficiens. Effusi verò copiosius in pulmonum substantiam, bronchiaque ibidem arctantes, præsertim ubi illi ex scalarum ascensu vehementius in pectore & visceribus vicinis agitantur & dilatantur, inducunt *respirandi difficultatem, per scalarum ascensum ingravescentem.*

a Copiosius.) *Scilicet obstructis poris canaliculisque nonnullis, obstruuntur & plures, dùm crassiores à tergo succedentes humores progredi liberè nequeunt.*

Denique, quia sæpe contingit, ut acres illi humores ad caput & ventriculum *a* copiosius ferantur, aliasque partes, tum quantitate distendant, tum qualitate acri rodant, hinc conqueritur nostra ægra etiam de *capitis & ventriculi dolore*, ipsam sæpè molestante.

a Aliaque mala.) *V. G. Sterilitatem, Epilepsiam, suffocationem hystericam, cardialgiam, alvum adstrictam, &c.*

Diligente itaque *Curatione* erit impugnandus: *a quæ* in causarum jam enarratarum, & intemperiei & obstructionum ablatione, consistet.

a Quæ in causarum.) *Curatio Chloroseos eadem est quæ cachexiæ leucophlegmaticæ & obstructionis mensium.*

Primò itaque purgetur tali haustu:
℞. *Elect. diaphœnici, diapruni an.* ℥ß.
Aq. hord. q. s. Misce F. Haustus.

b Postridie secetur vena, & sanguis è brachio educatur, pro ratione virium.

a Purgetur.) *Vid.* Hippoc. Sect. 5. Aphor. 36. *prius autem materia illa peccans est dividenda & attenuanda, non enim alias auscultat actioni purgantis: si etiam nihil impediat vomitus excitationem, ille præstabit purgatione.*

b Postridie secetur vena.) *Suspecta valde hic est venæsectio, nisi accesserint alia indicantia.*

Postea *a* utatur hoc apozemate, sumendo haustum trium, vel quatuor unciarum quotidie:

℞. *Rad. Aperient.*
Rubiæ tinctor., eryngii, ireos,
Enulæ, salsæparillæ, capparum,
Cort. citri siccor. an. ℥ß.
Herb. nepitæ, chamædrios, artemisiæ, melissæ,
Pulegii, matricariæ, valerianæ, an. m.j.
Summit. absynth. rom., fœniculi, sabinæ, an. p. j.
Sem. carthami excort. ℥j. *apii* ℥ij.
Flor. stæchad., anthos, sambuci, genistæ an. p. j.
Cicer. rub. p. ij. fol. senæ ℥ij.

Decoq.

Decoq. in hydromelitis q. s. ad lib. j ß.
Et Colentur pro Apozemate, *aliquoties reiterando.*

a Utatur hoc apozemate.) *Potentissimè hìc operatur decoctum guajaci fortius; in cujus colatura calente infusæ sunt rad. aristol. rot. bryon. herb. menth. crisp. puleg. & sabinâ, addi etiam possunt rad. liquirit. ad grat. Optimè etiam talia infunduntur in vino generoso, additâ myrrha, aloë, mac., castor. & croco.*

Convenientissimus etiam erit *a* usus harum pilularum:
℞. *Pil. de hiera ℥vj. agarici trochisc. ʒij.*
Gummi ammoniaci aceto dissol. ʒß.
Salis gemmæ, b *mastich., spicæ nardi an. ℈j. croci gr. xv.*
Cum syr. de absynthio, F. Pilulæ justæ magnitudinis, scrupulus unus sumatur horâ ante cœnam.

a Usus harum pilularum.) *Vel*
℞. Aloës lucid. gr. xvj. *vel* xviij.
Crem. tart. ℈j.
Vitriol. mart. ℈ß.
Ol. sabin. gutt. iij.
M. F. P.

Item hic apprimè conducit tinctura colocynthidis facta cum vino malvatico, quam nonnulli vocant spir. vitæ Aureum Rulandi, *nobilitari autem potest specificis uterinis & aromaticis.*

b Mastichis, spicæ nardi.) *Hæc sunt quasi correctoria purgantium ex mente veterum. Utiles etiam sunt pilulæ sequentes:*
℞. Gummi ammon. in aceto diss. gr. xv.
Mercurii dulcis ℈ß.
Extract. helleb., nigri,
Trochisc. alhand. an. gr. iij.
Ol. Sabin. gutt. iv.
M. f. Pilulæ pro dosi.

Corpore aliquoties expurgato, *a* utatur quotidiè de his rotulis mane jejuno ventriculo, superbibendo haustum vini albi:
℞. *Chalyb. præp. ℥j. cinnamomi, sem. anisi an. ʒij.*
Spec. b *diamoschi ʒj. sacchari in aq. artemis. dissoluti q. s.*
F. Rotulæ, de quibus capiat drach. j. vel ij. pro dosi, corpus deinde motu mediocri exercendo.

a Utatur quotidie de his rotulis.) *Instante tempore ordinario fluxus mensium (postquam sanguis præcedenti modo præparatus est) exhibenda sunt, quæ potentius menses movent, inter quæ præcipua est sabina, ut & ejus spiritus, & ol. ad guttas xiv. vel xv. assumpta: Sunt etiam qui valdè extollunt tincturam sanguinis menstrui, ex sana aliquâ fœmina collecti, sed violentissimè eam operari ferunt. Vid.* Corn. Stalp. van der Wiel obs. rar. cent. post. part. obs. xix. in notis. *Huc autem quadrat id, quòd rectè notat* Wedel. lib. 2. de med. facult. sect. 2. c. 8. *Plerorumque felix operatio non tàm ab eorum apparatu, quàm tempestivo rectoque usu expectanda venit, undè nec sola aperientia, neque sola pellentia ex usu promiscuè esse.*

Riverius *hic utitur clysteribus, ex uterinis præparatis, qui sine dubio valde prosunt, quatenus eorum vapores ex intestinis ad uterum non difficulter feruntur.*

Clysteri etiam addi potest bals. sulph. tereb.

b Diamoschi.) *Sunt quæ hoc medicamento offenduntur, quatenus est odoriferum suaveolens: alias conducere poterit: Suffitus conducit ex herb. uterinis, & aromaticis radicibus in aqua, & aceto coctis: item semicupium similis naturæ.*

Non

Non negligantur deinde corroborantia, quale est hoc *a* conditum.

℞. *Spec. aromat. rof., diagalangæ, an.* ℥j.
Diacumini, diacinnamomi, an. ℥ß.
Conserv. rof. ℥j. *conserv. melissæ,*
Rorifmarini, abfynthii an. ℥ß.
Confect. alkermes ℥ij.
Cum fyr. de mentha q. f. M. F. Conditum, de quo fumatur castaneæ magnitudo, ante fingulos paftus.

a Conditum.) *Pro delicatulis talia ingredientia poffunt equidem tolerari, fed tamen illa magna quantitas facchari, quæ eft in confervis, facit ut nos abftineamus à fimilibus.*

Contra ventriculi & hypochondriorum inflationem, ac dolorem, & cordis palpitationem, utatur his rotulis ad drach. duarum quantitatem.

℞. *Rad. angelicæ, oftrutii, rhabarb.,*
Cinnamomi, nucis mofchat.
Macis, zedoar., calam. aromat. an. ℥j.
Ireos Flor., zinzib. an. ℥ß.
a *Nucis vomicæ, dictamni albi,*
Pimpinellæ, cubebar. piperis long.
Lapid. bezoar.
Margarit. præp., cornu cervi ufti & præp.,
Coralli rubr. præp. an. ℥ß. *croci gr.* xx.
Pulverifentur omnia feparatim, & mifceantur cum
Sacchari albi in aq. rof. foluti ℥vj.
F. Confectio in rotulis.

a Nucis vomicæ.) *Hanc omittendam effe planè cenfemus, utpote quæ venenatam f. acrem nimis poffidet qualitatem.*

In *Victus ratione*, *Aër* ad calidum vergat. *a Cibi* fint ficci, & facilis coctionis: conditi hyffopo, falvia, roremarino, cinnamomo. Panis fit bene fermentatus, femine fœniculi & carui perfufus. *b Potus* fit vinum & cerevifia mediocrium virium. *Motus* fit moderatus. *c Venus* legitima maximè hic conducit. *Somnus* etiam fit moderatus.

a Cibi ficci.) *Non tamen valdè exficcantes, uti nec humectantes.*

b Potus fit vinum.) *Confulendum hìc eft aliquomodò confuetudini, nonnullis enim hoc in cafu planè vinum noceret: ufurpetur matutino tempore elixyr. prop. Par. in fpir. vin. vel vino generofo ad gutt.* LX. *& ultra; vel hujus loco elixyr. falut. Angl. cochlear.* j. *vel* ij.

c Venus.) *Ita menftrua in adulta fœmina coitu provocata, vid. apud* Joh. Nic. Pechl. obf. 35.

II. ME-

II.

MEDICATIO JUVENIS,

a ICTERO FLAVO LABORANTIS.

JUvenis viginti septum annorum, temperamento *b* biliosus, qui diu vini generosi immoderatiore potu se fatigavit, in dextro hypochondrio gravitatem jam à duabus septimanis sentit. *c* Alvus ipsi est adstrictior, excrementa excernit subalbida. Totus vultus, & *d* præsertim oculi, aureo colore sunt perfusi. *e* Urinæ crassæ ex flavo & rubro ferè nigricant.

a Ictero.) *Ita forsan dictus est ab avicula illa, quam Latini Galbulam vocant, luteo & viridi colore instructam, qualem quoque circumferunt icterici: enumerantur autem icteri tres species, alba, flava & nigra: prima referenda est ad cachexiam leucophlegmaticam, secunda propriè vocatur icterus, item Aurigo & morbus regius, à colore, quem cum auro, rege (ut chimici loquuntur) metallorum, habet similem; tertia referri potest ad melancholiam hypochondriacam, & scorbutum.*

b Biliosus.) *Hoc addit Auctor ex Veterum illa hypothesi, de bilis hoc in affectu abundantia, sed contrarium patebit ex seqq.*

c Alvus ipsi est adstrictior.) *Utplurimùm hoc evenit, non semper.*

d Præsertim oculi.) *Primo hic observatur flavedo, quia summa est oculorum albedo; contraria verò juxta se posita magis elucescunt.* Kerkring. obs. anat. 57. *allegat matrem utero laborantem, quæ fœtum mortuum octavo gestationis mense peperit ita flavum, ut è cera confectus videretur.*

e Urinæ fere nigricant.) *Tales etiam habentur quidem in nonnullis aliis morbis, v. g. nephritide calculosa, &c. sed differentia notabilis in eo est, quod etiam visciditas ictericorum urinis adsit notabilis, adeoq; si linteum iis tingatur, & exsiccetur, maneat illud intensè flavum, secus ac ab aliis urinis.*

a *Afficitur* in hoc ægro *hepar*; ut patet ex dolore gravativo, *b* in dextro hypochondrio percepto. Afficitur etiam *folliculus fellis*, aut saltem *ductus choledochus*; ut manifestum est ex *c* flavo colore, quo vultus ejus & oculi sunt perfusi: nec non ex urina crassa, rubra, & nigricante: atque etiam ex alvi fœcibus subalbidis. Afficitur denique *totum corpus*; uti indicat flavus color, quo tota cutis est tincta.

a Afficitur in hoc ægro hepar.) *In hoc quidem ægro culpari potest obstructio hepatis, sed non in omnibus ictericis: ita apud laudatum* Joh. Nic. Pechlin. obs. LVIII. lib. 1. *historia est icteri sine obstructione folliculi fellis, & obstructionis ejusdem sine ictero: ita ex morsu viperæ hunc affectum natum vid. apud* Galen. lib. v. de loc. aff. c. 7. *Confer* Hippocr. Sect. 4. Aphor. 64. *Icterum cum hydrope, vid. apud* Tulp. lib. 2. cap. 36. *Icterum menstruum, vid. apud* Barthol. cent. 5. hist. anat. 62. *item* Fred. Dekkers Exerc. Pract. pag. 688. edit. in quarto. *Fatemur tamen utplurimùm hepar in flavo ictero obstructū esse.*

b In

b In dextro hypochondrio percepto.) *Sic in Ictero etiam adesse potest obstructio lienis, & tunc adest gravitas in sinistro Hypochondrio.*

c Flavo colore.) *Aliquando hic est obscurè virescens, vid.* misc. cur. ann. 4. & 5. obs. 96. *Confer* Joh. Rhod. cent. 3. obs. 21.

Morbus, quo æger noster affligitur, *a* est intemperies calidior hepatis; nec non pororum choledochorum, tum in folliculum fellis, tum in intestina desinentium, obstructio; quæ, *b* copiosam bilem *c* gignentes, eamque per totum corpus diffundentes, illudque flavo colore tingentes, *d* *Icterus flavus* appellatur.

a Est intemperies calidior hepatis.) *Nihil certè minus: Potius est intemperies sanguinis viscosa, & forte etiam austera, qua non solùm hepatis glandulæ, meatusque earum biliferi obstruuntur, verùm etiam glandulæ subcutaneæ.*

b Copiosam bilem.) *Rectè* Pechlin. loc. cit. *ita loquitur: quod autem de regurgitatione bilis ajunt, non benè concipi posse videtur, cùm bilis nomine non antè veniat liquor ille pinguis oleosus, quàm transmissa glandularum hepatis texturâ, in ductus secesserit choledochos.*

c Gignentes.) *Dic potius non transmittentes.*

d Icterus flavus.) *Item à coloribus iridis* arquatus *dicitur.*

Causa procatarctica hujus morbi *a* est crapula illa diuturna, quâ noster æger intemperiem calidam hepatis & magnam copiam crassæ & viscidæ bilis in toto corpore, & præsertim in hepate genuit; quæ ibi existens, & per vasa dispersa, causa hujus morbi fuit *antecedens*. Pars verò ejus folliculi bilarii & choledochorum ductuum vasis & poris inserta & agglutinata, & per hepar ac totius corporis cutim diffusa, est causa obstructionum & tumoris hepatis, *b* obstructionisque folliculi fellis & ductuum choledochorum, *continens*; unde reliqua symptomata deinde originem ducunt.

a Crapula illa diuturna.) *Omnia huc pertinent incrassantia, pinguia & saccharata.*

b Obstructionesque folliculi fellis.) *Dic etiam tubulos multos per universum corporis habitum esse obstructos, sed interim cogitandum est, quod sint varii gradus hujus morbi. Aliquandò peccant calculi in hepate, ejusque folliculo, item vermes: vid.* Joh. Rhod. cent. iij. obs. ij. Pechlinum & Dekkers loc. citat.

Nam propter obstructiones ductuum bilariorum, in intestinum jejunum desinentium, bilis in intestina exonerari, & cum fœcibus ibidem misceri non potest. Atque hinc *alvus est adstrictior*; quia sc. fœces, naturali suo stimulo destitutæ, intestina ad justam excretionem faciendam non excitant. *Si quid* autem *fœcum excernatur, id*, propter bilis, fœces naturaliter flavo colore tingentis, defectum, *est albidum*.

Porrò, cum bilis, quæ in hepate *a* nimis calido magnâ copiâ perpetuò gignitur, per naturales vias, propter obstructiones ductuum choledochorum, in intestina expelli non possit; hinc magna ejus copia in hepatis parenchymate colligitur, *b* quæ ibi existens, *tumorem & gravitatis sensum, in dextro hypochondrio, parit*; cum reliquo vero sanguine per totum corpus delata, *universi corporis cutim*, sed præcipuè *vultum*, & oculos, ubi venæ magis conspicuæ ad cuticulam usque perveniunt, *flavô colore tingit*. Et denique magna istius crassæ bilis pars *c* ad cor (quod sanguinem ex arteriis in venas, & inde per suos ventriculos in arterias, perpetuo circulo movet) delata, & inde per arterias emulgentes

tes in renes propulsa, ibique cum sero à reliquo sanguine separata, *facit urinas crassas, & ex flavo & rubro penè nigricantes.*

a Nimis calido.) *Hoc falsum esse jam significavimus, est enim morbus frigidus, per calefacientia curandus.*

b Quæ ibi existens, &c.) *Non adeo tumor ille, & gravitas adest ex copia bilis, quam materiæ crassæ, viscosæ & austeræ, quâ obstructum est viscus hepatis.*

c Ad cor.) *Per quas vias quæso? nullæ hic adsunt; Sylvii enim opinio jam dudùm solidè est refutata.*

Morbus hic, propter gravitatem, & dolorem in dextro hypochondrio perceptum, & hepar graviter affectum esse indicantem, *a* satis est periculosus. Verùm, cum hic nulla adsit febris, morbusque altas radices non egerit, haud valdè difficulter curari posse videtur; modò bona *Curatio* tempestivè adhibeatur.

a Satis est periculosus.) *Vid.* Hipp. vj. Aphor. 42 sect. 4. Aph. 64. & 62. *item* Cels. lib. 3. cap. 42. *ubi icterus gravioribus morbis complicatur, laboriosi res est negocii, vid.* misc. cur. ann. 3. obs. 174. *Degenerare potest in asciten, passionem colicam & iliacam: incurabilis est, qui ortum trahit à mala hepatis conformatione, scyrrho, vermibus, & calculis: criticè nonnunquam solvitur per hæmorrhagiam, diuresin, vomitum, sedes & sudores. Ratio, cur* Hippocr. Sect. v. Aph. 72. *dicat ictericos non admodum flatulentos esse, petenda est, ex materiæ peccantis magna crassitie, quæ sui resolutionem in vapores ope caloris corporis, non facile patitur.*

Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione; & intemperiei ac obstructionis hepatis & ductuum bilariorum, per contraria, correctione.

Primò itaque *a* sumat tale purgans:

℞. *Rhabarbari electi* ℈v.
Fol. senæ ℥ij.
Cinnamomi ℈ſ.
Sem. anisi, fœnicul. an. ℈j.
Post levem ebullitionem infundantur per Noctem in aq. comm. q. s.
Mane adde
Colaturæ cremor. tartari ℥ſ. *scammonii gr.* vj.
Misce, F. Haustus mane exhibendus.

a Sumat tale purgans.) *Ubi tempestivum fuerit purgare.*

℞. Elect. hier. pic. Galen ℥iij.
Ol. mac. still. gutt. iv.
Trochisc. alhand. gr. iij.
Syr. de cichor. cum rheo ℥vj.
Aq. cichor. q. s.
M. F. Potio.

Postridie *a* educatur sanguis ad uncias octo, ex brachio dextro.

a Educatur sanguis.) *Hæc forsan Author didicit ex* Aëtio & Avicenna, *sed rectius* Galen. lib. de purgantium virt. *dicit, quod si morbo regio laborantibus sanguinem miseris, extremam in perniciem ages. Si tamen icterus comitetur hepatis inflammationem, Venæ-sectioni modicæ locus esse potest in principio.*

Sequentibus diebus semel, vel bis, pro operationis ratione, haustum *a* ex hoc decocto quotidie sumat.

℞. *Rad. cichorii*, *Rubiæ tinctorum*, *Fœniculi*, *Petroselini*, *Chelidonii major. an.* ℥ß. *Asparagi*, *Rusci an.* ℥j. *Herb. cichorei*, *Dentis leonis*, *Agrimoniæ*, *Chelidonii majoris*, *Marrubii an. m.j.* *Absynthii rom.*, *Chamædryos an. M.ß.* *Sem. anisi*, *Fœniculi*, *Dauci*, *Carui an.* ℥j. *Sem. 4. frigid. major. an.* ℈ij.

b *Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. ß. addendo sub finem decoctionis Fol. senæ* ℥jß. c *Rhabarb. drach. ij. In Colatura dissolve Syr. de cichor. cum rhabarb.* ℥jß. *Misce*, F. Apozema.

a Ex hoc decocto.) *Optimè tali decocto adduntur guajacum, rad. lapath. acut. herb. eupat. cannab. &c.*

b Decoquantur in aqua.) *Sit hæc aqua chalybeata: Post decocti usum usurpetur seqq.*

℞. Elix. prop. Par. unc. sem.
Tinct. absynth. drach. iij.
Sal. vol. ol. drach. ij.
M. dos. ad gutt. XL. vel LX.

In vehiculo convenienti. Huc pertinent tincturæ mart. aper. antim. sal. tart. metall. elix. salut. &c. Sunt qui ut infallibile remedium venditant folia agrifolii Num. iij. vel iv. exsiccata & pulverisata, singulis diebus assumenda cum vehiculo convenienti, alternatim usurpando elect. hie. pic. Galen.

c Fol. senæ.) *Loco fol. senæ, præstarent rad. bryon. ad drach. iij.*

a Pro dolore gravativo dextri hypochondrii *b* hoc fotu utatur:

℞. *Flor. camomill.*,
Summit. absynthii,
Folior. malvæ an. m. j.
Sem. anisi,
Farin. sem. fœnugræci, lini an. ℥iij.

Decoquantur in aq. comm. q. s. pro Fotu, calidè adhibendo cum spongiis, vel pannis laneis expressis.

a Pro dolore gravativo.) *Non semper autem hæc gravitas ictero adest.*

b Hoc fotu utatur.) *Adde*
Rad. Bryoniæ &
Chelidonii major. an. drach. j. sem.
Herb. chelid. M. ij.
Ciner. clavellatorum
Nitri.
Sal. Ammoniaci an. drach. ij.

F. Decoctio in aq. fabr. ferrariorum & acet. gener.

Sed hoc molestum est remedii genus. Post fotum inungatur hypochondrium dextrum seq. linim.

℞. Ung. de artan. unc. j.
Martiat. unc. sem.
Ol. succin gutt. xxx.
Philos. q. s. M. F. Linim.

Si morbus perseveret, hoc exhibeatur remedium:

℞. a *Chalybis præparati* ℥j.
Specier. diarhodon. abbatis ℥ß.
b *Rhabarb. pulverisati* ℨiij.

Cum syr. acetosi ℥ß. *& de limonibus q. s.* F. Electuarium, de quo sumat mane drachmæ quantitatem quotidie, per duodecim vel quindecim dies.

a Chalybis præparati.) *Præstant chalybeata fluida, nam pulvis nimis fixus rugis ventriculi inhærendo, anxietatem præcordiorum parit majorem.*

b Rhabarb.)
℞. Gumm. gutt. gr. viij.
Sal. tart. gr. v.
M. F. Pulv.

Vel præscribi etiam potest hoc decoctum:

℞. *Chelidonii majoris cum toto m. j.*
Fol. & flor. hyperici an. m. s.
Rasuræ eboris,
Pulv. stercoris anserini an. ℨiij.
Croci ℨß.

Pulvis stercoris anserini, & crocus includantur Nodulo, & omnia coquantur in æq. part. vini albi & aq. absynthii ad lib. j. & F. Apozema in tres doses matutinas dividendum: quod postea aliquoties iterari poterit.

a Stercus album & exsiccatum gallinarum, cum vino in pulvere ad drach. sem. vel drach. j. per aliquot dies exhibitum, magnæ est efficaciæ.

a Stercus album.) *Nullum est dubium, quin animalium fimi & in substantia & infuso multum hic possint, ratione salis volatilis oleosi, & penetrantis. Semen cannabinum audit quoque specificum antictericum, nec non curcuma. Confer* Fr. de le Boë Sylv. prax. lib. j. c. 46. *Tinctura nitri corallata, valdè laudatur* in misc. cur. ann. 4. obs. 48.

Sublatis obstructionibus, quod ex fœcibus coloratis apparebit, conveniet balneum aquæ dulcis, *a* ad flavum corporis colorem facilius & citius tollendum.

a Ad flavum colorem tollendum.) *Hunc in finem valdè laudantur vapores aceti calend. vel scyllit. è candente lamina ferrea in faciem suscepti.*

In *Victus ratione*, *Aër* sit temperatus; *Cibus* humectans, refrigerans, modicè attenuans, eupeptus, ex aviculis montanis, pullis gallinaceis, carne vervecina, piscibus saxatilibus, prunis, pomis, cerasis, *a* limonibus, aurantiis, *Vitentur dulcia. Potus* sit cerevisia tenuis, *b* vinum dilutum, *Exercitium* sit mediocre. *Somnus* moderatus. *Excrementa alvi* respondeant indies naturâ vel arte. *Tristes & iracundi affectus* fugiantur; *hilares* admittantur.

a Limonibus, aurantiis.) *Horum scilicet acidum est volatile. In cœna sumantur rad. cichor. cum passulis minoribus.*

b Vinum dilutum.) *Vinum generosum modice sumptum non est vitandum, fumus tabaci dicitur hic nocere teste* Petro Borello cent. 4. obs. 21.

III. ME-

III.

MEDICATIO JUVENIS, HÆMORRHOIDUM DOLORE LABORANTIS.

JUvenis *a* triginta quatuor annorum, temperamento melancholicus, poculis largioribus sæpe indulgens; jam à longo tempore, *b* magno dolore, calore, & tumore, per intervalla recurrente, *c* circa anum laborat. *d* Interdum sanguinem ex podice emittit, qui dolorem illum magnopere levat. Potissimum autem, *e* ubi alvum dejicit, durioremque illam habet, dolor ipsum torquet.

a Triginta quatuor annorum.) *Non est hæc juvenilis (ut ait Auctor) sed virilis ætas. Mulieribus solent hæmorrhoïdes familiares magis esse quàm viris. Confer* Hippocr. Sect. 3. Aph. 30.

b Magno dolore.) *Qui aliquando ita acerbus est, ut hominem redigat ad insaniam.*

c Circa anum.) *Hinc differt à dysenteria, & fluxu hepatico, nam omnis egestio sanguinis per sedes, non notat hæmorrhoïdes.*

Hofferus *exemplum habet hæmorrhoïdum uterinarum.*

d Interdum ex podice emittit sanguinem.) *Ad differentiam hæmorrhoïdum cæcarum, nam hæmorrhoïdes cææ dicuntur, cum venæ hæmorrhoïdales solummodo intumescunt, sed sanguinem non fundunt.*

Aliquando hæmorrhoïdes in viris periodicæ sunt & auscultant phasibus Lunæ, non aliter ac menses fœminarum.

e Ubi alvum dejicit.) *Hinc tenesmus, imò & stranguria.*

Afficitur in hoc ægro *podex*, sive inferior intestini recti pars; & præcipue *a secundum vasa hæmorrhoïdalia* ibi existentia: quod ex dolore *b* & tumore ibi conspicuo, est manifestum.

a Secundum vasa hæmorrhoïdalia) *Venæ hæmorrhoïdales crassum atque austerum sanguinem non facile transmittunt: quia* 1. *sunt in extremitate corporis locatæ, ita ut in iis vigor propulsionis langueat,* 2. *quia multas per circumvolutiones excurrunt, in uno quidem magis, quàm altero subjecto: in sexu etiam muliebri tempore gestationis in utero hæc vasa comprimuntur notabiliter.*

b Et tumore conspicuo.) *Ergo hæmorrhoïdes hæ fuerunt externæ, non internæ.*

Morbus, quo hic æger laborat, est tumor ani, cum intemperie acri & calida conjunctus; qui ingentem dolorem in eo per intervalla, & præcipuè dum alvus durior deponitur, excitans, *Hæmorrhoïdum dolor*, sive *a Hæmorrhoïdum suppressio* appellari solet.

a Hæmorrhoïdum suppressio.) *Atqui in historia occurrit sanguinis* emissio; *verùm Author indicare vult fluxum hunc secundum consuetudinem (ut opor-*

oportet) non fluere: Schmitz. in comp. pract. p.m. 204. *dividit hæmorrhoïdes non solùm in cæcas & apertas; verùm cæcas præterea dividit in vesicales, (quas ait oriri à pituita) verrucales (à sanguine melancholico) & uvales s. morales, mariscas dictas: criticæ præterea dicuntur & symptomaticæ, de iis vid.* Hipp. Sect. vj. Aph. 21. *dantur quoque hæmorrhoïdes periodicæ & erraticæ: vid.* Amat. Lusit. an. 5. cur. 3. misc. cur. dec. 1. ann. 1. ann. 2. obs. 192. dec. ij. ann. 3. obs. 108. ann. 3. obs. 138. ann. 4. obs. 44. Barthol. act. Hafn. ann. 1671. obs. 84. *Hæmorrhoïdum fluxum album, vid.* in misc. cur. ann. 1. obs. 75. *Confer* Rhod. cent. 2. obs. 9.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est potius intemperantia, qua, adjuvante b melancholico ægri nostri temperamento, crassi, fœculenti & c acres humores in corpore ejus sunt geniti; qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum per poros arteriarum & venarum hæmorrhoidalium, ob certam suarum insensibilium particularum adaptationem, in partes podici vicinas propulsa, ibique hærens, suâ quantitate & acrimoniâ tumoris ac doloris, & caliditate caloris ani est *causa continens*.

a Causa procatarctica.) *Quid hæreditaria huc possit conferre dispositio, vid. apud* Schenk. lib. 3. obs. 357. *Aër porrò calidus nimis & acer, aromatum & salitorum copiosus usus, cerevisia antiqua, caseus antiquus, vita deses & sedentaria, purgantia acriora crebrius usurpata, tristes animi passiones, suppressio mensium in sequiori sexu, &c. hæmorrhoïdes producere valent.*

b Melancholico.) *Haud rarò tamen hoc malum evenit, iis qui nullis vexantur sollicitudinibus: Confer* Forest. lib. 23. obs. 4. misc. cur. ann. iij. obs. 226. *Monet etiam* Etmullerus ex Horst. lib. 7. obs. 35. *benè distinguendum esse, inter fluxum hæmorrhoïdalem verum, & fallacem scorbuticam sanguinis evacuationem, quæ aliàs vocatur dysenteria scorbutica mendosa: sed tamen hæc distinctio non adeò magni est momenti. Signa distinctiva hæmorrhoïdum, imprimis tumentium, à cristis aut condylomatibus, rhagadibus, ficubus, thymis & verrucis ani, vid. apud* Riv. prax lib. x. cap. xi.

c Acres humores.) *Nempe austeros crassos.*

Affligit autem *hic affectus* a *per intervalla*: quod materia nova, non perpetuò, sed b certis intervallis in corpore satis copiosè gignatur, & aptitudinem talem acquirat, ut in partes ano vicinas propelli satis copiosè possit; ea autem materia, quæ in podicem jam ante fuit propulsa, c paulatim dissipetur: atque ita *inducias hic affectus facit. Dolor autem podicis ab excrementis alvi duris intenditur*, quod dura illa excrementa dum excernuntur, tumentem podicem quam maximè distendant & premant. *Ab excretione sanguinis ex podice levatur dolor*, quod ea imminuat d doloris & tumoris causam continentem.

a Per intervalla.) *Hujus rei ratio petenda est, partim à diætæ varietate, partim ab influxu diverso ætheris Lunaris, aliisque sex rebus nonnaturalibus.*

b Certis.) *Id autem nondùm patuit ex historia.*

c Paulatim dissipetur.) *Non adeò quidem per insensibilem transpirationem, quàm sanguinis effluxum interpolatum; item à causis fortuitis sanguis fluidior est uno tempore, quàm alio.*

d Doloris.) *Aliquandò distensivi, aliquandò* pungentis, *aliquandò &* pulsantis.

a Me-

a *Metus* est, ne hic dolor ingentem faciat tumorem, *b* qui in ani fistulam degenerare, & sanguinis totius corporis corruptelam, *c* ac hydropem inducere possit.

a Metus est.) *Boni ominis hæmorrhoïdes criticas vid. apud* Hipp. Sect. v. Aph 25. Sect. 6. Aph. xi. & xxi. *mali autem ominis, in* misc.cur. dec.2. ann. 1. obs.42. ann. 3 obs. 331. dec.2. ann. 2. obs. 117. Hipp. coac. prænot. 21. cap. 3. lib. 2. Etmullerus ex obs. Lindani, *notat hæmorrhoïdes cæcas in tantum tumorem auctas, ut pugni instar extra anum prominerent. In mulieribus gravidis sæpè pariunt abortum, si vehementius urgeant.*

b Qui ani fistulam degenerare possit.) *Quæ ubi fuerit inveterata funestum utplurimum dat exitum.*

c Hydropem.) *Sicuti nimirum omnes hæmorrhagiæ possunt eam producere: vel possunt esse duo effectus ab una eademque causâ.*

Curatio itaque est tempestivè aggredienda; *quæ* in pravorum humorum eductione & correctione, atque in tumoris & doloris ablatione consistet.

a Primò itaque, præmisso *b* clystere emolliente, educatur sanguis *c* ex brachio dextro ad unc. viij.

a Primò itaque, &c.) *Si venæ hæmorrhoïdales turgeant satis, aperiantur vel lancettâ, vel sanguisorbis, vel succo cyclaminis, vid.* Henr. ab Heers obs. vj. *cautelâ autem circa hæc opus est, si simul adsit inflammatio.*

b Clystere.) *Hinc dolores sæpe exacerbantur.*

c Ex brachio dextro.) *Ex pede aut crure potiùs, quam ex brachio.*

Deinde utatur hoc Apozemate:

℞. *Fol. lactucæ, buglossæ,* a *malvæ an. M.j.*
b *Liquiritiæ rasæ, passular. mundat. an.* ℥ß.
Flor. borrag. bugloss. violar. an. p.ij.
Coquantur in aq. comm. ad lib. j. In colaturâ dissolve cassiæ recent. extractæ, syr. violacei an. ℥j. *Misce,* F. Apozema, de quo sumat unc. iij. bis in die.

a Malvæ.) *Vid.* Riv. prax. lib. x. cap. xi. *Add. herb. chamæd. tantumdem, verbasc. beccabung. an. M.* ß. *flor. hyper. p.* iij., *summit. card. sylv. M.* j.

b Liquirit.) *Novimus, qui hâc nullum præstantius magìsque præsentaneum hoc in casu agnoscunt remedium, tàm in pulvere, quàm infuso aut decocto. Succus urticæ commendatur à* Riv. cent. 3. obs. 81. ad ℥ij.

Dum his utitur, adhibeatur podici hoc linimentum:

℞. *Cineris combusti, suberis* ℥j.
Vitellum ovi. Num. j. *olei rosacei q. s.* a F. Linimentum.

a Linimentum.) *Vid.* Hartm. prax.
Vel ℞. Ung. popul. pomat. an. ℥vj.
Succ. linar. rec. express. ℥ß.
Ceruss. ℥j. camph. gr. iv.
M. F. Ung.

Conducit quoque incessus super vapores lactis dulcis, vel decocti alterius emollientis. Quidam cum multo levamine utuntur linimento ex ol. rap. rec. cer. flav. sev. caprill. an. p. æq. quibus liquefactis add. vitell. ov. croc. & ung. popul. Petr. Borell. cent. 1. obs. 63. *valdè commendat seq.*

℞. Millep. ℥iv.

Rad.

Rad. porri s. thapsi barb. ℥ß.
Ol. oliv. ℥vj.

Minutim incidantur: bulliant cum oleo per horam, cola, & utere. Alii maximoperè commendant (nec sine ratione) bals. sulphur. cum oleo hyper. præp., præsertim si jam ulcus & fistula adfuerit.

Summopere etiam hic commendatur hoc linimentum:

℞. a *Herb. linariæ cum floribus* M. ij.

Decoquantur ad mollitiem, iisque, contusis & cum adipe porcino q. s. coctis, addatur vitellus ovi; Ac fiat Linimentum, quod cum gossypio podici adhibeatur.

a Herb. linariæ.) *Unguento de linaria adde ol. papaveris, ut dolores magis sedentur. Inter specifica est (teste* Etmullero) *momordica, planta insigniter vulneraria, & imprimis ulceribus mammarum dicata, cujus poma spinosa in oleo lini infundantur.* Riverius *suffumigium habet* Sempervivi Maj. m. ij. vini s. q. ebulliant simul.

Hujus decocti fumum recipiat æger sedens in cathedrâ perforatâ, & dein sequens unguentum applicat:

℞. Ung. rosar. unc. j.
Mercurii crud. ʒij.
M. F. Ung.

Aut ℞. Unguenti populei ℥ß.
Camphoræ gr. xij.
Croci, &
Sacchar. Saturni gr. vj.
Cum olei ovorum q. s.
M. F. Linimentum.

Crollius *commendat essentiam croci martis cum axungia capri, aut oleo myrtino, quibus aliquando addi potest laud. opiat. gr. j. aut ij.*

Hofferus *commendat ol. Saturni & rosar. a. agitentur, & terantur in mortario plumbeo ad nigredinem usque, & applicentur.*

Ad doloris levamen *a* hirundines etiam podici adhiberi possunt, iisque sanguis ad unc. iij. vel iv. educi.

a Hirundines.) *Cur non scalpello potius aperirentur, nam hirundines præsente inflammatione suspectæ sunt.*

Ad curationem & *a* præservationem summoperè hic conducit aquæ, in qua, dum fervet, millefolium est infusum sive maceratum, usus, per mensem continuatus:

b Item sacculus, ex radicibus chelidonii minoris, cum gossypio in linteo contusis, confectus, & circa os sacrum perpetuò gestatus:

a Præservationem.) *Radix recens fabariæ s. telephii cum filo in dorso inter scapulas suspensa, contra cæcas hæmorrhoïdes dicitur amuletum certissimum in* misc. cur. an. 2. obs. 195. conf. Act. Hafn. ann. 1671. obs. 51. *alii (ut Auctor quoque notat) capitula cardui sylvestris, (quibus inclusi sunt vermiculi vivi) alii alia in sacco circumgestanda extollunt: non autem operari possunt eô modô adhibita, nisi ratione effluviorum constantium, salino-volatilium oleosorum. Contra nimium hæmorrhoïdum fluxum, nulla alia magis conveniunt quàm nitrosa, succ. granator. acid., acetos. portulac. semperviv. maj. emulsio ex hord. mund. sem. 4. frig. maj. sem. papav. alb. & lin. &c.*

b Item sacculus.) Hartmannus *cingulum commendat ex foliis Hellebori quassatis.*

Item

Item tubercula, vel globuli, carduis silvestribus adnascentes, qui vermiculum continent, si in marsupio gestentur, magnopere hic commendari solent.

Diæta hic sit tenuis, ad humidum declinans, & *a* alvum laxans. Cum *Cibis* itaque sumantur borrago, blitum, *b* spinachia, malva, passulæ. *Aromata & acria* vitentur. *Potus* sit tenuis cerevisia, & vinum oligophorum. *Alvus* si durior fuerit, ea clystere, ex jure pingui vel ex decocto emolliente, emolliatur.

a Alvus laxans.) *Omnia enim acriora purgantia hic nocent, ergò usurpetur manna, pulp. cass. fist. tamar. &c.*

b Spinachia.) *Hæc non adeò convenit, sit potiùs brassica rub.*

IV.

MEDICATIO FOEMINÆ, *a* ARTHRITIDE LABORANTIS.

b MUlier *c* 25. annorum, benè habita, admodum crassa, & frequenter temulenta, cruciatu magno affligi cæpit primo circa articulum coxendicis, *d* mox in poplite, tandem in manibus pedibusque, & in regione dorsi ac cervicis. Tumor *e* cum rubore in multis locis se manifestat, adeoque illam torquet, ut ex contactu, decubitu, & sessione, *f* dolores intolerabiles patiatur.

a Arthritide.) *Vox hæc generalis est, significans omnem articulorum vel artuum dolorem; verùm pro ratione symptomatum dividitur* 1. *in vagam & fixam,* 2. *in calidam & frigidam, sub qua comprehendimus quoque nodosam & calculosam; pro ratione autem loci affecti, dividitur arthritis in chiragram, ischiaticam, lumbaginem, gonagram, podagram, mentagram, rheumatismum, syagonagram, trachelagram, rachysagram, homagram, pechyagram &c. quas posteriores divisiones ut in forum Medicum non relatas, sed ex* Paræo *allatas, non magni facit (& quidem haud inepte)* River. prax. lib. xvj. cap. 1. *in specie autem de rheumatismo, vid.* River. l. c. cap. 3. & Sydenham obs. tr 6. c. 5. de rheumatismo.

b Mulier.) *Observant practici, mares (proportione habitâ) magis huic malo esse obnoxios. Confer* Hippocr. Sect. vj. Aphor. 29. & 28. 30.

c 25. Annorum.) *Vid.* Hippocrat. Sect. 3. Aph 31. *de anni tempore, vid.* eund. Sect. 3. Aph. 16. & 20. Sect. vj. Aphor. 55.

d Mox in poplite.) *Sic participat de arthritide vaga. Vid.* Med. 15. hujus lib.

e Cum rubore.) *Est ergo arthritis calida, quæ dicitur* legitima, *vel* exquisita, *in qua videtur sal pau lo magis esse volatilis: alioquin ubi causa est frigida, tunc arthritis* spuria *seu* notha *nascitur; utrobique sal est nonnihil* corrosivus, *participans de natura acida, ubi verò rubor abest, ex causâ frigidâ ortum ducere censetur, & aliquando in tumores duros, & scyrrhosos degenerat.*

f Dolores intolerabiles.) *Nibil Auctor addit de febri, nihil de diuturnitate morbi & simil: ad quæ in curatione, maximè tamen attendendum est.*

Afficiuntur in hâc ægrâ *coxendix*, *poplites*, *manus*, *pedes*, *dorsum*, & *cervix*: ut ex dolore, tumore & rubore, illas partes infestante, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies istarum partium serosa, salsa, acris, tartarea, & nimis laxa ac rara; quæ dolores ingentes, item tumorem & ruborem in partibus istis affectis, jam commemoratis, excitans, *Arthritis* sive *Dolor articularis* nuncupatur.

Causa procatarctica hujus morbi a est temulentia, cui ægra nostra frequenter indulgere solet. Atque hinc natæ cruditates, & ex his acres, salsi, & tartarei in corpore geniti sunt humores; qui cum sanguine per totum corpus diffusi, b *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in corpore ita alterata, ut apta sit poros partium circa articulos aperire & laxare, ubi in membranas & nervosas articulorum partes sese effundit, easque c acrimoniâ suâ pungit & rodit, effervescentiamque ibi concipit, *intolerabilium istorum dolorum*, *tumorum*, & *ruborum*, *à quovis contactu exacerbantium*, *continens* est causa.

a Est temulentia.) *Arthitidem vulgo putant oriri à multo potu vini Rhenani, quatenus scatet copioso tartaro; hoc tamen semper verum non est, siquidem aliquando homines hoc morbo laborant, qui vix unquam vinum gustarunt; imò canes, aliaque bruta animantia talibus cruciatibus affecta fuisse, haud pauca sunt exempla; Novi* (*inquit* Pechlin. lib.2. obs.xxvij.) *Sartorem hydropoten, cæteraque parcè & sobriè viventem; hunc congenita labes sic inquinaverat, ut inter perpetuos arthritidis cruciatus, ipsos triginta annos vitam traheret, & tandem membris doloribusque fractus, optatam sæpius mortem benignè exciperet. Certum tamen est, quòd, ubi dispositio (s. ab hæreditate, s. aliundè) prava latuerit tàm humorum, quàm articulorùm, in diversis hominibus, non solùm vinum Rhenanum, sed & Gallicum, Hungaricum & Canariense, item acria & acida alimenta, venus immodica, frigus, &c. hunc affectum foveant & augeant.*

Igitur ab usu talis vini, vel etiam ab aliâ causâ in sanguinem deferuntur particulæ scabræ & salinæ crassiores, quæ hinc ferũtur in articulos, ubi multæ sunt partes nervosæ, quarum pori angustiores sunt, & constantiores qui non facile sese accomodant figuris particularum illarum rigidarum crassiorum, hinc particulæ istæ scabræ, & rigidæ, ibi hærentes, lædunt & vellicant nervosas fibras, ita ut dolores exsurgant acerbissimi.

b Antecedentem.) *Auctores passim causam arthritidis, uti & reliquorum catarrhorum à capite derivant, quasi verò proximæ glandulæ arteriæ partis unius cujusque non sufficerent.*

Aliquando arthritis est symptomatica febrium longarum, & metastatica. Vide Hipp. Sect.4. Aph.44. *item* Sect. vij. Aph. 64.

c Acrimonia pungens.) *Debuisset Auctor pororum tubulorumque obstructionis prius mentionem facere. Quærit* Hofferus Herc. med. lib. 4. cap. 1. *an arthritis sit* contagiosa. *Nos dubitamus*, 1. *quia aliquando est* hæreditaria, 2. *quia nonnunquam per sudorem concumbenti communicatur, ubi accedit singularis recipientis dispositio.*

Sic canes supra membra podagrica sæpe decumbentes fiunt podagrici: nempe effluvia illa acria, aliorum poris insinuata, humores in sui naturam mutare valent. Cur autem (inquit Pechlin. lib. 2. obs. 25. *in articulos magis quàm carnes visceraque descendat hæc materia, non à* Natura, *illa* enim,

enim, ut est benigna Mater, totum lubenter foras expelleret, sed vitio partium præliminari, sive illud hæreditarium sit, sive aliunde adscitum, repetendum. In pedum autem articulos, vel ideo crebrius descendit hæc sanies, quod in illa corporis statura, & frequenti pedum à frigore, & calceorum pressione offensâ, circulatio lentius procedat, & sic succi nocentioris in proplitem ossaque metatarsi effusioni januæ aperiatur.

Quia *hic morbus* est recens, & ægra est juvenis, *a spes* est morbum brevi sublatum iri. *Metus* tamen est, ne sæpius recurrat, nisi rectè curetur, *b* in asthma, *c* vel hydropem, vel spasmum, aut paralysin degeneret.

a Spes est, &c.) *Brevius auferri solet, ubi tumori adest levis inflammatio. Ergò (inquit* Joh. Pechl. l. c.) *gaudent laborantes, & morbum se vincere posse putant, quando ab interioribus ejecta materies poris, fugæque in auras vicinior est. De doloris ischiatici prognosi vide* Hipp. Sect. 6. Aph. 59. & 60. *Tractu temporis materia peccans in calcem tophosque immedicabiles lente concrescit: quid, (ut ait* Pechl.) *serum quoque, quod per glandulas conglomeratas conglobatasve secernitur in tartareum gypseumve magma non infrequenter transit, & non urinæ tantum, sed & saliva, postquam resedere, duram calcariamque crustam scrutanti ostendant. Sic ergò hominem elumbem membrorumque ministerio carentem impotentia usque detinet, & non amplius doloribus, sed nato ex prævisa morte, corporisque marasmo, tædio, lentè conficit. Ratio autem cur dolores tractu temporis minuantur, imò cessent, petenda est ex nervorum dissolutione & obstructionum pertinacium multitudine. Podagrici melius vivunt, si urinam mittant copiosam, teste* Hoffero.

b In asthma degeneret.) *Hoc aliquid peculiare esset huic mulieri.*

c Hydropem.) *Quia est morbus ex crasso humore, & defectus sæpe adest exercitii, dum ægri diu decumbere coguntur.*

Ischias difficulter curatur ob musculos circumpositos valde crassos, per quos remedia externa pharmaceutica non facile penetrant.

a Curatio itaque diligenter erit instituenda: *b quæ* in humorum pravorum *c* eductione, & intemperiei per contraria correctione, dolorumque lenitione consistet.

a Curatio.) *Omnes fere species arthritidis similem habent curationem, habito tantum respectu partis affectæ, & humoris peccantis, vel acrioris, vel viscosioris & terrestris.*

b Quæ in humorum pravorum eductione, &c.) *In arthritide nec intempestive nec facile (id est, antequam humores fuerunt attenuati & fluxiles redditi) ad purgationem accedendum est: confer* Hoffer. l. c. *multa enim sæpe hærent aliis quoque in latibulis, quæ omnia simul & semel commota, œconomiam corporis quandoque obruunt & turbant, multisque in membranis simul dolores atrocissimos excitant, vid.* Hipp. Sect. 4. Aph. 20. *purgatio igitur fiat in initio, aut declinatione, sitque blanda.*

Primo itaque *a* vena secetur; & educatur sanguis ad ℥viij. & postridie *b* purgetur talibus pilulis:

℞. *Pil. de hermodactilis, vel fœtidar.* ℈j.
Scammonii ℈ſ.
Cum syr. rof. sol. q. s. F. Pilulæ Num. v.

a Vena secetur.) *Si fuerit arthritis calida, & universalis in homine plethorico, V. S. locum habere poterit, aliàs non. Porrò rectè* Pechlin. obs. xxvj. lib. ij. *dicit, quod, uti in aliis, ita cumprimis in hoc morbo observandum, quae medendi formula cuique conveniat, nam hactenus quidem non licuit esse tam beatos, ut uno omnibus remedio occurreremus. Varianda sunt omnia pro conditione individui, & tum in avertendo, tum curando hoc morbo, suus cuique victus, sua cuique sanatio deberi videtur. Vidi (inquit idem) qui popliteae vel saphoenae sectione, vehementissimos pedum dolores, velut fascino sedaverint.*

b Purgetur his pilulis.) Pechl. l. c. *refert se novisse Empiricam, qui medicamento chemico, s. lunae crystalli essent, seu martis aliquod vitriolum, etiam inveterato jam morbo, postquam biduo antè paregoricum dedisset, alvum magno cum fructu provocabat. Et est forte ab hac occasione nata purgantium cum opiatis mistura, & famigeratum illud ex pilulis aloëphanginis, & laudano opiato compositum, quod & dolores sedare & alvum ducere posset, &c. Elect. carioc.* Petr. Bayri *multis hic extolli solet laudibus, sed hoc nonnisi in casu frigido, alvo constipatâ, vel extra paroxysmum commendaremus.*

a Sequenti die inungantur loca dolentia, *b* spiritu vini prius madefacta, tali linimento:

℞. c *Ol. chamomill., lilior. amigdal. dulc. an.* ℥j.
Unguent. dialthaeae ℥s. d *Misce pro* Linimento.

a Sequenti die inungatur.) *In Emplasticis (inquit* Pechl. loc. cit.) *quidem nunc illud diapalma, nunc Apostolorum istud, nunc & de spermate ranarum, & de minio camphoratum, nunc stypticum Crollii, & Norimbergense, nunc alia, neque semper in eodem, profuere. Smegmata, sapones, salia, minium, gummi, imprimis carannae permixta, sunt qui ferre possunt, sunt etiam, qui recusant. Cataplasmata, & in illis illud, quod ex floribus sambuci, pane albo, & momento croci cum lacte, & oleo rosarum in pultem decoctis constat, certo duntaxat tempore cum fructu adhiberi solent. Experimentum* Verulamii, *vid. in ejus* Sylv. sylv. exper. 60. *Ambulationem super nivibus aliquando profuisse, vide apud* Pechlin. lib. ij. obs. xxviij. *Conf.* Hipp. Sect. v. Aph. 25. *rectè autem* Hofferus loc. cit. *Haec (ait) & talia, plerumque paroxysmos prolongant, & materiam podagrae in pertinaces tophos indurant, & sic membra reddunt praematurè inutilia, gangraenosa, &c.*

Adstringentia, vulgo dicta repellentia non nisi in principio, idque summâ cum cautelâ sunt adhibenda, dum judicamus non posse impetum materiae peccantis refraenare.

b Spiritus vini.) *Cautè mercandum est cum calidis illis, & exsiccantibus, v. g. aq. matricali, spir. sal. ammon. rec., vel super calc. viv. destill., alcohol. vin. & simil. non enim minus quàm frigida, materiam peccantem incrassare valent.*

Aliquis pro secreto habebat muriam halecum, ex qua faciebat Balneum, aut Fotum. Conf. Pechl. obs. 28. lib. 11. *circa finem.*

Sapo niger applicatus aliquandò prodest, cui camphora potest addi, si inflammatio adsit: quidam cum fructu linimentum parant ex sapone Ven. sp. vin. & alb. ovor.

Fermentum s. flos cerevisiae cum aceto fortissimo coctum, & applicatum aliquibus pro secreto fuit.

Tinctura opii, & camphora simul mixta potenter dolores sedant, intus & extra.

c Ol. chamomill.) *Ol. terebinth. luc. etiam egregium & potens est, in casu frigido.*

d Mi-

d Misce pro Linimento.
℞. Empl. diach. simp. unc. sem.
Camphor. scrup. sem.
Ol. papav. q. s.
M. pro Linimento.

Muscus ille Japonensis, s. lanugo artemisiæ, vulgò moxa, arthritidem per ustionem curat, sed in exiguo loco. Fortè alius Muscus, aut linum, lana succida, &c. simili modo accensa, idem præstarent: & videtur iis in regionibus materia podagrica esse magis transpirabilis. Vid. Pechlin. lib. 2. obs. 24.

Si ab usu hujus linimenti *a* dolor ingravescat, tale adhibeatur:
℞. *Aq. spermatis ranarum, thapsi barbati an. lib. s.*
Iis infunde tuthiæ, lithargyrii aur. ℥s.
b *Vitrioli calcinati, aluminis an.* ʒij. Misce.
Hoc liquore foveantur partes dolentes cum linteis tepidè.

a Ingravescat dolor.) *Non quod Auctoris linimentum humores nimium commoverit, sed prævalentes dolores superare non potuerit, aut inflammationem forte adauxerit.*

b Vitrioli calcinati, aluminis.) *Quia fortius illa adstringunt, & sufficienti subtilitate destituta sunt, hæc suspecta esse debent: cæterùm* sperma ranarum *vult* Grulingius *in Praxi Medica circa novilunium colligi, ol. hyoscyami linimentis & cataplasmatibus additum, multùm potest: vel radices hyosc. add. & coq. pro epithemate.*

Et *a* vesperi sumat hoc somniferum, & anodynon:
℞. *Syr. papaveris albi* ℥s.
Julapii rosati ℥j. Misce.

a Vesperi sumat hoc somniferum.) *Vel tale amygdalatum in initio sumendum:*
℞. Amygd. dulc. ʒvj.
Sem. 4. frig. major. ana ʒij.
Papav. albi ʒiij.
Lini ʒß.
F. emulsio s. a. in s. q. aq. hord. colat. ℥xvj. *Adde*
Syr. de papav. ℥jß.
Aq. rosar. ℥j.
Vel utatur æger massa pil. de cynogl. vel tinct. op. vel laud. op.

Perseverante dolore, *a* utatur sequenti Apozemate sudorifero, alterante, & purgante:
℞. *Scobis ligni guajaci* ℥ij.
Ligni sassaphras ℥j.
Rad. enulæ ℥s.
Herb. chamæpiteos M. j.
Flor. anthos, salviæ an. p. ij.
Fol. senæ ℥js., *agarici* ℥s.
Sem. fœnicul., coriandri an. ʒij.
Carthami conquass. ℥j.
Decoquantur post macerationem b *in aq. comm. q. s. ad lib. j.*
Colaturæ adde sacchari ℥ij.
Misce F. Apozema, de quo sumat unc. v. calidè pro dosi summo mane, corpus plus solito tegendo, ut proliciantur sudores.

a Utatur sequenti Apozemate.) *Hoc magis locum habet extra paroxysmum tuncque add. rad. lapp. maj. (quæ pro pauperibus cum liquiritia solæ sufficiunt)*

ciunt) rad. petasit. &c. *Dolorem ischiaticum cucurbitulis, & cauterio actuali curatum, vid. apud Clariss.* Fred. Dekkers, exerc. pract. p.m. 33.

Lumbricorum terrestrium vino ablutorum succus cum vino exhibetur, ad ℥ij.

Optimum paratur diaphoreticum & anodynum ex diasc. Sylv. ℈ij. cinnab. antim. gr. xiv. sal. C.C. ℈ß. ol. chamom. destill. vel tanac. gutt. iij. M. f. Bolus.

Si dolor valdè sæviret, tale narcoticum efficacissimè adhibere posset:

℞. *Spirit. vini per croci infusionem flavescentis ℥iv., camphoræ ℈j. Bulliant parum; deinde in iis dissolve opii ʒj.*

a Hoc liquore partes dolentes illinantur.

a Hoc liquore, &c.) *Subtiliores ingredientium partes ebullitione evanescunt.*

Ubi doloribus levata fuerit ægra, *a* ne rursus in hunc morbum labatur, sub tempus autumni, & veris corpus erit purgandum; & optima diætâ ipsi erit semper utendum.

a Ne rursus.) *Remedia arthritidis prophylactica, vid. apud celeber.* Pechl. obs. 27. lib. ij. *confer* obs. 22. & 23. *ubi inter alia laudatur angelica sylvestris, & usus lactis. Magni æstimandum hic est sal vol. C.C. & usus herbæ theæ.*

Versetur itaque in *Aëre* temperato. Utatur *alimentis*, quæ modicè nutriant, iisque sobriè utatur. *Potus* sit hydromel. *a Vitet* vinum, præsertim generosum. *Exercitia* sint mediocria, ubi malum quieverit; tempore doloris illa vitavit. *Somnus* sit moderatus. *Alvum* solutam habeat naturâ vel arte: *Venus* sit parca. Fugiat *animi pathemata.*

a Vitet vinum.) *Eleganter* Pechl. obs. 27. lib. 2. ait: *Est in nonullis ventriculi vitium, quod* κακοστομαχίαν *vocamus; est intestinorum quædam imbecillitas à frigido fermento orta; hanc vino confirmare, omninò opus est. Et experiuntur illi, quibus hæc res in consuetudinem abiit, si non morbi, certè paroxismi aliquam remissionem. Sit autem modus in rebus.*

V.

MEDICATIO PUERI,

a VARIOLIS AFFLICTI.

b PUer sex annorum, *c* grassante *d* inter infantes, ex aëris maligna constitutione, febri synochâ malignâ, ecthymata protrudere solita, post horrores præeuntes, calore præternaturali correptus decumbit. Pulsum febrilem, plenum, & celerem habet. Facies oculique rubent. De dolore nullo conqueritur.

a Va-

a Variolis.) *Variolæ & morbilli (observante* Hoffero in Herc. medic. tom. j. lib. 7. c. 6.) *ut externâ specie differunt, sic causa materiali ferè & efficiente, omninò conveniunt. Nomine autem variolarum intelligimus tubercula elata, in pus plerunque abeuntia: Morbillorum verò maculas potiùs, parùm supra cutim prominentes, & suo tempore, nullo vestigio relicto, evanescentes.* Thomas Sydenham *dividit variolas, in regulares & irregulares, distinctas & confluentes, quæ licet essentialiter, ut ajunt, non differant, per illustriora tamen symptomata, quæ hanc comitantur speciem, illam verò non item, haud difficulter ab invicem discriminantur.* Joh. Nic. Pechl. lib. 2. obs. xv. *refert se ex insignis Practici ore habere; visas sibi variolas morbillis permistas, semel etiam sinistra parte morbillos, dextrâ variolas, diviso ad perpendiculum corpore. Novum non est (inquit idem) duobus tribusve generibus aliquos defungi: nam ut quis durum isthoc siccumque genus, quod* steen pokken *vulgus vocat, & alterum illud aquosum magis, & hydatidum* mint of mater pokken καταχρηστικῶς *appellat, pertulerit; nondùm tamen verum illud & decretorium variolarum fermentum penitùs excussum est, neque antè securum quis jactare se potest, quàm illo etiam genere sit defunctus.*

b Puer.) *Vidimus etiam differri illum morbum in seram ætatem, sed hoc majore periculo, quò à pueritia longius rejicitur.*

c Grassante.) *Hoc addit Auctor, ut doceat, Medicum conjecturam facere debere ex epidemica aëris constitutione de futura morbi specie, & ubi verisimilia quædam variolarum signa apparuerunt, majori jure inclinare potest ad judicandum, variolas imminere, quam si aëris constitutio epidemica variolarum non obtineret.*

d Inter infantes.) *Grassantur aliquando inter adultos, & senes.*

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*; quod ex horrore & calore per totum corpus diffuso: item *cor*, quod ex commemoratis pulsus vitiis: nec non *oculi & facies*; quod ex eorum rubore patet.

Morbus, quo hîc puer laborat, est *a Febris synocha* maligna & contagiosa, quæ, ecthymata sive pustulas in cute totius corporis expellere solita, *Variolarum* nomine vulgò designari solet. Eæque ex aëris maligna constitutione, *b* infantes multos variolis inficiente; item *c* ex calore, post horrorem, puerum hunc invadente; nec non ex pulsu febrili, ac oculorum & faciei rubore, & doloris absentiâ innotescunt.

a Febris synocha.) *Hæc esse potest sine variolis, hæ autem nunquam sine illa, benigniore aut maligniore, pro diversitate scilicet, tam fomitis variolarum primævi, quam causæ externæ, eum in actum ducentis: ita* Joh. Nic. Pechl. loc. cit. *ait. Vidi febri malignæ purpureæ, morbillos (quos alii vocant rubeolas) statim successisse; utque sua singulis contagiis μιάσματα esse intelligas, etiam morbillos ponè secutam esse purpuram, in quam morbi symptomatumque affinitas confudisse invicem videbatur. Confer* Thom. Sydenham, *qui ex professo hanc materiem tractavit.*

b Infantes multos, &c.) *Grassantibus morbis Epidemicis (notante* Pechlino) *gravidas mulieres à communi & promiscua aliàs calamitate immuniores esse constat, quàm alios quosque, & tamen ubi variolarum illud morbillorumque contagium dominatur, non perinde immunes videntur, sive quod excitatum primùm in embryone fermentum Matrem, seu Mater contagio embryonem inficiat. Observavi (inquit) gravidam, quæ occasione pueri majoris cum variolis colluctantis, in ipsum illum morbum incidit, quô erumpente*

pente cum magna uteri hæmorrhagia, enixa est gemellos, utrosque stygmatis refertissimos, sed jamjam intempestivo fermenti tumultu jugulandos, evadente felicius Matre. Vid. misc. cur. ann.j. obs. 53.

c Ex calore, &c.) *Præcedere solent somni irrequieti, pavores, sitis, convulsiones, &c. ita teste* Pechlino & Thom. Sydenham, *in pueris, ubi dentitionis periculum preterierit, epileptici sæpe insultus, certum præbent minimeque fallax efferentium sese variolarum indicium, &c. jam verò etiam febris initia hujus morbi comitatur, capitis lumborumque doloribus, & pulsu citatissimo exasperata, sed quæ tertio, aut summùm quarto die cum erupturientibus jam pustularum notis manifestè remittant, ægrumque sibi reddant: hùc accedunt sæpè vomitus, nauseæ, salivatio in adultis & diarrhœa in infantibus, phrenitis, coma, &c. quæ omnia facili negocio ex causis explicari possunt. Historiam exanthematum, quæ Viennæ olim grassabantur sub nomine* Rossaliæ (ἐρυθρήματα) *vid. apud* Hoffer. l. c. ex Jonstonio.

a *Causa procatarctica* hujus morbi est aëris constitutio illa maligna, quæ in puero hoc, *b* per inspirationem, hausta, & cum sanguine in pulmonibus existente mixta, & deinde cum reliquo sanguine per totum corpus diffusa, *c* & illum pravitate malignâ imbuens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus malignam incalescentiam & effervescentiam *d* in corde acquirens, & deinde in totum corpus cum sanguine à corde in partes propulsa, e *continens* hujus morbi & symptomatum, tum præsentium, tum futurorum, est, & erit, causa.

a Causa procatarctica.) *Jam & hoc admiratione dignum (inquit* Pechlinus*) abditum & texturæ sanguinis (nos dicimus* texturæ partium *stabilium) infixum variolarum fermentum, nullis vel vehementissimis intestinisque fluidi conquassationibus, ante destinatum tempus evocari posse, & solum esse aëris contagium, certamque aëris καλασιν, quæ sopitum latitansque à multo retrò tempore virus in sanguinis textura, evolvat. Verùm enim verò, judicio nostro, non aëri soli, utut determinato, semper tribuendus est ille fermenti variolati orgasmus, & in actum deductio, sed variis aliis rebus, non-naturalibus dictis, evincente hoc experientiâ multiplici: res autem alia est de morbillis & variolis epidemicis, ubi potiores aëri infecto partes competunt. Familiares magis sunt variolæ & morbilli hominibus septentrionalibus, quàm meridionalibus:* Barthol. in act. Hafn. ann. 1673. obs. 92. *variolas notat in Æthiope, quæ ante Batavorum in plagam orientalem adventum dicuntur eò loci non observatæ: confer* misc. cur. dec. ij. ann. 9. & 10. obs. 194. *item* Barthol. cent. 3. epist. anat. 60. *ubi refert sibi narratum fuisse à studiosis Islandicis, quòd certis ea in regione locis grassentur variolæ.*

b Per inspirationem.) *Adde & deglutitionem, dùm aër salivæ inter loquendum, manducandum & bibendum immiscetur.*

c Et illum pravitate maligna imbuens.) *Certè, nisi peculiaris aliqua humoris, in parte quadam stabilì, unâ vel pluribus, latentis adesset dispositio, non adeò quibusdam hominibus singulares essent hoc in casu variolæ & morbilli: constat enim rarissimè eos (utut vagante in aëre fermento aliquo variolato) hoc morbo corripi, qui eodem antea fuere affecti: Ergò hic unicè ex aëre accessit causa illa, quâ mediante fomes variolarum in actum deducebatur.*

d In corde.) *Etiam ante quam cor ingreditur; nempe dum ex poris tubulisque istius partis, in qua aliquandiu hæsit, ope rarefactionis expellitur.*

e Con-

e Continens.) *Nulli dubitamus, quin tempore gestationis in utero, postquam cessavit fluxus menstruus, languidius progrediantur per canales embryonis fœtusque, sanguis & humores, undè in canaliculis angustioribus hujus illiusve partis stabilis (unius vel plurium) oritur obstructio; undè liquores stagnando, acrimoniam tractu temporis acquirunt notabilem: hi ergò, à quacunque demùm causâ, ad rarefactionem perducti, latibula sua diffringunt & transiliunt, sicque (quoniam ubique reperiuntur vasa revehentia, lymphatica & venosa) ad sanguinem dum perveniunt, ejus mixturam consuetam, maximâ particularum suarum contrarietate non solum turbant, verum etiam ejus ope, lege circulationis, ad canaliculos aliarum partium dum devolvuntur, nec eorum diametris accuratè quadrant; hærendo pariunt morbillorum, & variolarum diversa symptomata, vellicando, dissolvendo, & erodendo. Ratio autem cur priùs in pectore, & facie indicia variolarum exoriantur, quàm alibi, petenda est ex eo, quòd, cum in vicinia cordis major sit motus, necessario mali causa ad partes cordi proximiores priùs propellatur, utut stragulis & tegumentis minùs, quàm cœteræ corporis partes foveantur. Nec mirum cuipiam videri debet, quòd tanta resultet inter particulas sanguinis istiusque fomitis variolarum lucta; rigiditas enim earum & constantia diametri, atque figuræ opposita s. contraria per pressionem ætheris, ubique viam liberam per poros non invenientis, uti in mechanicis & chymicis experimentis, ita hic phœnomeni explicationi lucem fœneratur sufficientem: conf.* medicat. de febribus intermitt.

Dum enim sanguis ille primum effervescens *a* aqueas continebat partes, quæ sua aquositate justum in corde fervorem impediebant, eæque ad membranosas corporis partes deinde delatæ, refrigerationem & inordinatum spirituum influxum toti corpori inducebant, hinc primum in puero ortus est *horror*. Aqueis verò partibus discussis, calor sanguinis justò major factus, & per totum corpus diffusus, produxit *pulsum plenum & celerem*, ac in facie & oculis *ruborem*, ac in toto corpore *calorem præter naturam intensum*. Quia tamen partes sanguinis effervescentes in hoc puero hactenus sunt leniores & minus acres, ideo *nullus* vehementior *ab ipso sentitur dolor*.

Morbus hic, propter suam malignitatem, *b* periculum vitæ, & deformitatis, ab exesione cutis, à papulis postea orituris, forsan excitanda inducit.

a Aqueas partes.) *Ita quoque ratiocinatus est Auctor circa febres intermittentes, sed hæc omnia adeò bene cohærent, ac arena sine calce.*

b Periculum vitæ.) *Præsertim in obesis, utpote quorum tubuli & canaliculi materiæ peccanti transmittendæ minùs patuli sunt & obsequiosi: item in adultis & senioribus, quorum sanguis & humores sunt acriores, porique & tubuli constantiores atque angustiores: difficiliores præterea observantur variolæ in autumno & hyeme, quàm vere & æstate, in viris quàm fœminis. Pejores sunt confluentes distinctis, illæ enim materiæ peccantis & copiam & acrimoniam vehementem notant, quâ æger succumbit: maculæ purpureæ pustulis interspersæ, plerunque sunt lethales, utpote quæ sunt totidem species gangrænæ. Suspecta etiam semper est illa ratio (notante &* Sydenhamio, & Pechlino) *& plena periculi, si nimis cito, & cum incipiente febre erumpant variolæ: si postquam eruperunt, identidem se retrahant, hoc enim indicat motum sanguinis intestinum, & progressivum valdè esse imminutum, ita ut materia morbifica non solùm non expelli possit ad circumferentiam corporis, sed expulsa in cute non permanere, ob pressionem cingentis athmosphæ-*

sphæræ: etiam suspectæ sunt variolæ, si cum eruperint, vel turritæ nimiùm vel conicæ aut planæ appareant, invicemque sociatæ in unam omnes coëant vesiculam, vultumque aut genas, aut frontem æqualiter incrustent, si in fauces gulamque copiosæ incumbant, si colore initio se ostendant obscuro vel pallido-rubro, & cùm albescere debebant, in plumbeum livorem, aut fuscam transeant nigredinem: In eo variolarum genere (inquit Sydenham) *ubi pustulæ sunt exiguæ, non salivatio tantùm, sed faciei insuper & manuum intumescentia ad materiam morbificam ritè eliminandam omninò requiruntur, quarum utralibet, si vel non adsit, vel ante justum tempus recedat, ægro protinus moriendum est: quid mirum? nempe & salivatio, & intumescentia significant mali causam vegetè ad circumferentiam corporis propelli, quæ propulsio si sistatur, omnia invertuntur. Periculum denique magnum indicant mictus sanguinolentus, dysenteria, & languidior pustularum eruptio. Nota sunt cæcitatis à variolis profectæ exempla, & verò etiam exesam à variolis uvulam vocis gratiam corrupisse observavit* Pechlinus, *aliquando producunt surditatem, claudicationem, profundissimas & fœdissimas faciei cicatrices, &c. Variolarum contagium sympathicum, vid. apud* Pechl. lib.ij. obs.xvj.

a *Curatio* itaque diligens adhibenda erit; *eaque* in causæ antecedentis ablatione, & intemperiei malignæ sanguinis & symptomatum correctione, consistet.

a Curatio, &c.) *Curatio consistet in diætâ emolliente, & diaphoretica.*

Ante omnia itaque contineatur in loco calido *a* stragulis bene tectus; & mox, *b* antequam ecthymata erumpunt, *c* purgetur tali medicamento:

℞. *Syr. ros. sol. cum fol. senæ & rhabarb.* ℥jß.
Scammonii opt. gr.ij.
Aq. card. bened. ℥j. *misce pro* Haustulo, *mox sumendo.*

a Stragulis bene tectus) *Sollicitè imprimis (inquit* Th. Sydenham) *cavendum est, ne nimiùm assurgat ebullitio, sive id fiat congestis stragulis, sive ex aëre loci, in quo decumbit æger, igne nimiùm excalefacto, sive ex calidorum medicamentorum & cardiacorum usu: præcipuè verò ab his cavere oportet, si æger in ætatis flore constitutus fuerit, vel sanguinem habuerit generosiore potu nimis exaltatum, vel anni tempestas aut verna sit, aut saltem ultra æstatis initium non processerit. Hinc enim fiet, ut separatio, quæ sensim lentisque gradibus peragi debebat, & ad universalem quandam despumationem opportunius pergebat, præcipiti cursu feratur, atq; ita vel non satis idoneus partium numerus congregetur, vel nonnullæ partes ad secretionem damnentur, quas aliàs natura illam subire noluisset, nisi quod ultra debitos limites excurrere coacta, noxam hanc sibi creet.*

b Antequam ecthymata, &c.) *Nisi alvus fuerit constipata, evacuatio per alvum non est tentanda, aut si id fieri necessum sit, tunc tentetur opus per clysterem, aut medicamentum aliquod laxans & mite: acriora enim omnia purgantia hic nocent: si æger fuerit plethoricus, adolescens, & robustus, necessaria aliquando est venæsectio ad unc.iv. vel vj. quæ licet per se (ut loquitur* Sydenham) *officiat, quatenùs sc. & separationem perturbat confunditque, & pabulum insuper tùm pustulis, tùm tumori elevandis destinatum subducit, aliquantisper tamen secuturum regimen calidius pensat, ac proindè hanc, quam nonnisi coacti usurpamus methodum, non usque adeò periculosam & ancipitem reddit, præsertim si post V.S. blanda adhibeantur diaphoretica, & diluentia. Confer* Hoff. loc. cit.

Ubi

Ubi pustulæ *a* erumpere incipient, ad facilitandam earum eruptionem, utatur tali decocto:

℞. *b* *Cicerum rubrorum* ℥j.
Hordei decorticati p. j.
Caricas Num. vij.
Laccæ, tragacanth. an. ʒj.
Rad. fœnic., passular. an. ℥ß.
Decoq. in aq. comm. q. s. ad ℔jß. *Colaturæ adde oxysacchari* ℥ij. M. *pro* Apozemate, *de quo sumat haustum ter quaterve in die.*

a Erumpere incipient.) *Quartus à principio morbi dies, dicitur* Thomæ Sydenham, *eruptioni proprius & naturalis.*

b Cicerum rubrorum.) *Hi valent acres humores temperare, & blandè emollire: laccam autem ex hoc decocto eliminaremus, & substitueremus rad. scorzon* ℥ij. *bistort. torment. ana* ʒij. *limat. C. C.* ʒiij. *confer* River. prax. lib. 17. sect. iij. *ubi multa utilia occurrunt remedia.*

Etiam interdiu usurpetur Mixtura seq.

℞. Aq. Card. ben. meliss. ana ℥ij.
Ros. ℥j. ther. simpl. ʒiij.
Tinct. croc. ℈iv.
Laud. op. gr. j.
Antim. diaph. ℈vj.
Sal. prun. ℈j.
Syr. de alth. Fern. ʒvj.
M. dos. cochl. j. l. ij.
Singulis vel alternis horis.

Mulierculæ, cum fructu magno, bibendam exhibent cerevisiam dulcem, in qua maceratus fuit fimus ovillus! item eundem hunc coquunt in aq. hord. & addunt ficus pingues, vel liquiritiam, nec non sem. aquileg. aliquandò etiam exhibent pulverem seq.

℞. Pulv. Dom. Kent. ℈j. croc. gr. iv.
Sacch. perlat. gr. xv.
M. F. Pulv.

Vel ℞. C. C. phil. præp. gr. xij.
Lap. bez. or. ℈ß.
Marg. præp. gr. xv.
Croc. ℈ß.
Sacch. perlat. ℈j.
M. F. Pulv. pro ij. dos.

Sunt qui ex doctrina Kergeri lib. de ferm. *præcipitantia quædam ostentant, quibus fomes variolarum tutò suffocatur, aut saltem ita insensibiliter dissipatur, ut nullas producat non solùm pustulas, sed nec alia prava symptomata: fides sit penes Auctores, præprimis cùm præcipitantia talia illi non communicent, utpote quæ (si Diis placet) sunt secretiora, non adeò facile memoranda; sed profectò vim, hoc modo naturæ inferri notabilem, non est quod dubitemus; saltem hinc alia pejora resultare posse symptomata verum est; commendamus interim pulverem seq. ut multo usu probatum*

℞. Cinnab. antim. ritè præp. gr. viij.
Corall. rub. præp. gr. v.
Lap. bez. or. gr. vj.
Sal. prun. gr. iv.
Croc. gr. iij.
Sacch. perl. parùm
M. F. Pulv. pro dosi.

Et pro potu, *a* ad sitim extinguendam, utatur decocto passularum, caricarum, & hordei, cui ex additione rob. de ribes acetositas sit conciliata.

a Ad sitim, &c.) *Huc pertinet decoct. scorzon. & hord. cum taleolis citr. rec.*

Cum *a* oculi facile exulcerentur à variolis, pro præservatione eorum, palpebræ illinantur hoc collyrio:

℞. *Aq. plantag., euphragiæ an.* ℥j.

Camph. ℈ſs. *croci gr.* ij.
M. *pro* Collyrio.

a Oculi facile exulcerentur.) *Huic malo obviam eunt matres, & nutrices lacte proprio, in quo maceratus fuit crocus.*

Vel ℞. Aq.plantag.roſ.fœn. ana ℥ſs.
Mucil. ſem. cydon. ℥ſs.
Lap. calam. præp. ℈j.
Camph. gr.ij.
Sal.Sat. gr.j.
M. F. Collyr.

Alii imponunt carnes recentes ſanguinolentas.

a Ad gulæ, faucium & oris defenſionem, utatur tali gargariſmo, vel oris collutione:

℞. *Aq. plantag.* ℔j. *aq. hord.* ℔ſs.
Flor. roſ. rub. p. j. *balauſtior.* ℥iſs.
Sem. ſumach. ℥iij. *Decoq. ad tertias partes.*
Colaturæ adde ſyr. diamori, granat. an. ℥j.
M. F. Gargariſma, *quo os ſæpe colluatur.*

a Ad gulæ, faucium, &c.) *Vel*
℞. Fol. plantag. m.j.
Prunell. m.j.ſem.
Hord. m.ſem.
Flor. roſar. rub. p.j
Balauſt. p.j.ſem.
Ficuum p.ij.
Sem. ſumach. drach.iij.
Rad. liquir. drach.vj.
Coq. ut a.e.pro garg. Vel fiat linctus ex ſyr.viol. jujub.pap. alb. & roſ. ſicc., Vel uſurpentur ea quæ commendata ſunt in aphthis. Contra pruritum valet immerſio manuum in aq.tepid. & hac quoque mediante madefieri poteſt facies. Conf. River. l. c. Foreſt. l. 6., Willis, lib. de febr. c. 15. *commendat externè ſcutum croco interſutum & lacte muliebri madefactum.*

Si alvus adſtricta fuerit, talis Clyſter injiciatur:

℞. *Herb. malvæ, mercurialis,*
Acetoſæ recentis an. m.j.
Flor cord. p.j. lentium, hord. cicer. rub. an. p.j.
Decoq. in jure gallinaceo q.ſ. ad ℥viij. *in colat. diſſol. diapruni, diacarthami an.* ℥ſs. *mellis violacei* ℥j. *ol. violac., amygd. dulc. an.* ℥iij.
M. F. a Clyſter.

a Clyſter.) *Diarrhæa ſi ſupervenerit, ea non eſt intempeſtive ſiſtenda, ſed opus naturæ eſt relinquendum, niſi magna fuerit virium imbecillitas: opiata & hoc in caſu, & alibi, nempe delirio, ſalivatione, &c. maximam habent utilitatem, conſentiente* Th. Syd. cit.

Ut puſtulæ melius erumpant, & matureſcant, illæ ſubinde ol. amygd. dulc. cum cotone vel pluma a ſunt oblinendæ.

a Sunt oblinendæ.) *Ubi flacceſcunt variolæ, & ad plenam maturitatem pervenerunt, hoc modo illiniri poſſunt: alii commendant ol. nuc. rec. alii pinguedinem omenti vervecini, cui intruſa fuerunt grana hordei: alii commendant apertionem puſtularum ope acus, verùm hæc eſt diſſuadenda, niſi valdè prægnans acceſſerit cauſa.*

Ad

Ad nares defendendas, admoveatur iis sæpe cum spongia hoc medicamentum:

℞. a *Aceti rosacei* ℥j.
Aq. rosar. ℥ij. Misce.

a Aceti ros.) *Potius* ℞. Acet. super litharg. aur. vel ceruss. infus. ℥jß. Aq. ros. ℥jß. Syr. viol. ℥ij. *Misce*.

Si viribus forsan fuerit prostratis, vel debilioribus, subinde sumat cochlear de sequenti cardiaco:

℞. *Syr. de limonibus*,
a *Aq. cinnamom. an.* ℥j.
Confect. alkerm. ʒij. Misce.

a Aq. cinnamom.) *Vel (supponimus enim morbum declinâsse) usurpetur vinum Canariense parùm coctum, addito pane tosto & nuc. mosch. vel mace.*

Postremò curandum, ut color fœdus, *a* & vestigia variolarum, faciem ut plurimum deformantia, auferantur. Præservatur autem facies, ex veterum sententiâ, si pustulæ, cum jam maturuerunt & albescunt, acu circumcirca compungantur, ut materia purulenta, quæ pruritum, dum exsiccatur excitando, pueros ad scalpendam & lacerandam faciem impellit, commodè egrediatur & abstergatur. Alioqui si relinquatur, donec penitus exsiccetur, cutim, ut ajunt, exedit, & fœdas cavitates relinquit: vel, si sponte effluit, vicinas partes inficit & exulcerat. Sed hoc jam fere est obsoletum:

a Et vestigia variolarum.) *In infantibus manus sunt ita ligandæ, ut fricare aut scalpere faciem unguibus nequeant: caput quoque ita est firmandum, ut ad culcitras faciem atterere non possint. Indusia non facile sunt mutanda, nisi indusium nimis madidum fuerit ex sudoribus: & tunc quidem valdè calidum induendum est in conclavi calido, ne pori obstruantur.*

a In *victus ratione*, aër sit calidiusculus, ut poros aperiat, & materiam malignam foras eliciat. *Victus* primò sit tenuis: ubi humoris eruptio facta est, & mitigata sunt symptomata vehementiora, tum paulò liberalior concedi potest; non tamen acris, pinguis, dulcis, vel salsus; sed moderatè refrigerans. *Potus* sit cerevisia tenuis, in qua subinde *a* decoqui potest limatura cornu cervi; vel pupella, cum cornu cervi præparato, in cerevisia suspendi poterit. *Somnus* sit mediocris, excretiones consuetæ secundum naturæ modum procedant. Fugiatur *timor & mœstitia*.

VI. ME-

VI.

MEDICATIO VIRI, CAPITIS VULNERE LABORANTIS:

VIr 40. annorum, robustus, ab altero *a* homine valido, inter litigandum, cantharo cerevisiâ pleno, *b* in fronte supra dextrum supercilium, ita percussus est, ut jam ipsi *c* magnum adsit vulnus, cum contusione conjunctum. Cranium in fundo vulneris nudum & depressum apparet. *d* Æger mente etiamnum satis constat.

Pars quæ hic *affecta* est, ad oculum patet, nempe *cutis*, *frontis periostium*; *& cranium*.

a Homine valido.) *Diligenter observanda sunt ea quæ* Celsus affert lib. 8. c. 4. *tàm de diversitate causarum, quàm signorum: sunt enim ea exactè & adamussim posita: porrò hic conferendæ sunt observationes & operationes chirurgicæ* Fabr. ab Aquap. Hildan. Botall., Paul. Barbette, Solingen, Job. à Mekeren, Rhoonhuysen, &c. *casus enim cùm ubique ferè valdè discrepent, plures sunt consulendi Auctores experti & fidi.*

b In fronte.) *Os frontis tenuius est osse occipitis, durius tamen ose utroque temporum.*

c Magnum.) *Quoad cutim externam cum panniculo, præstat major apertura quàm angustior, non solùm ut dignoscatur melius pericranii & cranii constitutio, sed ut pus dùm medicamenta adhibentur meliùs effluat.*

d Æger mente constat.) *In vulnere capitis ante omnia observandum est, an post ictum, lapsum, &c. æger in animi deliquium incidat, an vomuerit, an mens ipsi constiterit: an non cochlear dentibus tenere possit? nam si hæc symptomata adfuerint, indicant fracturam cranii, &c. adeoque sanguinem aut in cerebro, aut super meninges esse extravasatum, basque membranas lædi.*

Morbus, nempe *Vulnus frontis*, cum contusione *a* & ossis depressione conjunctum, etiam est manifestum. *Dubium* autem est, an non etiam cranii adsit *fissura*; *& sanguinis* in cavitatem cranii, supra supercilium naturaliter excavati, imo etiam intra cranium & meninges, *effusio*.

a Et ossis depressione.) *Hæc magis locum habet in pueris & j nioribus, quàm adultis; eorum enim ossa pressioni violentæ magis cedunt corporis durioris.*

b Fissura.) *Cur quæso dubium magis erit fissuram adesse quam fracturam, id debet explorari instrument s appropriatis, quanquam & jam certum sit, non semper fissuram & fracturam esse in vicinia vulneris externi; id quod molestiam parit aliquando chirurgo utut expertissimo, præsertim si serius fuerit advocatus, ubi tumores diversis sese capitis in partibus manifestant. Vulnera capitis ordinariè enumerantur sextuplicia, contusio, fissura, fractura, incisio, punctura, & contrafissura. Observationes interioris cranii tabulati fracti, illæsâ cute, & exteriore*

tabu-

tabulato, vid. apud Tulp. lib. j. c. 2. *Cranii ex contusione fissuram ipsas suturas pervadentem, vid. apud* Fred. Ruysch obs. anat. chir. XLVII.

Causa hujus morbi externa contingens, & evidens est ictus in historia descriptus.

Ex ictus autem vehementiâ verosimiliter colligitur *fissuram* esse factam *cranii*, & *sanguinis* in partibus jam dictis *effusionem*, quæ etiamnum perseverat. Atque ideo

a Periculosissimus hic est morbus; qui idcirco diligentissima Curatione erit impugnandus.

a Periculosissimus.) *Vulnera capitis minus dolorifica esse solent, quam periculosa. Ne minimam itaque capitis vulnerationem parvi æstimandam esse vid. apud* Hipp. in proœm. de vuln. *item* Corn. Stalp. van der Wiel in obs. cent. tàm prior. quàm post. *ubi variæ etiam occurrunt quæstionum solutiones, porrò conf.* Hipp. S. v. Aph. 18. Sect. vj. Aph. 18. & 50. Sect. vij. Aph. 14. 50. 58. *Periculosius judicatur vulnus per contusionem, vel collisionem, quàm incisionem, item quò propius accesserit ad suturas.*

Curatio autem consistet in cranii depressi *a* sublatione, contusionis *b* suppuratione, *c* sanguinis effusi eductione, & vulneris consolidatione.

a Sublatione.) *Potiùs elevatione; de qua vid.* Corn. Soling. manual. oper. lib. c. ij. iij. & iv.

b Suppuratione.) *Nisi constiterit adesse fissuram, aut fracturam s. simplicem, s. compositam, curatio consistit in tumoris discussione, mundificatione, & consolidatione.*

c Sanguinis effusi.) *Id est supra meninges, sed hæc operatio non sine trepano obtinebit.*

a Primò itaque cutis & periostium, à cranii parte depressa, erunt separanda, craniumque ibidem denudandum: quibus factis, *b* cranium torculari & vecte erit perforandum, & in pristinum statum reducendum.

a Primò itaque, &c.) *Si in superiore capitis parte sit vulnus, tum capilli, si adsint, primo abradendi sunt, sed interea caput calidum conservandum, quod fit, si aliquis sartaginem carbonibus ignitis moderatè onustam capiti probè adhibeat; dein vulnus est ampliandum incisione, quæ vulgo fieri solet in parte vulnerata sub forma crucis, sed hic in fronte fieri non debet, ne musculus frontalis & superciliorum lædatur: si igitur incisio in fronte facienda sit, illa potius fiat ad figuram ellipticam, sursùm & deorsùm, non verò transversim, & crucis in modum.*

b Cranium torculari.) *Trepanum ultimum est remedium; quod tamen ita periculosum, ac quidem ante hac putatum, non est: modum administrandi, vid. apud* Soling. *& alios; sed utut hujus operationis accurata perhibeatur per litteras, & vocem instructio, melius tamen acquiritur per visum & intuitum attentum. Capitis contusioni solo fomento, absque incisione per imperitum temerè commendata feliciter prospectum, vid. apud* Fred. Ruysch obs. LX. *formula fomenti sequens est:*

Herb. beton. majoran. an. M. ij.
Salviæ, rut. an. M. jß.
Flor. stæch. lavend. ana M. ß.
Ros. rub. M. j.
Coq. s. a. ex vin. alb. ad ℔ iij.
Col. detur usui.

Conf. Corn. Stalp. van der Wiel cent. post.

post. obs. 2. *ubi sequens commendatur fomentum:*

℞. Rad. fœn. petros. an. ℥ij.
Herb. beton. rut. an. M.j.
Flor. cham. melil. samb. an. M.jß.
Lavend. p. ij.
Sem. cumin. ℥iij.
Bacc. laur. ℥ij.
Coq. in s. q. aq. comm.
Sub finem addendo vin. rub. ℔jß.
F. Fomentum.

Vigerius lib. ij. cap. 7. *contusioni cum vulnere imponit digestivum ex Vitellis ovor. croco, aqu. vitæ & oleo ros. sed notandum, pinguia in capitis vulneribus non esse appropriata; potiùs ergò diductis vulneris labiis ope linteorum carptorum, imponatur digestivum ex thereb. Ven. cum Vitell. ov. solut. & melle ros. ac croco. Posteà (præsupponimus enim abrasos fuisse in vicinia capillos) superimponatur emplast. aliquod defensivum, vel de cumino camphoratum.* Jacob. à Rhoonhuysen *ad omnes capitis contusiones laudat empl. seq.*

℞. Cer. flav. empl. diachalcit. an. ℔ß.
Ol. myrtill. ros. an. ℥iij.
Ol. laur. ℥ij.
Pulv. myrtill. ℥ij.
Sem. cum. ℥vj.
F. Emplast.

Hùc quoque spectat emplast. de sperm. cet. Mynsichti. *Videantur plura apud* clariss. Johann. Munniks, in prax. chir. lib. 2. cap. XV.

Cranio sublato & sedi suæ restituto, locus perforatus *a* linteo carpto erit, ad sanguinem effusum imbibendum, replendus; ac linteo, spiritu vini rectificato imbuto, tegendus, & caput porro linteis aliis, rectè accommodatis, muniendum.

a Linteo carpto.) *Aliquando per cannulam sanguis exsugitur.*

a Postridie, post alvum clystere emolliente & purgante evacuatam, educendus sanguis ad unc. vij. vel viij.

a Postridie sanguis educendus.) *Sectio venæ, si vires permiserint, statim post vulnus inflictum est instituenda, ubi æger ad se redierit.*

Postea continuandus lintei carpti & spiritus vini usus prædictus, donec os fuerit primò separatum, (ut semper post talem ejus apertionem fieri solet,) & deinde consolidandum.

Quo facto, vulnus, ut alia vulnera, chirurgo *a* per sarcotica & epulotica erit curandum.

a Per sarcotica erit curandum.) *Sarcotica vulnus tantum ab injuriis aëris defendunt, & poros aperiunt humoresque in fluiditate debita conservant: reliquum opus competit naturæ.*

Non nimis cito hæc capitis vulnera sunt consolidanda, sed prius omnis sanies bene exhaurienda est, & dein vulnus implendum est digestivo, cui sarcotica addantur; aliàs enim aliquando lamellæ parvæ ab osse secedunt, quæ vulnus iterum aperirent.

Victus in principio sit tenuis; in progressu mediocris: ex ovis sorbilibus, jusculis carnium, hordeatis, & carnibus pullorum.

VII. ME-

VII.

MEDICATIO JUVENIS, TENDINIS a PUNCTURA LABORANTIS.

JUvenis 27. annorum, imprudentius per plateas ocreatus incedens, dextri pedis metapedio ita in cuspides calcaris, quo sinister pes erat munitus, impegit, ut tendo unus in medio metapedii *b* angusto vulnusculo sit compunctus. Adest tanta rubedo, dolor, & ardor, ut pede affecto ad incedendum uti non possit. Adest etiam *c* febricula, &, ex doloris vehementia, vigilia.

Pars affecta hic est, ut ex conspectu, situ, & dolore patet, tendo in metapedio.

Morbus est tendinis istius punctura, tumore, dolore, ardore, inflammatione, & febricula comitata.

a Punctura.) *Duplicia nempe recensentur tendinum, & nervorum vulnera, punctura & incisio.*

b Angusto.) *Periculosior ergo erit prognosis.*

c Febricula.) *Meretur certè hæc non rarò nomen febris majoris.*

Causa manifesta & externa hujus morbi fuit *a* impactio violenta, in cuspides calcaris facta.

Morbus, ob partis affectæ acutissimum sensum, & symptomata gravia, quæ adsunt, *b* periculosus, hac *Curatione* diligenter curandus erit.

a Impactio violenta.) *Hâc scilicet mediante, fibrillæ tendinis quædam fuere ruptæ, undè comprimuntur, & expanduntur vicinæ aliæ, adeò vehementer, ut in periculum ruptionis incurrant, propter quod mens vehementer contristatur & dolet: cumque eadem de causa spiritus animales fulminis instar, non solùm versùs partem læsam, sed etiam versùs cordis musculos, &c. irregulariter & confusè influant, hinc oritur mixturæ sanguinis turbatio.*

b Periculosus.) *Omnium partium nervosarum vulnera sunt periculosa, propter convulsiones, febrem, delirium, & inflammationem partis affectę, quam facile sequitur gangræna. Si nervus, vel tendo transversim totus fuerit dissectus, mitiora occurrent symptomata, item si cæsim ad longitudinem talis pars fuerit vulnerata. Tendinum vulnera etiam dicuntur minùs periculosa, quam nervorum: Convulsio superveniens lethalis dicitur* Hippoc. Sect. 5. Aph. ij. *perit aliquandò & sensus, & motus partis vulneratæ.*

a Vena primum in eodem latere in brachio aperiatur, educaturque sanguis ad unc. viij.

a Vena primum aperiatur.) *Venæsectio hic rectè à pluribus commendatur, quia plenæ sunt ægri vires, item quia febres, vigiliæ, dolores, aut aliæ urgent symptomata.*

Postridie *a* purgetur tali purgante bolo:

℞. *Diapruni sol.* ℥iij.
Cremor. tartari ℈ß.
Scammonii b *gr. xiij.*
Cum syr. rosat. sol. q. s. f. Bolus.

a Purgetur tali purgante bolo.) *Si corpus alias mediocriter sanum sit, illud non est movendum per purgantia, potius, si opus sit, sume laxativum sequens:*

℞. Fol. sen. s. s. ℥iij.
Tamar. ℥vj.
Sem. foen. ʒij.
Crem. tart. ʒj.
F. s. a. infus.
In cerev. tenui & colat. ℥viij. add.
Syr. ros. sol. ℥j.
M. f. Potio.

b Gr. xiij.) *Horrenda dosis.*

a Vulnusculo inseratur turundula, hoc liquore imbuta:

℞. *Ol. terebinthinæ,*
Spiritus Vini rectificati an. ʒij. *Misce.*

a Vulnusculo.) *Accuratè notandum est, an punctura sit cæca, an manifesta & aperta: in priori casu, cutis incidenda est, vulnusque dilatandum ad partem affectam, ut pus effluere melius possit, & virtus medicamenti transire: in posteriori, vulnus apertum est conservandum, & si opus sit, latius incidendum. Conf.* prax. chir. celeberrimi Joh. Munniks lib. 2. cap. xj. misc. cur. dec. ij. ann. 3. obs. 121. Job. à Mekeren obs. 62. Corn. Stalp. van der Wiel. cent. post. obs. 45. *ubi occurrit discissus, & percuratus tendo. Vid. etiam* Soling. part. 4. cap. 13. *Partes vicinæ itidem muniendæ sunt defensivo emplastro, vel, si periculum adsit gangrænæ, cataplasmate ex scord. phelland. rut. flor. cham. sambuc. &c.*

b Ol. terebinth.) *Hoc remedium est præstantissimum, utpote quod subtilitate suâ non magnum facit impetum, nec post se relinquit obstructiones: insuper ponendum est digestivum ex tereb. vitello ovi soluta, melle ros. ol. tereb. & pulv. myrrh. confer* Scult. arm. chir. obs. 64. *calidè autem imponantur omnia.*

Ut turundula retineatur in vulnusculo, imponatur ipsi parvum *a* emplastrum ex diachylo.

a Emplastrum ex diachylo.) *Vel*

℞. Ceræ ℥j.
Picis
Terebinth. an. ʒß.
Camph. gr. xv.
Euphorb. ℈j.
(*Quod tamen, si inflammatio adsit, omitterem*) *ol. terebinth. & hyper. an. q. s.*
M. F. Emplastrum.

Pedi vero inflammato *a* adhibeantur lintea, hoc liquore tepido madefacta:

℞. *Aq. plantag., rosarum an.* ℥vj.
Lapid. alchimiæ ʒij. Misce.

a Adhibeantur lintea.) *Sic quoque adhiberi possunt lintea quadruplicata, imbuta vino, in quo coctæ sunt herbæ cephalicæ, id est, aromaticæ.*

Aliquando sumitur cum fructu aqua theriacalis, cum aut sine camphorâ: sed omnium tutissimus spiritus est theriacalis camphoratus. Opiata hic non adhibeantur internè, nisi urgentibus doloribus, nam infensissima sunt nervis:

vis: præ aliis tamen camphoram eligerem, omnia enim spirituosa hic minus suspecta sunt. Vide Riverii obser. comm. pag. 370.

Somnus concilietur gr. iij. laudani opiati, vesperi datis. *Victus ratione* sit tenuis & refrigerans.

VIII.

MEDICATIO PUELLÆ, a ERYSIPELATE FACIEI LABORANTIS.

Puella duodecim annorum, jam *b* à tribus annis, *c* circa mensem Majum, incidit in totius faciei tumorem *d* subrubicundum, oculos pene claudentem. Adest calor & *e* pruritus magnus. Pulsus etiam est justo celerior; appetitus est prostratus; & plus solito sitit.

a Erysipelate faciei.) *Non nisi loco affecto, & gradu, discrepat ab aliis partium erysipelatibus, quæ Auctoribus comprehendi solent, sub nomine ignis sacri: ubi autem pustulæ vel hydatides conjunguntur, dici solet hic affectus Belgis de* belle roos, *aut si comitetur febrim aliquam malignam, vocatur ipsis de* bluts-roos: *Porrò dividi solet hoc erysipelas in phlegmonoden, œdematoden & scyrrhoden; ut & verum & spurium.*

b A tribus annis.) *Hoc habet molesti hic affectus, ut, ubi semel invasit, facillimè revertatur, præsertim obstructis in sequiore sexu mensibus, aut iis irregulariter fluentibus.*

c Circa mensem Majum.) *Hoc dependet maximam partem ex eo, quod à certis stellis, tellus nostra suscipiat ætherem determinatum, quô latentes alias humores in actum deducuntur.*

d Subrubicundum.) *Rubedo & ardor est de essentia hujus affectus, qui non nisi gradu differt ab inflammatione: hæcque dicitur locum habere in partibus internis, erysipelas verò externis.*

e Pruritus.) *Aliquando dolor est pulsatilis & tensivus.*

Afficitur in hac puella *facies*, ut ad oculum est manifestum: uti & *cor*, quod pulsus justo celerior; item *ventriculus & œsophagus*, quod sitis, & appetitus prostratus indicant.

Morbus, qui eam affligit, est tumor faciei, *a* ex bilioso sanguine ortus; qui calorem immoderatum, & pruritum, ac colorem subrubicundum in facie inducens, *Erysipelas faciei phlegmonodes* appellari solet.

a Ex bilioso sanguine ortus.) *Nihil hic culpandum venit, præter humorum salem acrem, poros tubulosque angustiores, & constantiores cutis faciei, subjectarumque glandularum obstruentem: bilis enim, quà bilis in sanguine non datur.*

Causa antecedens hujus morbi est sanguis biliosus, ex temperamento sanguineo & *a* diæta forsan calidiore, tanquam à causa *procatarctica*, in toto hujus puellæ corpore, singulis annis genitus. Pars vero ejus circa mensem Majum, ob aëris caliditatem, in corde vehementius effervescens, inducit *pulsum justo celeriorem*; ad ventriculum vero & œsophagum delata, eumque nimium exsiccando, succumque acrem ventriculi, famem excitare solitum, copiâ suâ & qualitate biliosâ perfundendo, *sitim & appetitus prostrationem excitat*: ad faciem verò à corde propulsa, ibique poros vasorum aperiens, & sese in cutim vicinasque partes magna quantitate effundens, vehementiusque, ob ulteriorem corruptelam sive putredinem supervenientem, incalescens, ibidem *tumoris*, *ruboris*, *pruritus*, *& caloris faciei*, causa *continens* existit.

a Diæta calidiore.) *Id est salina, acida, & aromatica, quò multum confert aëris constitutio peculiaris, evacuationumque consuetarum suppressio, nec non mala cutis faciei constitutio s. ab hæreditate, s. variolis, morbillis prægressis, &c.*

a *Metus* est, ne hic affectus, erysipelas exulceratum faciei; vel, si humor hic ad cerebrum vel alias nobiliores partes feratur, ne inflammationem cerebri, vel *b* pulmonum, vel pleuræ, inducat. Diligenti itaque hic morbus erit impugnandus *Curatione*; quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, item intemperiei, & tumoris ablatione, consistet.

Atque ideo primò tale *c* exhibeatur purgans:

℞. *Syr. rof. sol. cum fol. senæ* ℥j.
Cremor. tartari ℈j.
Scammonii gr. x.
Aq. cichor. ℥ij.
Misce fiat Haustus brevis, mane exhibendus.

a Metus est.) *Si vehementius invadat, haud rarò parit febrem continuam acutam, delirium & phrenitidem, faciei exulcerationem, & similia plura symptomata: nigricans rubicundo superveniens color, periculum indicat magnum. Confer* Cels. lib. 5. c. 26. *item* misc. cur. dec. ij. ann. 3. obs. x.

b Pulmonum, vel pleuræ.) *Nempe si malum intrò repellatur, aut sanguis laboret intemperie universali acrî.*

c Exhibeatur purgans.) *Venæsectio instituatur mature, sed omnis purgatio nocet, nisi fuerit lenis, quapropter etiam præstant clysteres, & suppositoria. Conf.* med. de variol. &c.

Toti faciei deinde imponantur *a* lintea sequenti liquore tepido imbuta; sæpiusque, ubi exsiccata fuerint, renovetur imbutio & applicatio:

℞. *Aq. plantag. rosar. an.* ℥iv.
Lapidis alchymiæ ʒiß. Misce.
Vel ℞. *Aq. flor. sambuci* ℥x.
Sperm. ranar. ʒv.
Spiritus vini opt. ʒvj. Misce.

a Lintea sequenti liquore imbuta.) *Vel*

℞. Aq. frig. flor. samb. an. ℥iv.
Acet. sambuc. ℥j.
Sp. vin. ther. camph. ʒvj.
Sal. Saturn. gr. viij.
M. pro epithemate, calidè adhibendo. Pinguia sunt suspecta: etiam Gale-

Galeno lib. 5. de simpl. rem. fac. & Hildano cent. j. obs. 82. *Mulierculæ cum fructu coquunt flores sambuci in lacte ebutyrato recenti, pro epithemate. Internè autem usurpetur diaphoreticum ex diasc. Frac. croco, antim. diaph. sal. prun. & simil. Vesicatorium in nucha positum, magnam hic habet utilitatem: nec ratio dissuadet.*

Si palpebræ oculorum valde etiam *a* intumescant, iis imponantur lintea, solâ aquâ ros. & plantag. tepidâ madefacta.

Ad *b præcavendum*, ne sub sequentem Majum rursus recidivam patiatur, mense Aprili semel atque iterum purgetur, & utatur *c diæta* tenuiore, & refrigerante.

a Intumescant.) *Hùc spectat cataplasma ex mica panis alb. coct. in s. q. aq. pluv. addendo sub finem aq. samb. & plantag. q. s. posteà add. croc. ℈j vel ʒß. campb. ℈ß. M. utilis quoque est solutio saponis Venet. in aq. ros. & sambuci addito albumine ovi conquassato.*

b Ad præcavendum.) *Ad præservandum utatur decocto ex lign. cort. & rad. lignesc.*

c In diæta.) *In diætâ abstinendum est à salis & acidi acrioris usu.*

IX.

MEDICATIO FOEMINÆ, PARONYCHIA LABORANTIS.

MUlier triginta annorum, subitò incidit in acerbissimum dolorem, *a* extremum digiti indicis sinistræ manus, circa unguem, infestantem. Isque intra paucas horas tantum incrementum sumpsit, ut ei supervenerit febris continua, nausea, & lipothymia subinde recurrens. Doloris acerbitas nullum somnum, nullamque requiem ipsi concedit. *b* Nulla etiamnum adest inflammatio, nullusque tumor.

a Extremum digiti.) *Aliquando locum habet in articulorum digiti internodiis: undè duplex dicitur paronychia; nempe altera oritur ad unguis radicem, & plerunque versatur in superficie, cum nonnullo dolore: altera verò profundius latet circa periostium, cum acerbissimo & intolerabili dolore, quo febris oritur, & delirium spurium, syncope, & convulsio. Conf.* Vigier. chir. lib. j. cap. 44.

b Nulla inflammatio.) *Nempè externè, sed profundè adest sine dubio. Vid.* Fabr. Hild. cent. j. obs. 97.

Pars affecta est *a extremitas digiti indicis circa unguem sinistræ manus*; ut ex contactu & quærela ægrotantis patet.

Morbus est intemperies acerrima, indicem circa unguem sinistræ manus, acerbissimo dolore infestans, febremque, nauseam, & lipothymiam, vigilias, nec

non

non perpetuam inquietitudinem inducens; quæ *b* *Panaritium*, vel *Paronychia* vulgò appellari solet.

a Extremitas.) *Potius nervus*, *aut tendo subjectus*, *aut periostium.*

b Panaritium.) *Item Reduvia*, & *vermis digitorum*; *Belgis* de vyt.

Causa proxima hujus morbi & symptomatum, est humor acerrimus, ope pororum partis affectæ, *a* forte ex aliqua contusione, vel alia causa, ut ex. gr. sanguine eò appulsi nimiâ subtilitate vel acumine, nimis apertorum, aliterque vitiatorum, à reliquo sanguine separatus, & extremum tendinem ibi vehementissimè rodens. Hic enim partem affectam ingressus, *inducit in eâ intemperiem acrem*, eamque acutissimo sensu præditam, acutissimis suis particulis rodendo, *b* *acerbissimum illum producit dolorem*; qui, motu ad cerebrum delato, spiritus in cerebro reliquoque corpore deindè inconvenientissimè movens, efficit, ut illi spiritus, biliosos & maligniores humores sanguinis, à parte affectâ & reliquis corporis partibus separent; *c* qui deindè ad cor perpetuò delati, ibique præter naturæ modum incalescentes, *febrem continuam* gignunt. Iidem illi spiritus in cerebro inordinatè & vehementer moti, primum cerebrum ejusque ventriculos & nervos dilatando, pariunt *perpetuas vigilias*; & deinde, in ventriculi fibras obliquè ascendentes influendo, producunt *nauseam*; & cordis fibras constrictorias vehementius ingrediendo, eoque subinde partes sanguinis dilatationi convenienti ineptas deferendo, gignunt *lipothymiam per vices recurrentem*; in toto verò corpore humores acriores spiritusque vehementius & inordinatè agitando, *perpetuam illam producunt corporis inquietudinem*. Quia autem etiamnum paucus humor ad partem affectam affluxit, ejusque particulæ per corruptelam nondum ita sunt dispositæ, ut subtilis materia eas tam vehementer, ut in inflammationibus fieri solet, movere possit, hinc *c* *nullus hactenus adest tumor*, *nullaque inflammatio*,

a Forte ex aliqua contusione.) *Nempe potissimùm in panaritio spurio*, *alias oritur ordinariè absque manifesta causa externa.*

b Acerbissimum dolorem.) *Quia nervi illic loci sunt valde tensi & pori eorum ac tendinum valde constantes.*

c Nullus tumor.) *Quia & causa mali & pars affecta sunt valdè exiguæ*, *vid.* Joh. Nic. Pechlin. lib. ij. obs. 53.

Morbus hic, propter humorem illum acerrimum, vehementissimum illum dolorem reliquaque gravissima symptomata inferentem; & graviora, nempe inflammationem totius brachii, *a* & tendinis corruptelam, *b* nisi caveantur per diligentem curationem, inducturum, periculosissimus est.

a Tendinis corruptelam.) *Atque sic digiti mutilationem*, *aut ejusdem incurvationem & flexionis omnis ablationem*, *cariem*, *gangrænam*, &c.

b Nisi caveantur.) *Non malè idcirco tumor ante plenam suppurationem aperitur.*

Atque ideo diligenti *Curatione* erit impugnandus.

Eaque in intemperiei istius ablatione, per acris istius *a* humoris eductionem instituendâ, & tentandâ, consistet.

a Humoris eductionem.) *Per remedia* externa, *quia medicamenta* interna *deberent valdè esse copiosa & fortia*, *priusquam ad extremum digitum*

gitum possent pervenire efficaciter.

Quaeritur, an sanguis sit mittendus? Resp. affirm. si dolor valdè urgeat in corpore plethorico, & caeteroquin robusto.

Primò itaque *a* foveat ægra aliquandiu digitum dolentem lacte vaccino, in quo *flores chamæmeli, meliloti, & sem. fœnugræci & cydoniorum fuerint cocta.*

a Foveat ægra aliquandiu, &c.) Vigierius loc. cit. *commendat Cataplasma ex oxalide, Butyro recenti, aut axungiâ porci; & si magna adsit inflammatio, addit folia hyoscyami, aut malum granatum in medio cinerum coctum.* Forestus lib. 2. Chirurg. obs. 16. *praecipit, diu digitum tenendum esse in ovo putrido.*

Deinde superficies cutis *a* paulatim dissecetur scalpello. Abrasâ hac ratione cute, macula una vel plures rubicundæ apparebunt: quibus acie cultelli incisis, aquæ rufæ gutta una, vel altera apparebit sub cute: quâ linteolo detersâ, applicetur *linteolum aqua vitæ madefactum, in quo nonnihil theriacæ est dissolutum.*

a Paulatim.) *Ita vult* Hild. loc. cit. *verum alii unâ vice ope novaculæ constantis, interiorem digiti partem mediam non longè à digiti extremo, supra musculum (evitando nervum & tendinem perforatorem) ad os usque: porrò vulnus abluatur aq. theriac. camph. vel urinâ veteri fermentatâ, quod à Cornelio* Solingen loc. cit. *dicitur fuisse arcanum* chirurgi Petit-Fils. *Denique imponatur ope turundarum tereb. cum vitello ovi soluta, melle rosar. croco, theriaca, & simil. si per contusionem in extremitate digiti, sanguis sub ungue remanserit, unguis (ut vult* Vigierius*) in obliquum, novaculæ operâ aperiendus est circa contusionem; vel juxta* Solingium *perterebrandus, & posteà incidendus.* Paul. Barbette chir. lib. 1. part. 2. c. 15. *rectè dicit repellentia hìc prorsùs nocere.* Thomas Burnet. in Thes. med. pract. *dicit, quod sua in patria mulierculæ malum curent aqua scrophulariæ, ejusque foliis, quotidie topicum illud renovando.*

Aliquis olim apertione facta theriacam cum aceto admovebat, & ita feliciter atque brevi malum sanabat.

Nisi illa apertio cutis mox in principio fiat, copiosissimi ex doloris vehementia affluent humores, qui tumorem, aliaque inducent jam descripta symptomata; quæ omnia *Curatione* jam propositâ præcaveri, & dolores mox sedari poterunt.

Alii practici solent incisionem ad tendinem, imo ad ipsum os usque instituere. Verùm ea curatio *a* periculosissima, ob tendinis gravem læsionem, solet esse.

a Periculosissima.) *Nempe si tendo lædatur, sed ad os usque tuto licet incidere; caries si os occupaverit, ea separanda est pulvere euphorb. sabin. & sim. vel cauterio actuali.*

II. ME-

X.

MEDICATIO ANCILLÆ, PEDIS a COMBUSTIONE LABORANTIS.

ANcilla 20. annorum, dum imprudentius circa culinæ focum versabatur, evertit vas, *b* aquæ ferventis plenum, in suum crus, ita ut tibia sinistra, ad genu usque, & supra illud, mirum in modum aquâ adureretur. Accessit mox ingens dolor, cujus vehementiâ totum crus ad imam usque plantam valdè intumuit. Ab initio applicata fuerunt lintea spiritu vini madefacta, ex quorum usu tumor quidem nonnihil subsedit: Verum cum ægra sequentibus diebus à locis frigidis sibi non temperaret, factum est, ut dolor, inflammatio, *c* aliaque symptomata, indies magnum incrementum sumpserint. Adest jam febris & magna inquietitudo, crusque rursus valdè intumuit.

a Combustione.) *Triplex ambustionis gradus solet à chirurgis ordinariè allegari:* primus *nempe, ubi vesiculæ aquosæ, s. hydatides in superficie partis ambustæ conspiciuntur, cum ardore dolorifico:* secundus, *ubi vesiculæ apparent disruptæ, cutis exsiccata, & contracta:* tertius, *ubi escharæ adsunt duræ, nigricantes vel lividæ, quæ ad incisionem nullum inferunt dolorem, nisi ubi perventum fuerit ad partem sanam, separatione autem escharæ factâ, ulcus relinquitur profundum.*

b Aquæ ferventis.) *Attendendum sedulò est, non solùm ad gradum ardoris, & conditionem partis combustæ, sed etiam, ad qualitatem rei amburentis: V. g. olei, ligni, terebinth., picis, stanni, laccæ, fulminis, &c.*

c Aliaque symptomata.) *V. g. febris continua, gangræna, delirium, &c.*

Pars affecta est crus sinistrum; quod ad oculum, & ex querela ægræ patet.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies calida & serosa sinistri cruris, cum tumore conjuncta; quæ, ab illapsu aquæ fervidæ excitata, *Combustio cruris* vulgo appellari solet.

Causa externa a fuit aquæ istius ferventis in crure ancillæ illapsus. Illa enim suo fervoris motu insensibiles particulas cutis & vicinarum partium ita disposuit, ut subtilis materia sive æther; qui in iis existebat, vehementius se & particulas istarum partium posset agitare; atque ita *ustionem* in crure produxit. Ustæ autem cutis partes vehementi suo motu nervos vicinos agitando, agitationemque illam ad cerebrum, & ibidem ad mentem deferendo, *ingentem illum cruris* pepererunt *dolorem;* qui spiritus in ventriculis cerebri existentes ita determinavit, ut illi, copiosius in partes affectas fluentes, poros vasorum in iis existentium multos aperuerint, quo humores biliosi & serosi ibi à reliquo sanguine separati, & in partes affectas per poros illos nimis apertos copiosè ruentes, *totum crus, ad imam usque plantam, in magnum tumorem distenderunt*, intemperieque calida & serosa perfuderunt.

a Fuit aquæ istius ferventis.) *Nempe particulæ aquæ (utut lubricæ & flexiles) ad vehementissimum motum intestinum ope ignis perductæ, cum liberè nequeant poros tubulosque cutis, aliarumve partium subjectarum libere pervadere, impetu suo vehementi, latera pororum, fibrillasque & vascula disrumpunt, undè resultat vel collectio seri (copiosissimæ enim in cute dantur glandulæ vasculis lymphaticis instructæ) vel puris, vel gangræna & sphacelus; eodem ergò actu cùm humores in vicinia coagulentur, salia in iis contenta ardorem continuant, prout dictum in omni inflammatione.*

Tumor autem *ille intemperiesque cruris, ex adhibito cum linteis vini spiritu, valde fuerunt imminuta*; spiritus enim vini primum calore & humiditate sua, poros partium combustarum aperiendo, serosos mordacesque vapores & humores foras *a* eduxit; & deinde quamvis spiritus vini in aliis partibus excitet calorem, is tamen partibus ambustis hic profundius sese insinuando, tales ibi fecit poros, ut subtilis sive ætherea materia sese vehementius in iis movere non posset, atque ita aliquam refrigerationem induxit.

a Eduxit.) *Vel oleosis volatilibus suis partibus inclusit & circumcinxit: ita acidi spiritus circulatione & destillatione cum Alcohol vini dulcificantur: id est acrimoniæ corrosivæ magnam partem perdunt.*

Cum vero ægra hæc deinde sibi à locis frigidis non caveret, factum est, ut frigus aëris, poros in partibus ambustis nimium clauderet, atque ita acres, mordaces & calidos vapores & humores, alioquin exhalaturos, in iis retineret. Hi autem retenti moverunt ita partes ambustas, ut inde *dolor*, *inflammatio*, *aliaque symptomata indies magnum incrementum*, per partium *a* pravam dispositionem à vaporibus istis retentis orientem, *sumserint*, *febrisque*, *inquietudo*, & *tumor totius cruris accesserint*.

a Pravam dispositionem.) *Hæc consistit in ea obstructione, quæ gignit inflammationem, ejusque symptomata individua. Pessima autem ea est, quæ à fulmine, utpote quod omnium vehementissimè perruit ad intima.*

Morbus hic, propter magnum suum à naturali statu recessum, graviaque, quæ adsunt, symptomata, *periculosus est*; metus enim est, ne si non satis benè curetur, herpetem, gangrænam, vel alium gravem affectum inducat.

Curatio itaque recta mox adhibenda; *eaque* consistet in intemperiei, tumoris, doloris, reliquorumque symptomatum, per peculiaria ambustis contraria, ablatione.

Mox itaque, ubicumque *a* epidermis nondum separata est, applicetur sequens unguentum:

℞. *Cæparum crudarum* ℥iß.
Salis, b *saponis Veneti alb. ana* ℥j.
Misceantur in mortario, addendo
Ol. rof. & amygdalarum dulcium q. s.
Ut fiat unguentum.

a Epidermis nondum.) *Nè videl. medicamenta hæc acria nudatas carnes nimis mordeant.*

a Sapo.) *Vulgaris Amstelodamensis solus cum fructu, leviori in ambustione solet à mulierculis adhiberi: cumque salis ei satis insit, omittendum esse alium ab Auctore adjunctum salem judica-*

dicamus. *Alii adhibent flores cerevisiæ, cremorem lactis, lac ebutyratum recens, &c. vid.* Hild. lib. de combust. cap. vj.

In Pharmacopæâ Augustanâ *duo unguenta prostant ad ambusta satis appropriata*; prima *descriptio est sequ.*

℞. Camphor. unc. j.
Ol. rosar. unc. iij.
Ceruss. alb. unc. vj.
Pulv. oliban. elect. unc. ij.
Album. ovor. *Num.* vij.

In plumbeo mortario misceantur, & agitentur optime. Secunda.

℞. *Succ. cort. med. samb.* ℥iv. *ol. ros.* ℥vj. *decoq. ad succi ferè consumpt. in colat. liquescant cer. alb.* ℥iij. *posteà admisc. vitell. ovor. Num.* iij. *f. Ung.* Paulus Barbette, *ad omnis generis ambustiones laudat ung. seq. si liquefactum sæpiùs illinatur, dehinc recens folium brassicæ, betæ, aut plantag. superimponatur.*

℞. Fol. salv. rec. M. j.
Plantag. M. ij.
Butyr. rec. insulsi ℥vj.
Sterc. gallin rec. albiss. ℥iij.

Frixentur per horæ quadrantem, & expressio servetur usui: nos huic unguento adderemus camph. ℈j. *vel* ʒß.

Deinde toti cruri, Pedi, & genu, hoc adhibeatur *a* cataplasma, quotidie usurpandum, ad finem curationis usque:

℞. *Farin. hordei, fabarum an.* ℥vj.
Sem. fænugræci ℥j. *cydoniorum* ʒß.
Herb. malvæ, althææ, cum rad. pulveris. an. ℥iß.
Rad. curcumæ pulveris. ʒß. *butyri recent.* ℥iv. *croci* ʒj.
Pulveres sem. fænigræci, & cydoniorum primò aquâ parum coquantur, quæ cum refrigerata iterum fuerint, reliquæ farinæ & pulveres una cum butyro adjiciantur, coquanturque in lactis vaccini q. s. ad consistentiam Cataplasmatis, cui admisceantur vitelli ovorum Num. ij. appliceturque calidè.

a Cataplasma.) *Si profundius penetraverit ambustio, ut gangræna adsit, scarificatio instituatur & adhibeantur ea quæ in seqq. tradentur de eo affectu.*

Sub vesperam sumat hunc haustum *a* anodynum, subinde reiterandum.

℞. *Lactis amygdalati* ℥iv.
Syr. de papavere ℥iij. Misce.

a Anodynum.) *Vel* ℞. *camphoræ gr.* iij. *aut* iiij. *laud. opiat. gr.* j. *M. F. Pulv.*

Postridie sumat talem *a* bolum, subinde repetendum.

℞. *Electuar. diapruni sol.* ʒij.
Scammonii, cremor. tartari an. ℈ß.
Syr. ros. sol. q. s. M. pro Bolo.

a Bolum.) *Purgantia sunt superflua, nisi forsan intemperies corporis adfuerit.*

Dum cataplasma adhibebitur, humores illapsi in pus convertentur, quod forsan *a* per poros insensibiles cutis foras expelletur.

Continuandus horum usus ad finem usque: in nonnullis tamen locis magis humidis

midis circa finem curationis adhibeantur linimenta exsiccantia, ut unguentum de cerussa, de minio, & similia.

Diæta sit tenuis & refrigerans: abstineat à vino: utatur cerevisia tenui & decocto hordei, in quo agrimonia & veronica sunt coctæ.

a Per poros insensibiles.) *Impossibile est ut pus insensibiliter evacuetur.*

XI.

MEDICATIO JUVENIS, *a* ANEURISMATE LABORANTIS.

JUvenis viginti octo annorum, in diversorio alea ludens, in litem cum antagonista incidit; qua ad manus veniente, cultro supra flexuram cubiti, *b* in interiora sinistri humeri parte, punctim vulneratus est. Mox ex vulnere, magno impetu prosiliit sanguis, qui à chirurgis non nisi maxima cum difficultate potuit sisti. Vulnere *c* ad cicatricem penè deducto, apparuit circa locum affectum tumor valde pulsans, quotidie magis magisque crescens, qui digitis pressus imminuebatur; cessante vero pressione, ad priorem extuberantiam redibat. Hunc dum chirurgi fasciis injectis & arcte constrictis compescere & consolidare conantur, cicatrix fuit disrupta & sanguis copiosissimus ex renovato vulnere, maximo cum impetu, mox prosiliit. Chirurgi advocati sanguinis eruptionem, remediis stypticis cum filamentis lintei carpti adhibitis, tandem quidem stiterunt: Verùm ob metum novæ hæmorrhagiæ, remedia imposita, quæ ad renovandum vulneris obligationem sunt auferenda, auferre non audent. Sanguis à linteis impositis imbibitus, ex putredine jam gravissimum *d* fœtorem contraxit, quo eorum amotionem, rectamque ulteriorem medelam, æger desiderat.

a Aneurismate.) *Chirurgi etiam (sed abusive) vocare solent hoc malum, ecchymosin, vel ecchymoma & barbarè emborisma, vel Matrem sanguinis.*

b In interiore.) *Hàc excurrit arteria axillaris, quæ parte superiore humeraria dicitur. Exemplum aneurismatis cordis, vid.* in misc. cur. ann. j. obs. 18. *Paul. Barbette* chir. part. ij. lib. j. cap. 16. *invenit aneurisma in cadaveris cujusdam capite & maxilla, sine prævià, dùm in vivis erat homo, pulsatione.*

c Ad cicatricem.) *Insignis est imprudentia chirurgi, quod exteriora curet, antequam interiora tuto curata fuerint, sed aliquando urgens symptoma & importunitas adstantium, cogit festinare chirurgum plus debito.*

d Fœtorem contraxit.) *Addere debuisset Author, per quot dies lintea illa circumposita manserint, ut sciretur an ex compressione violenta gangræna fuisset orta? &c.*

Pars affecta est pars humeri sinistri supra cubitum, ibi, præter cutim, secundum arteriam *a* vulnerata; ut ex vehementi illa hæmorrhagia, quæ adeo dif-

ficulter potuit sufflaminari, item ex tumore pulsante, qui vulneris curationi supervenit, est manifestum.

a Vulnerata.) *Aliquando adest exterioris arteriæ tunicæ saltim dilatatio: Conf.* Clariss. Joh. Munniks prax. chir. lib. j. cap. xvij.

Morbus, quo hic æger laborat, est arteriæ sinistri humeri vulnus, quod sanguinem arteriosum sub cute vulnerata intra vicinas partes *a* cum pulsu vehementi effundens, easque in tumorem pulsantem attollens, sanguinemque ex vulnerata vicina cute emittens, *b* *Aneurisma vulneratum* est appellandum.

a Cum pulsu vehementi.) *Pulsus hic magis observatur in statu præternaturali, quoniam per tumorem ab arteriis dilatatis, vicinæ fibrillæ nervosæ magis tenduntur, adeoque motum pulsatilem vivacius ad sensorium commune transferunt, quod porrò sanguis in hoc tumore maneat fluidus, dependet ex continuato arteriæ pulsu, dùm recens & calidus à tergo urget sanguis: sunt tamen casus ubi sanguis ille abit in thrombos.*

b Aneurisma vulneratum.) *Ita distinguitur ab aneurismate per dilatationem interioris arteriæ tunicæ, quam* Munniks l. c. *dicit nervosam, ad differentiam secundæ tunicæ muscularis, tertiæ glandulosæ & quartæ s. extimæ vasculosæ.*

Causa prima hujus morbi fuit ictus, *a* cultro arteriæ sinistri brachii punctim illatus: qui ex eò fuit manifestus, quod sanguis mox ab ictus illatione, tanto impetu ex vulnere exsilivit, & non nisi maxima cum difficultate sufflaminari potuit.

Altera ejus causa fuit consolidatio cutis sine recta arteriæ vulneratæ consolidatione facta. Hinc enim factum est, ut arteria illa læsa, & rursus disrupta, sub tempus, quo cicatrix cuti fuit inducta, sanguinem intra cutim & carnes vicinas magno cum impetu emiserit, eosque in tumorem pulsantem, quem aneurisma appellamus, extulerit; isque paulatim ab impulso sanguine, partes vicinas paulatim magis magisque distendente, incrementum sumpsit. *Tertia hujus morbi causa* fuit fortis illa aneurismatis pressio, à chirurgis, ope fasciarum arctissimè constrictarum, facta. Hac enim sanguis arteriosus in cavitatem tumoris magna vi à corde pulsus, & pressioni fasciarum injectarum resistens, disrupit cutis cicatricem, vulnusque aneurismati addens, seque vehementius & copiosius ex eo effundens, *quartam* huic morbo dedit causam.

Causa autem, quod sanguis ex arteria egressus, in cavitate illum continente non fuerit coagulatus, sed fluidus manserit, partesque vicinas vibrare potuerit, hæc fuit; quod sanguis ille spirituosus, ob viciniam cordis magno illo impetu ex arteriæ vulnere in cavitatem illam, initio valdè parvam, egrediens, poros vicinarum carnium partim arctaverit, partim viscidioribus suis partibus obduxerit & obstruxerit, pelliculamque eâ ratione, interiorem illam cavitatem investientem, produxerit, & ita spiritus, sanguini fluiditatem & vibrationis vim conciliantes, retinuerit.

Neque his adversatur *b* ecchymoma, in quo sanguis ex vena rupta effusus intra vicinas carnes coagulatur & putrescit. Nam sanguis venosus, quia minore impetu & paucioribus spiritibus, ex longo à corde itinere, est præditus, ex vena rupta lentè & minore impetu egreditur, atque ideo poros partium vicinarum laxat & per eos, paucos, quos habet, spiritus disjicit & perdit; ipse verò in iis hærens, ob paucitatem spirituum, necessariò coagulationem, ac deinde putredinem patitur.

Mor-

Morbus hic valdè *c periculosus* est. Si enim remedia imposita relinquantur, metus est, ne ex putredine gangræna oriatur: sin ea amoveantur, metus est, ne ex secutura hæmorrhagia, æger mox inter chirurgorum manus exspiret.

a Cultro.) *Aliquando causa est chirurgi imprudentia, arteriam pro vena, vel simùl cum vena secantis.*

b Ecchymoma.) *Venæ præter naturam dilatatio, dicitur* Varix, *vid.* Lower. tract. de cord. c. 2. Hild. cent. 4. obs. 85. Soling. manual. oper. part. 4. cap. 9.

c Periculosus.) *Tumor si disrumpatur, vel imprudenter aperiatur, ob immensam sequentem hæmorrhagiam, quæ sæpè cohiberi nequit, æger citissimè perit. Vid.* Sennert. prax. lib. 5. part. j. cap. 43. Hild. cent. 3. obs. 44. *Inveteratum aneurisma difficilius curatur quàm recens, multumque ad curæ commoditatem contribuit loci opportunitas ad deligationem necessaria: Transit aliquandò in gangrænam, & sphacelum partis affectæ propter usus adstringentium, & ligaturarum fortiorum.*

Prudenti itaque *a chirurgiâ* hic opus est; quæ ita institui debet: primò supra aneurisma brachio sinistro denudato injiciatur fascia linea, vel lanea satis lata, eaque ita arctè adstringatur, ut nullus pulsus circa carpum percipiatur. Eo facto, amoveantur omnia, quæ aneurismati vulnerata fuerint. Ac deinde, quia ob adstrictam eo modo arteriam nullus sanguis ex vulnere egredietur, in tantum amplietur acutissimo scalpello vulnusculum aneurismatis, ita ut tota ejus cavitas, & arteria eâ contenta, conspici possint, cavitasque ab omni contento sanguine emundetur. Si tum arteriæ vulnusculum oculis non percipiatur, laxanda nonnihil erit fascia brachio injecta, quo sanguis ex arteria egrediens vulnusculum ejus clarè indicabit; eaque deinde rursus, ad arteriam claudendam, fortiter erit adstringenda. Ac postea acus curva, filum satis forte & duplicatum trahens, sub arteria, supra ejus vulnusculum, erit transmittenda, filumque sub ea subducendum; fili capita deinde in nodum, arteriam arctissimè ligantem, erunt iterum atq; iterum constringenda. Quibus peractis, arteria ligata, paulò infra vulnusculum ejus, erit resecanda, cavitasque intra cutim & carnes vicinas facta, & cuticulâ quasi vestita, erit detergentibus emundanda; & deinde carne per remedia sarcorica replenda. Relinquenda autem capita fili in nodum constricta in vulnere tandiu, donec sponte excidant. Ubi exciderint, extremitas resectæ arteriæ carne recens generatâ erit clausa, ita ut nullus profundendi sanguinis sit futurus metus.

a Chirurgia.) *Quomodo aneurisma brachii periculosum, feliciter fuerit curatum, vid. apud* Exp. Fred. Ruysch obs. anat. chir. ij. *Laminas plumbeas aneurismati minori impositas, & fortiter alligatas, illud nonnunquam curâsse, vid. apud* Tulp. lib. 4. cap. 16. *Duplicem operandi methodum, vid. apud laudatum* Joh. Munniks loc. cit. *conf.* misc. cur. ann. iij. dec. ij. obs. 119. Barthol. cent. 3. epist. 53. Rhoonhuysen lib. j. obs. 4.

Riverius cent. 3. obser. 43. *dicit curatum fuisse aneurisma minus cataplasmatibus adstringentibus ex* Bolo, terra sigill. aliisque compositis aceto, & albumine ovi subactis; *Et tertio quoque die immutatis; quibus fascia arctissima superinducebatur, & per tres menses curatum est.*

Idem observ. comm. à D. Pomaret XII. *Splenia parti admovet, decocto adstringente imbuta; superinducta fasciâ comprimente.*

XII. ME-

XII.

MEDICATIO VIRI,

GANGRÆNA

AFFLICTI.

VIr 40. annorum, robustus, post cœnam, bene potus, *a* mediâ hyeme, in stabulo, cujus fenestræ erant apertæ, se ad dormiendum composuit. A somno surgens pedes vix poterat movere, in iisque exiguus erat sensus; *b* color in iis apparebat lividus.

a Mediâ hyeme.) *Uti à vehementi frigore, ita quoque ab ardore, gangrænam oriri posse certum est.*

b Color lividus.) *Præcedunt nonnunquam vesiculę aquosæ cutis exterioris, mollitiesque partis affectæ œdematosæ: niger autem solet esse color in parte planè emortua.*

Pars affecta in hoc ægro sunt *pedes*; quod eorum stupor, movendi difficultas, & livor probant.

Morbus quo laborat, est intemperies frigida & putrida *a* atque contagiosa pedum, quæ sensus stuporem & movendi difficultatem ac livorem, ex caloris nativi extinctione inchoatâ, inducens, & ad vicina facile prorepens, *b Gangræna* appellari solet.

a Contagiosa.) *Quatenùs nempe ad alias partes, tàm internas, quàm externas, proserpit.*

b Gangræna.) *Quam nonnulli etiam vocant* ignem S. Antonii *vel* Marcelli: *estque incipiens partis mortificatio: ubi verò plena, & perfecta ea fuerit, vocatur sphacelus, sideratio, & necrosis; differunt ergò nonnisi gradibus.*

Causa hujus morbi *externa a* est aëris frigus, in quo æger noctu, corpore non satis adversus aërem frigidiorem munito, dormivit. Frigoris enim vehementiâ color nativus in pedibus valdè fuit extinctus; quo fibrillæ nervorum, pedibus insertorum, ita fuerunt vitiatæ, ut motum pedibus impressum ad cerebrum, sensationis excitandæ causâ, satis validè transmittere nequeant; *partesque insensibiles cutis, & vicinarum partium*, propter ingentem putredinem & corruptelam, ex frigore illo inductam, *ita fuerunt corruptæ, ut pedes jam liveant & stupeant*.

a Est aëris frigus.) *Omnia quæ humores coagulare, adeoque poros, tubulos atque canales plurimos obstruere valent, & fibrillas partium dissolvere, illa omnia dici possunt gangrænæ causæ; hùc ergò pertinent ictus serpentum, aliorumve animalium venenatorum, intempestivus usus repellentium, adstringentium, aut vesicatoriorum, ambustio, venena internè hausta, magnæ inflammationes & expansiones, v. g. in hydrope, febres malignæ, pestilentiales, ac petechiales, contusiones magnæ, &c.*

Mor-

Morbus hic est a *periculosissimus* : cum sit magnus à naturali statu recessus, & magna adsint symptomata : malumque hoc valdè prorepere, & brevi in *sphacelum* converti soleat.

Celerrima itaque & prudentissima *Curatione* mox erit aggrediendus; *eaque* in corruptelæ partium ablatione, & intemperiei correctione, & denique in partium, quæ aperientur, consolidatione consistet.

a Periculosissimus.) *Præsertim si locum habeat in partibus internis, & pluribus, à causa interna, & universali, v. g. in febribus malignis, scorbuto, lue venerea, atrophia, &c. Periculosior quoque est gangræna in partibus nervosis, ac tendinosis, quàm musculosis. De sphacelo cerebri, vid.* Hipp. Sect. 7. Aph. 50. *gangrænam colis, cum febre leipyria, hæmoptoë, hæmorrhoidibus, diarrhæâ, convalescente ægro: vid. apud* Joh. Nic. Pechlin. lib. obser. 23. *ubi jam omnis sensus in parte affecta periit, apparet color niger, cum fœtore cadaveroso, sphacelus perfectus adest, qui pessimus. Proserpit hoc malum sæpè non solùm ad partes vicinas, verùm etiam ad remotiores internas, partim quatenùs in totum sanguis crassus est & austerus, partim, quatenùs particulæ acres corrosivæ à parte affecta suscipiuntur à venis vasculisque lymphaticis, sicque ad sanguinem revehuntur.*

Statim itaque pedibus applicetur tale a emplastrum, calefaciens & corruptelam sistens:

℞. *Rad. raphani hortensis,*
Rapi an. Num. j.
Contundantur in mortario, addendo sem.
Sinapios ℥j.
Pulv. caryophyllor. ʒiij.
Ol. sem. lini, jugland. veteris an. q. s.
M. & F. Emplastrum, calidè applicandum pedibus per unum diem, ægerque in calido loco decumbat.

a Emplastrum.) *Melius in omni gangræna adhibentur fotus & cataplasmata, quam emplastra, modo absint farinæ constipantes: eum ergò in finem benè imponuntur panni, muriâ limonum calidâ madefacti, vel aq. calc. viv. cum aq. theriac. vel aq. marina, in quo coctum fuit vel scordium, vel absynth. marrub. phelland. cum rad. bistort. tormentill. & sim. sed interna simul usurpentur alexipharmaca, qualia conducunt in febribus malignis, pestilentialibus, variolis, &c. si tamen quis uti velit emplastro aliquo.*

℞. Emplast. defensiv. vulg. de bacc. laur. Pharm. Aug. an. q. s. & add. portionem ceroti de cumino, cum guttis aliquot bals. sulph. ther. verùm pinguiora hic non adeò conveniunt. Hoc præterea in casu (ubi à frigore suscepta est gangræna) pars fricetur omnium primò nive vel aquâ frigidissima, & vitetur subita ad ignem accessio. Vid. P. Barbette chir. c. xjv.

Si contingat malum ad internas partes extendi, a illico scarificationes satis profundæ usque ad vivam carnem sunt adhibendæ, itaut sanguis egrediatur.

a Illico scarificationes.) *Sunt modernorum Practicorum nonnulli, qui scarificationem omnem hoc in casu aversantur, utpote quæ nocivum aëris accessum ad putrefactam partem plus nimis facilitat; verum enim verò, pace eorum dixero, nimis inutilem esse illam* ἀκρίζειν, *cùm satis maturè pro-*

spici possit affectæ parti & lavamentis, & integumentis, ita ut licet aër aliquid ad pleniorem mortificationem videri posset contribuere, attamen brevi illo temporis intervallo, quo scarificatio instituitur, aut parùm aut nihil noceret; taceo, quòd medicamenta necessaria imponenda, vim suam sufficientem in partibus subjectis, ad evitandum gangrænæ progressum, exserere aliàs adeò promptè non possint.

Deinde partes laventur aquâ salsâ, vel spiritu vini, in quo unguentum *a* ægyptiacum est dissolutum: & lotio sit valdè calida. Postea adhibeatur tale unguentum; quod præstantissimum est ad omnem putredinem & ulceris malignitatem sistendam, & tollendam.

℞. *Floris æris, aluminis rochæ, mellis comm. an.* ℥iij.
Aceti acerrimi ℥v. *salis comm.* ℥j.
Vitrioli rom. ℥ß. *sublimati pulveris.* ʒij.
Bulliant. & F. Unguentum.

a Ægyptiacum.) *Hæc, ut nimis exsiccantia, & digestionem cohibentia, non immeritò à nonnullis rejiciuntur; Aliquando autem utiliter applicatur butyrum antimonii rectificatum, ad separandum ocyus mortuam à viva carnem.*

Si ita putredo superetur, *a* eschara separanda est apposito emplastro ex quinque farinis, *fabar. sc. lini, fœnugræci, hordei, lupinorum*, vel alio simili.

a Eschara separanda est.) *Hoc commodè obtinetur terebinthina, vitello ovi solutâ, & cum melle ros. mixtâ; item lacte dulci calido mellitô, vel flore lactis, unguento ros. pomatô, & similibus. Aliquando tamen separationem cogitur Chirurgus tentare, ope scalpelli acuti, &c. Vid.* Johan. Munniks prax. chir. lib. j. cap. vij.

Quod si neque per hæc sistatur corruptela, *a* igne utendum.

Eoque nihil etiam proficiente, pedes erunt exscindendi: ex Paræi sententia, in carne viva; ex Fallopii, in parte mortuâ, in confinio vivæ: quæ deinde, post sectionem, cauteriis actualibus adurenda, donec æger calorem cauteriorum sentiat.

a Igne.) *Juxta illud* Hippoc. *quod non sanat medicamentum, sanat ignis, quod non sanat ignis, sanat ferrum. Conf.* Galen. lib. ij. de cur. rat. ad Glauc. c. 9. Joh. Vigon. lib. 4. chir. c. 7. Fallop. tract. de tum. p. n. cap. 26., Aquapend. chir. lib. j. c. 19. & tit. de sphaceli chirurg. Cels. lib. 7. c. 33. Hild. lib. de gangr. & sphac. Soling. part. iv. cap. ij. &c.

XIII. ME-

XIII.

MEDICATIO SENIS, [a] LUXATIONE [b] FEMORIS LABORANTIS.

SEnex *c* sexagenarius, imprudentius domo in plateam lubricam egrediens, natibus in terram, lapidibus stratam, vehementi impetu lapsus est; atque hinc tumorem habet durum, circa dextram & exteriorem ossis coxendicis partem. Crus sinistrum *d* dextro est longius. Femur dextrum movere nequit. Tam vehementem patitur dolorem, ut ejulatibus totam domum repleat.

a Luxatione.) *Dividi solet hæc in veram & spuriam, s. perfectam & imperfectam, quarum illam Græci vocant* ἐξάρθρημα, *hanc verò* παράρθρημα, *i. e. subluxationem, ubi nempè ossis caput sinu proprio, s. acetabulo, non prorsùs elapsum est, sed partim introrsùm, partim extrorsùm, marginibus acetabuli quasi innititur.*

b Femoris.) *Cujus ossis articulatio perficitur (ut loquuntur Chirurgi) per enarthrosin diartroseωs: nempe capite suo globosô, (ut loquitur* celeb. Joh. Munniks prax. chir. lib. 5. cap. 3.) *validâ cervice subnixo, & cartilagine obducto, coxendicis acetabulo, amplo satis & profundo committitur, in eoque, duobus validis ligamentis detinetur; uno lato, crasso & membranoso, quod totum articulum circumdat; altero, tereti, quod ab ipsa acetabuli cavitate productum, in susceptum femoris caput inseritur, idque acetabulo firmissimè connectit. Conf.* Th. Barthol. anat. lib. iv. c. xxj.

c Sexagenarius.) *Hæc ætas difficilem facit prognosin.*

d Dextro est longius.) *In luxatione* versus interiora (*notante* laudato Munniks *ex* Hier. Fabr. ab Aquapend. part. ij. lib. v. cap viij.) *crus longius est, si cum altero conferatur, & difficulter mobile, genu exterius protuberat, ac globosum femoris caput, manu in inguine notatur.* Exterius *verò ubi facta luxatio, crus altero brevius est, quoniam femoris ossis caput in locum altiorem excidit: inter scrotum & anum pars in sinum debiscit, at juxta clunes in tumorem attollitur; genu, pes, tibia intrò spectant, pedem equidem talis commodè flectere potest æger, at terræ imponere haud ita; calce nempe terram non attingit, sed ima planta, quia crus abbreviatum est, licet aut non reponatur, dolor tamen per se tandem cessat, ægerque temporis successu, sine sustentaculo incedere potest.* Anteriorem in partem *si femur fuerit luxatum, tumor in inguine adest, cum femoris caput ad pubem incumbat, nates contra, propter musculos cum femore ad pubem contractos, rugosæ sunt, ac depressæ; urina, propter cervicem vesicæ quodammodò compressam, aliquandò supprimitur, crus nec curvari, nec ad inguina adduci potest, cùm in ipso flexu sit femoris caput, idem tamen nec elongatur, nec abbreviatur ad calcem præsertim, digiti pedis namque non facile extendi, nec ad terram converti possunt, undè in incessu æger calci inniti cogitur.* In luxatione ad posteriora, *pedem nec extendere, nec flectere valet æger, indè calx terram non attingit, crus abbreviatur valdè, in inguine sinus est, at compressis natibus, protuberantia observatur notabilis, ex globoso videlicet femoris capite in nates prolapso, quod*

visu tactuque ibidem deprehenditur. Confer Paul. Barbette chir. cap. vj. Hippocr. 3. de art. text. 68. Celf. lib. viij. cap. 23. Paul. Ægin. lib. vj. cap. 119. Paræ. lib. 15. à cap. 39. ad 48.

Pars, quæ præcipuè in hoc ægro afficitur, est *femur dextrum*: quod ex ejus brevitate, tumore, dolore, & motu impedito patet.

Morbus, qui ipsum torquet, est *Luxatio*, qua os femoris dextri, ex acetabulo suo deturbatum, versus superiora ascendit.

Eaque ex tumore, circa externam & superiorem ossis coxendicis dextri partem existente; item ex cruris dextri brevitate, est manifesta.

Causa hujus morbi *externa* *a* est vehemens ille lapsus, natibus in duram terram magno impetu factus; quo os femoris, ex acetabulo versus superiora propulsum, *facit illum tumorem & cruris dextri brevitatem*: premens verò ibidem nervos, partesque alias acuto sensu præditas, *ingentem illum dolorem excitat*.

a Est vehemens lapsus.) *Per vim lapsus, & duritiem lapidum substratorum, caput ossis ex acetabulo suo est expulsum, sed id fieri non potuit, sine ligamentorum valida elongatione, quæ cum postea contrahantur, os sursum trahendo detinent extra acetabulum. Præter violentas causas externas, ligamenta ossis femoris, affluxu humorum viscosorum, obstructione factâ, haud rarò ita relaxantur & elongantur, ut resultet ossis ejusdem subluxatio. Conf.* Rolfink. exerc. anat. lib. ij. c. 49. Diemerbr. anat. lib. 9. c. 19. *Sic quoque ad hoc malum producendum contribuere multum potest difficilis partus.*

Luxatio hæc *a* difficulter poterit restitui, propter validos musculos, qui locum affectum circumstant; & difficulter, propter ligamenti capitis femoris relaxationem, in loco suo, ubi restitutio fuerit facta, poterit retineri. Affulget tamen haud parva spes curationis, quia affectus est recens. Claudicatio autem vix evitari poterit.

a Difficulter.) *Præsertim in sene labefactato, cujus tendines & ligamenta sunt rigidiora & sicciora: vetustæ luxationes nunquam curantur, siquidem callosa substantia sinum acetabuli repleverit: subluxationes verò, præsertim in junioribus, non adeò difficulter curantur: Luxationes compositæ, cum vulnere, fractura, &c. sunt periculosissimæ, utpotè quæ inflammationes, dolores vehementissimos, deliria, febres & convulsiones, haud rarò lethales gignunt. Conf.* Hild. cent. 6. obs. 100. *In quibus luxationibus, ossium margines (notante* Joh. Munniks*) sive cavitatum supercilia abrumpuntur, pessimæ sunt, quoniam suo loco etsi restituantur articuli, tamen non diu persistunt, sed levissima de causa iterùm excidunt: quod idem evenire solet infantibus, debilibus, & pituitosis subjectis.*

Curatio peragetur *a* chirurgicâ extensione, pressione, & retentione.

Primò itaque fasciis, in scamno Hippocratis, vel alia ratione rectè adhibitis, femur versus inferiora trahatur; & deinde premendo in acetabulum reducatur; ubi reductum fuerit, medicamenta sunt adhibenda, quæ inflammationem prohibent, dolorem sedant, & ligamenta laxata constringunt: & porro fasciis laborandum, ut femur in loco suo retineatur.

a Chirurgicâ. (*Nempe pharmaceuticis nullis remediis, s. luxatum, s. dislocatum os restitui potest, sed tamen, ea aliquid ad restitutum os in loco suo conser-*

servandum conferre poterunt: ergò ad luxati membri in pristinam s. naturalem reductionem, quam Græci vocant ἀρθρέμβολον, *quatuor vulgò pertinent operationes, extensio, repositio, deligatio, ac membri restituti collocatio, ad quam etiam pertinent roboratio membri affecti s. confortatio; extensio ergò fiat quantocyus, nè forte superaccedens posteà inflammatio eidem obsit: Vid.* Fallop. lib. 3. de luxat. Tagaulti. lib. 5. cap. 4. Ambr. Par. lib. 5. cap. 5. Joh. Vig. lib. vj. cap. j. Anton. Chalmet. enchir. chir. lib. 4. c. 2. Scult. arm. chir. tab. 28. Cels. lib. 8. c. 11., Fab. Hild. cent. 2. obs. 40. &c. *Ut autem luxatum femur restituatur, patiens pulvinari subjecto super scamnum, aut mensam ita collocandus erit, ut pars in quam caput ossis femoris prolapsum est, sit superior, ea verò, à qua recessit, inferior: i. e. pronus, si extrorsùm, aut retrorsùm luxatio facta sit; supinus, si introrsùm; & in latus, si antrorsùm; posteà membrum convenienter, vel manibus, vel habenis, vel trochleâ. (Vid.* Scult. arm. tab. 21. 22. fig. 1. 3. 4. & Hild. cent. 5. obs. 86.) *ritè extendatur, osque per viam luxationi contrariam, in sinum suum blandè circumagitando, &c. est immittendum. Vid. plura apud* Excell. Joh. Munnixs lib. v. cap. ij. & iij. *tàm de deligatione, quàm collocatione, & roboratione.*

XIV.

MEDICATIO JUVENIS, a SCORBUTO LABORANTIS.

JUvenis *b* 28. annos natus, temperamento melancholicus, post *c* errores varios in victu commissos incidit in tertianam, à qua convalescens *d* percipit in hypochondrio sinistro tumorem durum, cum respirandi difficultate. Adest ipsi febricula, per accessiones quotidie invadens. Color faciei est ex pallido fuscus. Crura debilia maculis quibusdam sublividis, variis locis sunt notata. Gingivæ tumidæ, leviter contactæ, *e* sanguinem emittunt. *f* Halitus oris fœtet. *g* Appetitus ipsi est prostratus. *h* Multum sitit.

a Scorbuto.) *Hic morbus, nùm* Hippocrati *cognitus fuerit, nec nè, quæstio herclè, curiosa magis videtur, quàm utilis: utut sit, saltim haud obscura extant ejus apud eundem variis in locis indicia: vid.* lib. de intern. affect. §. xxxjv. & xxxv. lib. de affect. §. xxj. &c. *nec adeò credendum est* Schmitzio, qui compend. pract. p. 397. *dicit scorbutum Germaniam primò invasisse anno* 1486. *conf.* misc. cur. an. 2. obs. 234. *Familiaris certè morbus est accolis maritimis & septentrionalibus, & plurimorum morborum fœcunda & mater & soror (ut loquitur* Pechlin. lib. 1. obs. LXVij.) *existit. Equidem, ut ingravescens hic affectus morbos alios generat, alios modificat, ita rarus est in his plagis morbus, in quo non & ille partes habeat suas, ita ut non ineptè* Eugalenus de scorb. *recenseat scorbuti symptomata* 49. *sufficit enim in isto morborum iliade numerus incertus pro certo: ut autem (verba sunt* Pechlini) *Italiæ Galliæque oræ maritimæ & ipsæ, salsugine aëris non careant, tamen in calore illo fluidoque volatili, partium fermentorumque temperiem magis*

conservari, credibile est, atque impediri, nè in habitum ac interiora, texturæ salsedo debacchetur : Quicquid id est notâsse (pergit) videor, si non scorbutum, at certè affines ei morbos, in Italiæ quoque Urbibus, quæ mari prætextæ sunt, regnare, &c. Paulo Barbette prax. lib. 4. cap iij. *audit hic morbus, passionis hypochondriacæ Mater : aliis vocatur stomacace, scelotyrbe, &c. vid.* Plin. lib. xxv. cap. iij. *item* Strabo. lib. xvj.

b 28. Annorum, &c.) *Infantes rarius hoc morbo (saltim graviori) vexantur, nisi parentes, pessimo exemplo, ipsis exhibeant omnis generis alimenta crassa, viscosa & dura, fumo, sale, aceto condita, & vento indurata ; aut ipsi fuerint valdè scorbutici, est enim malum hæreditarium.*

c Errores.) *Debuisset ille errores speciatim expressisse.*

d Percipit tumorem.) *Tumor hic hypochondrii sinistri non semper adest, sed tamen potest adesse : conf.* Sylv. & P. Barbette.

e Sanguinem emittunt.) *Non semper hoc est certum signum scorbuti, nam quibus vasa sanguinea naturaliter prope superficiem excurrunt gingivarum; iis levi contactu sanguis effunditur, utut sanissimis.*

Ubi vero ex gingivis præter consuetudinem sanguis facile exprimitur, tunc pro signo scorbuti haberi potest, verisimili.

f Halitus oris fœtet.) *Oris fœtor à variis oriri potest causis, v. g. exulceratione pulmonum, impuritate dentium, relaxatione fibrillarum ventriculi, usu allii, aut aliarum rerum graveolentium, menstruatione, singulari sanguinis constitutione, &c.*

g Appetitus prostratus.) *Qui quoque non semper hic adest quin aliquando debito major est.*

h Multum sitit.) *Nec sitis scorbuti signum est pathognomonicum, siquidem plurima, contraria occurrant exempla.*

Urinæ multum variant in hoc morbo, adeo ut sæpe sint crassæ & plurimo sedimento ruffo nigricante, etiam albescente refertæ ; aliquando tenues, & aqueæ, vel etiam rubicundæ splendescentes.

Afficiuntur in hoc ægro *lien*, ut patet ex *a* tumore, in sinistro hypochondrio percepto, & respirandi difficultate; item *cor*, ut docet febris, item *b hepar* ac pancreas, ventriculus ac pulmo, ut constat ex fusco pallidoque vultu, & ex fœtore halitûs oris; *crura* quoque, ut probat eorum debilitas & maculosus livor; denique etiam *gingivæ*, quod constat ex sanguine, à levi pressione, ex iis emanante.

a Tumore.) *Lien obstructus esse potest, licet non semper sit tumidus : ita paralyticæ partes (obstructæ licet) non intumescunt, sed gracilescunt, & emaciantur : hinc tamen non est concludendum in omni scorbuto lienem esse obstructum.*

b Hepar.) *Ejus affectionis in historia nullum extat argumẽtum; postea tamen & hoc viscus in scorbuto affectum esse.*

Morbus præcipuus, qui ægrum nostrum affligit, est intemperies quædam Batavis endemia, serosa, crassa, acris, & maligna viscerum, chylosi, & chymosi, hæmatosi inservientium; quæ præter febrim, halitûs fœtorem, gingivarum tumorem, earumque à levi contactu sanguinis emissionem, crurum in motu debilitatem, eorumque *a* sublividas maculas, ac lienis, vicinorumque viscerum obstructiones & tumorem inducens, *b Scorbutus* vulgò appellatur.

a Sublividas maculas.) *Quæ nonnunquam abeunt & in vesiculas aquosas, & crustosas fœtidas, atque saniosas, ita ut nisi ingenua ægri innocentis acce-*

accedat confessio, luem veneream adesse jurares, præprimis cùm accedant dolores illi internodiorum ὀστεοκόποι *nocturni, ossium caries, narium inflammatio, &c., vid.* misc. cur. ann. 3. dec. 2. obs. 166. *item* Pechlin. l. c. p. m. 174. *Porrò Maculæ illæ non solùm aliquando nigrescunt & livescunt, verùm etiam virescunt, quæ ominales sunt & pessimæ indolis.*

b Scorbutum.) *Barbara, (saltim non latina) hæc est mali denominatio, forsan ad imitationem aliorum populorum: ita enim similes occurrunt alias apud gentes (puta Germanos, Svecos, Danos, Belgas, &c.) nomina.*

a *Causa procatarctica* hujus morbi est varius error in victu commissus; quo cacochymia in corpore genita, & tertiana tandem producta, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Ea verò per moram ulterius corrupta, ac visceribus & sanguini, aliisque partibus peculiarem *b* qualitatem crassam, fixam, & acrem, ac malignam; symptomata jam commemorata *c* producentem, imprimens, *continens* hujus morbi, & symptomatum est causa.

a Causa procatarctica) *Salia acriora ex mari, aliisque locis salsuginosis elevata, crassoque aëri communicata per inspirationem non solùm, sed etiam deglutitionem, magna copiâ sanguini communicantur, undè ille variis modis coagulatur, & disponitur, prout indolem habuerit variam ab ipsis generationis primordiis, vel diætæ determinatione: multum scilicet ad scorbuticam dispositionem contribuunt carnes sale & fumo induratæ, præsertim suillæ, pisces ejusdem naturæ, vina austera, cerevisia antiqua, vel malè cocta, ex aquis statariis, vel aliis proximis, caseus tàm antiquus, quàm recens, lactuca cum aceto, oleo & sale, ut mos est in acetariis, panis siligineus acidior, niger & crassioris substantiæ, (quem vocant arinceum) similiaque alia sexcenta plura. Vid.* lib. ij. med. xiij.

b Qualitatem crassam, fixam, &c.) *Non ubique eadem est hujus qualitatis crassæ & acris conditio, sed multum variat, ut patet ex diversa methodo medendi.*

c Producentem.) *Nempe poros, multosque variarum partium canales obstruendo.*

Ea enim sanguini mista, & quotidie vehementius in corde cum malignitate effervescens, producit *a febriculam* quotidie invadentem. Lieni copiosius impacta, producit in eo *obstructiones & tumorem in sinistro hypochondrio perceptibilem*; Copiâque suâ pancreas & mesenterium distendens, atque hinc liberam diaphragmatis depressionem, in inspirando necessariam, impediens, *respirandi inducit difficultatem*. Ad *vultum* devecta, *ex fusco pallidum* suo colore illum *efficit*. In crura descendens, ibique ob gravitatem & crassitiem hærens, musculos sua intemperie ad motum facit ineptiores & debiles, & cutim ibidem, *b* exesis vasculis capillaribus, subnigro suo colore variis locis tingens, *multas maculas lividas cruribus imprimit*. In *gingivas* copiosius effusa, copiâ suâ ibi facit, *earum tumorem*, & acrimoniâ vasa pene exedens, ad levissimum contactum *sanguinis in iis excitat perfusionem*. Ad pulmones & os delata, ibique fœtorem contrahens, & cum aëre exspirata, *halitus fœtidi facit exspirationem*. Dum verò aqnosiores quædam ejus partes in ventriculum effunduntur, ibique succum, qui famem excitare solet, vitians, *tollit famem*; in œsophagum verò salsis quibusdam & calidioribus effusa partibus, *inducit sitim*.

Morbus hic, propter malignitatem, & viscerum istorum affectionem gravem, *est* c *periculosus*. Quia tamen haud altas egit radices, spes sanationis ampla affulget. Verùm *Curatio* ejus gnaviter erit aggredienda.

c Fe-

a Febriculam.) *Scorbutici habituales, fere nunquam sunt ἀπύρετοι, tàm propter crassiorum particularum à subtilioribus secessionem, quàm vellicationem fibrillarum cordis arteriarumque à sale acri abundante, quâ pulsus redditur præter naturam celer & inæqualis.*

b Exesis vasis capillaribus.) *Exesio hæc vel erosio, non ita locum habet in planis illis maculis, quàm in scabie, vesiculis pustulisque cutis scorbuticis: meminit* Pechlin. lib.j. obs. Lxvij. *deprehensa in cute scorbutici, primùm gustu, mox abrasa salium ramenta in vasculo sibi ostensa esse, non aliter atque pædor ille, corio innascens equorum, salsus & ipse, qui strigilibus excuti colligiquè in notos Veterinariis usus solet. Confer* celeberr. Joh. Bohn circ.phys.anatom.progymn.xv.p.228. & 229.

c Periculosus.) *Jam suprà dictum fuit scorbutum sexcentorum aliorum symptomatum morborumque matrem esse posse, præsertim si inveteratus fuerit, aut hæreditarius, & imis infixus medullis. Reperias tamen (ut, cum* latinissimo, *fidissimo &* Expertissimo sexcenties jam citato Pechlino, *loquar) qui in atmosphæra tàm salsâ diætaque vitio enormi, tàm valido fermenti elatere, ut sic loquar, & incorrupto ventriculi menstruo sunt armati, ut dura quævis, viscida & salsa, sine ullo incommodo digerant, inque unum diversissima omnia contrariaque, colligant chyli saporem. Sunt sanè etiam (ut pergit idem Auctor) in septentrione gentes, in auræ illâ salsugine, diætaque salsa & durâ, fortissimæ tolerandisque vitæ incommodis, quàm idoneæ, nullis ferè morbis, minus verò scorbuto obnoxiæ, ut in illis, qui sinui Botnico propinqui agunt, Finnis, Esthonibus, Gothis, aliisque apparet: scilicet, ob maris sinuumque opportunitatem, magna illis salitorum piscium, carniumque copia, major etiam ingluvies, ubi contrà, qui montana & nemora incolunt Lappones, caseo, lacte, tandem & carnibus Rangiferorum, aliqui etiam sine sale, contenti, si cum illis conferantur, debiles sunt, causarii, malè habito corpore, etiam peregrini aëris minùs patientes, &c. ratio autem horum omnium, nostris ex fundamentis sunt clarissima. Porrò metus est, ne, abeat in melancholiam hypochondriacam, scabiem, psoram, lepram & elephantiasin, hydropem, paralysin, &c. confer* misc. cur. dec. ij. ann.2. obs.175. *aliquando suboriuntur evacuationes criticæ, per vomitum, secessum, salivationem, diuresin & diaphoresin. Aliquandò scorbutus inveteratus & gravior, ita mentitur luem veneream, ut ægerrimè Medicus & sibi, & querentibus fidere possit, nam bubones & furunculi aliquandò genitalia, aut eorum viciniam infestant. Haud rarò quoque infert exulcerationes linguæ, gingivarum, palati, cariem maxillæ &c. quæ vulgò comprehenduntur Belgarum* Dater-Kanker, *quasi diceres, cancrum aquosum. Vid.* Hippocrat. lib. de internis affect. text.34. & 39. Cels. lib.2. C.6. P. Æginet. lib.3. c.49.

Hartmannus inquit, fœminas hunc morbum ferre posse ad annos 15. vel 20. Masculos vero non affligi ultra 7. aut 8. annos; hæc tamen observatio est, pace Auctoris, non valde certa.

a *Eaque* consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione & viscerum, sanguinis, & aliarum affectarum partium intemperie, per attenuantia, aperientia, & volatilisantia, correctione, & obstructionum apertione.

a Eaque consistet.) *Equidem, ut temperamenti ingenium morbi variat speciem, ita & determinari remediorum formulas necesse est: pessimè ergò procedunt neotericorum plurimi, qui alcalicis solis medelam pertexere conantur, sunt enim scorbuti species frequentes, partim acidis volatilibus, partim & aquosis curandæ.*

Præ-

Præscribatur itaque *a* primò tale apozema alterans & purgans, ubi sanguis ad uncias sex vel octo ipsi fuerit eductus:

℞. *Rad. cichorii, fæniculi, petroselin. an.* ℥j.
Raphani rustici ℥jß.
Capparum, tamarisci an. ℥ß.
Herbar. cichorii, acetosæ, cardui benedicti, fumariæ,
Becabungæ, nasturt. an. m.j.
Cochleariæ m.ij.
Sem. anisi, fæniculi an. ℨij. *tamarind.* ℥ij.
Decoquantur in aq. hordei ad lib.j.ß. addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℥j. *mechoacannæ, agarici an.* ℨj. *cinnamomi* ℈j.
Colaturæ adde syr. de limonibus ℥jß. *b spirit. vitrioli gut.xv.*
Misce F. Apozema, de quo sumat æger quotidie mane ℥iiij. vel v. jejunus.

a Primò tale apozema, &c.) *Auctoris apozema non est contemnendum, modò addantur rad. raph. rust. item herb. cochlear. becab., & nasturt. solummodò sub finem decoctionis, vel potius, decocto calenti, virtutem enim alias potiorem amitterent: rectè etiam addi possent rad. polyp. quern. stip. dulcam. tart. crud. Rhenan. strobyl. pini & simil.*

b Spirit. vitrioli.) *Nos longè præferremus ol. sulph. per camp. spir. sal. & nitr. dulc. acet. esurin. &c.*

Apozemate illo *a* absumto, idem, vel simile ex antiscorbuticis, repetatur, ac de eo bis terve in die haustus bibatur.

Interim hoc *b* linimentum ventri, & præsertim lieni, adhibeatur:

℞. *Ol. capparum,*
Aceti fortis an. ℥iij.
Vini malvatici ℥j.
Bulliant ad vini & aceti consumtionem; deinde adde
Adipis anserini,
Medullæ crurum boum an. ℥ß.
Cum ceræ q. s. F. Linimentum, quo ungatur totus venter calidè, & præcipuè sinistrum hypochondrium.

a Absumto.) *Alternatim, pro re nata, juxta indicationes à juvantibus & nocentibus desumptas, usurpentur sal vol. C.C. puriss. sal. cran. hum. succin. sal tart. vitriol. Tachen., sal duc. Holsat. nitrum nitratum, sulphuratum, &c.* Thomas Bartholinus in act. Hafn. ann. 1671. obs. 9. *notat, quòd in Groenlandia, ubi scorbutus urget, magna quantitas cochleariæ & acetosæ, (ubique conjunctim crescentes) reperiatur, quæ à Nautis habetur ut egregium antiscorbuticum: sic quoque succus limonum magnæ est hoc in casu utilitatis.*

b Linimentum.) *Sordidum & inefficax est remedium, & frustra aliquid* externis *tentamus, nisi* internis *simul, & præcipue fiat curatio.*

a Pro gingivis sanguinolentis utatur hac oris collutione:

℞. *Cort. prunor. silvestrium* ℥j.
Cochleariæ, nasturtii aquatici an. m.j.
Rosar. rub. m.ß.
Balaustior. ℨij.

Coq.

Coq. in aquæ chalybeatæ q.s. ad lib. j.
Colaturæ adde syr. rosar., diamori an.℥j.
Aluminis ℥j. Misce, F. oris collutio.

a Pro gingivis sanguinolentis.) *Utut contra hoc malum collutiones adhibeantur adstringentes, parùm aut nihil præstabunt, nisi mali causa universalis, per interna medicamenta fuerit infracta & evacuata: Egregiè aliàs operatur seq.*

℞. Mell. ros. ℥iß.
Succ. scord. rec. express. ℥j.
Elix. prop. Parac. ʒß.
Succ. catechu pulv. ℈j.
Alum. ust. gr. viij.
Nitri fix. ℈ß.

M. quō mediante gingivæ putridæ leniter fricentur: os posteà eluatur vino rubello, vel Tinctura herbæ theé. Etiam hic conducit tinct. gumm. lacc. facta per sp. sal. ammon. & alcoh. vin. quæ temperari potest pro lubitu per mel ros. Fructus etiam palmæ arecifera, Faufel dicti, apprimè hic conducere dicuntur; eos enim unà cum foliis Betle & calce per totam Indiam orientalem masticari ad os mundandum refert Joannes Otho Helbigius. *Malaiis, dicuntur Pynang. Denique pleraque hùc spectant anthelmintica (exceptis, mercurialibus) dentium quippe mucus tartareus, superficiem dentium incrustans, totus quantus est & verminatus. Causas fœtentis anhelitus quinque, vid. apud* Pechlin. obs. 49. lib. ij. *nempe* 1. *ex ciborum inter dentes reliquis, & mucilagine dentium:* 2. *sanguinis intra gingivarum venas concrescentis stagnantisque putredine.* 3. *ex ventriculi corruptela.* 4. *Ex putredine texturæ sanguinis immistâ, s. per ulcus pulmonum, scorbutum.* 5. *Ab ozæna.*

Utatur etiam sæpius *a* malis aurantiis & citriis, cum corticibus in tessellas dissectis, & eorum succo expresso cum cibis.

Ad maculas crurum *b* hoc lavacro utatur mane, & vesperi cubitum iturus:

℞. *Absynthii, rorismarini, malvæ, salviæ, nasturtii,*
Flor. rosar. an. m.j.
Coquantur in aq. comm. q.s. pro Lotione pedum, eoque foveantur loca affecta maculis.

a Malis aurantiis.) *Vel*

℞. Succ. mal. aurant. rec. expr. ℥iß.
Syr. de card. ben. vel menth. ʒvj.
Spir. carm. Sylv. ʒij.

M. F. Haust. hùc pertinent sp. nitr. sal. dulc. nitrum nitrat. tart. vitriol., crem. tart. & sim. Purgantia hic omittenda sunt acriora, & crebriora, prout dictum in affect. hypoch.

b Hoc lavacro.) *Præstat balneum humidum universale.*

In *Victus ratione Aër*, sit tenuis, purus, patens, temperatus. *Cibus* sit parcus, boni succi, facilis coctionis, attenuans, ex pane bene fermentato triticeo, carnibus avium montanarum, vervecum, gallinaceis, passulis, amygdalis, caricis, prunis coctis, beta, petroselini & cichorii radicibus. *Potus* etiam parcus, sit cerevisia tenuior, bene defæcata & fermentata, lupulo vel absynthio bene condita, vinum oligophorum. *Somnus* moderatus, uti & *motus corporis*, Fugiat *tristitiam*. *Excrementa alvi*, vel naturâ, vel arte, assumtis respondeant.

XV.

MEDICATIO VIRI,

a ARTHRITIDE VAGA, *DE DAREN* BELGICE DICTA, LABORANTIS.

VIr 42. annorum, natione *b* Westphalus, jam ab aliquo tempore cruciatur doloribus, in variis corporis membris, sed potissimum in dorso & lumbis, ipsum, *c* instar vermiculorum rodentium, torquentibus. Adest etiam quædam articulorum movendorum impotentia. Solent dolores hi unam aliquam in hoc ægro invadere partem, & deinde celeri discursu in alias transferri, ita ut, sopitis doloribus pedum, illico scapulæ afficiantur; iisque jam tranquillis, è vestigio manus crucientur, ac ita per omnes artus dissiliant. *d* Noctu etiam magis, quam interdiu, exacerbantur. Urinæ non multum à sanorum urinis discrepant. *e* Vermiculi quidem interdum in fundo matulæ, & interdum etiam in alvi fæcibus conspiciuntur. Interdum tumor est circa articulationes; qui ubi diu durat, excitat maculas, instar scorbuticarum lividas. Alvus sæpe est adstrictior.

a Arthritide.) *Confer* medicat. iv. lib. hujus, *nec opus erat entia multiplicare citra necessitatem*.

b Westphalus.) *In illo regionis tractu largè comeduntur carnes sale & fumo conditæ, porcinæ & hauriuntur vina austera Rhenana, quæ huic malo originem præbent uberrimam*.

c Instar vermiculorum.) *Imò aliquandò reipsâ vermiculos hoc malum producere, facile crediderimus: conf.* medic. xxxiij. lib. iij. *De crinonibus & dracunculis sub cute hærentibus, maciemque inferentibus. Vid.* Etmuller. de lactis & lactat. vitiis.

d Noctu, &c.) *Quia calore lecti magis commoventur humores peccantes*.

e Vermiculi in fundo matulæ.) *Videantur, elegantissimæ circa hanc materiam annotationes, apud virum, omni laude superiorem*, Joh. Nic. Pechl. lib. j. obs. xviij. de vermiculis in urinis: *item* lib. ij. obs. 35. & 36.

Afficiuntur in hoc ægro, secundum articulationes, varia corporis membra, ut *brachia*, *& crura*, sed potissimum *dorsum & lumbi*; idque ex vagis istis doloribus, partes illas torquentibus, item ex maculis lividis, partes illas post diuturniores dolores obsidentibus, patet. Afficiuntur etiam *renes & intestina*; quod ex vermiculis, in urina & alvi fæcibus interdum conspectis, est manifestum.

Morbus, qui ægrum hunc affligit, est intemperies quædam sanguinis Westphalis, Gelris, aliisque vicinis populis *a* endemia, serosa, acris, *b* volatilis, & maligna; quæ in varias jam commemoratas corporis partes subitò & per vices delata, easque corrosivis doloribus torquens, motumque eorum justum impediens, & maculas lividas interdum inducens, Latinè *Arthritis vaga endemica*, & Belgicè *de daaren*, vel *de bliegende Figt* appellari solet.

a Endemia.) *Potissimum Hungaris.*
b Volatilis.) *Id est, magis quàm in alia arthritide subtilis: sed tamen non ita volatilis, ut ritè per canaliculos partium nervosarum, tendinosarumque circumferri possit, aut in auras abire.*

Causa hujus morbosæ intemperiei sanguinis, est aëris Westphaliæ & vicinorum locorum peculiaris pravitas; quæ alimenta, & corpora incolarum nonnulla ad hoc apta, ita vitiat, ut talem intemperiem sanguinis inducat, quæ ipsos jam commemoratis symptomatis quam gravissimè torquet.

Morbus hic, præ dolorum vehementiâ, & ob intemperiei suæ gravitatem *a* marasmum & fistulosa ulcera inducere solet; atque ideo diligenti *Curatione* erit impugnandus.

a Marasmum.) *Item deliria, febres, vigilias diuturnas, &c.*

Eaque in pravorum humorum *a* eductione, & intemperiei istius malignæ correctione, dolorisque placatione consistet.

a Eductione.) *Purgantia hic maximè nocent, uti quoque alibi notatum.*

Primum itaque purgetur & alteretur æger *a* tali Apozemate:

℞. *Rad. polypod. querc.* ℥j.
Herb. salviæ, Betonicæ an. m.j.
Scabiosæ, rutæ, abrotani an. p.j.
Sem. anisi, citri an. ℨij.
Passular. mundat. ℥ß.
Coq. in aq. comm. lib.ij. ad mediæ partis consumtionem.
Addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℨxij.
Stent in infuso per noctem; mane fiat expressio fortis:
Et deinde, cum liquore illo colato, per colum rursus transmittantur lumbrici terrestres vino abluti Num. IX.
Et addatur sacchari q. s. ad saporis gratiam. De hoc Apozemate bis vel ter in die æger sumat ℥iij. pro dosi.

a Tali Apozemate.) *Præstat sapo Venetus in lacte dulci coctus, addito syr. papav. alb.*

Corpore ita purgato & alterato, tali utatur æger potione:

℞. *Rad.* a *succisæ* ℥j. *aristolochiæ rotund.* ℨij.
Herb. salviæ nobilis, betonicæ an. m.j.
Abrotani, rutæ, vincæ pervincæ, sabinæ an. p.j.
Coq. in aq. fluviat. q. s. ad consumt. med. part. ad ℔iß.
Cum hujus decocti expressi ℥iiij. *pro vice, trajiciantur*
b *Lumbrici terrestres, circulis in collo insigniti* Num. v.
Deinde admisce theriacæ electæ ℨß. *pulv. cinnamomi* ℈j.
Sacchari quantum placet. Exhibeantur mane calidè, & corpus tegatur ad sudorem proliciendum.

a Succisæ.) *Id est morsus diaboli.*
b Lumbrici terrestres.) *Horum succus à nonnullis optimo cum successu propinatur, succo acetosæ, vel etiam aceto vini permixtus, & syr. pap. edulcoratus.*

Et repetatur hæc potio diebus aliquot continuis; imo, si opus est, per aliquot septimanas.

Magni usus hic etiam est sequens medicamentum, post purgationes exhibitum:

℞. *Lumbricos terrestres in mortario*
Cum duobus cochlearibus vini
Contusos, & per pannum trajectos. Num. IX.
Deinde misceantur cum vini mensura dimidia. De hoc liquore sumantur cochlearia tria, mane, meridie, & vesperi.

Quod si in unam aliquam partem procumbat virus, & abscessum excitet: is ut aperiatur, plantago cum sale adhibenda.

Abscessu aperto, unguentum ex radicibus cicutę aquaticę est applicandum tale:

℞. *Radices cicutæ aquaticæ q.s. eæque stupâ madidâ*
Involutæ sub cineribus ad mollitiem coquantur, deinde cum melle q.s. misceantur in formam, vel consistentiam Unguenti.

Utile hic etiam est cataplasma ex radicibus sigilli Salomonis, cum aquâ vel cerevisiâ coctis.

Sunt, qui abscessui aperto inspergunt pulverem talpæ vivæ, in ollula combustæ in cineres. Hic cinis etiam intro sumitur cum vino vel cerevisia per aliquot dies, lunâ crescente, & etiam in ejus defectu.

Alii spem curationis totius ponunt in exhibitione insecti, quod *a* Buprestis Latinè, *Mepworm* Belgicè, & *Cantarello* Italicè vocatur. Verum periculosissimus ejus est usus.

In diæta Aër, sit purus, temperatus. *Cibus* sit parcus, boni succi, facilis coctionis, attenuans, ex pane bene fermentato triticeo: carnibus vervecinis, gallinaceis, passulis, amygdalis, caricis, prunis coctis, betâ, petroselini & cichorii radicibus. *Potus* sit parcus, ex cerevisiâ tenui, lupulo & absynthio conditâ, vino oligophoro. *Somnus* sit moderatus, ut & *motus* corporis. Fugiat *tristitiam*. *Alvus* naturâ vel arte bene respondeat assumtis.

a Buprestis) *Etiam dicitur proscarabæus, & scarabæus unctuosus, nec non vermis majalis: vocabulum buprestis, dicitur* παρὰ τὸ πρήθειν τοὺς βοῦς *i. e. ab inflammando & rumpendo boves, si fuerit ab iis devorata. Pulvis ejus commendatur à* Wiero, *sed tamen respectu acrimoniæ (quâ pollet causticâ) suspectus est, vesicæque nocet. Aselli vero s. millepedes multis opem, & solatium tulisse arthriticis, res est certa.*

XIV.

MEDICATIO VIRI,

a LUE VENEREA, *b* CUM GONORRHEA VIRULENTA,

LABORANTIS.

VIr triginta annorum, boni habitus, *c* temperamento biliosus, quatriduo *d* post coitum cum muliere quadam peractum, urinam frequentius cœpit

excernere, dolorem inter mingendum, in meatu urinario, circa glandem, sentire. Postridie materiam albam, subflavam, guttatim ex urethrâ excrevit. Patitur jam frequentem penis cum dolore *e* erectionem. Præterea *f* pili è mento, & capite copiosè ipsi decidunt. Vultus, præ intumescentia, à recepto lumine *g* fulget: sub vesperam brachia, scapulas, & tibias gravis invadit dolor, qui tota nocte durat, & mane remittitur.

a Lue venereâ.) *Vid.* Medic. 42. & 44. lib. iij.

b Cnm gonorrhæâ virulentâ.) *Absque hac tamen præcedanea, certum est ipsam oriri posse luem; tunc verò utplurimùm occurrunt bubones, & cancri, vel testiculi venerei.*

c Temperamento biliosus.) *Hoc aliquid facere potest, ut gonorrhæa* citius *fiat virulenta.*

d Post coitum.) *Præter ea, quæ attulimus l. c., vid.* Verulam Sylv. Sylv. cent. j. exper. 26. *Galli (inquit) referunt, fuisse in Neapolitanâ obsidione, improbos Mercatores, qui carnem hominum recenter occisorum, in Mauritania, vasis conditam, loco thynnorum divenderent, atque tàm fœdo, & tàm gravi nutrimento, adscribitur morbi hujus origo: neque à vero (ut ait idem) abludit: constat enim Canibalos ad Occidentem, vesci carne humanâ, eaque India, cùm primùm detecta esset, plurimùm hoc morbo* (quem tamen ego potiùs putarem fuisse scorbutum, aut leprâ, vel elephantiasin) *laboravit: nostro quoque tempore venena, quæ Occidentalibus Indis præsentissima sunt, ex sanguinis, pinguedinis, aut carnis humanæ miscela constant. Præputii cancrum à concubitu uxoris menstruantis, videsis apud* Joh. Rhod. cent. iij. obs. 39.

e Erectionem.) *Sæpe etiam incurvationem, unde forte audit priapismus.*

f Pili defluunt.) *Alopecia s. pilorum defluvium, non semper (ut ut præsente gonorrhæâ virulentâ) est indicium luis venereæ: si enim præcesserit cura per mercurialia & evacuantia alia violenta, idem oritur effectus. Sin verò tale nihil præcesserit, certissimum est, veneream esse luem perfectam.*

g Fulget.) *Fulgor hic est qualis ferè in cachexia leucophlegmatica, & anasarca, nec differentem multò agnoscit causam: ulterius autem, ubi proserpserit malum, frons, palpebræ, & tota facies, pustulis proserpentibus obsidentur, tophi & gummata ossium, nec non cariosæ eveniunt exulcerationes.*

Afficiuntur in hoc ægro *penis*, quod patet ex urinæ cum dolore excretione, & penis dolorifica erectione; item *glandulæ prostatæ*, & *vesiculæ seminariæ*, ut probat materia subflava guttatim excreta; nec non *caput*, ut constat ex pilorum ex mento & capite defluvio; & denique *tibiæ & brachia*, quod docent dolores, illas partes occupantes.

Morbus ejus est intemperies quædam viscerum, chymosi, & hæmatosi inservientium, maligna, acris, & contagiosa: quæ dolores brachiorum & tibiarum, sub noctem ingravescentes & mane mitescentes, pilorum in mento & capite defluvium; materiæ subflavæ ex urethra excretionem; urinæ ardorem; & penis dolorificam erectionem concilians, *Gonorrhæa virulenta*, vel potius ipsa *Lues venerea*, gonorrhæâ virulentâ comitata, appellari potest.

Causa procatarctica hujus morbi est coitus, cum impuro & venerea lue *a* laborante scorto peractus; quo per contagium maligna qualitas sanguini penis, & vicinarum partium fuit impressa; eaque cum sanguine circulante per totum corpus delata & distributa, *antecedens* hujus morbi fuit causa. In partibus verò affectis pravam qualitatem gignens, & symptomata commemorata excitans, *continens* hujus morbi est causa.

a Laborante.) *Aut ſaltem veriſimiliter laborante. Hoc tamen non expreſſit (ut oportebat) Auctor in hiſtoria.*

Dum enim ex malignitate iſta in veſiculis ſeminariis & proſtatis corrumpitur ſemen, & acrimonia ipſis & meatui urinario conciliatur, glandulæ iſtæ ad excretionem ſtimulantur, porique earum nimis laxantur, quo *materia corrupta, ſubflavo, & albo colore imbuta, guttatim, & urina cum dolore, & frequenter excernitur*. Dum eadem malignitas ſpiritus, in partes fluentes genitales, facit acres & craſſos, & ad diſſipandum ineptos, hinc oritur *doloroſa penis tentigo*. Eaque ad caput delata, incraſſat ibi ita vapores, ut *illi*, diſſipari ſatis nequeuntes, *vultum ita diſtendant, ut ità recepto lumine fulgere videatur*. Radices verò pilorum in mento & capite *b* corrumpens, *facit, ut pili ex illis partibus decidant*. Hæc, *nocturno* denique *tempore* in brachiis & cruribus ob frigus noctis retenta, *pungit* ſuâ acrimoniâ *nervoſas* in iis *partes, doloreſque ingentes excitat; qui, adventante ſub auroram diurno calore*, ob materiæ iſtius acris diſſipationem, *miteſcunt*.

Morbus hic, ob malignitatem & gravia ſymptomata, valde eſt periculoſus. Quia tamen *a* altas radices non egit, ſpes *Sanationis* affulget.

a Altas radices, &c.) *Nemo mortalium, luem veneream hæreditariam, & inveteratam, unquàm expugnare poterit, medelâ licet adhibitâ accuratiſſimâ; nec hoc ſolùm ratio manifeſta, verùm & experientia multiplex abundè confirmant. Aliquandò totum conſumitur virile membrum, occaſione datâ amputandum, quale quid in ſcyrrho penis (an ab venerea origine, neſcio) affert* Clariſſ. Fred. Ruyſch obſ. 30. *Gallicoſum, toto ferè corpore verrucoſum, vid. apud* Schenk. ex Marcello Donat. lib. 3. c. 5. *apud eundem vid. jecoris tunicam eroſam, cranii cariem, uvulæ, & palati exeſionem, polypoſas in vaſis ſanguiferis concreſcentias, morbi degenerationem in elephantiaſin, &c.*

b Corrumpens.) *Solvens & erodens.*

Eaque tota, in intemperiei correctione, & pravorum humorum eductione, conſiſtet.

Primò itaque *a* educatur ſanguis ex vena malleoli pedis ad unc. ſex, vel octo.

a Educatur ſanguis.) *Et hæc venæſectio, & ſequens purgatio, ſunt parùm tempeſtiva, niſi plethora, & cacochymia complicentur.*

Poſtridie purgetur hac potione:

℞. a *Diapruni ſol., caſſiæ fiſt. recent. extractæ an.* ℥ſ.
Diſſolve in aq. fumariæ ℥iij. *ſcammonii gr.* iij.
M. F. Hauſtus.

a Diapruni, &c.) *Nulla medicamenta malo huic magis ſunt quàm mercurialia appropriata, ut & decocta lign. ſanct. cum rad. ſalſap. & liquir. & quoniam medendi methodus jam ipſis barbitonſoribus innotuit, vel ſaltim iis confiditur, idcirco, præter ea quæ in anteced. l. c. attulimus, nihil addemus conſultò: maxima autem ratione improbamus balnea ſicca, ſ. laconica.*

Poſtea utatur hoc decocto:

℞. *Raſuræ ligni guajaci, rad. ſalſæ parillæ an.* ℥iij.
Cort. guajaci, rad. chinæ an. ℥j.

Infun-

Infundantur per 24. horas in aq. comm. lib. 12. deinde decoquantur ad mediæ partis consumptionem, addendo sub finem decoctionis
Fol. betonicæ, borraginis, cichorii, card. benedicti,
Capill. Veneris an. m. j.
Sem. melonum ℥ij.
Passular. glycyrrhizæ an. ℥vj. sem. anisi ℥ß.
Colentur. Et F. Decoctum sudoriferum.

De hoc decocto exhibeantur ægro unc. viij. mane jejuno ventriculo, calidè, corpus plus solito tegendo, ut excitentur sudores; qui continuabuntur per duas, tresve horas, pro ratione virium. *a* Continuabitque æger hanc agendi rationem totâ septimanâ: excepto, quod quarto die, potione catharticâ sit purgandus, quo à sudoriferis abstinebit.

a Continuabitque.) *Si quidem vires permiserint, alioquin 5. aut 6. die, postea 8. aut 10. die demum repetatur, sic, etiam 5. aut 6. die, purgatio conveniens repetenda.*

Secunda & tertia septimana sudabit noster æger mane, & sub horam quartam pomeridianam; & quarto quoque die omissis sudoriferis purgabitur.

Quarta septimana redibit ad sudores, mane tantum eliciendos, & purgationem quarto die repetendam.

Dum autem his utitur, ad *morsum*, quem *in mingendo* sentit, *a* immerget glandem lacti, vel succo plantaginis, aut solani.

a Immerget glandem lacti.) *Immersio parum poterit; potius fiat levis injectio ex lacte dulci calido, & lintea calido lacte imbuta postmodum circumponantur; sic & camphora in lacte, quantum fieri potest, solvatur; bibat ptisanam, vel emulsionem.*

Ad *tentiginem* verò & membri erectionem, adhibeat pudendo linteum, aquâ frigidâ imbutum, & leviter expressum.

Perseverante gonorrhæâ, utatur etiam *a* his pilulis:

℞. *Terebinthinæ ℥ß. pulv. sarcocollæ, mastiches,*
Liquiritiæ, nucis moschat. an. ℥j. misce & fiat Massæ piluiarum, *de qua sumat quotidie drachmam unam, duabus horis ante Medicamenti sudoriferi, vel purgantis sumptionem,*

a His pilulis.) *Adde mercurii dulcis ℈ij.*

In *victus ratione*, *Aër* sit calidus & *a* siccus. *Cibus & potus* parcus, qui viribus conservandis tantum sufficiat; ex pane biscocto, carnibus gallinarum, vervecinis, ovis sorbilibus, assis potius quam elixis. *Potus* sit bochetum, sive decoctum secundarium, ex guajaco & salsaparillâ, passulis & glycirhiza paratum. *Exercitia* sint moderata. *Animi affectus* sint læti. *Alvus* sit laxa, naturâ vel arte. Abstineat à *Venere*.

a Siccus.) *Hic cautela opus est.*

XVII. ME-

XVII.

MEDICATIO JUVENCULÆ, LUE VENEREA, CUM ULCERIBUS ORIS ET ANI LABORANTIS.

JUvencula 18. annorum, honesta & casta, nuper homini cuidam dissolutioris vitæ nupta, incidit in spontaneam corporis lassitudinem, & dolores nocturno tempore ingravescentes, diurno vero mitescentes: hos insecutæ sunt pustulæ fœdæ *a* in ano & pudendo: imo & ulcera jam guttur & fauces obsident.

a In ano & pudendo.) *Quibus subnascuntur mariscæ, ficus, verrucæ, & condilomata, imo etiam fistulæ.*

In hac juvencula afficitur *totum corpus*, ut ex lassitudine & doloribus totius corporis, noctu potissimum ingravescentibus; item *fauces*, & *anus*, ac *pudendum*, ut ex ulceribus, illas partes obsidentibus, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies quædam acris, contagiosa, & maligna, quo spontaneam totius corporis lassitudinem, & dolores nocturno tempore ingravescentes, item ulcera, in faucibus, ano, & sinu pudoris, producens, *Lues venerea* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est concubitus hujus honestæ fœminæ, cum hoc homine dissoluto, & contagio venereo, procul dubio, laborante factus. Unde per contactum partibus genitalibus ipsius, à mariti maligno semine, maligna & contagiosa qualitas primum fuit impressa; quæ deinde sanguini, circulum ab utero ad cor & à corde per totum corpus perpetuò facienti, communicata, totam sanguinis massam infecit, atque ita *antecedens* hujus morbi produxit *causam*. Quædam verò ejus pars in crassos spiritus animales, corpori rectè & satis validè movendo ineptos, conversa, *lassitudinis spontaneæ*: Parsque alia acrior facta, & nocturno tempore, ob poros cutis tum magis constrictos, vehementius effervescens, & in nervosas & membranosas partes fortius impingens, *dolorum noctu ingravescentium, interdiu* verò *mitescentium*: Pars verò materiæ morbificæ alia acrimoniam etiam magnam adepta, ubi ad fauces, anum, & sinum pudoris fuit delata, easque partes, ob teneritudinem earum erosit, *ulcerum pustularumque fœdarum*, *illa membra obsidentium, continens* est causa.

Morbus hic, est periculosus, & sæpissimè in incurabilem degenerat pravitatem, quæ non tantum carnes, sed cartilagines etiam, & ossa ipsa exedit, sed quia hæc ægra est juvencula, & malum non est inveteratum, spes sanationis bona effulget; *Curatio* itaque diligens erit adhibenda.

Quæ consistet in causarum, intemperiei, ulcerum, dolorumque ablatione.

Primo itaque purgetur tali haustu.

℞. *Cassiæ recent. extractæ,*
Confect. hamech. an. ℥ß.

Po-

Postridiè vena secetur in brachio dextro, & sanguis educatur ad ℔ß.

Et postea utatur tali Apozemate:

℞. *Herb. fumariæ m. ij. scabiosæ, buglossæ, borrag., capill. veneris an. m. j. Ceterach, dent. leonis an. m. ß.*
Sem. anisi, fœnicul. an. ℨj. sem. 4. frig. maj. an. ℨß.
Epithymi, polypod. q. ana ℥ß. prun. damascen. Num. xv.
Decoq. in aq. hord. q. s., addendo sub finem decoct. fol. senæ ℥iß. ad ℔iß. Colaturæ adde syr. de fumaria, mellis ros. an. ℥j.
F. Apozema, de quo sumat haustum unum, vel duos quotidie, pro operationis ratione.

Consumato hoc Apozemate, rursus purgetur haustu primum præscripto.

Et deinde veniendum ad usum sequentis decocti guajaci sudorifici, & purgantis:

℞. *Rasuræ ligni guajaci, sassafras.*
Rad. salsæ parillæ, ana ℥iß.
Post justam infusionem in quatuor libris aq. commun. factam, decoquantur ad mediæ partis consumptionem: sub decoctionis finem adde
Fol. senæ ℥iß. sem. carthami ℥j.
Turbith. gummosi, hermodactylorum an. ℨiij.
Sem. anisi, passular. an. ℥ij.
De Colaturâ capiat ægra lib. s. mane, & promoveat sudores corpus benè tegendo, & fiat continuatio per viginti, vel triginta dies.

Ad ulcera oris & faucium serpentia, utilissimum est sequens lavamentum:

℞. *Aq. plantaginis* ℔j.
Unguenti ægyptiaci ℥ij.
Misce pro Lavamento, quo sæpè gargarizet tepidè.

Rhagades, sive pustulæ & ulcera fœda ani & pudendi, oblinantur plumâ intinctâ & imbutâ *mercurio præcipitato, dissoluto in aqua solani, & plantaginis*; & ubi contumaciora ea fuerunt, *filamentis in eadem aqua infusis* mundificentur ulcera: iis tandem satis mundatis & detersis, imponatur *unguentum de minio*, ad cicatricem inducendam.

Victus ratio hic eadem observetur, quæ in præcedente medicatione fuit præscripta.

XVIII.

MEDICATIO JUVENIS,

*S C A B I E

LABORANTIS.

JUvenis 25. annorum, *b* ex Gallia in Bataviam redux, *c* postquam aliquot septimanas, patrio aëre & victu rursus esset usu, incidit in cutis *d* totius corporis pruritum; quem postea secutæ sunt multæ pruriginosæ *e* & purulentæ pu-

pustulæ, manus, brachia & crura ipsius potissimum obsidentes. Nonnullos etiam ex familiaribus contagio ita infecit, ut ipsorum corpus multis locis simili ulcerosâ, & pruriente asperitate sit affectum.

a Scabie.) *Variæ sunt hujus species majores atque minores, v. g. psora, herpes tàm miliaris, quàm exedens, tinea, impetigo, lepra, elephantiasis, scabies volatica, sicca & humida. Utut autem fœdus & invisus sit hic affectus, tamen ejus encomium scripsit* Mattheus Czamakius ad nobilissimos Scabianæ Reipublicæ Scabinos, *Jocosum: porrò videsis clariss.* Johan. Munniks prax. chir. c. 19. 20. 21. Aquapend. lib. j. cap. 20. Hild. cen. obs. 99. Barbette chir. p. 1. 2. lib. 1. c. 8.

b Ex Gallia in Bataviam.) *Evenit hoc plerumque malum iis, qui munditiei corporis malam habent curam, hinc in Belgio, ubi puritati, si ullibi, opera datur, rarissimè cernitur scabies, nisi fortè in impudicis, & aliis peregrinis, quorum sanguinis copiosa, & fixa salia, ob inconsueto aëre, & victu, præcipitantur, & ad emunctoria cutis vascula amandantur quidem, sed ob horum angustiam constantem cùm transire nequeant, hærendo, pariunt fibrillarum, & vasculorum vellicationes, adeoque pruritus, pustulas, ulcera, crustas, &c. Mineram verrucariam toto corpore enatam, videsis apud* Pechlin. lib. ij. obs. XLIV.

c Postquam aliquot septimanas, &c.) *Diu satis malum hoc sæpe latet; scilicet, quamdiu salia (in sanguinis humorumque guttis oberrantia) aliis particulis oleoso-aquosis unita manent, nec ab iis notabiliter secedunt: sed tractu temporis, dùm à causis fortuitis, & procatarcticis extricantur, scabiei varias producunt species.*

d Totius corporis.) *Utplurimùm scabies magis vexat articulos, quàm alias partes: ratio autem sæpiùs data fuit in anteced.*

e Purulentæ.) *Sic distinguitur humida scabies à sicca: Haud rarò conjunguntur tumores partium œdematosi.*

Afficitur in hoc ægro potissimum *brachiorum, crurum, femorumque cutis*, quod ex pruritu, & pruriginosis ulcusculis, partes illas obsidentibus, est manifestum.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies cutis manuum, brachiorum, femorum, & crurum, acris, salsa, *a* nitrosa, & contagiosa; quæ pruritum & ulcuscula saniosa & purulenta in illis partibus producens, *Scabies* vulgò appellatur.

a Nitrosa.) *Potius muriatica.*

a Procatarctica hujus morbi *causa* in hoc juvene est aëris victusque, per reditum in Bataviam, mutatio; quâ novi frigidioresq; in corpore ejus geniti fuerunt humores; qui cum fervidioribus, acribus, & adustis humoribus, in *b* Gallia natis, mixti, & propter aëris nostratis frigus, poros cutis *c* claudens, & acrium fuliginum exhalationem in ipsius corpore impediens, intra corpus ejus retenti, instar calcis vivæ, aquâ frigidâ perfusæ, in corpore ejus effervescere cœperunt; atque *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum ad cutim totius corporis, ac præsertim crurum, brachiorumq; delata, easque partes suâ acrimoniâ vellicans, & erodens, *continens* hujus *intemperiei acris, pruriginosæ, ac cutem in pustulas saniosas, & purulentas exulcerantis, hoc est*, ut verbo dicam, *scabiei*, in hoc juvene est *causa*.

a Procatarctica.) *Hùc pertinent diæta salsa & acris, ingurgitatio musti, vinorum immaturorum & fructuum horæorum, saccharatorum, suppressio-*

ſioneſque evacuationum conſuetarum, conf. Hippoc. Sect. iij. Aph. 20. Celſ. lib. 5. cap. 28.

b Gallia.) *In Scotia & Anglia ſcabiès quoque maximè regnare ſolet: utrobique peccatum conſiſtit in allatis cauſis procatarcticis.*

c Claudens.) *Sine dubio, etiam craſſior atmoſphæra, ſale muriatico referta, multum hùc contribuere valet. De iis, quæ pertinent ad lepram & Elephantiaſin, videſis* Schenk. obſ. lib. vj. *veſicæ ſcabiem internam unà cum excreſcentiis glanduloſo-carneis, vid. apud* Fred. Ruyſch obſ. LXXVIII.

Ipſe in ſuos familiares, *a* contactu manuum, mantilium, aliorumque communium linteorum; ſanioſum illum & contagioſum liquorem è corpore ſuo emanantem, inſenſibiliter transferens, ſimilem qualitatem acrem, & contagioſam in illis produxit, atque ita *ipſos ſimili brachiorum, crurumque ſcabie infecit*.

a Contactu.) *Effluvia ſcilicet ſalina, poris inſinuantur, ſanguinique & humoribus communicantur, ergò partim ſalia alia præcipitant, partim, alias particulas in ſui naturam rigidam commutant.*

Malum hoc ubi temporis diuturnitate radices profundas in corpore egit *a difficulter* ſolet eradicari.

Ideoque celeri *Curatione* erit impugnandum. *Eaque* in ablatione cauſæ antecedentis, continentis, & intemperiei, per evacuantia, attemperantia, detergentia, acrimoniam retundentia, & exſiccantia conſiſtet.

a Difficulter.) *Præſertim in ſenibus, iiſque, qui intemperie laborant univerſali acri & craſsâ.* Etmullerus ex Foreſt. lib. 6. obſ. 24. *notat ſcabiem, tempore peſtis ſalutarem; atque porrò, lue venereâ infectos, vel ulceroſos, raro peſte infici: forſan, quia ſalia venenata, per puſtulas & ulcera evacuantur, forſan etiam contrario alio ſale infringuntur; qualia exempla paſſim extant in operationibus Chymicis. Bonum aliàs ſignum eſt ſcabies malæ cauſæ, id eſt, peccantia ſalia ad evacuationem tendere, quæ ſi retineantur, plura & pejora excitare ſolent mala, v. g. inflammationes, convulſiones, diarrhæas, &c. undè mulierculæ curationem ſcabiei in infantibus difficulter admittere ſolent.*

Primum itaque *a* purgetur hic juvenis tali medicamento, ad humores acres educendos, & temperandos aptiſſimo:

℞. *Mercurii dulcis* ℈j.
Scammonii optimi ℈ß.
Electuarii diapruni ʒij.
Miſce F. Bolus.

a Purgetur.) *Purgantibus acrioribus, & frequentibus, malum ſæpiſſimè exacerbatur, utpote quæ & ſalia ſanguinis magis præcipitant, & nova ſalia ſuppeditant: mercurialia tamen optima, utpote quibus ſalia peccantia aſſociata evacuantur felicius: ſi verò res non ferat horum uſum, alvo tamen conſtipatâ, uſurpentur laxantia & clyſteres.*

Poſtridiè *a* educatur per venæ ſectionem, ſanguis, ad uncias octo.

a Educatur sanguis.) *Certè modica V. S. in corpore plethorico, multum contribuere potest ad faciliorem salium expulsionem.*

Et porro quotidie bibat haustum ℥iij. vel iv. de sequenti *a* Apozemate:

℞. *Rad. cichorii ℥j.*
Polypod., lapathi acuti an. ℥ß.
Herb. fumariæ, acetosæ, agrimoniæ,
Scabiosæ an. m. j.
Sem. 4. frigid. major. an. ʒj.
Flor. borrag. m. ß.
Passular. ℥ß.
Decoq. in aq. hord. q. s. ad lib. jß. addendo sub finem decoctionis fol. senæ ℥ij. sem. anisi ʒij. Colaturæ adde syr. de cichorio cum rhabarb. & fol. senæ ℥ij.
Misce F. Apozema.

a Apozemata.) *Optimum est decoctum ex C. C. limat. hord. mund. rad. scorz. liquirit. taleolis citri, vel aurant. in aq. commun. In pertinaciore scabie, præsertim venerea, usurpetur decoct. chin. & salsapar. additâ exiguâ quantitate guajaci, & antimonii crud. conf. præter citatos Auctores* Clariss. Fred. Dekkers, exerc. pract. p. 297. 298. & 299.

Loca scabiosa *a* inungantur omnia hoc Unguento:

℞. *Terebinthinæ lotæ in aq. scabiosæ ℥j.*
Ol. rosacei ℥ß.
Butyri recentis, axungiæ porci an. ℥ij.
Salis comm. ℥ß. lithargyrii ʒi.
Vitell. ovor. Num. ij.
Succi limonum ʒvj.
Ceræ q. s. fiat Unguentum.

a Inungantur omnia hoc unguento.) *Omnia unguenta, ita debent præparari, ut mali fomitem intrò versùm non repellant: formulas eorum multas (ut ubique obvias & mulierculis notissimas) hic non congeremus, certè merc. præc. edulc. alb. item ruber. unguent. ros. vel pomato exceptus, multum hic potest, ut & lavacrum aquæ marinæ, lixivium scor. reg. antim. medic. lac sulph. virg. & similia.*

Vel adhiberi poterit huic malo sequens unguentum, quo scabies felicissimè curatur.

℞. *Butyri veteris, in fictili novo ad rubedinem frixi lib. ß.*
Huic intepescenti infunde a muriæ, in qua
Poma limonia macerantur, & condiuntur ℥ij.
Vitellos ovorum conquassatos Num. ij.
Pulv. sulphuris ʒj.
Zinziberis ℥ß.
Piperis ʒj.
Fuliginis è fumario collectæ ℈j.
Hæc misceantur calidè in formam Unguenti; quo articuli manuum, pedum, & reliqui corporis, & loca scabiosa, vesperi, ingressu lecti inungantur.

a Muriæ.) *Hæc sæpè sola sufficiet: Quidam in graviore scabie unguentum commendant enulatum cum mercurio, sed nisi cautela prudentis Medici accedat, ferocia indè resultant symptomata. Idem censendum est de cingulo mercuriali.*

Innumeri etiam à scabie liberati fuerunt sequenti unguento:

℞. *Rad. lapathi acuti, in mortario pisti m.j.*
Pulv. zinzib. ℥j. *baccar. lauri, aristoch. rotund. an.* ℥ß.
Cum pintâ dimidiâ floris, sive cremæ lactis, coquantur per horam dimidiam in ollâ novâ, & redigantur in formam Unguenti, quo loca scabiosa vesperi inungantur ad ignem.

In *Victus ratione*, utendum *Cibis* optimi succi, qui sanguinis acrimoniam emendent & temperent. Carnes gallinarum, vitulinæ, ova sorbilia, pisces saxatiles id præstant. Sal, acetum, aromata, allia, cæpæ, & herbæ calidæ omnes vitandæ. Cerevisia tenuis, serum lactis, aqua hordei, in potu sunt utilia. Inter herbas culinarias, borrago, buglossa, violaria, malva, ex fructibus, poma; ex cerealibus, hordeum & triticum commendanda. Panis esto triticeus, *Ira*, vigiliæ multæ, *Venus* vitanda.

XIX.

MEDICATIO ADOLESCENTIS, a ACHORE CAPITIS LABORANTIS.

ADolescens annorum quindecim; b malâ diæta diu usus, postquam questus esset aliquandiu de dolore capitis gravativo, & somnolentia, accepit multos tumores, in capitis cute apparentes. Qui postquam deinde essent dissipati, postea redierunt, foraminibus plurimis perforati. Ex iisque glutinosa & flava effluit sanies; quæ in crustas fœdas & tuberosas, fere totum ejus caput tegentes, concrescit.

a Achore capitis.) *Vocatur quibusdam hoc malum crusta lactea, & favus, sine dubio à similitudine tùm coloris, quàm foraminum, cum cremore lactis, & favo apum. Triplicem ejus differentiam, 1. squammosam, s. furfuraceam, 2. ficosam, 3. achorem Galeni, s. corrosivam & ulcerosam, vid. apud* Vigier. chir. lib. 2. c. vij. Haly theor. lib. 8.

b Mala diæta diu usus.) *Pinguedo acris ex lardo salito fumato in caput depluens, mali hujus causa est non infrequens.*

Afficitur in hoc ægro *a cutis capitis;* quod indicant *b* tubercula illa saniosa, in ejus capite apparentia. Afficitur etiam *cerebrum*, quod ex somnolentia & dolore capitis gravativo patet.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies quædam acris, salsa, & nido-

nidorosa cutis capitis, quæ ulcuscula plurima manantia : & fœdis ac tuberosis crustis tecta, in ea producens, nomine *Achoris*, vel *Tineæ capitis* appellari solet.

a Cutis capitis.) *Potius hujus glandulæ.*
b Tubercula saniosa.) *In quibus haud rarò vermiculi latent copiosissimi, si non etiam pediculi.*

Causa procatarctica hujus morbi est mala diæta, quâ hic adolescens fuit usus. Magna verò copia materiæ acris salsæ & nidorosæ, in corpore ejus inde genita *a antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus à corde, cum sanguine per arterias in caput delata, & cerebrum gravans, *inducit* primum *somnolentiam*, *& capitis dolorem gravativum*. Cutim autem capitis sua acrimonia multis locis perforans, & erodens, & *copiosè ex erosa cute emanans*, *& in crustas fœdas & tuberosas*, *totum ferè caput tegentes*, *concrescens*, b *continens* hujus *Achoris*, sive *Tineæ capitis* est causa.

a Antecedentem.) *Sunt, quibus hoc malum est hæreditarium, & insanabile; aliquandò vitiô lactis nutricis evenit.*

b Continens est causa.) *Videsis medicat. præcedentem: non enim hoc malum differt à scabie alia, nisi gradu & loco.*

Morbus, hic *a* valde contumax solet esse. Atque ideò difficulter curabitur.

a Valde contumax.) *Præsertim in adultis: vid. sup. conf.* Hipp. Sect. 6. Aphor. 45. Sect. 7. Aphor. 2.

Curatio itaque diligens adhibenda; ne æger *a* in apoplexiam, epilepsiam, lipothymiam incidat; vel alia graviora symptomata incurrat.

a In apoplexiam, &c.) *Si nempe tinea vel retropellatur, vel causam agnoscat in sanguine universalem.*

Eaque in a cacochymiæ corporis ablatione, & intemperiei correctione, & ulcerum capitis sanatione, per contraria instituenda, consistet.

a Cacochymia, &c.) *At verò citra hoc malum vivunt sanissimi.*

Primò itaque sumetur tale *a* purgans :

℞. *Mercurii dulcis bene præp. gr. xiv.*
Scammonii optimi gr. viij. vel ℈ß.
Electuarii diapruni ℥ij.
Misce, F. Bolus, *subinde reiterandus.*

a Purgans.) *Anima prius expurgabitur, quàm hoc malum, talibus medicamentis: cæteroquin regulæ generales observentur.*

Postea ad humores cacochymicos alterandos, & ulterius evacuandos, *a* exhibeatur tale Apozema :

℞. *Rad. cichorii* ℥ij.
Enulæ campanæ, althææ,

Che-

Chelidonii major. an. ℥ß.
Herb. betonicæ, fumariæ, borrag.,
Scabiosæ an. m.j.
Flor. borrag., violar. an. p.j.
Sem. genistæ, agni casti an. ℥j.
Decoq. in aq. hordei q.s. ad ℔jß. *addendo sub finem decoctionis fol. senæ* ℥ij. *sem. anisi* ℥jß. *Colaturæ adde syr. de cichorio cum rhabarb.* ℥ij. *Misce*, F. Apozema, pro sex dosibus, mane sumendis.

a Exhibeatur tale Apozema.) *Nullum cogitari potest præstantius, quàm quod significavimus in medicat. præcedenti de scabie, sed opus præcipue absolvendum est externis. Laudamus oleum Vigierii l.c. ex ol. nuc.* ℔iij. *vin. alb.* ℔jß. *sal.comm.M.j.ran.viv.* Num. L. *tencar.fluv.* Num.IV. *bulliant omnia simùl ad consumptionem vini, colentur & exprimantur, &c.*

Corpore ita per universalia purgato, si tubercula non cedant, ad medicamenta topica sive localia est deveniendum. Tumque crustæ, quibus tubercula teguntur, sunt emolliendæ tali fomento, ut deinde facilius à chirurgo tolli queant.

℞. *Herb. malvæ, althææ, fumariæ, an. m.j.*
Scabiosæ, agrimoniæ, betonicæ, an. m.ß.
Flor. genistæ, sambuci an. p.j.
Sem. genistæ ℥j.
Decoq. in aq. comm. pro Fotu, quo foveatur caput calidè & frequenter, spongia liquore illo imbuta, & moderatè expressâ.

Postquam crustæ fuerint remotæ, *a* evellantur volsella pili ex tuberculis, donec subsidant. Quo peracto, sumatur cochleare unum aceti acerrimi, cui addantur guttæ vj. vel vij. olei vulgaris, ac linteo iis mixtis imbuto & madefacto omnes sordes abluantur, fortiter fricando; ut per poros apertos humores pravi expelli possint.

a Evellantur volsella pili ex tuberculis.) *Præstat pilos seorsim singulos (si commodè fieri possit) crustâ sublatâ evellere, quàm conjunctim omnes, tàm propter doloris vehementiam, quam pericranii, &c. læsionem.* Vigier. l.c. *commendat. seq.*
℞. Picis nigræ ℥vj.
Resin. ℥ij.
Pulv. Virid. Æris pulverisati,
Vitrioli Roman. an. ℥ß. *vel* ℥j.
Sulphuris vivi ℥ß.
Coquantur in acet. acerrimi, q.s. & fiat emplastrum capiti applicandum, per triduum ibi relinquendum, postea vi avellatur contra situm capillorum, & sic capilli emplastro adhærebunt, radicitus avulsi. Confer Paul. Barbette Anat. Pract. p.82. edit. in 4. *ubi lixivium occurrit maximè huic malo proficuum.*

Si malum adhuc perseveret, adhibeatur quotidie hoc unguentum:
℞. *Piperis, sulphuris an.* ℥j.
Fuliginis furni ℈j.
Pulverisata misceantur cum butyri veteris liquefacti ℥ij.
& F. Unguentum.

Vel adhiberi poterit illud à Foresto summopere commendatum unguentum:

℞. Li-

℞. *Litharg. aur. & argent.*, *cum aceto acerrimo*
Et ol. rof. nutriti ℥ij.
a *Aluminis rochæ combusti* ʒß.
Fuliginis furni, *rad. enulæ camp. exsicc.*
& in pulv. tritæ vel combustæ,
Chartæ, b *quæ perfluit*, *exustæ an.* ℈ij.
Olei ex vitellis ovor., *axung. gallin.*, *porcin. an.* ℥ß.
Ol. laurini, *& aceti q. s.*
Incorporentur in mortario secund. art., *ut coëant in formam mollioris* Unguenti.

a Aluminis.) *Talia nos adstringentia alicui suadere non audemus. Conf.* Aq.chir. part.ij.lib.iij.c.6. Petr.Borell. cent.2. obs.92. Hartman. prax. chym. c. 198. *Porrò quomodò procedendum sit cum ulcere verminoso. Vid.* Vigier. lib. 3. c. 16. *item* Joh. Munniks prax. chir. lib. 3. c. 4.

b Quæ perfluit.) *Emporetica nempe*, *utpote quæ plus reddit olei*, *quàm alba charta vulgaris.*

Cui etiam, malo nondum cedente, addi poterit mercurii salivâ extincti ʒj. & vitrioli Rom. recte calcinati parum.

In *Victus ratione*, *Aër* sit purus, temperatus. *Cibi* sint boni succi, & qui temperiem acrem, nidorosam & salsam temperant. Et contra, qui mali sunt succi & acrimoniam augere possunt, vitentur. *Potus sit cerevisia* bene defæcata. Vitetur vinum. Panis sit bene fermentatus. *Alvus* sit lubrica. *Exercitium* sit moderatum.

XX.

MEDICATIO FOEMINÆ, *a* CANCRO INCIPIENTE LABORANTIS.

b FOEmina 30. annorum, *c* temperamento melancholica *d* jam à duobus mensibus, tuberculum habet *e* in mammilla sinistra magnitudinem avellanæ adæquans, *f* tactu durum, parum dolens, sed dum comprimitur, *g* dolorem exhibet punctorium, velut ab acus punctione profectum. Jam *h* per sex menses ipsi subsistit menstruorum fluxus.

a Cancro.) *Operæ vix pretium valet*, *significationes vocis hujus allegare varias*; *siquidem Lexicographi hisce abundè satisfacient*: *cancrum uteri videsis apud* Pechl. lib. 2. obs. xxij. & River. prax. lib. xv. c. x. *cancrum uvulæ*, *vid. apud* Vigier. lib. 3. c. 49. *plures partium diversarum cancros*, *ex diversis expertorum Auctorum scriptis*, *afferre nobis haud foret difficile*, *sed sufficiet dixisse*, *plurimas partes glandulosas*, *huic affectui esse obnoxias*:

recte

rectè autem cancer dividitur in occultum qui etiam dicitur carcinoma, nec non apostemosum & exulceratum, qui venit nomine phagedænæ.

b Fœmina.) *Certè experientia docet, fœminas malo huic magis esse obnoxias, quam mares.*

c Temperamento melancholica.) *Confer* Galen. lib. de tumor. pr. nat. cap. 7. & lib. 2. de crif. cap. xij. Sennert. prax. lib. 5. part. j. cap. 20. *Certumque est, omnis cancri causam, esse humorem magis minusve terrestrem & austerum corrosivum: quem Veteres vocarunt sanguinis fœcem, atram bilem, melancholiam adustam, &c.*

d Jam à duobus mensibus.) *Cancrum 50. annos latentem innoxium, vid. apud* Tulp. lib. j. cap. 47.

e Mammilla.) *Hæ partes, ut maximè glandulosæ, cancro frequentius corripiuntur, & sæpe ille radices suas longè lateque spargit ad partes vicinas, glandulasque subalares.*

f Tactu durum.) *Hactenus convenit cum scyrrho; sed quatenùs Auctor mox addit, tumorem hunc dolere, distinguitur hoc malum à scyrrho legitimo, & dici potest scyrrhus cancrosus, vel cancer scyrrhosus.*

g Dolorem punctorium.) *Qui per intervalla atrocius sævit, & quasi fulminis instar partem affectam invadit.*

h Per sex menses subsistit.) *Ergò hic cancer est per consensum uteri s. sympathicus.*

Pars affecta in hac ægra est *mammilla sinistra*; quod ex tactu patet, quo tuberculum illud durum in mammillæ sinistræ carne glandulosa percipitur.

Morbus, quo hæc ægra laborat, est tuberculum atrabilare recens, quod *a Cancer incipiens* appellari solet. Isque ex duritie, & dolore punctorio, post compressiones, in ipso percepto; & præterea ex mensibus per semestre suppressis, cancrum sæpe producere solitis, est manifestum.

Potest hic cancer dici *manifestus*, quoniam tactu facile deprehenditur: atque etiam *occultus*, quia non est *b* ulceratus.

a Cancer incipiens.) *Describitur à* Vigierio lib. j. cap. xxv. *quòd sit tumor rotundus, colore lividus, partemque, cui insidet, ita stringens, ut, ceu clavo quodam, firmata esse videatur, tandem in circuitu habens venas turgidas & exaltatas, hinc indè protensas, quæ perbellè imitantur cancri pedes. Vel, cancer est tumor rotundus, durus, inæqualis, coloris subnigri aut lividi, magnas & eminentes venas circumquaque habens, dolore caloreque gravis, aspectu teter & horribilis. Nomen autem cancer (prout loquitur* Joh. Nic. Pechl. obs. LXX. lib. j.) *non indè solùm obtinuisse videtur, quod pedum instar divaricatorum, longè lateque exuberet, verùm etiam, quòd lento, paulatinoque gradu, ægrum tandem conficiat, juguletque.*

b Ulceratus.) *Alius est Vigierio* l. c. *exulceratus cancer, alius apostemosus.*

a *Procatarctica* hujus morbi *causa* est menstruorum suppressio, ante hunc affectum per aliquot menses facta; inde enim humores pravi, qui singulis mensibus erant evacuandi, in corpore nostræ ægræ fuerunt retenti; iique per totum corpus diffusi, præbuerunt *antecedentem* huic morbo *causam*. Pars verò eorum ad mammillam sinistram delata; ibique poros plus justo apertos inveniens, & per eos sese in glandulosam mammillæ carnem effundens, ac ibidem crassescens, acrimoniamque atrabilarem & duritiem, per particularum tenuium dissipationem, crassarum & acrium verò retentionem & cohæsionem adipiscens, *b continens* hujus tuberculi duri, &, ex compressione,

ne, punctorii doloris sensationem præbentis, hoc est, *Cancri incipientis*, est *Causa*.

a Procatarctica.) *Quatenùs cancer haud raro est scorbutici salis progenies, causæ omnes scorbuti hùc pertinent, præsertim consuetarum fluxionum suppressiones, animique pathemata vehementiora, ut ira, terror, ictus, lapsus, compressio violenta, &c. vid.* Barthol. act. Hafn. vol.j. obs. 72.

b Continens.) *Hæc consistit in obstructione tubulorum glandulosorum, membranosorumque ab humore crasso-terrestri & austero, qui prout fuerit vel magis vel minus corrosivus & acris, cancros gignit diversæ indolis, occultos, exulceratos & apostemosos.*

a Est *metus*, ne tuberculum hoc in cancrum inveteratum, imò ne in carcinoma, sive in cancrum exulceratum, degeneret.

a Est metus.) *Vid.* Galenus lib. 2. ad Glauconem cap. 10. Hofferus *bene notat duo esse in curando Cancro obstacula, putredinem & dolorem; si putredini obviam eamus acribus, dolorem augemus; si verò dolorem mitigantibus leniamus, putredinem augemus;* Hippocr. Sect. vj. Aphor. 38. *ait, quibus cancri occulti adsunt, non curare melius; curatî enim citius intereunt, non curati longiore tempore vivunt. Cancrum mammarum intra trimestre spatium, vitæ finem imponentem, vid. apud* Pechlin. loc. cit.

a *Curatio* itaque circumspecta & prudens, quam primum est adhibenda. *Eaque primum* consistet in mensium provocatione, & corporis expurgatione, & *deinde*, ubi illa rursus fluxerint, *b* in tuberculi excisione, & mammillæ consolidatione. Sed quia ægra talem curandi rationem forsan haud admittet; idcirco mensium provocationi, & corporis evacuationi studebimus, & tuberculi incrementum impedire conabimur.

a Curatio itaque circumspecta &c.) *Ubi tumor mammæ cancrosus offertur, videndum est, num costis, glandulisve axillaribus, radicibus suis adhæreat; quod si sit, ferro parcendum est; si enim vel minimæ reliquiæ remaneant, renascitur cancer, & fit lethalis. Rectè etiam* Pechlin. l. c. *culpat perversum repellentium, item & discutientium usum, oleosasque chirurgorum quorundam lites: proindè, mitia sint oportet remedia, & in hoc comparata, ut nè subdolum humorem acrimoniâ irritent, vel pinguedine inflamment. Laudatissima hìc sunt concentrantia, quæ, etsi non multum penetrent, aëris tamen arcent injurias, & nè acrimonia latius evagetur, glutinis illius lymphatici temperatâ condensatione opportunè prohibent. Hujus naturæ sunt metallica, antimoniata, martialia, Saturnina, quæ & hoc habent negatum cæteris, quod dulcedine sua saccharatâ, quo penetrant, acrimoniam obducant. Fixum & ipsum arsenicum, verso in contrarium veneno, summis extollitur elogiis, sed in exulcerato demum, & nè ibi quidem satis securè.*

b In tuberculi excisione.) *In hoc (ut eleganter* Pechlin.) *quotidie peccari video, quod serò ad sectionem, pleræque accedant fœminæ, nec ante, quam omnia conclamata.*

Primò itaque præscribatur tale apozema menses movens, sanguinemque expurgans:

 ℞. *Rad.*

℞. *Rad. Valerianæ, aristolochiæ, bryoniæ, gentianæ, cyperi an.* ℨvj.
Fol. abrotani, artemisiæ, marrubii albi, matricariæ an. m.j.
Melissæ, majoranæ, salviæ, rutæ an. m.ß.
Sem. rutæ, amomi, nigellæ, agni casti, anisi an. ℨj.
Fl. camomill. abrotani, matricariæ, centaur. min. an. p.j.
Decoq. in æq. part. aqu. comm. & vini albi, sub finem additi: addendo in fine decoctionis fol. senæ ℥jß. *turbith. agar. trochisc., mechoacannæ, jalappæ an.* ℨj.
In colatura dissolve syr. de artemisia, de hyssopo an. ℥j.
M. F. Apozema, de quo sumat quotidie ℥iij. vel iv. jejuna. Idque reiterari postea poterit.

a Venæsectio hic etiam erit adhibenda, primum in brachio, & deinde, circa tempus quo menses fluere antea solebant in talo.

a Venæsectio.) *Hæc non convenit, nisi in principio, & corpore plethorico.*

Dum hæc aguntur, ipsi mammillæ *a* tale adhibeatur Unguentum:
℞. *Succi plantaginis, solani,*
Geran. robertiani, symphyti an. ℨij.
Ol. rosar. omphacini ℥iij.
Sub radiis solaribus simul agitentur in Mortario plumbeo, donec ut gluten crassescant.
Vel ℞. *Ol. rosati completi, lactis an.* ℥j.
Tuthiæ præp. pulveris. ℨj.
Agitentur in mortario plumbeo ad consistentiam a Unguenti.
Alii laminam plumbeam argento vivo oblitam, adhiberi volunt.
Victus sit humectans & attenuans: alimenta euchyma ex pane benè fermentato, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, carnibus vitulinis, vervecinis: vitentur salsa & acria.

a Unguenti.) *Pinguia hic valdè sunt suspecta; unguentum tamen nutritum excellit, ut & ung. de ran. vir. conf.* Scultet. armam. chir. obs. 56. *item* Vigier. chir. lib. j. c. xxv. *ubi sequens refert sæpè, & feliciter à se usurpatum.*
℞. Ther. vet. ℨj.
Succ. canc. ℥ß.
Lactuc.
Ol. ros. an. ℥jß.
Vitell. ov. sub. ciner. coct. ij.
Caphur. ℨß.
Agitentur in mortario plumbeo & F. Ung.
De extirpationis modo consulendi sunt chirurgorum libri.

XXI. ME-

XXI.

MEDICATIO FOEMINÆ, SCYRRHO CANCROSO LABORANTIS.

FOEmina 30. annorum, postquam menses ipsi inordinatè & parcè aliquandiu fluxissent, percepit sibi in dextra mammilla paulatim quoddam tuberculum subnasci durum & subinde dolens. Ejus *a* emollitio & discussio multorum remediorum usu per sesquiannum hactenus frustra fuit tentata. Jamque illud *b* ad ingentem magnitudinem excrevit, & frequentibus punctionis acutæ sensationibus ægræ est molestum. Tuber hoc *c* nec pectoris ossibus, nec musculis, firmiter annexum sentitur.

a Emollitio.) *Hàc mediante tumor scyrrhosus incrementum sumit, discussione verò duritiem majorem. Magnam habent cum hoc malo affinitatem Scrophulus, & Strumæ.*

b Ad ingentem magnitudinem.) *Ita ut nonnunquam exæquaverit pondus* lib. 6. aut 8.

c Nec pectoris ossibus, &c.) *Alias malum esset desperatum, neque ferro, neque aliis remediis exasperandum.*

Pars affecta in hac ægra est *mammilla dextra*; uti ex visu & tactu ex manifestum.

Morbus, qui eam affligit, *Scyrrhus* mammillæ dextræ, ad cancri naturam jam vergens.

Causa procatarctica hujus morbi est mensium inordinatus & parcus fluxus, aliquandiu durans; hinc enim, cum sanguis à suis excrementis non satis emundaretur, cacochymia multa melancholica in hujus ægræ corpore fuit genita, quæ *antecedentem* hujus morbi constituit *causam*. Hujus verò pars in mammillam dextram, propter poros ejus ibidem præ cæteris magis patentes, copiosius sese effundens; eamque sua copia & crassitie distendens, & in *tumorem* attollens; *duritiemque* sua partium firma cohæsione, & *dolorem punctorium* sua acrimonia, ipsi concilians, *a continens* hujus morbi, ejusque doloris, & incrementi, est *causa*.

Cum hoc malum nullis medicamentis, etiam optimis, hactenus cesserit; incrementumque tum tumoris, tum doloris, perpetuò inter curandum sit factum; *Metus* est, ne hic tumor scyrrhosus, majorem malignitatem contrahens, in perfectum cancrum, imo in carcinoma, degeneret.

Atque ideo, cum hoc tuber nullam firmam cum pectoris ossibus, vel musculis pectoralibus, connexionem habeat; ad *Chirurgiam* veniendum censeo. *Eaque* hac ratione erit instituenda.

Primò apprehendat Chirurgus mammillam dextram manu, digitisque se paulatim magis magisque contrahentibus, premat apprehensum tuber versus anteriora. Idque in tantum, ut cutis mammillæ exterior à presso & propulso tubere tensa appareat. *Hoc* facto, incidenda mammilla incisione rectâ, in ipsum tuber penetrante; tuberque *deinde* acu falcata transfigendum, & ope acus falcatæ

infixæ, & digitis Chirurgi apprehensæ, ipsum tuber, cum mammilla, à pectore versus exteriora aliquantum protrahendum. Tumque ut mammilla foris minus deformetur, ipsum tuber scyrrhosum à sanis & vicinis partibus magna circumspectione cultro separandum, & penitus eximendum, ita ut nulla tumoris vel membranæ, eam forsan involventis, pars supersit. *b* *Hæmorrhagia* postea aptis remediis est sistenda, ægraque ad lectum deferenda, & porro ulceris *Sanatio*, per apta remedia, ex arte procuranda.

a Continens.) *Hæc agnoscit humorem valdè terrestrem, humido, & oleo volatili orbatum, poris tubulisque partis affectæ firmissimè insinuatum, saleque corrosivo onustum.*

b Hæmorrhagia postea, &c.) *Cauteria quidem actualia hic magis, quàm potentialia sunt appropriata, sed tamen si deligatione diligenti, & artificiosa sanguis supprimi posset, tantò id foret præstantius. Confer* Vigier. chir. lib. j. cap. xxiv.

LIBRI QUARTI, ET ULTIMI FINIS.



IN-

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A.

Apo-

B.

C.

Cal-

D.

E.

F.

I.

N.

O.

Opia-

P.

à mor-

Q.

R.

S.

FINIS.



OBSERVATIONES

Excerptæ ex prælectionibus publicis, privatisque Collegiis Viri Clarissimi

THEODORI CRAANEN,

OLIM IN LEIDENSI ACAD. MED. PROF.

Postea Consil. & Archiatr. Aug. ac potentissimi Electoris BRANDEBURGICI. *Nec non Curat. Acad.* Duisburg.

Quibus emendatur, & illustratur V. Institutionum Liber

DANIELIS SENNERTI,

De auxiliorum Materiâ.

Auctore P. V. D. *Med. Doct.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Uantæ necessitatis sit ars Medica, & ejus praxis, ostendit signis evidentibus quotidiana experientia: artis tam nobilis, tamque necessariæ cognitionem, ut assequatur, studiis medicis deditus, ante omnia sciat, oportet, in quo consistat remediorum vis, ex quo particularum genere singula simplicia sint conflata, & quô pactô operentur in corpore humano. Hâc re bene perspectâ non solum videbit confestim, omnia simplicia remedia non constare ex unô eodemque genere particularum (antiquos divisionem medicamentorum non sanô judicio fecisse, illis ipsis non bene cognitum fuisse, in quo consisteret temperies, vel intemperies, calor, frigus, siccitas, & humiditas medicamentorum, ut neque quâ ratione medicamenta partes corporis nostri emollirent, indurarent, aperirent, quâ ratione pus producerent, carnem procrearent, & cuticulâ illam contegerent, & quæ sint alia ejusmodi) sed etiam, quænam medicamenta in curam hujus, vel illius morbi debeant conjungi.

Ut adolescentibus φιλιάτροις via pateret ad hæc sacra, multum operæ insumsit vir magni nominis *Theodorus Craanen*, cum Leidæ medicinam profiteretur, præcipue vero cum in hunc finem tum in publicis prælectionibus, tum in privatis Collegiis, aggrederetur expositionem Libri quinti Institutionum *Danielis Sennerti*, de materia auxiliorum.

Sed cum vir ille iverit illuc, quò evocatus est ab ipsâ fortunâ, nihil quidem *Batavis* expectandum ab ore ejus. Quapropter ut in tanto damno nanciscamur aliquod solatium, exhibemus omne id, quod ex viri prælectionibus, & Collegiis petitum, & maximâ diligentiâ chartæ mandatum est, ad illustrationem & emendationem *Sennerti*: in calce libelli addidimus, quô pactô remedia, non, secundum antiquorum placita, juxta operationes eorum in nostro corpore, sed verò juxta particularum magnitudinem, figuram, poros, ramositatem, flexilitatem, rigiditatem & cohæsionem debebant dividi,

vidi, quæ omnia ab ipſo profeſſore jam dicto, dictata & in chartam conjecta ſunt.

Habet porro libellus hic tres Indices, quorum prior indicat generalia Capitum argumenta, & omnes ſectiones ipſorum.

Alter omnia auxilia, quæ citantur in hoc libello: at vero cum antiqui dividerent medicamenta ſecundum effectus, quos ex iis in noſtro corpore viderent, neceſſariò debuere uno eodemque remedio uti in ſcopos varios, & ita diverſis in locis, Capitibuſque illa citare, ut exempli gr. locuti ſunt de abſynthio, de quo dixere c. 3. §.6. eſſe calidum in gradu ſecundo, & §. 17. eſſe ſiccum gradu tertio, c.4. §.12. eſſe ſtomachicum §.14. eſſe hepaticum, §.16. eſſe nephriticum, c.6. §.7. eſſe aperiens, §.10. eſſe extergens, & obſtructiones aperiens, c. 8. §.2. eſſe repellens, c.16. §.1. eſſe menſes movens, & c.21. eſſe alexipharmacum, & ſic porro. Quod non opus erat ita facere, ſi diviſiones ſuas inſtituiſſent pro figurâ particularum. Obſervare quoque eſt in Indice ſecundo literam c. ſignare Caput, & ſignum §. hoc, ſectionem. Lector itaque ſcire volens, quibus effectibus veteres Media deſtinaverint, inſpiciat in Indice primo Caput atque ſectionem, & hoc pacto inveniet omnia, prout jam de abſynthio diximus: at ſi forte ſignum, quod ſectionem demonſtrat, ubique non ſit expreſſum, notulæ arithmeticæ, quæ Capita ſignant, poſt ſe habebunt (:) duo puncta, & nota iſta numeri, quæ præcedentem notam excipit, ſectionem exhibebit.

Tertius Index indicat auxilia, quæ rationibus ſuis *Craanius* illuſtravit.

Accipe itaque Lector, benevolâ manu libellum hunc, è quo multa & certa ad te manabit utilitas. Vale.



EXA-

EXAMEN MEDICAMENTORUM.

CAPUT I.

Quid sit Medicamentum.

§. 1.



Ltima superest Medicinæ pars θεραπευτικὴ, quæ hominem in morbos prolapsum pristinæ sanitati, restituit, morbosque hominem infestantes è corpore expellit. Ut autem hunc suum finem assequatur Medicus, duobus omnino instructus sit, necesse est, primo *Methodo*, qua per Indicationes juvantia inveniat; deinde *instrumentis* seu materia auxiliorum, qua id, quod per indicationes inventum est, exsequatur.

§. 2. Auxiliorum autem materia ad tria capita commode redigitur, διαιταν; χειρουργίαν, & φαρμακευτικήν.

§. 3. Principio autem monendum, discernendum esse inter βοηθήματα, seu auxilia, & inter ὑλῶν βοηθημάτων, seu materiam auxiliorum. Auxilium enim est id, quod ab Indicante ad agendum præcipitur, semperque unum est; ut calefaciendum esse: Materia autem auxilii est id, per quod à Medico id, quod indicans jubet, peragitur, quod multiplex esse potest, ut dum calefaciendum est, potest id fieri pipere, zingibere, absynthio, &c.

§. 4. Cum autem de Materia diætetica satis *libro præcedente* dictum sit, superest ut de Medicamentis & Chirurgia dicamus. Et primo Medicamenta quod attinet, per *Medicamentum* intelligimus omne id, quod ἀλλοιωτικὸν est τῆς φύσεως, quod corpus nostrum alterare potest, & à statu præternaturali ad naturalem reducere. Qua ratione ab alimento & veneno differt. Alimentum enim, quatenus tale, solum est αὐξητικὸν τῆς οὐσίας, seu corpus nostrum instaurat & auget, Medicamentum alterat, non instaurat. Si quid vero simul corpus alere & alterare potest, est *a* alimentum medicamentosum. *b* Venena verò neque corpus nostrum alunt, neque alterant; sed φθαρτικὰ sunt τοῦ σώματος, corpusque nostrum corrumpendi vim habent.

a Alimentum medicamentosum.) *Videtur compositum quid; ut multa dantur talia, nempe quod constat ex alimento & medicamento: particulæ enim alimentosæ & medicamentosæ in illo sunt; alimentosæ particulæ transmittunt materiam ætheream, convenientem nostro sanguini: Medicamentosæ vero transmittunt per poros ætherem inconsuetum, nempe non convenientem ætheri nostri sanguinis, qui tunc luctam aliquam seu fermentationem excitat: & si fermentatio nostri sanguinis (nempe consueta) major sit, quam peregrina, tunc ejiciuntur particulæ, peregrinum ætherem transmittentes, ut fæces ejiciuntur ex recenti cerevisia, quæ particulæ sunt, quæ motui fermentationis obsequi non possunt; ita fit in purgatione, de qua postea latius.*

Hinc oritur quæstio, quare natura dicatur medicamento assuescere, assuescere nempe non alterari, nam idem

est, ac si diceremus medicamentum non alterat: ratio est, quia tandiu idem medicamentum usurpamus, quandiu particulæ æthereæ per illum medicamentum fluentes, ibi ita multiplicantur, ut prædominentur, sicque constituunt naturam sanguinis, ut ab eodem medicamento non alteretur magis, sed fiat quid indifferens, quod nec sit medicamentum, nec alimentum.

Hinc sequitur, quod in omnibus morbis chronicis utile sit, medicamentum, quamvis optimum, mutare, quia nullus datur amplius conflictus inter medicamentum & sanguinem: æther enim tunc valde similis fit ætheri, in nostro sanguine existenti, ideo satius est medicamentum aliud earundem virium adhibere, ut possit, ex diversitate materiæ ætheræ, major pugna excitari.

In affectibus non inveteratis, nocet quotidie mutare medicamenta, quamvis singula sint bona, quia pori hoc medicamento vix confirmati, altero iterum destruuntur, quod pessimum est.

b Venena vero neque corpus nostrum alunt neque alterant.) *Negativa sunt, hæc nihil docent.*

Venena sunt duplicia, aut habent vim vehementer pungendi, & scindendi, adeoque vehementer sunt corrosiva, & horum qualitas non est occulta, sed apertissima.

Alterum genus magis est occultum, quia ibi nulla possit adverti vis scindens, aut pungens, sed pori hic sunt considerandi, qui transmittunt materiam ætheream admodum peregrinam, qualis non est in toto nostro composito, & si ille æther in nostro sanguine prævalet, moritur homo, si vero æther nostri sanguinis prævalet, homo restituitur.

CAPUT II.

De Facultatibus Medicamentorum in genere.

§. 1.

SUnt autem medicamenta duplicia, alia simplicia, alia composita. *Simplex* est, quod à sola natura tale est, nihilque ex arte permixtum habet; *Composita* vero sunt, quando ab arte plures naturales res in unius medicamenti formam commiscentur.

§. 2. Simplicia petuntur *è plantis, animalibus, & mineralibus. Plantæque* sumuntur vel integræ, vel earum partes, radices, ligna, medulla, cortex, folia, & surculi, flores, semina, fructus, succi, gummi, resinæ, olea, liquores, ut vinum.

§. 3. *Animalia* quoque vel integra adhibentur, vel eorum partes, ut cornu cervi, medullæ, caro; vel quæ in iis generantur, ut lac, ova; vel eorum opera sunt, ut mel, cera; vel excrementa, ut fel, urina.

§. 4. *a* Sub *mineralibus* comprehenduntur non solum propriè dicta mineralia, vitriolum, antimonium, sulphur, & metalla, ac eorum recrementa; verum etiam varia terrarum genera, ut terra Lemnia, sigillata, bolus Armenus: ut & Lapides & gemmæ omnes; item salium varia genera, & succi in terra concreti, cujusmodi est naphtha: item aquæ thermales. In quam classem & *b* manna referenda, si non alia ei constituenda sedes.

a Sub mineralibus.) *Per mineralia hic intelligit omnia, quæ è terra effodiuntur.*

b Et manna.) *Est species roris ex aëre, nocturno tempore, descendentis.*

§. 5. Re-

§. 5. Rerum tam variarum facultates sunt variæ, atque hinc variæ medicamentorum divisiones. Primo enim medicamenta alia dicuntur actu talia, alia potentia talia. *a* *Actu* talia dicuntur, quæ id, quod dicuntur esse, actu quasi absoluto & præsente obtinent, atque adeo ex prompta ἐνεργείᾳ, & primo quoque contactu corpus nostrum ea, qua prædita sunt, qualitate afficere possunt. Ita aqua & glacies actu frigida sunt, quia quocunque modo corpori applicata illud mox refrigerare possunt. *b* *Potestate* vero talia sunt, quorum vis primo contactu non percipitur, sed quasi sopita delitescit, nec actu sese exserit, donec à calore nostro aliquo modo immutetur, exsuscitetur, atque in actum deducatur. *c* Ita piper & vinum, etsi ad tactum sint frigida, nihilominus calefaciunt.

a Medicamenta actualia.) *Sunt ferra ignita, quibus aduruntur partes affectæ, veluti ossa carie affecta. Medicamenta actualia sunt, quorum particulæ sunt in actuali motu, ut ferra, &c.*

b Potentialia sunt.) *Quæ habent particulas, juxta se quiescentes, aut saltem minus motas, sic spiritus vini possit dici actu frigidus, quamvis sit potentiâ calidus, cum in actum in corpore nostro educitur.*

Sic nihil possit concipi calidum à nobis, nisi quod habet majorem motum, quam particulæ, in nostro corpore contentæ: Estque calor relativum quid ad nostrum corpus.

c Ita piper.) *Tunc calidum dicitur, cum ejus particulæ sunt disjunctæ, & in statu motus positæ.*

§. 6. Etsi vero medicamentorum vires variæ sint: commodissimè tamen dividi possunt in manifestas, & *a* occultas. *Manifestæ* appellantur eæ, quæ sensus nostros afficiunt, seu quæ qualitates, quæ sensu deprehenduntur, in patiente excitant, & quarum causa manifesta reddi potest.

a In occultas.) *Est in ignoratas.*

§. 7. *Occultæ* vero sunt, quæ non qualitates sensui obvias producunt in patiente, sed abdita proprietate aliquid agunt; humorem nimirum certum expurgant, membrum aliquod roborant, venenum expugnant, aut quæ extra corpori appensa & gestata in id agunt, quarum causæ manifeste explicari non possunt, nullaque alia ratio reddi, quam quod talis vis ex peculiari naturæ proprietate ipsis competat. Etsi vero sunt, qui occultas qualitates rejiciunt: tamen ad manifestas omnia deducere qualitates, summam impudentiam esse, recte censet J.C. Scaliger, *exerc.* 218. *sect.* 8. & qui hoc tentant, rationes vel ineptas & ridiculas afferunt; vel ea etiam negant, quæ experientia confirmata sunt. Suntque toto genere hæ facultates atque actiones ab illis diversæ, ut tum ex aliis, quæ supra *lib.* 2. *part.* 2. *c.* 12. dicta sunt, tum ex eo inprimis, quod vires harum qualitatum longe sunt majores, quam primarum qualitatum, & in minimo corpore maxima sæpe earum efficacia est.

§. 8. Sunt autem utræque & manifestæ, & occultæ medicamentorum facultates atque actiones variæ.

§. 9. Manifestæ qualitates *a* aliæ sunt primæ, aliæ secundæ, aliæ tertiæ, *Primæ* habent vim calefaciendi, refrigerandi, humectandi, siccandi. *Secundæ* emollire, indurare, condensare, rarefacere, resolvere, attenuare, incrassare, attrahere, repellere. *Tertiæ* urinam movere, menses ciere & sistere, vomitum movere, carnem generare, calculos frangere possunt; etsi proprietati totius substantiæ vis calculos frangendi commodius tribui possit, ut infra *cap.* 17. dicetur.

a Aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ, aliæ tertiæ.) *Diviſionem in tres qualitates, quam Authores faciunt, omnino improbamus.*

Authores enim retulerunt medicamenta in ordinem quendam, ita ut quæ illis videbantur manifeſtiora, dicebantur primæ qualitatis; quę minus manifeſta, ſecundę qualitatis; & quę minimę tertiæ; quamvis manifeſtiores non intellexerunt, multo minus ſequentes. Nam in illis medicamentis, neque calor eſt, neque frigus, neque ſiccitas, neque humiditas. Illi nunquam noverunt, quid ſit in objecto, quid in mente noſtra, quid excitat calorem, frigus, ſiccitatem & humiditatem.

Idea caloris confuſa eſt, nam in idea caloris nihil eſt, quod commune eſt cum idea agitationis particularum. Non autem ideæ confuſæ dicuntur, quia inter ſe confunduntur, ſed quia nobis non detegunt eſſentias rerum, ideo Carteſius *eas vocavit confuſas.*

Calefactionem veteres conſideraverunt in re ipſa: ſed eſt in mente noſtra. Idea enim caloris eſt toto cœlo diverſa à calore in re ipſa, ſi veram caloris ideam velimus habere, debemus conſiderare illud, quod in re ipſa eſt.

Medicamenta calida nobis erunt, quę in nobis excitant ideam caloris: Frigida, quæ frigoris ideam excitant, &c.

Videamus nunc, quæ ſunt calida, *&* *quæ* frigida: Calida *ſunt quæ habent majorem motum quam noſtrum corpus:* Frigida, *quæ minorem habent motum, ita ut tantum ſint reſpectiva ad noſtrum corpus.*

Frigida ſunt etiam quidem calida, ſed paululum frigidiora noſtro corpore, ſunt quidem in motu, ſed non tanto, ac noſtri corporis humores, ex. gr. ſi aqua eſt tepida, quæ neceſſario aliquem calorem habet, tamen nobis erit frigida, ſi noſtri humores ſunt in majori motu.

Sic etiam videmus, corpus ab uno homine dici calidum, quod ab alio rurſus dicitur frigidum, & hoc ſenſu, corpus poteſt eſſe calidum, & frigidum. Exinde videmus calorem & frigus meras eſſe relationes. Gradus quietis non dantur, ſed illi inter ſe ſunt æquales.

Quæritur *nunc, quâ ratione unum corpus ſolidum poteſt eſſe frigidius alio corpore ſolido?*

Reſpondetur, *Quod hic conſiderandi ſint diverſi pori, & per illos fluere diverſam materiam ætheream; ſic per unum corpus fluit plus materiæ primi elementi quam per aliud, & ex majori transfluxu illius materiæ primi elementi, major fit calor: vel etiam, quia in uno corpore, plures ſunt pori, quam in alio.*

Objicitur, *Si corpus, quò ſit poroſius, eò majorem quantitatem materiæ ętehereæ tranſmittat, glacies debebit calidior eſſe marmore; atqui falſum eſt poſterius, ergo prius.*

Reſpondetur, *Verum quidem eſſe glaciem eſſe poroſiorem, quod ex levitate ejus patet, ſed præterea ejus poros eſſe tantos, ut tranſmittant materiam, ſive globulos ſecundi elementi, & ut calor adſit corpori, opus eſt, ut multum materiæ primi elementi tranſmittatur, & ut globuli ſecundi elementi excludantur.*

Si pori ſint tanti, ut non ſolùm materiam ęthercam tranſmittant, ſed etiam globulos ſecũdi elementi, tunc nobis tale corpus non poteſt dici calidum: & ſi pori ſint accuratè figurati, ad recipiendam materiam ſecundi elementi, tunc minimè erit corpus calidum, & vix aderit primi elementi materia.

Si vero contingit, ut pori ſint tam parvi, ut excludatur ſecundi elementi materia, vel ut in ipſius poris ſint obſtacula, quò minus tranſire poſſint, tunc manebunt interſtitia, per quæ non fluit, niſi materia ętherea primi elementi, & quò corpora plura habent interſtitia, eò dicuntur calidiora.

Ex præcedentibus audivimus, & intelleximus, naturam caloris & frigoris, quæ non niſi relativa erant ad noſtrum corpus.

Naturam temperatorum jam ex dictis facile intelligimus, nam etiam illa, ut relata ſint conſideranda.

§. 10. Oc-

§. 10. Occultæ ſunt trium generum. Vel enim humorem certum peculiari facultate evacuant; vel cum membro aliquo peculiarem cognationem habent, unde dicuntur cephalica, καρδιακά; vel venenis reſiſtunt.

§. 11. Omnium autem medicamentorum facultates ſecundum mutationes, quas in corpore noſtro efficiunt, ad *ſex claſſes* referri poſſunt. *Primo* alia ad ἀλλοίωσιν novæque qualitatis inductionem ſpectant; qualia ſunt, quæ qualitatibus primis efficacia dicuntur, calefacientia nimirum, frigefacientia, humectantia, ſiccantia. Verum quia non quodlibet alterans cuilibet parti tuto adhiberi poteſt: merito alterantibus ſubjunguntur appropriata cuilibet membro. Deinde huc referuntur, quæ è ſecundarum numero ſunt, μαλακτικὰ καὶ σκληρωτικὰ, emollientia & indurantia: χαλαστικὰ, laxantia; ἀραιωτικὰ καὶ πυκνωτικὰ, rarefacientia & condenſantia: στεγνωτικὰ ἢ συνακτικὰ, ſtipantia & obſtruentia: στυπτικὰ, adſtringentia, καὶ ἀναστομωτικὰ, aperientia: λεπτύνοντα καὶ παχυντικὰ, attenuantia & incraſſantia; ἐμπλαστικὰ implentia, & ἐκφρακτικὰ detergentia. Tandem huc pertinent ἀνώδυνα, ναρκωτικὰ, ὑπνωτικὰ, ſomnum conciliantia.

§. 12. In ſecunda claſſe ſunt, quæ in motu conciliando valent: ἑλκτικὰ καὶ ἐπισπαστικὰ, attrahentia, ἀποκρουστικὰ, repellentia.

§. 13. Ad tertiam claſſem referuntur, quæ in generatione alicujus conſiſtunt: πεπτικὰ, maturantia; ἐκπυητικὰ, pus generantia; σαρκωτικὰ, carnem generantia; κολλητικὰ, glutinantia; ἐπουλωτικὰ, cicatricem inducentia; γάλακτος καὶ σπέρματος γεννητικὰ quæ lac, & ſemen generant.

§. 14. Ad quartam claſſem referuntur, quæ corrumpunt: καθαιρετικὰ, corrodentia; σηπτικὰ, putrefacientia; ἐσχαρωτικὰ, cruſtam inducentia; καυστικὰ, adurentia; γάλακτος καὶ σπέρματος σβεστικὰ, lac & ſemen corrumpentia.

§. 15. Quinta claſſis complectitur ea, quæ in ablatione alicujus rei conſiſtunt: ὑπαγωγὰ, lenientia; καθαρτικὰ, purgantia; ἐμετικὰ, vomitoria; οὐρητικὰ, urinam cientia; ἱδρωτικὰ, ſudorifera, & διαφορητικά; ἐμμήνων ἀγωγὰ; menſes cientia, ſecundinam expellentia; & ἐκβόλια, quæ fœtum mortuum extrahunt; λιθοντριπτικὰ, calculum frangentia & expellentia; errhina, πταρμικὰ, ſternutatoria; ἀποφλεγματίζοντα, pituitam purgantia; βηχικὰ, thoracem expurgantia, ac quæ vermes necant, & expellunt.

§. 16. In ultimam claſſem referri poſſunt venenis reſiſtentia, & alexipharmaca.

CAPUT III.

De primis Medicamentorum facultatibus.

§. 1.

Primam claſſem quod attinet, & primo *a* Alterantia medicamenta; ad hominem ea collata, quæ dicuntur *b* Temperata, quædam nullam in caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate in homine pariunt mutationem; eaque vel ſimpliciter, & in omnibus qualitatibus talia, vel in duabus tantum. Intemperata autem ſunt, quæ calorem, aut humiditatem corporis noſtri mutandi vim habent.

a Alterantia.) *Hæc non ſolum ſpectant ad facultatem primam.*

b Temperata.) *Igitur ſunt, quæ gradum caloris in fibroſo noſtri corporis contextu, nec augent, nec imminuunt: quando augent dicuntur calida; quando imminuunt frigida dicuntur.*

Vel temperata ſunt, *quæ neque majorem*

jorem, neque minorem gradum caloris habent; quam nostri humores; ita ut relationes maxime considerandæ sint, & in quibus etiam consistit alimentum nostri corporis, & medicamentum. Ordinem medicamentorum differemus ad finem usque quia tunc melius intelligemus, quid in illo ordine sit.

§. 2. Dividuntur porro à Medicis hæ qualitates a in gradus quosdam, qui commodissimè ab effectibus æstimantur. *Primus* gradus est, ubi obscurè & vix sensibiliter medicamentum corpus nostrum alterat. *Secundus* gradus est, quando manifestè, citra tamen læsionem, noxam, molestiam, corpus alteratur. *Tertius* gradus est, quando non solum manifestè, sed & vehementer, neque citra molestiam & noxam, sine corruptione tamen, corpus alteratur. *Quartus* gradus est, qui vehementissime, & non sine gravissima læsione corpus nostrum alterat.

a In gradus quosdam.) *Ordo, & divisio medicamentorum in certos gradus ab Authore, est admodum confusa.*

§. 3. In his gradibus singulis quædam adhuc constituuntur latitudines, quas *mansiones* vulgo nominant, prout intense, vel remisse, vel medio modo alterant; quod appellant in *principio, medio, fine.*

§. 4. Temperata sunt: *Adiantum, asparagus, glycyrhiza, oleum dulce, pini nuclei, jujubæ, ficus, sebesten, uvæ passæ, dactyli, gummi elemi, tragacanthum, sevum vitulinum, caprinum, pinguedo suilla.*

§. 5. Calida in primo: Folia & Herbæ; *althæa, borrago, buglossum, beta, brassica, chamæmelum, cuscuta, eupatorium, seu agrimonia, fumaria, linaria, melilotus, malabatrum,* a *nardi spica, scolopendrium verum, symphytum, tussilago.*

Flores; *borraginis, buglossi, betonicæ, buphthalmi, meliloti, chamæmeli, populi nigræ, stœchados Arabicæ, senecionis.*

Fructus; *amygdalæ dulces, castaneæ, jujubæ, nuces cupressi, nuces juglandes virides, uvæ, mora matura, poma dulcia suaveolentia.*

Semina; b *coriandri, fœnigræci, lini, lithospermi, lupini, sesami, oryzæ.*

Radices; *althææ, brancæ ursinæ, betæ, blugossi,* c *glycyrrhizæ, satyrii.*

Cortices; d *guajaci, tamarisci.*

Liquores, succi, & gummi; *saccharum, bdellium, laudanum,* al. 2. *gummi hederæ.*

Sevum; *capreoli, damæ, cervi, butyrum recens.*

a Nardi spicæ.) *Insigniter est calida.*

b Semen coriandri.) *Meretur numerari inter gradum secundum.*

c Radix glycyrhizæ.) *Etiam inter gradum secundum.*

d Cortices ligni guajaci.) *Sunt calidiores ipso ligno, & merentur numerari in confinio secundi, & tertii gradus.*

Omnia quæ Author dicit sunt præter propter vera.

§. 6. Calida in secundo; *Absynthium, anagallis, anethum viride, angelica, apium, artemisia, betonica, calamus odoratus, chamæpytis, fœnumgræcum, hypericum, hedera, lupulus, melissa, marrubium, matricaria, myrrhis, ocymum,* al. 3. *pimpinella, peucedanum, polium, rosmarinus, satureja, salvia, scabiosa, scordium,* al. 3. *stœchas, parthenium.*

Flores; *amomi, croci,* al. 1. *caryophyllorum, schænanthum, lavendulæ, lupuli, melissæ, rorismarini.*

Fructus; *capparis, nux moschata, pistacia, ficus siccæ, nuces siccæ.*

Semina; *anethi*, *apii*, *orobi seu ervi*, *erucæ*, *ocymi*, *urticæ*.

Radices; *apii*, *capparum*, *peucedani*, *pimpinellæ*, *napi*, *zedoariæ*, *rhodia*.

Cortices; *cassia lignea*, *cinnamomum*, al. in 3. *thuris*, *cappar. radic.*

Liquores, gummi, resinæ; *vinum non antiq. ladanum*, *aloè*, *galban. myrrhæ*, *mast. thus*, *pix arida*, *resina*, *styrax*.

Adeps; *leonina*, *pardi*, *ursina*, *vulpina*.

Calida in tertio: Metallica; *flos æris*, *æs ustum*, *squama æris*, *ærugo*, *diphryges*, *alumen*, *sal*, *nitrum*, *sulphur*, *chalcitis*.

Herbæ seu folia; *abrotanum*, al. 2. *asarum*, *agnus castus*, *arum*, *amomum*, *ammi*, *anethum siccum*, *baccharis*, *dictamnum*, *caryophyllum*, *chamedrys*, *cnicus*, id est, *carthamus*, *centaurium majus*, *minus*, *chelidonium*, *calamintha*, *conyza*, *mentastrum*, *fœniculum*, *epithymum*, *juniperus*, *helenium*, *hyssopus*, *laurus*, *majorana*, *marum*, *mentha*, *nigella*, *œnanthe*, *origanum*, *periclymenum*, *petroselinum*, *ptarmica*, *pulegium*, *resta bovis*, *ruta*, *sabina*, *serpyllum*, *sisymbrium*, al. 2. *thymum*, *trifolium*, *verbenaca*, *urtica*.

Flores; *agni casti*, *epithymi*, *leucoii*, *œnanthæ*, *periclymeni*.

Fructus; *baccæ juniperi*, *caryophylli*, *carpobalsamum*, *anacardia*, *piper*, al. 4.

Semina; *ammi*, *anisi*, *amomi*, *carvi*, *cardamomi*, *carthami*, Galeno: Fern. 2. *fœniculi*, *cumini*, *dauci*, *nigellæ*, *napi*, *petroselini*, *seselios*, *staphidis agriæ*, *viticis*.

Radices; *acori*, al. in 2. *asari*, *ari*, *scyllæ*, *dyctamni*, *doronici*, *fœniculi*, *galangæ*, *hellebori utriusque*, *helenii*, *iridis*, *petroselini*, *raphani*.

Cortices; *macis*.

Liquores, lacrymæ, gummi; *vinum vetustius*, *asa dulcis*, *fœtida*, *ammoniacum*, *cedria pix*, *opoponax*, *moschus*.

§. 8. Calida in quarto: Metallica; *vitriolum*, *auripigmentum*, *sandaracha*, *chrysocolla*, *misy*, *sory*, *melantheria*.

Herbæ seu folia; *lepidium*, *nasturtium utrumque*, al. 3. *porrum capitatum*, *struthium*, *thapsia*, *tithymallus*.

Fructus; *piper*.

Semina; *nasturtii*, *sinapi*.

Radices; *allium*, *cepa*, *costus*, *porrum capitatum*, *pyrethrum*.

Gummi; *euphorbium*.

§. 9. Frigida in primo: Herbæ seu folia; *atriplex*, *oxylapathum*, *malva*, *myrtus*, *parietaria*.

Flores; *malvæ*, *rosæ*, *violarum*.

Fructus; *citri caro*, *cydonia mala*, *pyra*, *pruna*.

Semina; *hordeum*, *milium*.

Radices; *malvæ*.

Succi concreti; *acacia*, al. in 2. *sanguis draconis*.

Lapides; *hyacinthus*, *sapphirus*, *smaragdus*.

§. 10. Frigida in secundo; Folia & Herbæ; *blitum*, *chondrilla*, *lactuca*, *lens palustris*, *intybus*, *hyacinthus*, *oxalis sive acetosa*, *plantago*, *polygonum*, *psyllium*, *solanum*.

Flores; *anemonæ luteæ*, *cichorii*, *nymphææ luteæ*.

Fructus; *cucurbita*, *cucumis*, *galla*, *aurantia mala*, *punica*, *pruna Damascena*, *pepones*, *persica*.

Semina; *acetosæ*, *cichorii*, *alkekengi*.

Lignum; *santali*.

§. 11. Frigida in tertio: Herbæ seu folia; *portulaca*, *mandragora*, *sempervivum*, *hyoscyamus*, al. in 4.

Flo-

Flores; *balaustia*.
Fructus; *mala aurea*, *mala insana*.
Semina; *cicutæ*, *hyoscyami*, *papaveris*.
Radices; *mandragoræ*.
Succus; *hypocistidis*.

§. 12. Frigida in quarto: Herbæ seu folia; *cicutæ*, *papaver*.
Fructus; *stramoneæ*.
Liquores concreti; *meconium*, *opium*, secundum vulgarem sententiam, sed minus recte: calidum enim est.

§. 13. Humida in primo: Herbæ; *buglossum*, *helxine*, *malva*.
Flores; *buglossi*, a *malvæ*, *intybi*.
Fructus; *citri caro*, *jujubæ* b *amygdalæ dulces*.
Semina; *malvæ*, *sesami*.
Radices; c *satyrii*, d *buglossi*, e *glycyrrhizæ*, *malvæ*, f *rapi*.

a Flores & radices malvæ.) *Potius inter emollientia sunt numerandæ, quam inter humida.*

b Amygdalæ dulces.) *Quamvis sint oleosæ, non tamen dici possunt aquosæ.*

c Radix satyrii.) *Est mediocre calidum.*

d Buglossi radix.) *Non humida.*

e Radix glycyrrhizæ.) *Est sicca. Siccum voca quod sale abundat.*

f Rapæ.) *Non sunt humidæ, sed coctæ multum humidi imbibunt, quodammodo sunt quidem oleosæ.*

Frigiditas & viscositas possunt peccare humido adjunctæ.

§. 14. *a* Humida in secundo: Herbæ; *violaria*, *nymphæa*, *atriplex*, *blitum*, *lactuca*, *lens palustris*, *portulaca*.
Flores; *nymphææ*, *violarum*.
Fructus; *cucurbita*, *melones*, *pepones*, quorum succum aliqui in 3. ponunt, *persica*, *pruna Damascena*, *uvæ maturæ*, b *saccharum*.

a Humiditas.) *Tertium & quartum gradum humiditatis Author omisit, quia tertius gradus erat, in quo corpus non citra molestiam, & noxam alteratur. Et quartus gradus erat, qui corpus nostrum cum gravissima læsione & destructione alterat.*

Humidum minime potest destruere & cum læsione corpus nostrum alterare.

Intemperies humida nunquam potest peccare, imo est amica nostro corpori.

Corpora viva non possunt esse sine humiditate, sed necessario debent esse humida, & non possunt esse nimis humida, si modo humiditas sit sola.

In hydrope non peccat humiditas, sed obstructiones, quæ impediunt, quo minus humida possunt excerni, alias natura posuit sufficientia emunctoria, ut per transpirationem insensibilem, per nares, per vasa salivalia in ore, per renes, & cum fæcibus per alvum: ita ut humiditas in nostro corpore nunquam peccet, nisi adsit frigus vel viscositas, inde obstructiones, & ex illis ruptiones fiunt vasorum lymphaticorum.

In abdomine potest aqua colligi, primo, quando pori non sunt satis patuli, quo transpiratio impeditur, secundo, quando pori vesicæ non pateant ad humidum imbibendum; & tertio quoque, cum pori intestinorum sunt angustati, ita ut humidum superfluum intra fistulam recipere non possit.

Quid humidius aquâ, & tamen Author illius non facit mentionem, neque per se peccare potest, quoniam particulæ humidæ, propter suam flexibilitatem, possint sese accommodare ad omnium pororum figuras.

In thorace etiam aqua potest colligi, cum pori pulmonum sint obstructi, ita ut vapores, in thorace existentes, non possint transire; sed potissima causa aquæ in thorace, abdomine aliisque partibus nostri corporis, est obstructio vasorum lymphaticorum, unde illorum ruptio.

Author bene fecit, quod tertium, & quartum gradum omiserit humiditatis, sed quam ob causam hoc fecerit, nobis latet.

Humiditas, quæ est in herbis, fluit per illarum fibras, & eo sensu humidæ dicuntur, sed cum sint exsiccatæ, quis tunc dicet, illas esse humidas.

b Saccharum.) *Absurdè ponitur inter humida, est inter oleosa & calida, quia scatet oleo & sali.*

§. 15. *a* Sicca in primo: Herbæ & folia; *beta, brassica, chamæmelum, fœniculum, hyacinthus, malabatrum, myrtus, verbascum.*
Flores; *buphthalmi, croci, hyacinthi, meliloti, rosarum*, al. 2.
Fructus; *baccæ juniperi, castaneæ.* Semina; *fabæ, fœnigræci, hordei.*
Radices; *bryoniæ, œnanthæ, rubiæ, tamarisci, althææ, ari.*
Gummi; *thus*, al. 2.

a Sicca sunt.) *Quæ habent aquam non admixtam.*

Considerabimus sicca dupliciter. Aut quatenus habent plus, aut minus aquæ admixtum: Aut quatenus calore suo magis, vel minus humida excutiunt.

Prioris generis faciunt sanguinem siccum sola admixtione particularum terrestrium, nam tunc accipiunt majorem proportionem in sanguine.

Quomodo vinum dicetur siccum? nimirum, quia humidum è corpore nostro excutit, nam una particula sicca (sic dicta) quæ est in ipso vino discutit quidem decem humidas particulas, & ideo dicitur vinum siccum, quatenus reliquum humidi in sanguine discutit.

Particula illa sicca non per se hoc facit, sed materia primi elementi, per illam particulam fluens, expellit omnes illas humidas particulas, & sic tandem illa particula sicca evanescit.

Illa autem, quæ diu in corpore manent, magnum in corpore habent effectum, propter pororum constantiam, ut sunt corallia, lapides, &c.

§. 16. Sicca in secundo: Herbæ; *Anagallis, artemisia*, al. primo, *anethum viride, betonica, cuscuta, calamus odoratus, intybum, marina brassica, bursa pastoris, equisetum, gingidium, mentha, menthastrum, plantago, rosmarinus, spica nardi, symphytum, fumaria, pimpinella, oxalis, verbenaca, virga pastoris.*
Flores; *pæoniæ, anemon. chamæpityos, periclimeni, stœchadis.*
Fructus; *balanus myrepsica, cappares, cydonia mala, nux cupressi, nux moschata, pyra, pistacia.*
Semina; *fœniculi, carthami, lentes, ervum, seu orobus, milium, oryzæ, papaveris, solani.*
Radices; *capparum, cichorii, raphani.*
Lignum; *Santali.* Lacrymæ, gummi, resinæ; *galbanum, opopanax, pix arida, myrrha, styrax, mastiche, mel.*

§. 17. Sicca in tertio: Metallica; *flos æris, æs ustum, squamma æris, ærugo diphryges, alumen*, a *sal, nitrum, sulphur, chalcitis.*
Herbæ & folia; *filix, millefolium, quinque folium, polium, trifolium, absynthium, abrotanum ustum, anethum ustum, apium, asarum, ammi, calamintha, chamædrys, chamæpitys, epithymum, hyssopus, juniperus, majorana, marrubium, origanum, peucedanum, petroselinum, ptarmica, ruta, sabina, salix, sisymbrium, thymus, serpillum.*

Flores; *balaustia, epithymi, chamæpityos, periclymeni.*

Fructus; *caryophylli, carpobalsamum, galla, piper, juniperi baccæ.*

Semina; *grana tinctorum, anethi, apii, ammi, amomi, anisi, carui, cumini, coriandri, nigellæ, petroselini, milii, viticis.*

Radices, & cortices; *acori, radix cava, galangæ, scyllæ, pentaphylli, trifolii, asari, apii, doronici, seu carnabadii, hellebori, cinnamomi.*

Succi & gummi; *aloe, acetum, acacia, camphora, moschus.*

a Sal & nitrum.) *Non sunt adeo sicca.*

§. 18. Sicca in quarto: Metallica; *calchantum, auripigmentum, sandaraca, chrysocolla, misy, sory, melantheria.*

a Herbæ, & folia; *b ruta sylvestris, allium, nasturtium,* c *sinapi.*

a Herbæ vero illæ in quarto gradu.) *Impetuosè agunt in nostro corpore, sed non diu.*

b Ruta.) *Non meretur poni in quarto gradu.*

c Sinapi.) *Etiam vix intra tertium gradum numerari potest. Particulæ, quæ se insinuant in poros nostri corporis, & ibi manent, destruuntque illos, non tam dici possunt sicca, quam corrosiva, quia poros corrodunt.*

CAPUT IV.

De Medicamentis cuilibet membro propriis, seu corroborantibus.

§. I.

CUm vero qualitatibus primis sæpe occulta conjuncta sit, non eadem alterantia æque omnibus partibus sunt accommodata, sed ea eligenda, *a* quæ totius substantiæ rationi cuilibet parti sunt cognata, & *b* ob occultas quasdam proprietates cum ea singularem habent συμπάθειαν, quæ medicamenta ob id vulgo appropriata, & *c* roborantia nominantur. Ita enim cum manifestis qualitatibus occultæ concurrunt, & in agendo conspirant.

a Quæ totius, &c.) *Veteres suis distinctionibus nihil explicuerunt, nam quid hoc est dicere, totius substantiæ ratione esse cognatum?*

b Et ob occultas proprietates, & per sympathiam roborare.) *Variis terminis quidem voluerunt suas res explicare, sed nihil fecerunt.*

In prima qualitate illæ distinctiones sunt inutiles, nam omnia tota sua substantia calefaciunt, & frigefaciunt: illi has distinctiones fecerunt, quando res erant compositæ ex diversis generis particulis, vel quando aliquid est in illis, quod non potest explicari per illorum quatuor elementa. Nam potest esse in illis aliquid salsum, vel acidum.

Videamus nunc, quid sentiendum sit de medicamentis singulis partibus dicatis, pro fundamento sciendum est, quod pori nostri corporis sint respiciendi, & quod non sint adamantini illi pori, sed obsequiosi, adeoque se facile accommodant variis particularum figuris. Pori in cartilagine, ut etiam in ossibus, quamquam multo stabiliores sunt, minusque sequaces, tamen quodammodo obsequuntur in magnitudine & figura. Mutatio illa pororum patet etiam ex cicatrice, quæ nimis exficcantibus

tibus medicamentis indurata est, etiam malo curato, ita ut particulæ aëreæ, in tempestate admodum impetuosæ, non facile penetrant poros cicatricis, unde calendarium in hominibus.

c Roborantia.) *Est vox admodum obscura & ambigua, quia, quod uni corroborat, alteri nocet.* Roborantia *sunt illa (sive alimentum, sive medicamentum sit) quæ poros partium linquunt in naturali situ, figura, & magnitudine.*

Rogatur? *An dentur medicamenta roborantia, vel caput, vel lienem, vel hepar, vel alias partes?*

Respondetur, *Cum grano salis accipiendum esse, quatenus sc. dentur medicamenta, quorum particulæ facilius transeunt poros hujus, quam illius visceris, sed quatenus eædem particulæ æque facile transeunt poros, v. gr. lienis, hepatis, cerebri, &c. Eatenus non magis huic, quam illi parti specifica dici possunt, suntque per consequens indifferentia.*

Et ut partes nostri corporis facile mutant poros suos sic particulę alimentosæ facile transmittantur, & applicantur omnibus partibus.

Præterea non possunt dici parti alicui specifica, quia æque transeunt poros unius partis, quam alterius, & quamvis non tam bene transirent alias partes, tamen vim faciendo illis partibus, & poros partium mutant, & ipsæ mutantur particulæ, ita ut æque dicata huic parti, quam illi.

§. 2. a Cephalica calefacientia, & siccantia: *Betonica, majorana, salvia, hyssopus, melissa, rosmarinus, folia lauri, baccæ lauri, satureja, ruta, calamintha, serpyllum, spica, lavendula, origanum, herba paralysis, lilium convallium, stœchas Arabica, chamæmelum, ocymum caryophyllatum, melilotus, pœonia.* Semen *sileris montani, fœniculi.* Radix *ireos, caryophyllatæ.* Flores *tiliæ, baccæ juniperi, coriandrum, anacardi, nux moschata, ambra, moschus, xyloaloe, caryophilli, cubebæ, cardamomum, calamus aromaticus, acorus, macis, galanga, castoreum, viscus quercinus, succinum:* ut & quæ extra fere applicantur; *benzoe, gummi juniperi, hederæ, tacamahacæ, nigellæ semen, ladanum, mastiche, styrax calamita, thapsia, adeps ursi.*

a Cephalica calefacientia sunt.) *Quæ subtilia satis sunt, ut possint transire cerebri poros, & subtilia vascula capitis.*

Cephalicum & calidum idem est, sive sunt sicca, *sive alterius generis, idem hoc est.*

§. 3. a Cephalica frigefacientia, & humectantia: b *Rosæ,* c *violæ,* d *flores nymphææ,* e *lactucæ: folia & semen,* f *portulaca,* g *semen papaveris,* & alia frigida, h *acetosa,* i *cucurbita;* quibus ob humectationem addere licet, præcipue in melancholicis, *borraginem, buglossum, poma odorata, amygdalas dulces:* ut & quæ extra fere capiti applicantur, k *folia vitis, salicis, psyllium, capita papaveris, lac muliebre recenter mulctum, succus cucumeris, cucurbitæ,* & humectationis gratia, *semen lini, fœnigræci, amygdalæ dulces, flores sambuci.*

a Cephalica frigefacientia.) *Sunt, quæ inepta sunt, ut ad caput ascendant, sed quæ potius deorsum detruduntur, atque ideo male dicuntur cephalica.*

b Rosæ.) *Non possunt numerari inter frigida.*

c Violæ.) *Sunt temperatè calidæ.*

d Flores nymphææ) *Non sunt frigidi, nam eò ipso, quò sunt flores sunt volatiles, quoniam flores sunt subtiliores partes herbarum.*

e Lactuca.) *Esse cephalicam nunquam audivit C. vir.*

f Portulaca.) *Non est calida.*

g Semen papaveris.) *Etiam non est calidum.*

h Acetosa.) *Est frigida.*

i Cucurbita.) *Est frigidissima.*

k Folia vitis, folia salicis.) *Quatenus habent salem, possent quodammodo cephalica nominari.*

§. 4. *a* Capiti nocentia; *viticis semen, absynthii succus, lac in potu, glandes quercinæ in cibo, olivæ nigræ, arbuti fructus, ervum,* quod & articulos exsolvit. Amplius offendunt, *thus, hederæ cacumina, lentisci fructus, crocus, peucedanum, cyclaminis sicca cum vino epota, mandragora, cicuta, semen lolii. Styrax copiose sumptus.*

a Capiti nocentia.) *Omnia sunt, quæ sunt crassa, viscosa, sive simul fuerunt salsa, sive acida, sive non.*

§. 5. *a* Ophthalmica; *Fœniculum, euphragia, ruta, verbena, chelidonium, majorana, betonica, helenium, rad. valerianæ, sem. hormini.* *b* Oculis nocent; *semen cannabis,* c *caules lactucæ, lentes, fabæ, raphanus, sinapi,* d *cæpæ, porrum.*

a Ophthalmica.) *Sunt spiritus valde subtiles, tenues, & mobiles, & non debent, nec crassare humores oculorum, nec obstruere poros membranarum, alias radii luminis aliquam invenient resistentiam.*

b Oculis nocentia.) *Sunt crassa, frigida, & adstringentia, aut etiam quæ habent salem corrosivum, ut* sinapi, raphanus, cæpæ.

c Caules lactucæ.) *Multum salis nitrosi habent.*

d Cæpæ.) *Spiritus cæpæ dicitur aurum solvere.*

§. 6. *a* Aures calefaciunt; *Cephalica, ut ruta, laurus, costus, nigella, castoreum, item* b *amygdalæ amaræ, cæpæ, helleborus albus cum melle, moschus cum lana bombycinæ impositus.*

a Aures calefacientia.) *Quæ poros aurium facile transeunt, & etiam volatilia sunt.*

b Amygdalæ amaræ.) *Quatenus multum salis in oleo habent, sed non magis dicatę auri, quam aliis partibus.*

§. 7. *a* Aures refrigerant; *lac muliebre tepidum, rosæ, malvæ, violæ, althæa, salicis folia, lactucæ, nympheæ.*

a Aures refrigerantia.) *Quæ etiam alias partes refrigerant.*

§. 8. *a* Thoracica & pneumonica, calefacientia, *b* & siccantia: *hyssopus, scabiosæ, capillus veneris, tussilago, marrubium, calamintha, betonica, veronica, botrys, carduus benedictus, glycyrrhiza, helenii, & ireos radices, scyllâ, aristolochia rotunda, semen urticæ, fœniculi, ficus, uvæ passæ, amydalæ, pineæ,* c *pulmo vulpis, radix dracuntii, ari, pimpinellæ, lini semen,* d *flores sulphuris.*

a Thoracica & pneumonica.) *Hæc iterum Author revocat ad calida, & sicca, frigida & humida, quæ calefacientia vocat, & siccantia, scatent multo sali volatili, uti ex ejus catalogo videri potest.*

Quæ hic enumerantur, partim sunt simpliciter volatilia, partim multo sali scatentia, & non magis dicata pulmonibus, quam aliis nostri corporis partibus.

b Siccantia.) *Nunquam possunt prodesse corpori vivo, sed in illo semper humida esse debent.*

Error Authorum de medicamentis siccantibus provenit ex eo, quod irrationales chyrurgi cum curarent tumorem quendam quod hoc volebant facere exsiccantibus medicamentis, & non considerabant obstructiones, quæ erant tollendæ; ablatis enim obstructionibus, tumor est curatus; cum vero humores obstructionem facientes, exsiccantur, duriores fiunt, ut patet in muco narium, ex quibus clarè patet exsiccantia fere unquam posse prodesse in nostro corpore.

Thoracica igitur potius erunt (si cum illis distinctio est facienda) calefacientia & humectantia.

Obstructiones tollentia sunt volatilia calida, & salsa, aliquando etiam acida. Volatilia obstructiones tollunt sua volatilitate: Sales vero sua vi pungente: Acida vi reserandi, præsertim si obstructiones à sale ortæ sunt.

c Pulmo vulpis.) *Qua ratione hic aliquid efficiet, nobis latet.*

d Flores sulphuris.) *Cum pars curanda inclinet ad siccitatem, tunc illi sunt omittendi, quia sicci nimis, & calidi sunt.*

§. 9. *a* Thoracica frigida & humida; *violæ, malvæ, semen papaveris albi,* b *psyllii, jujubæ, sebesten, tragacanthum, hordeum.* c Pectori nocent; *nimis frigida,* d *acria,* e *rancida, acida,* f *adstringentia, ut, fructus immaturi, vitriolum, lepus marinus, oleum nucum.*

a Frigida.) *Non sunt frigida, quæ Author enumerat, sed sunt temperata & bene, nam omnia frigida noceant, quia facilè obstructiones faciunt, nec hęc magis ad pulmones pertinent, quam ad alias partes.*

Si opus est coagulatione per totum corpus, exhibemus papaverina, & mucilaginosa.

b Ut psyllii.) *Et alia, quæ Author habet. Et etiam jusculum vervecinum paratur.*

c Pectori nocent.) *Nimis frigida non solum pectori, sed omnibus nostri corporis partibus.*

d Acria & acida.) *S. corrosiva.*

e Rancida.) *Quando rancida fiunt tunc multum salem volatilem in se habent, ut lardum cum sit rancidum, plus salis in se habet, quam alias.*

Pectus non facile fert acredinem corrosivam, quia admodum tenerum est, & illius tunicæ sunt tenerrimæ presertim pulmonum, unde statim tussis.

f Adstringentia.) *Debemus nobis cavere ab adstringentibus, cum causa fluxus non dum sit ablata, ablatâ vero causâ, sponte sæpe cessat: ideo pessimum est adstringentia dare in vigore diarrhϾ, aut dysenteriæ, sed sæpe possimus illas curare sudorifero aliquo ex theriaca & s.*

§. 10. *a* Cardiaca calida; *melissa, rosmarinus, ocymum, carduus benedictus, scordium, veronica, cortices, & semen citri, grana tinctorum, seu chermes, caryophylli hortenses, radices angelicæ, helenii, flores calendulæ, lignum aloës, aurum, crocus, ambra, moschus, zedoaria, macis, nux moschata, caryophylli, cinnamomum.*

a Cardiaca.) *Sunt duorum generum, aut sunt volatilia, & eo nomine subitò sanguinis fermentationes excitantia, & augentia, & sunt illa, quæ §. 10. ab Authore numerantur, & recensentur, excepto auro, quod ad durum genus est referendum, quæ omnia valdè spirituosa sunt & calida; ad hoc jam genus etiã referuntur magnæ compositiones, ut* theriaca, mithridatum, diascordium, orvietanum, *& similia, quę subito fermentationem excitant, & augent.*

Secun-

Secundum genus non, quod sensim excitant, & augent sanguinis fermentationes, sed magis constanter ratione sc. ætheris trajicientis suos poros constantiores, & ab Authore §. 11. recensentur.

§. 11. Cardiaca frigida: a *rosæ, violæ, acetosa*, b *borrago, buglossum, nimphæa, plantago, succus citri, limonum, granatorum*, c *cerasa, poma odorata, fructus rubi Idæi, santalum, C.C. os de C.C. unicornu, terra sigillata, bolus Armenus, margaritæ, corallium, bezoar, hyacinthus, sapphirus, smaragdus, lapis lazuli*.

a Rosæ, & violæ, &c.) *Ad §. superiorem sunt referendæ.*

b Borrago, & buglossum.) *Sunt nullius momenti.*

c Cerasa quoque *non sunt cardiaca. Cum judicio cardiaca sunt semper præscribenda, ex. gr. si æger jam est in languore, quia spiritus per poros corporis avolant, quam per pertusum dolium, ibi necessario cardiaca sunt exhibenda, sed nullo modo prioris generis, quia tunc patiens multo fieret languidior propter spirituum exhalationem, sed posterioris generis sunt exhibenda, quæ lentè agunt, & diu in sanguine manent.*

§. 12. Ventriculum *a* calefacientia, & *b* siccantia; *mentha, absynthium, fœniculum, rosmarinus, salvia, lauri folia, baccæ lauri, juniperi, semen carui, anisi, cumini, lignum aloës, galanga, calamus aromaticus, acorus, zingiber, nux moschata, macis, caryophylli, piper, cinnamomum, zedoaria, cardamomum, cyperus, ambra, mastiches.*

a Calefacientia.) *Rursus sunt volatilia, & sunt omnia multo sale volatili donata.*

b Siccantia.) *Hæc quoque rejicienda sunt.*

Acida Author non addidit, quia quodammodo sunt frigida. Ventriculo dicata sunt, si ita velint, salia volatilia, & etiam acida volatilia cum judicio exhibita.

§. 13. *a* Ventriculum refrigerantia; *acetosa, acetosella*, b *portulaca*, c *plantago*, d *endivia, sonchus*, e *cichorium*, f *rosæ, violæ*, g *persica, cydonia*, h *melones, cucurbitæ, cucumeres, citrulli, pyra, ribes, berberis, poma granata, succus citri, limonum, acacia, mespila*, i *fraga, mora*, k *santalum.*

a Ventriculum refrigerantia. (*Sunt etiam temperata*, ut acetosa, acetosella, *& seq.*

b Portulaca.) *Nullius est momenti.*

c Plantago.) *Potius nocebit.*

d Endivia.) *Est temperata.*

e Cichoreum.) *Non refrigerat, sed calefacit.*

f Rosæ, violæ.) *Sunt calidæ.*

g Persica.) *Nocebunt.*

h Melones, cucurbita, cucumeres, citrulli.) *Hæc nunquam possunt dici stomachica, quia nimis sunt frigida, omnis enim subita mutatio mala est, nam illa præscribi debebant, cum calor in ventriculo prædominatur, potius hoc tentandum lenibus medicamentis refrigerantibus.*

i Fraga.) *Potius dicenda est inter delicias tolerabiles.*

k Santalum citrinum.) *Lenem habet adstrictionem, & ideo adhiberi potest, cum ventriculus scatet pituita, ut ejus fibræ non possunt constringi, ut alias solent.*

§. 14. *a* Epar calefacientia; *agrimonia, absynthium, capillus veneris, salvia,*

via, cuscuta, asarum, hepatica, schœnanthum, spica, ageratum, fœniculum, petroselinum, apium, asparagus, amygdalæ amaræ, helenium, flos tunicæ, uvæ passæ, pistacia, sem. calida, calamus aromaticus, cassia lignea, cinnamomum, & reliqua aromata.

a Epar calefacientia.) *Etiam tantum sunt spirituosa.*

§. 15. *a* Epar refrigerantia; *endivia, cichoreum, scariola, dens leonis,* & quæ ad hæc pertinent; *portulaca, lactuca, rosæ, violæ, nymphæa, acetosa, fragaria,* c *sem. frigida majora, melonum* scilicet, *cucurbitæ, cucumeris, & citrulli; & minora, lactucę* puta, *endiviç, scariolç, portulacç,* d *hordeum, santala,* e *camphora, poma granata, ribes, berberis, fraga, melon. cerasa, acetum, serum caprinum.*

a Epar frigefacientia.) *Sunt rejicienda, quia maximè nocent, sed quæ Authores pro refrigerantibus habent, potius sunt temperata, ut patet ex Catalogo.*

b Lactuca.) *Rejicienda est, quia refrigerat.*

c Sem. frigida majora, & lactucæ.) *Sunt etiam rejicienda.*

d Hordeum.) *Quoque est temperatum.*

e Camphora.) *Est calidissima.*

§. 16. *a* Lienem calefacientia: *ceterach, scolopendrium, absynthium, epithymum, fumaria, lupulus, ruta, calamintha, petroselinum, veronica, chamedrys, chamæpitys, melissa* b *nasturtium, cochlearia, prassium, genista, sambucus, asarum, radic. polypodii, helenii, gentianæ, filicis, fœniculum, apium, vitex, tamariscus, cappares, aristolochia, rubia tinctorum, amygdalæ amaræ, scylla, calamus aromaticus, ammoniacum, bdellium.*

a Lienem calefacientia.) *Quomodo autem possunt medicamenta esse alicui parti dicata, & etiam lieni, quæ totum corpus peragrant ope circulationis sanguinis, & sanguini communicantur, qui sanguis in liene non agit sed patitur, ut cum sit viscosior & terrestrior, ibi fit fluidior & trajicitur per lienem, tali fere modo ac sanguis grumosus trajicitur per cribrum.*

Ita ut lieni dicata, potius dicenda sunt sanguini dicata; si catalogum inspiciamus, videbimus omnia tantum esse spirituosa.

b Nasturtium.) *Est acre & multo sale volatili donatum.*

§. 17. *a* Lienem refrigerantia; *salix, endivia,* b *cichorium, portulaca, & fere reliqua hepatica.*

a Lienem refrigerantia.) *Sunt iterum pessima, ut omnia sunt refrigerantia, præter nitrosa.*

Si vero catalogum inspiciamus, potius sunt temperata.

b Cichoreum.) *Est calidum.*

§. 18. *a* Renes & vesicam calefacientia; *capillus veneris, ruta, saxifragia, betonica, ligusticum, fœniculum, eruca, artemisia, calamintha, eryngium, asparagus, ruscus, pimpinella, glycyrrhiza, petroselinum, apium, urtica, daucus, filipendula, rubia tinctorum, ciceres rubri, milium Solis, baccæ juniperi, flores chamæmeli, cardamomum, terebinthina, chærefolium, amygdalæ, pistaciæ, nuclei persicorum, cerasorum, radices capparum.*

a Renes

a Renes & vesicam calefacientia.) *Partes solidæ nunquam calefaciunt; sed id intelligendum est de materiis transeuntibus illas partes, nempe de sanguine, & de humoribus ex sanguine delatis.*

Ita ut totum opus sit, nominare omnia illa medicamenta sanguinem calefacientia, & refrigerantia, & sic uno catalogo possumus absolvere, quod nunc fit pluribus.

§. 19. *a* Renes refrigerantia; *malva*, b *lactuca*, *portulaca*, *parietaria*, *endivia*, *hordeum*, *semina quatuor frigida majora*, c *papaveris*, *lactucæ*, *portulacæ*, *psyllii*, *cydoniorum*, *peponis*, *fraga*, *violæ*, *nymphææ flores*, *camphora*, *santalum*, d *acetum*, *succus limonum*, *melonum*, e *ribes*.

a Renes refrigerantia) *Et hæc iterum rejicimus: verum si Authoris catalogum inspicimus, repugnabit, nam plurima sunt temperata.*

b Lactuca, portulaca, semina quatuor frigida majora.) *Hæc omnia sunt delenda, tanquam obstructiones facientia.*

c Papaver.) *Considerandum est tanquam coagulans.*

NB. Pro generali regula sit, quando volemus refrigerare, fiat hoc nitrosis.

d Acetum.) *Non debet adhiberi ad refrigerandam ullam partem, multo minus ad renes.*

e Succus ribesiorum.) *Est adstringens, & non admittendus, nisi in sanis.*

Omnis calor præternaturalis oritur ab obstructione, ut etiam erysipelas & inflammatio, quæ etiam gradu tantum differunt. Quando inflammatio est in externa parte, tunc dicitur erysipelas (Belg. de roos*); cum vero est in interna parte, tunc dicitur inflammatio (Belg.* een ontsteking*) & quidem cum est obstructio in poris membranarum.*

Omnia calida non faciunt inflammationem, sed tunc, cum adest obstructio pororum, & quidem talis, ut nihil transmittat præter materiam subtilem; & si obstructio sit in vasis ipsis, tunc non fiet inflammatio, quia ibi non est tam arcta, quin adhuc admittat globulos secundi alimenti, sed cum est in membranis & tunicis vasorum & viscerum.

Pessimum est refrigerantia applicare tali in casu, quia obstructiones fiunt pertinaciores, & sic facile generetur gangræna, ideo tutius est hoc facere calidis.

Si pars interna aliqua erysipelate laboret, sæpe tolli solet sudorifero minerali & salino, quod poros appropriat ad suas figuras, & ita sæpe tollitur cum febre interna, quæ ipsi aliquando adest.

§. 20. *a* Uterum calefacientia; *artemisia*, *matricaria*, *betonica*, *dyctamnum*, *origanum*, *pulegium*, *calamintha*, *majorana*, *salvia*, *thymus*, *melissa*, *satureja*, *ruta*, *rosmarinus*, *folia lauri*, *flores chamæmeli*, *semen cumini*, *anisi*, *fœniculi*, *dauci*, *apii*, *petroselini*, *radices aristolochiæ*, *rubiæ tinctorum*, *eryngii*, *fœniculi*, *petroselini*, *asparagi*, *pimpinellæ*, *angelicæ*, *valerianæ*, *imperatoriæ*, *medulla nucis Indicæ*, *baccæ lauri*, *juniperi*, *caryophilli*, *nux moschata*, *macis*, *calamus aromaticus*, *cinnamomum*, *zedoaria*, *crocus*, *galanga*, *myrrha*, *castoreum*.

a Uterum calefacientia.) *Qualia sunt spirituosa, & per consequens non magis utero, quam aliis partibus commune.*

§. 21. *a* Uterum refrigerantia; *nymphæa*, *violæ*, *rosæ*, *cydonia mala*, & *syrupus eorum*, *portulaca*, *lactuca*, *scariola*.

a Ute-

a Uterum refrigerantia.) *Iterum rejicimus.*

§. 22. a Arthritica & Neuritica calida; *majorana, herba paralysis, betonica, chamæpitys, rosmarinus, salvia, folia lauri, lavendula, stœchas, artemisia, & pleraque cephalica, castoreum, lumbrici terrestres.*

a Arthritica.) *Omnes nervi, & etiam aliæ partes, quæ poros habent constantiores, indigent iis, quæ subtilissima sunt, & ideo non facile hærent in poris.*

NB. Generatim concludendum est, quod refrigerantia vix unquam sint adhibenda, præsertim si attendimus ad poros obstructos partium solidarum, in quibus facerent majores obstructiones, sed illa potius sanguini esse adhibenda, quæ ejus motui præternaturali nimio non obsequuntur, quæque adeo obstructionem aliquam in parte solida non progignent, uti sunt nitrata, & pleraque cardiaca secundi generis.

CAPUT V.

De Digerentibus & Præparantibus humores.

§. 1.

Ex hac classe petuntur & a digerentia, digestiva seu præparantia dicta, quæ omnia, quæ b naturam in agendo impediunt, tollunt, quæ c caloris nativi actioni resistunt, mutant, calida scilicet nimis refrigerant, frigida calefaciunt, sicca humectant, humida siccant, crassa attenuant, tenuia incrassant.

a Digerentia.) *Digerere, idem est, ac rem crassam leni calore sensim, & pedetentim subtilem reddere, vel dissolvere.*

b Naturam in agendo impediunt.) *Quid hoc est, omnes plebei sic possunt loqui.*

c Quæ caloris nativi actioni resistunt.) *Quamvis semper sit calor in nostro corpore, an ideo dicendus est nativus, certe puerile hoc esset, nam est contra naturam caloris, quæ in continuo motu, & transfluxu materiæ consistit.*

§. 2: a *Bilis* nimirum flava refrigerantibus & b humectantibus atque incrassantibus corrigenda. c *Pituita* calefacientibus, siccantibus & attenuantibus præparanda. *Humor melancholicus* moderate calefacientibus & humectantibus ac attenuantibus emendandus. d Atra bilis multum humectantibus & attenuantibus corrigenda.

a Bilis flava.) *Constat ex terrâ & oleo & sale, & acido & multis aliis particulis.*

NB. Pro generali hic tenendum est, quod quoties Authores loquuntur de bile, intelligendum est, illos de sale loqui & sæpius de corrosivo.

b Humectantibus.) *Hoc bene, quia si ℥j. salis infundatur in multa aquâ, sal vim amittit, & multum per urinam cum aqua emittet: hanc ob caussam sæpius aquæ spadanæ juvant, nam magna copia sumuntur, ita sal dividitur, & cum aqua ejicitur, ut etiam pituita.*

c Pituita calefacientia.) *Si pituita multum calefit, tum nimirum exsiccatur, & indurescit.*

d Atra bilis.) *Est tantum sal corrosivum.*

§. 3. Et quidem *a* cuique parti accommodata, prout humor in hac, vel illa parte consistit, usurpanda. *Bilem in Capite præparant, & digerunt*, Cephalica Fripida: *in Pectore*, *b* Thoracica Frigida: *in Corde*, Cardiaca Frigida: *in Ventriculo*, Ventriculum refrigerantia: *in Epate*, Epatica frigida.

a Cui parti accommodata.) *Per poros corporis nostri possunt transire particulæ omnis figuræ, si modo sint subtiles, sed illæ particulæ possunt etiam esse magis convenientes huic parti quam alteri, ut ex. gr. cantharides vesicæ admodum sunt inimicæ, ita ut non possimus totaliter negare, unum medicamentum magis esse accommodatum huic parti, quam alteri, quamvis sit admodum rarum.*

b Thoracica frigida.) *Nempe obstructiones tollentia & temperantia, nam frigida sunt pessima.*

Quæ sequuntur sunt quasi appendix §. 1. & secundi.

Si præparatio applicanda sit bili, duplici modo hoc fieri potest. Aut quatenus ejus sal (activitas enim tota bilis consistit in ejus sali, & quoties Authores bilem culpant, non tam totum bilis compositum est respiciendum, quam una ejus pars salina) per acida infringi potest: aut per emollientia & narcotica impediri, quo minus possit molestias illâ suâ acredine nobis creare.

Interdum etiam magna adest bili (ita vulgo dictæ) viscositas, quę digestionem (nempe particularum suarum discerptionem) potest admittere, sed hoc non tam bili tribuendum, quam ejus adjuncto humori viscoso.

Observandum interea bene est contra communem errorem, quod non statim bilis vocanda sit humor ille flavus, qualis non raro expuitur, aut evomitur in ignem, quique protinus inflammatur, sed humor ille, pars dumtaxat esse bilis, tanquam compositi, constantis non solum ex terra, aqua sale, & quidem amaricante; & forsan adhuc multis aliis ex particularum generibus, de quibus sensus noster gustus non ita judicare potest.

§. 4. a *Pituitam præparant in Capite* Cephalica calida: *in Pectore*, Thoracica calida: *in Ventriculo*, Ventriculum calefacientia: *in Epate*, Epatica calida; *in Renibus*, Renes calefacientia; *in Utero*, Uterina calida.

a Pituita præparantia:) *Consistit in particularum crassarum attenuatione, & viscosarum discerptione.*

Sed quæ hoc paragrapho, & præcedenti ponuntur, sunt tantum nugatoria, nam quæ ad sanguinem perveniunt, cum sanguine feruntur ad omnes partes ope circulationis.

§. 5. a *Melancholiam & b atram bilem præparant*; fumaria, c buglossum, borrago, scolopendrium, melissa, cuscuta, capill. veneris, chamædrys, chamæpytus, lupulus, cortices citri, fœniculum, rosmarinus, succus pomorum, *d* ceterach, cappares, epithymum, violæ, genistæ flores, & semen, tamariscus, sem. ocymi, fraxini.

a Melancholiam.) *Diximus consistere in terrestri, & crassa materia.*

b Atra bilis.) *Cum materia est magis corrosiva.*

Melancholia curatur optime venæsectione, bonâ diætâ, & decoctis, si modo patientes velint continuare in iis utendis.

Melancholici curantur aquâ spadanâ naturali, quia tunc bonam observant diætam, exercitationem modicã, & magna illa copia aquæ diluit terrestritatem, & vim corrosivam, præterea vi suæ minerali obstructiones tollit.

Non debent esse nimis subtilia, nam illa parum possunt, quia facili à particulis

culis crassis, & duris reflectuntur, ut audivimus parte secunda principiorum philosophiæ Cartesii, non etiam debent esse crassa, sed temperata subtilia.

c Buglossum, borrago.) *Nihil possunt.*

d Ceterach.) *Est optimum contra melancholiam.*

CAPUT VI.

De Emollientibus, laxantibus, rarefacientibus, &c.

§. 1.

Μαλακτικὰ seu *a Emollientia* sunt, quæ id quod concretum est, fundunt. Talia sunt, quæ nec valde calida sunt, nec valde sicca. *b* Calida scilicet in secundo gradu, & nonnihil humida, ac præterea vim emplasticam habentia, ut sunt, *malvæ & althææ folia & radices liliorum alborum, atriplex, mercurialis, semen malvæ, sesami, lini, fœnigræci, althææ, caricæ pingues, oleum simplex, pinguedines gallinæ, suilla, vitulina, hædina, sevum vervecinum & similies, medullæ fere omnes, butyrum recens, cera, pix, resinæ, bdellium, ammoniacum, styrax liquidus, laudanum, galbanum.*

a Emollientia, talia sunt, quæ nec valde calida sunt, nec valde sicca.) *Est explicatio negativa & nihil docet; idem est ac si diceremus duo & tria non sunt quatuor, nec sex, neque septem & sic porro, inde tamen non possum scire, quid sit.*

b Calida ac præterea vim emplasticam habentia.) *Hic Author explicat obscurum aliquid per obscurius, nam nunquam explicavit adhuc, quænam illa vis emplastica sit, & cum postea explicationem dat, illa æque obscura est.*

Emollientia dicuntur, quæ flexiles habent particulas, & involvunt salinas, & acidas particulas.

§. 2. Hisce opponuntur σκληρωτικὰ, ἢ σκληρύνοντα. *a Indurantia, b* quæ sunt frigida & humida, ut *semper vivum, portulaca, psyllium, lenticula palustris, solanum.*

a Indurantia sunt.) *Quæ conservant & promovent quietem particularum, juxta se invicem positarum, ex physica didicimus, in quo mollities & durities consistit.*

b Quæ sunt frigida & humida.) *Veritas aliqua est in iis, sed admodum obscura, nam frigus, quoniam in minori motu consistit, particulas quietas tenet.*

§. 3. Χαλαστικὰ. *a Laxantia* tensis, iisque quæ συντάσει præter naturam dura evaserunt, *b* conferunt, suntque præcipue ea, quæ, cum materia quædam vel vapor, vel flatus partium spatia replet, extenditque, *c* rarefaciunt, *d* flatuosumque spiritum & materiam attenuant ac discutiunt. Talia sunt modice calida, largius humectantia & substantiæ tenuioris, ut facile penetrent, & crassitie non obstruant, ut: *lilium*, e *oleum chamæmelum*, f *semen lini, fœnugræci, adipes, butyrum*, g *œsypus*, & similia.

a Laxantia.) *Illa idea non est omnibus clara & obvia.*

Humores non possunt dici laxati, sed fibræ partium & musculorum dicuntur laxa-

laxatæ, non quod fibræ longiores tunc fiunt, sed quod finis magis à principio recedit, quod fit, cum fibræ musculorum, quæ antea inflabantur (quo tempore necessario principia, & fines sibi propriores esse debent) nunc flaccidæ jacent.

b Conferunt.) *Est certum genus medicamentum, quod duritiem illam tollet.*

c Rarefaciunt.) *Est res, quæ non competit partibus solidis, sed humoribus & spiritibus.*

d Flatuosumque spiritum.) *Nullus spiritus est flatuosus, nec ullus ventus vel flatus est in nostro corpore: Verum quidem est, quod placida sit distensio in nostro corpore à vaporibus, per omnes partes euntibus, quæ, si non adest, æconomia nostra est turbata, ideo semper adesse debet.*

Si jam obstructio facta est, ita ut vapores non possint transire, mutantur in flatus & ventos, ex quibus clarè patet, quod ventis non possimus mederi, sed essentia illorum est tollenda, quæ est obstructio.

Quod in nostro corpore semper vapor sit, docet etiam quantitas vaporis statim ascendentis, cum urinam emittimus.

e Oleum chamæmelinum.) *Sunt olea viscosa nimis, ideo non debemus fidere illis.*

f Semen lini, fœnugræci, adipes, butyrum.) *Sunt omnia tali in casu palliativa.*

g Œsypus.) *Ejus fœtor potest aliquid tribuere ad apertionem pororum.*

§. 4. Πυκνωτικὰ seu *a condensantia* sunt magis & aqueæ naturæ, atque debilius contrahunt, & propterea tenues atque flexiles *b* poros quidem constringunt, contrahunt & condensant; totam vero partem undequaque & valentius constringere non possunt. Talia sunt; *c aqua frigida, portulaca, sempervivum, psyllium, myosotis, lenticula palustris, tribulus viridis, sedum majus & minus.*

a Condensantia sunt magis naturæ aqueæ.) *Quis unquam audivit ex aqua aliquid fieri durius.*

b Poros condensant.) *Poros constringere, & contrahere quidem dicimus: nunquam dicimus condensare poros, sed obstruere poros partium solidarum: humores quidem condensantur, cum particulæ magis ad se invicem accedunt, & se mutuo plurimis in punctis tangunt.*

c Aqua frigida.) *Aqua nunquam partibus tam firme adhæret, ut rem possit reddere duram, sed aliæ particulæ crassæ, & duræ hoc faciunt.*

§. 5. Στεγνωτικὰ vero *a* sunt crassæ substantiæ, frigida & *b* abstringentia. Foris enim crassitie sua poris incumbunt, & frigiditate sua ac siccitate partem contrahunt & *c* in se cogunt. Ex hoc genere sunt ea, quæ pleraque alias στυπτικὰ *adstringentia* appellantur; *d cortices granatorum*, e *thuris, myrobalanorum, radices tormentillæ*, f *rhabarbarum tostum*, g *plantago*, h *equisetum, bellis minor, sanguinaria*, i *balaustia, flores rosarum, sem. acetosæ, plantaginis, rosarum, portulacæ, nuces cupressi, myrtilli, cydonia, pyra, mespila, mora immatura, sorba, corna*, K *gallæ, acini uvarum passarum, cupulæ glandium, succus hypocistidis, agrestæ*, l *acacia, mastiche*, m *sanguis draconis, spodium*, n *margaritæ, corallium, bolus Armenus, terra sigillata, alumen, lapis hæmatites*, o *ferrum.*

a Stegnotica sunt crassæ substantiæ.) *Potius sunt condensantia.*

b Adstringentia.) *Adstringentium natura satis difficilis est & obscura, & illam*

illam explicabimus cap. octavo ſ. ſecunda.

c In ſe cogunt.) *Tunc dicebantur in ſe cogi, cum non amplius videbant effluere illa, quæ antea effluebant.*

d Cort. granatorum.) *Sunt auſteri, & ita adſtringunt.*

e Thus & maſtix.) *Habent partes viſcoſas, & ita poſſunt juvare, & augere obſtructiones.*

f Rhabarbarum toſtum.) *Adſtringit, quia ejus vis purgans conſiſtit in volatili, vis ejus vero adſtringens in partibus terreſtribus.*

g Plantago.) *Habetur pro refrigerante.*

h Equiſetum.) *Dubium eſt.*

i Balauſtia.) *Sunt in ſummo gradu adſtringentia.*

k Gallæ.) *Sunt ex ſummo auſteræ.*

l Acacia.) *Valde adſtringit.*

m Sanguis draconis.) *Etiam.*

n Margaritæ.) *Quis unquam audivit margaritas adſtringere.*

o Ferrum.) *In prima ſaltem ignitione adſtringit magis, quam quidem in altera.*

§. 6. Πυκνωτικοῖς opponuntur ἀραιωτικά, & τῷ σεγνωτικῷ τὸ ἀναςοματικόν. Ἀραιωτικά, a *rarefacientia* ſunt, quæ meatus cutis aperiunt, poroſque ampliores reddunt, ut vapores per eos melius difflari poſſint. Talia medicamenta ſunt calida, verum moderate, partibus tenuibus, *a* & non ſiccantia: ut *althæa, mercurialis, anethum, flores chamæmeli, meliloti, ſambuci, ſemen fœnugræci, lini, ficus aridæ* c *oleum vetuſtum, butyrum.*

a Rarefacientia, poroſque ampliores reddunt.) *Ut ita aliæ partes poſſunt intermedio loco eſſe, & manere.*

Rarefacientia ſunt duplici modo, aut quo nomine ſe ſimpliciter ſubtilia, aut eo ipſo, quod ſint ſalina volatilia.

Aliquando etiam acida volatilia, quatenus cum ſale noſtri ſanguinis, & humorum fermentationem ciendo, aliquando excitant ipſos ſudores corporis tumores, & ruborem.

b Non ſiccantia.) *Verum hoc eſt ſi tantum ſint moderata, ſed egregie ſiccantia rarefaciunt, ut ex. gr. ſpiritus vini, ſimiliaque alia.*

c Oleum vetuſtum & butyrum.) *Si velis rancidum, quia tunc ſalem habent copioſum.*

§. 7. Ἀναςοματικά ſunt, quæ vaſorum orificia aperiunt; unde in genere a *Aperientia* appellari poſſunt, præcipue tamen Aperientia dicuntur, quæ ad profundiora penetrant, craſſoſque humores attenuant, & calida ſunt in ſecundo gradu, nonnihil craſſiore ſubſtantia prædita, ne facile diſſipentur, donec operationem ſuam abſolverint. In hunc uſum maxime utilia ſunt *b* amara. *c* His cognata ſunt λεπτυντικά δὲ τμητικά, *d* attenuantia & incidentia, quæ dividunt, diſſolvunt & comminuunt, illa craſſos, hæc viſcidos & glutinoſos humores, ſuntque propterea tenuis ſubſtantiæ, *e* & calida fere in tertio gradu: item acida, quæque olfactui, aut guſtui, vel utrique; mordacia & calida apparent, nitroſum & ſalſum ſaporem habent, aut amara & acida ſunt. Talia ſunt: *f Radices quinque aperientes dictæ, apii* ſcilicet, g *fœniculi, aſparagi, petroſelini, & ruſci, graminis, cichorii, eryngii, gentianæ, filicis, rubiæ, rhapontici vulgaris ſeu centaurii magni,* h *aſari, capparum, tamariſci, fraxini, fumaria, abſynthium, eupatorium, capilli veneris, hæpatica, ceterach, chamæpitys, chamædrys, cuſcuta, marrubium, calamintha, pulegium, cochlearia, becabunga, naſturtium aquaticum, ſemen aniſi, fœniculi, ammeos, agnicaſti, ciceres rubri, lupini, amygdalæ amaræ, cappares, nuclei perſicorum, malorum Armeniacorum, cinnamomum, cubebæ, ammoniacum: Acetum, ſuccus limonum.*

a Ape-

a Aperientia, & calefacientia.) *Alia constant subtilioribus, alia crassioribus, alia agunt subito & potentius, hæc vero crassius, & sæpe insensibiliter; sæpe & non tam efficaciter omnes sales, quæ habent amaritiem quandam, vocant ponticos, sive marinos.*

b Amara.) *Per se sunt pigra, sed si dant effectum contrarium, hoc faciunt, quia insueta sunt nostro sanguine, nam omnia insueta alterant fermentum nostri corporis, ut hoc verno tempore possumus observare, quum herbis tam primum provenientibus vescimur, alvus tunc sæpe laxior evadet, quia nobis sunt inconsuetæ (toto enim tempore hyberno non potuimus illis vesci) media vero æstate cum illas jam sæpius manducavimus, nullam inde sentiemus alterationem, quia tunc consuevimus illis uti, & conveniunt nostro sanguini.*

c His cognata.) *Quare non eadem.*

d Attenuantia, incidentia, &c.) *Diversitas horum graduum oritur à duobus, aut quod alia aliis particulas habent subtiliores, adeoque impetuosiores; aut quamvis particulæ sunt crassiusculæ, quod materiam æthercam transmittant per suos poros copiosiorem, aut ad minimum talem, quæ cum æthere consueto nostri sanguinis faciat majorem fermentationem, sed hæc philosophica sunt.*

Si vis (ut sunt modica) sufficiet dicere, quod sint varii gradus inter attenuantia.

e Calida.) *Omnia calida sunt volatilia.*

f Rad. quinque aperientes, apii.) *Non sunt adeo subtiles.*

g Rad. fœniculi, asparagi, petroselini, rusci, graminis, cichorii, eryngii.) *Sunt ex genere eorum, quæ sunt minus subtilia.*

h Rad. asari.) *Multum habet salis volatilis.*

§. 8. His opponuntur παχυντικά, *incrassantia*, quæ succos tenuiores & liquidiores crassiores reddunt. Talia sunt *a* frigida, aut temperata *b* citra acrimoniam, crassæ & terrenæ substantiæ, quæ, dum se humoribus permiscent, iis consistentiam crassiorem tribuunt: ut *bolus*, c *papaver*, d *acetosa*. e *oryza*, *lentes*, *mala cydonia*, *pyra*, *agrestia*, *amylum*, e *lac chalybeatum*, *succus granatorum*.

a Frigida & temperata.) *Ex tenuioribus, & subtilioribus etiam fieri potest incrassatio, ut ex spiritu vini defæcatissimo, opio, camphora, & similibus.*

Magna etiam est differentia inter illos subtiles spiritus, quod patet ex sequenti exemplo.

Spiritus vini rectificatissimus confusus cum spiritu urinæ, faciet coagulationem, si vero spiritus urinæ confundatur cum aliis subtilissimis spiritibus, non fiet inde coagulatio.

Ex his clarum est, coagulationem (nempe incrassationem) non solum fieri à crassis & frigidis.

b Citra acrimoniam.) *Quia acria sæpe numero sunt volatilia, & penetrantia: possunt crassa quoque esse acria.*

c Papaver.) *Neutiquam consistentiam crassiorem reddit.*

d Acetosa, mala cydonia, & succus granatorum.) *Sunt vix incrassantia.*

Acida quamvis volatilia, & rectificatissima, levem tamen introducunt coagulationem: dico levem, non quod eorum vis sit levis (est fortissima) sed quia coctione ventriculi infringitur.

e Lac chalybeatum.) *Particulæ metallicæ tantum modicum habent motum in nostro corpore, sed operantur ratione ætheris transfluentis, aut ratione particularum suarum crassarum, impetum facientium in obstructiones.*

§. 9. Ἐμπλαστικά, quæ ἐμφρακτικά dicuntur, sunt, quæ corporis meatibus, & potus illita, iis tenaciter adhærent, eos opplent atque obstruunt. *a* Suntque quædam

dam sicca & terrea, *b* citra mordicationem tamen atque acrimoniam, & si corporis meatibus illinuntur, difficulter avelli possunt. Quædam verò etiam aqueo & aëreo humore sunt perfusa, tenacia tamen, ut c *oleum dulce*. Talia sunt: d *amylum, pompholyx, cerussa*, e *calx, bolus, terra sigillata, gypsum, lythargyrium, plumbum ustum, radices altheæ, liliorum*, f *semen fœnugræci, mucilagines omnes, farina triticea, pineorum nuclei aqua macerati, gummi Arabicum, sarcocolla, tragacantha, adipes recentiores, & medullæ, butyrum recens*, g *caseus recens, ovi albumen, cera*.

a Suntque quædam sicca.) *Sicca nihil ad rhombum faciunt.*

b Circa mordacitatem, & acrimoniam.) *Non facit ad rhombum, neque aquositas, neque humiditas.*

c Oleum dulce.) *Quia oleum rancidum, multum salis volatilis habet.*

d Amylum.) *Facit ad crassitiem sanguinis.*

e Calx.) *Adhæret demum cum arena & aqua, ipsi est addita, & rursus est exsiccata.*

f Semen fœnugræci.) *Tenaciusculum est.*

g Caseus recens.) *Præsertim si torretur.*

§. 10. His opponuntur ἐκφρακτικὰ & ῥυπτικὰ, quorum hæc in superficie corporis, seu cute sordes abstergunt; *a* illa vero subtilioris sunt substantiæ, atque etiam in poros penetrant, & obstructiones aperiunt, & proinde vim siccandi cum tenuitate substantiæ habent, sive sint calida, sive sint frigida. Dantur enim & calida & frigida abstergentiâ, suntque talia omnia salsa, amara, nitrosa, ut *marrubium, centaurium minus, apium, absynthium, abrotanum, hyssopus, nasturtium, farina lupinorum & orobi, agrimonia, beta, chamædrys, tenacetum, amygdalæ amaræ, radix aristolochiæ, iridis, gentianæ, sigilli Salamonis*, b *hordeum, furfures, succus limonum, semen urticæ, radix tamarisci, capparum cortex, scolopendrium, scylla, nitrum, mel, saccharum, myrrha, lixivia omnia, serum lactis, fel animalium, ærugo.*

a Illa subtilioris sunt substantiæ.) *Abstergentia si essent, pertinerent ad paragraphum, ubi agitur de attenuantibus.*

Abstergentia sunt illa, quæ viscosa & crassa superficiei adhærentia dissolvunt, & ad invicem separant, quæ aliquando sunt salina, vel & modice acida, aut facile intra corpus in acidum declinantia.

b Hordeum.) *Ab omnibus dicitur emolliens.*

Cur hordeum dicitur nonnihil temperatum, quia in corpore nostro facile declinat in acidum, & acida opponuntur salibus, totus sanguis potest inde acidiusculus reddi, ex pane & cerevisia semper aliquid acidi in corpore conservatur: hordeum quamvis in aqua coctum, abit in acidum potum; ut videre est in cerevisia.

CAPUT VII.

De Medicamentis dolorem sedantibus, & somnum conciliantibus.

§. I.

TAndem in hac classe sunt *a* ἀνώδυνα ναρκωτικὰ & ὑπνωτικά Ἀνώδυνα & παρηγορικὰ propriè dicuntur, *b* non quæ causam doloris tollunt, aut sensum hebetant,

betant, sed quæ, manente etiam causa, dolorem leniunt. Suntque temperata ac blando calore prædita ac mollia, & jucundam, ac suavem sensationem in tactu efficiunt. Idque præstant, quæ *c* calore tepido, ac blando sunt prædita, corporique nostro temperie simillima, ac plerumque etiam *d* mollia, & pinguia, partemque, ut minus dolori apta sit, laxant, & molliunt. Talia sunt *e chamæmelum, melilotus, anethum, sambucus, malva, althæa, radices liliorum, semen fœnugræci, lini, tritici, hordei; oleum dulce mediæ ætatis, amygdalarum dulcium, crocus, atque alia è superioribus parata*, f *butyrum recens, insulsum, pinguedo gallinæ, anseris, vitelli ovorum*, g *medulla panis albi, lac tepidum, axungia porcina.*

a Anodyna.) *Sunt duo casus, aut quod sensus hebetetur, & causa doloris non tollatur; aut vice versa, quod causa doloris tollatur, & sensus non hebetetur:* *pungentes involvunt, & illa sunt anodyna primi generis: Anodynum secundi generis sensum hebetant, & causam doloris non tollunt, pro tempore sc. impediunt, quo minus possint illæ particulæ pungentes, & scindentes movere nervos, unde ille excitatur sensus doloris in mente.*

b Non quæ causam doloris tollunt, aut sensum hebetant, &c.) *Est confusus conceptus, est contradictio in adjecto, ut ex sequentibus clarius patebit.*

c Calore tepido & blando, &c) *Calor & frigus hic nihil faciunt, gravius odor in camphora, & opio satis docet illa esse calida.*

d Mollia & pinguia.) *Dolorem mitigant, quia particulas scindentes &*

e Chamœmelum, melilotus, sambucus, anæthum.) *Dolorem non sedant.*

f Butyrum recens, & insulsum.) *Quia sal pungit.*

g Medulla panis, &c.) *Hæc omnia sunt mollia, & referri possunt ad primum gradum.*

§. 2. Ναρκωτικά, quæ & ὑπνωτικά, quod soporem quoque inducant, *a* neque causam doloris tollunt, *b* neque dolorem leniunt, sed stuporem parti inducunt; *c* sensumque, ne id, quod dolorificum est, percipiat, hebetant. Pendet autem hæc vis ab occulta qualitate. Suntque talia: *d lactuca, nymphæa,* e *papaver, solanum, hyoscyamus, mandragora, opium.*

a Narcotica & causam doloris in corpore tollunt, & sensum hebetant.) *Alia id faciunt pro tempore: alia radicaliter tollunt, & pro toto decursu.*

Quæ pro tempore faciunt, sunt illa, quæ tamdiu tollunt dolores, qnamdiu sunt in sanguine, sed illa postea exhalantur, diximus, quod mollia, & pinguia sedant dolorem, involvendo particulas acres, & scindentes.

Narcotica vero hoc faciunt incrassando sanguinem, & ita impediunt, quo minus particulæ acres possint vellicando nervos afficere, & hoc modo pro tempore morbus tollitur.

b Neque dolorem leniunt.) *Quæ stuporem inducunt, leniunt etiam dolorem, ut in dolore dentium videmus, cum acria adhibemus solvuntur nervi, & ita dolor minuitur, & stupor oritur.*

c Sensumque hebetant.) *Anima non potest unquam hebetari, & anima sentit, non vero corpus.*

d Lactuca & nymphæa.) *Stuporem non possunt inducere, nisi ratione obstructionum, quas faciunt in nervis, & ultra obstructiones spiritus fluere non possit, ideoque ultra eas flaccidi sunt nervi, & per consequens omnis sensus expertes, vel saltem stupore præditi.*

e Papaver, solanum, hyoscyamus, mandragora, opium.) *Sunt sanguinem coagulantia, inter quæ numerari potest* camphora.

CAPUT VIII.

De Attrahentibus, & Repellentibus.

§. 1.

IN ſecunda claſſe ſunt *a Attrahentia*; quæ humores, & ſpiritus è corpore in ſuperficiem attrahunt. Fit autem attractio iſta à calore, concurrente tenuitate ſubſtantiæ. Suntque alia calida, & ſicca in ſecundo gradu, quæ moderata attrahunt: alia vero in tertio, quæ magis; alia etiam in quarto, quæ maxime attrahunt, & ardore cutem in tumorem attollunt, ac rubore ſuffundunt, tandemque veſicas excitant, è quibus dropaces, ſinapiſmi, & phœnigmi parantur. Talia ſunt; *radices ariſtolochiæ utriuſque, anemones, cyclamini, dracunculi, gentianæ, pyrethri, ranunculi, narciſſi, arundinis, ari, thapſiæ, flammula*, b *urtica, lepidium, ranunculus, ſemen ſinapis, naſturtii, allium, cæpe, fermentum, anacardia*, c *gummi ammoniacum, galbanum, ſagapenum, opopanax, pix ſicca, propolis*, d *fimus anſerinus, columbinus, gallinaceus*, e *cantharides*.

a Attrahentia. *Author nihil explicat de natura attrahentium, revera nihil in noſtro corpore eſt, quod attrahat: attrahentia repugnat ſanguinis circulationi, ideo in noſtro corpore neque fingi, neque dari poſſunt. Appelluntur quidem particulæ alię potius ad hanc partem, quam ad illam.*

Quæritur *nunc, quare hoc fit? Carteſius hoc bene explicat in parte quarta principiorum, ubi de magnete agit. Similitudo pororum hoc multum facit, & etiam materia ætherea poros transfluens.*

Pori ferri vel chalibis, & magnetis ſunt ſibi ſimiles admodum, & diſſimiles poris aliorum corporum. Ex anatomia magnetis patet, magnetem conſtare multis particulis ferreis.

Quod quædam particulæ in noſtro corpore potius feruntur ad hanc, quam ad illam partem, docent multa.

Primo, bilis ad hepar, & folliculum fellis. Secundo, urina ad renes. Tertio, ſuccus pancreaticus ad pancreatem, & multa alia, quæ omnia fiunt propter ſimilitudinem pororum, & figuram humorum, qui ex arteriis vicinis exeunt, non quod alliciantur, ſed quod lege motus pellantur eò, fitq; hoc propter ætherem certum horum poris ſpeciatim convenientem: ſi minus abludit, parum aut nihil alterabit, ſi magis abludit varia producit ſymptomata.

Si talis materia ætherea fluat per poros medicamenti, qualis ſolet fluere per poros hujus, vel illius partis noſtri corporis, nihil alterabit: ſed ſi materia alia fluat per illa medicamenta, tunc impetum facientia in poros, tremorem fibrarum ſenſibiliter augent, ſenſumque doloris majorem, minoremve inducunt, pro majori, vel minori varietate materiæ ætheree.

b Urtica.) *Humorem habet corroſivum, qui humor immiſſus in poros cutis, ibi fermentationem excitat, ſicque obſtructiones facit, unde veſiculæ, quæ fiunt, quando circulatio impedita eſt.*

c Gummi.) *Ab Authore enumerata non ſunt magnæ efficaciæ.*

d Stercora.) *Agunt ratione ſalis corroſivi.*

e Cantharides.) *Eâ ratione etiam.*

Quidam putant vim attrahentium tantam eſſe, ut aciculas, aliave ſimilia attrahere poſſint, ut magnes ferrum; ſed ejiciunt ſimul cum pure, pus enim tunc cauſa eſt iſtius ejectionis.

§. 2. *a* Repellentia attrahentibus opponuntur, *b* humoriſque influxum

prohibent: vel quoque eum, qui recens influxit, atque in eo fluctuat, nondumque impactus est, reprimunt & rejiciunt. Præstant autem hoc, vel quia frigida, vel quia adstringentia, vel quia utramque vim habent. Adstringentia rursus duplicia sunt, alia frigida, alia calida, *c* & quidem efficacissime id præstant, quia simul sunt frigida, & adstringentia. *d* Quæ saltem frigiditate repellunt, & aquea sunt, seu *e* humida sunt. *f aqua frigida, sempervivum, portulaca, lenticula palustris, endivia, lactuca, solanum, tribulus aquaticus, umbilicus Veneris, psyllium, albumen ovi.* Frigida *g* adstringentia, sunt; *plantago, polygonum, auricula muris, bellis, equisetum, folia sorbi, quercus, myrti, mespili, flores rosarum, balaustia, baccæ myrti, galæ, sorba, fr. berberis, myrtilli, cortices granatorum, radices pruni sylvestris, cortices berberis, radices pentaphylli, bistortæ, tormentillæ, succus granatorum, acaciæ, hypocistidis, mororum maturorum, acetum, terra sigillata, bolus Armenus, sanguis draconis, tuthia.* h Calida adstringentia sunt: *spica, aloë, thus, myrrha, cypærus, absynthium, nuces cupressi, cortices thuris, juncus odoratus, alumen.*

a Repellentia.) *Illa dicimus esse malum inventum ab illis, quibus circulatio fuit ignota, tamen illos non possumus ita accusare, ac quidem recentiores, qui norunt circulationem sanguinis & humorum: impossibile est, ut humores, qui ad aliquem locum feruntur, repellantur. Idem est ac si diceremus fluvium repelli versus suam originem.*

Repellere consistat in eo, quod impediamus, quò minus in partem influant, tunc concedi potest, sed minimè hoc dici potest remittere, vel repellere.

Repellentia. Varia acceperunt nomina ab Authoribus: cum influxus humorum impediatur, ita ut ad partes venire non possint, tunc vocatur intercipientia, *aliquando dicuntur* defensiva, *non solum quod defendant vulnera ab aëre externo, sed simul etiam quod impediant, ne humores nocituri ferantur ad partem affectam. Aliquando nominantur* hæmorrhagiam sistentia, *& illa sunt* adstringentia. *Sic & appellantur* exsiccantia *in fine sc. ulceris sanandi in fluxu alvi, aliarumve partium vocitantur* adstringentia, *& in ambustis* refrigerantia.

Sal commune non potest dici refrigerare, sed est temperatum, quodammodo tamen inclinat ad calorem, sed quoniam est pigri motus, non potest dici adeo calidum: si volatile esset, revera diceretur calidum.

b Humorisq; influxum prohibent.) *Hoc potest admitti: sed quod* reprimunt & rejiciunt *falsissimum est.*

Repellentia, quæ humoris influxum prohibent, nunquam debent adhiberi, nisi in principio; aut declinatione. In principio possumus obtinere, quod humorum influxus impediatur. Cum humores influxerunt, tunc velle adstringere futile hoc est, sicut barbæ tonsores id aliquoties experti sunt.

c Efficacissime id præstant.) *Generatim hoc dici potest, quod omnia quæ hic dicuntur repellentia sint partium solidarum, & non facilè ad statum volatilitatis producantur.*

d Quæ frigiditatem repellunt.) *Frigus nascitur ex visciditate, & crassitie.*

Crassa sunt: *Terra sigillata, bolus armenus, &c.*

Viscosa sunt: *Tragacanthum, gummi Arabicum, vitelli ovi, thus, myrrha, &c.*

e Humida.) *Nihil faciunt, sed magis fluida reddunt; potius eliguntur crassa, viscosa, & sicca.*

f Aqua.) *Aqua dicitur repellens, quia per eam non fluit tantum ignis cœlestis, cum parti applicatur, tunc ad illam partem non venit tanta ætheris quantitas.*

Repellentia, quæ Author enumerat sunt crassa, & viscosa.

g Adstringentia.) *Sequuntur quæ duplicia sunt, acida crassa, & acida austera, si sint volatilia magnam vim adstringendi amittunt.*

Acida

Acida debent etiam esse crassa & austera, quia quædam acida laxant, ut pruna *acida, acetosa &* acetosella.

Quibusdam humoribus, & partibus aceto tantum erit adstringens, quibusdam vero laxans & dissolvens; videmus enim quædam corpora dissolvi aceto, ut exempli gratia gummi quædam, quæ aliis liquoribus non solvuntur; alia gummi solvuntur aqua, ad quæ maxime attendendum est.

b Ipsa calida.) *Talia possunt dici repellentia in aliquo casu, quatenus calidum exsiccat, & humidum expellit. Hinc imprudentissime faciunt Medici, & Chirurgi, qui calidissimis tumores volunt curare, humidum exsiccant, & illud, quod obstructionem facit, durum, & scyrrhosum reddunt: & illi, qui semper crepant, suam experientiam hoc docere non possunt.*

Calida possunt quidem prima, secunda, & tertia vice applicari, & tunc de iis sistendum est.

CAPUT IX.

De Maturantibus, pus generantibus, carnem & callum generantibus, glatinantibus, cicatricem inducentibus, lac & semen generantibus.

§. I.

IN tertia classe sunt *a* πεπτικά, seu maturantia & coquentia, ac ἐκπυητικά, seu ἐκπυΐσκοντα, pus moventia, ita dicta, quod sine iis puris generatio à natura perfici non facile queat, utpote, quæ ob similitudinem, quam cum corpore nostro habent, *b* calidi nativi substantiam tuentur atque augent. *c* Sunt enim temperatè calida, *d* simulque humida & emplastica, quæ meatus occludendo spiriritum, caloremque cohibent, ac retinent. Talia sunt: *oleum dulce, hydrelæum, butyrum, adeps suillus, vitulinus, tritici semen & farina, panis triticeus, semen fœnugræci, lini, folia, ac radices althæa, malvæ, brancæ ursinæ, radices liliorum alborum, cepæ coctæ, caricæ pingues, pix liquida, styrax liquidus, terebinthina.* Quorum aliqua si vel sicciora, vel humidiora videntur, observandum, vix unquam horum unum solum usurpari, sed cum aliis misceri, ita ut unius siccitas ab alterius humiditate, alterius humiditas ab alterius siccitate corrigatur.

a Neque vox πεπτικά, nec maturantia, nec coquentia, nec pus moventia.) *Nos docent naturam pus maturantium, & coquentium.*

b Calidi innati substant.) *Omnis calor transfluens est, non insitus, & minimè dici potest innatus; sed esse calidum nostrum innatum, est ens influens, & novum continuo succedens.*

c Temperatè calida.) *Sed eatenus non faciunt ad rem; quamvis concedamus illa esse temperatè calida. Antiquitas nunquam consideravit, quid revera in re erat & unde fiebat. Pus gigni potest eo ipso, quod meatus fuerint occlusi.*

Maturantia, & pus generantia sunt illa medicamina, quæ chyli generationem motu modico promovent per partes solidas, hinc est, quod humores, quibus nihil est admixtum chyli, nunquam in pus convertantur, uti humores salsi & aquosi, acres, acidi, terrestres: inter salsa & acida, intelligenda sunt acria & corrosiva.

d Simulque humida.) *Modicè humida sunt, quæ chylum fluidiorem reddunt, & ita ejus motum promovent.*

Pus demum provenit tertio, aut quarto die, quia ante, obstructiones impediebant, quo minus chylus potuit effluere.

Pus enim nunquam generatur sine obstructione, nam cum fit solutio continui, fibræ, quæ solvuntur, resiliunt in cincinnos, & incommodum situm acquirunt, ita ut chylus, qui antea per illas partes fluebat, impeditur in suo motu: & etiam alii humores, unde digestio & particularum ad invicem separatio, bonæ mixturæ perturbatio, uno verbo pus tunc oritur, novus & novus chylus continuo ope circulationis adveniens, tandem fibras reflexas, in lineam rectam disponit, & ita pus effluit demum tertio, aut quarto die.

Quo pus dicitur magis legitimum, eo magis accedit ad naturã chyli, quò enim albidius est pus, eò magis legitimum est.

Pus nihil aliud est, quam chylus in acredinem, plerumque in aciditatem mutatus.

Quò chylus majorem acredinem aut acidam, aut salinam habet, eo magis viridescit, aut flavescit, & majorem gradum corrosionis acquiret. Prout igitur acredo magis minuitur, magis accedit ad naturam chyli.

Ita omnia phœnomena possunt explicari.

§. 2. Σαρκωτικά, seu *a* carnem generantia sunt, quæ ad carnis in vulnere, vel vulcere instaurationem faciunt. Equidem natura in generatione carnis primarius opifex est: medicamenta tamen quædam naturæ quasi auxilium ferunt, dum excrementa, naturam in generatione carnis impedientia, summovent, & calorem nativum partis custodiunt. Talia sunt, quæ moderatè calefaciunt, & siccant, & sordes citra morsum detergunt. Pro saniei tamen copia, corporisque humiditate, vel siccitate nunc leviora, nunc fortiora esse debent. Talia sunt, *farina hordei, ervi,* b *fœnugræci, tragacantha, iris, lachryma abietis, mastiche, thus, colophonia,* c *aloë,* d *myrrha, mel, symphytum,* e *hypericum, aristolochia, cadmia, cerussa, tuthia, pompholyx, lythargirium.*

a Carnem generantia.) *Quod Author de carnem generantibus dicit, est nimis plebeum, & parum supra plebem videtur philosophari.*

Carnem generantia talia medicamenta non dantur, quoniam chylus carnem generat. Carnem generantia si velint dari, sunt, quæ impedimenta tollunt, quò minus chylus possit abire in substantiam carneam, vel unguenta sive sint emplastica, sive sint fomenta, vix nisi aëris injurias excludunt, sed non corriguntur, multò minus tollant caussam morbi: quamvis etiam corrigunt illud, quod in illum locum influit, hoc non facit ad rem, quoniam debet sanguis corrigi, unde continuo novus & novus humor peccans fluit; sæpe videmus vulnera felicissime curari, exhibitis subinde decoctis vulnerariis ex radicibus & herbis, præsertim cum acidum in sanguine peccat, quia quæ exhibent semper fere sunt salina: cum jam acredo peccat, malum reddant pessimum, & tamen non retro cogitant, quod salina acredo æquè peccare potest, ac acida.

Cum non dantur signa, quæ nos satis docent, quod peccet, præscribantur, quę salem & acidum simul infringunt, nempe si sal peccet, salem, si vero acidum, acidum infringunt, & talia sunt emollientia, & narcotica.

Si salina peccet acredo, sumatur tamarindi, succus limonum, chinensium pomorum, &c.

b Farina fœnugræci, tragacantha, lachryma abietis.) *Optime hæc præscribuntur in utroque.*

c Aloë.) *Habet salis multum, quod indicat ejus amarities: suo sale etiam aperit venarum orificia, ob salem etiam lavatur in pharmacopeis.*

d Myrrha & mel.) *Etiam aliquod salis habent.*

e Hypericum, aristolochia, cadmia, cerussa, tuthia, pompholix; lythargirium.) *Hæc omnia ponderantur in acida intemperie.*

§. 3. His

§. 3. His cognata ſunt κολλητικὰ ſeu *a glutinantia*, quæ plus ſiccant, & nihil detergunt, ſed potius adſtringunt, & à nonnullis ἔναιμα & τραυματικὰ nominantur, quod in cruentis vulneribus conjungendis uſurpentur; quamquam & in ulceribus mundatis locum habeant. A quibus ſaltem ſecundum magis & minus differunt ἐπουλωτικὰ, *b* cicatricem inducentia, utpote quæ plus ſiccant, ad ſecundum ordinem uſque. In numero κολληλικῶν & ἐπουκωτικον ſunt; *alumen, lithargyrium*, c *ſarcocolla, aloë*, d *bolus Armenus*, e *plumbum*, f *cadmia, ariſtolochia, balauſtia, corallium, equiſetum*, g *plantago*, h *ſymphytum, tormentilla, pentaphyllum, perfoliata, cortices granatorum*, i *thus, æs uſtum lotum, ſanguis draconis*, K *lapis, calaminaris, antimonium*.

a Glutinantia.) *Non poſſunt dici ejuſdem naturæ cum adſtringentibus; quoniam non ſunt niſi viſcoſa, adſtringentia vero exſiccant, & glutinantia non.*

b Cicatricem inducentia.) *Nihil aliud ſunt, quam exſiccantia, glutinantia infringunt ſimul ſalem & acidum ſua viſcoſitate.*

c Sarcocolla.) *Glutinans eſt.*

d Bolus armenus.) *Adſtringit, adeoque exſiccat.*

e Plumbum.) *Aciditatem abſorbet.*

f Cadmia.) *Hoc etiam facit.*

g Plantago.) *Non facit ad rem.*

h Symphytum, tormentilla, pentaphyllum, perfoliata.) *Culinaria ſunt.*

i Thus.) *Poteſt glutinans dici.*

k Lapis calaminaris, antimonium.) *Abſorbent acidum.*

§. 4. Pertinent huc & Medicamenta τραυματικὰ ſeu *a* vulneraria, quæ peculiari vi ſanguinem ita diſponunt, ut ex eo apta & laudabilis caro, quævis que alia ſubſtantia deperdita promte reſtitui poſſit, potionibuſque vulnerariis dictis materiam præbent. Talia ſunt; *b conſolida major & minor, ſanicula, conſolida Sarracenica, agrimonia, pyrola, veronica, artemiſia*, c *plantago, ſabina, equiſetum, radic. tormentillæ, caryophyllatæ, carduus benedictus, pimpinella, alchymilla, pervinca, ſanguiſorba, virga aurea, piloſella, centaurium minus, ophiogloſſum, betonica, hypericum, flores roſarum tanacetum, verbena, ſerpentaria, herniaria, pentaphyllum, ſcordium, oculi cancri, macis, bolus Armenus.*

a Vulneraria ſunt, quæ peculiari vi.) *Et hoc nihil eſt dicere, quænam illa peculiaris vis eſt, quæ vulneris curationem promovent.*

Quæ vulneris curationem promovent, ſunt ea, quæ removent omnia ex vulneribus, quibus conſolidatio impeditur.

Et quæ ſanguinem ita diſponunt, ut ſit aptus ad multum chylum parti vulneratæ ſuggerendum.

Quæ vulnera faciunt diuturna ſunt ſalſa & acida: ulcera cacoethes oriuntur ab acredine & ſale corroſivo.

Videmus, cum tinctores volunt inducere colorem firmum pannis ſuis, quod utuntur acribus & corroſivis, ut intime tingantur fibræ iſtorum pannorum.

Ita habemus exemplum in lypothomia, ubi vulnus infligitur notabile parti notabili & ſenſitivæ, quod ſi ſanguis, quô linteum eſt maculatum, facile eluitur, ſuperſtes erit patiens; ſi vero elui non poteſt, morietur homo: quod docet corroſivam vim eſſe in ſanguine, quæ intime penetrat fibras lintei, ſi vero non ſit corroſiva in ſuperficie fibrarum tantum maculabitur, & facile eluetur.

Moritur patiens, quando eſt ſanguis corroſivus, quia vi ſua corroſiva gangrenam parit, & inde mortem. Ita dicuntur illi habere carnem facile curabilem, quorum ſanguis non eſt corroſivus

vus ab acido vel salso: Belg. dicitur goed heel-ulces.

Vulneraria, quæ Author hic enumerat, sunt leniter viscosa, leniter adstringentia, sali donata, & ita acidum infringunt, quibus Cl. Vir. addit illa, quæ salem infringunt, & illa, quæ in utroque casu prosunt, & talia sunt omnia narcotica.

b Consolida major, minor, sarracenica.) *Sua viscositate possunt involvere acredinem corrosivam, tam salinam, quam acidam.*

c Plantago.) *Nullius est momenti. Enumerat Author multa, quæ salem in se habent, & illa infringunt acidum, sicque* oculi cancri *& bolus armenus etiam faciunt. Amarities herbarum designat salem.*

§. 5. Epuloticis cognata sunt πωρωτικά seu *a* callum generantia, quæ nimirum desiccant, incrassant, indurant moderate calefaciunt & adstringunt. Horum quædam exhibentur, ut, *b succus primulæ veris, pulvis radicis agrimoniæ, aut succus ejus,* inprimis *lapis osteocolla* dictus: Quædam extra applicantur, *bolus Armenus*, c *farina volatilis, osteocolla*, d *aloë*, e *nuces cupressi*, f *thus*, g *tragacantha*, h *acacia*.

a Gallum generantia.) *Nihil aliud sunt, quam exsiccantia, de quibus jam egimus: ita videmus illos, entia multiplicare sine necessitate.*

b Succus primulæ veris.) *Parum facit ad rem.*

c Farina volatilis.) *Quatenus liquorem imbibunt.*

d Aloë.) *Valde siccat.*

e Nuces cupressæ.) *Valde adstringunt.*

f Thus.) *Aliquo modo imbibit liquorem.*

g Tragacantha.) *Etiam.*

h Acacia.) *Valde adstringit. Influxus humorum adstrictione impeditur, & ita exsiccatur pars.*

§. 6. Tandem ad hanc classem pertinent *a lac & semen generantia seu augentia*. Ad lactis generationem faciunt, quæ ad probi sanguinis generationem faciunt, sanguinemque *b* ad mammas deducunt, peculiaremque cum mammis consensum habent. Talia sunt; *fœniculum & anethum viride, smyrnium, apium, polium, eruca, polygala*. Quædam tamen etiam proprietate substantiæ ad lactis generationem facere dicuntur, ut *c pulvis crystalli, fœniculum & anethum*.

a Lac generantia.) *Sunt, quæ dant sanguini multum chylum.*

b Ad mammas deducunt, peculiaremque cum mammis habent consensum.) *Hæc falsa sunt.*

c Pulvis crystalli.) *Obstructiones tollit.*

§. 7. Eodem modo ad *a* seminis generationem faciunt, quæcunque optimum sanguinem, seminis materiam generant, & quæcunque ipsum ad vasa semini generando destinata deducunt; vel etiam semen flatu replent: mediocriter scilicet humida & calore temperata. Talia sunt: *bulbi, cicer, scincus, satyrum, eruca, semen fraxini, lini, allium, cepæ, radices eringii, napi,* b *asparagi, zingiber viride, galanga,* c *amygdalæ dulces, nuces pineæ, pistacia,* d *castaneæ, dactyli, fabæ, pastinacæ, rapæ sativæ, oryza, cinara,* e *ostreæ*.

a Semen generantia.) *Sine dubio illa sunt, quæ multum chyli spirituosi, sale volatili donati, sanguini suppeditant.*

b Rad.

b Rad. asparagi.) *Salem volatilem habent.*

c Amygdalæ.) *Multum nutriunt.*

d Castaneæ.) *Nihil possunt, ut Cl. Vir putat.*

e Ostreæ.) *Multum nutriunt, & habent etiam salem volatilem in sua aqua marina.*

CAPUT X.

De Rubefacientibus, Vesicantibus, Crustam inducentibus, Adurentibus, Corrodentibus, Putrefacientibus, Psilothris, lac & semen extinguentibus.

§. 1.

a AD quartam classem pertinent, quæ corrumpunt, ut *b Rubefacientia* ἐχαρωτικὰ & καυστικὰ, quæ communi nomine τῶν πυρωτικῶν comprehenduntur, quod calore suo excedente corpus nostrum, ut aquæ fervor vel ignis, adurunt. Mitissima inter ea sunt: φοινίσσοντα quæ cutem saltem calefaciendo rubefaciunt, & quæ altius delitescunt, ad cutem evocant. Qualia sunt: *sinapi, semen nasturtii, urticæ, radices thapsiæ.*

a Ad quartam classem.) *Horum omnium medicamentorum sunt ejusdem naturæ, & differunt tantum gradu: in acredine corrosivâ vel majore vel minore eorum vis consistit, & ita has distinctiones possumus omittere, referendo hæc omnia ad medicamenta mordentia, nempe pungentia, & scindentia, ut patebit ex sequentibus.*

b Rubefacientia.) *Et ex Authoris catalogo videmus illa esse acria, quæ fermentationem humorum circulantium introducunt majorem, inde rubedo.*

§. 2. Fortiora sunt *a* vesicantia dicta, quod pustulas & vesicas excitant, quæ ob substantiæ tenuitatem summam tantum *b* exurunt, humoremque sicut fervens aqua proliciunt, cuticulamque à cute divellunt, & in vesicam attollunt. Talia sunt: *c cantharides, sinapi, fermentum, flammula, ranunculus, semen nasturtii, thapsia, radix cyclaminis, Pyrethri, scillæ, allii, pes columbinus, euphorbium, fimus columbinus, sapo.*

a Vesicantia.) *Externe applicantur, ex. gr. urtica, pellulas gerens, habet humorem corrosivum in suis pellulis, quorum hoc efficit, sc. poros cuticulæ transit, & ibi solvendo fibras, quibus cutis & cuticula connectuntur, obstructiones facit, & ita circulatio impeditur humorum, unde illa distensio, quæ vocatur vesicula: ergo videmus & hoc in casu mordacitatem peccare.*

b Exurunt.) *Ustionis causæ duæ sunt, aut fit à simplici motu, ut ab aqua fervente, aut à mordacitate, quæ urit quamvis non sit calefacta.*

Ardor ab aqua fervente raro altius penetrat, quam cutem, quia particulæ aquæ molles facile reflectuntur à durioribus corporibus, vel saltem sistuntur.

Mordacia vero, & corrosiva quamvis lente hoc faciunt, tamen altius penetrant quam aqua calidissima vi sua pungente & scindente, quæ est in sale corrosivo & acri.

Vulgus, ut & multi Medici putantes, quod ubi nihil videtur, ibi nihil sit, voluerunt aliquid novi gigni cum vesiculæ fiebant, quod falsum esse docent jam supra dicta, quod sc. obstructiones erant hujus rei causa,

quæ

quæ impediebant circulationem humorum.

c Cantharides.) *Uti in externis partibus vesiculæ attolluntur, sic quoque in internis excitari possunt, & quidem majores sæpius cum inflammatione aliqua, quod docet nos usus* cantharidum, *quæ non exhibentur interne, nisi in casu desperato à gr. ij. ad gr. vj., sed tutius extrahitur tinctura ex illis spiritu vini, quia à paucis granis in substantia exhibitis, facilè sanguis ejicitur, quam ejectionem sequitur inflammatio, inflammationem gangrena, gangrenam mors, quæ omnia docent nos prudentiam in illis præscribendis. Aliquando tantum exhibita tinctura ejicitur sanguis; ideo à minori dosi incipiendum semper, & quidem à guttis* XXV. *ad* XL.

Non metuendum est, si nimis in initio sanguis ejiciatur ab exhibita tinctura, quia vasa postea satis flaccescunt, sed tunc dosis minuenda est.

Aliquando tamen vehementioribus illis debemus uti, præsertim in gonorrhæa inveterata, ubi pori malè sunt constituti, & sæpe callo obducti, qui omnino sunt mutandi, sed tamen prudenter in omni casu agendum est.

Catalogus Authoris nobis rursus dat corrosivo sale, & mordaci donata medicamenta.

§. 3. Vehementiora adhuc ἐσχαρωτικὰ, quod *a* crustam inducant, ita dicta, quæ non solum cuticulam, sed ipsam cutim etiam adurunt, suntque calida in quarto gradu, crassæque substantiæ.

a Crustam inducentia.) *Sunt illa etiam, quæ suo calore obstructiones faciunt, videmus enim cum calori ignis vehementiori adstant calcei, quod corium statim quasi in crustam induret: si hoc in corio, ubi omnia quasi occlusa sunt, multo magis fiet in corpore nostro vivo, & naturali.*

§. 4. *a* Καυστικὰ inter hæc sunt vehementissima, & ipsa calore summo, & substantia crassa prædita, quæ non solum cutem, sed interdum etiam carnem adurunt. Talia sunt: *æs ustum, æris flos, calx viva, vitriolum, cinis fœcum vini, ficulneus, fraxini, sabinæ: fimus columbinus, eruca pinorum, helleborus albus, sal ex lixivio, è quo sapo conficitur, paratus, auripigmentum, arsenicum,* b *mercurius sublimatus.*

a Caustica.) *Sunt illa admodum corrosiva, ut Catalogus Authoris docet.*

b Mercurius sublimatus.) *Suam habet acredinem ex sale communi, & vitriolo.*

§. 5. Præter hæc sunt adhuc medicamenta alia, quæ carnem detrahunt, eaque duplicia, alia mitiora, καθαιρετικὰ; alia fortiora, quæ σηπτικὰ, appellantur. Καθαιρετικὰ, a *exedentia*, seu corrodentia sunt, quæ excrescentem carnem mollem tollunt, extimamque saltem, quam contingunt, superficiem detrahunt, *b* non repente, sed sensim, in altum vero penitius non feruntur. Suntque calida in tertio, & quarto gradu, tenuisque substantiæ. Talia sunt: Mitiora; *aloë, alumen, cinis conchylium, cinis quercus & ficus, radices vitis albæ,* c *ellebori nigri, plumbum ustum, antimonium calcinatum.* Fortiora; *calx viva, flos æris, æs ustum, vitriolum calcinatum, argentum vivum præcipitatum, sublimatum, misy, sory, plumbum ustum, oleum vitrioli, sulphuris.*

a Exedentia, seu corrodentia.) *Hic Author vocat corrodentia, quod bene, & ita omnia potuisset vocare corrodentia, & acria, ut §. sequenti.*

b Non

b Non repente.) *Hoc falsum est, nam butyrum antimonii repente hoc faciet, & alia etiam.*

c Elleborus niger.) *Est minus vehemens, quam albus.*

§. 6. Σηπτικά, seu *a putrefatientia b* carnem duriorem colliquant, suntque calidissima, siccissima, acria & calori nativo infensissima, quem cum destruant, & humidum radicale diripiant, sequitur substantiæ partis corruptio, & cadaverosa putrilago. Talia sunt: *arsenicum, auripigmentum, chrysocolla, dryopteris, pytocampe, aconitum, sandaracha.*

a Putrefacientia.) *Hæc iterum sunt corrosiva, & acria.*

b Carnem colliquant.) *Nempe carnem rumpunt, & fibras destruunt, nam putrescere est in minimas particulas dividere.*

§. 7. Pertinent huc & *a* Psilothra, quæ pilos extirpant, partemque glabram reddunt; & si diutius cuti immorentur, eam exulcerant, & adurunt. Talia sunt: *lixivium forte, calx viva, ova formicarum, sandaracha,* b *arsenicum, auripigmentum.*

a Psilothra.) *Iterum sunt corrosiva.*

b Arsenicum, & auripigmentum.) *Non possunt haberi pro psilothris, quia nimis sunt fortia, non solum penetrarent ad radices capillarum, sed etiam cranium, & meninges, transirentque usque ad ipsos cerebri ventriculos, & ita moreretur homo.*

§. 8. Tandem *a* lac & semen extinguentia, & imminuentia quod attinet; Impeditur lactis generatio, si sanguinis copia imminuatur (quod medicamenta non præstant. Sed victus tenuis, vel motus ad mammas impeditur. Talia sunt: *cicuta, lactuca, lens palustris, nymphæa, cucurbita, solanum, portulaca, papaver.* Absumunt vero lac genitum *agni casti semen, calamintha, cuminum, ruta, salvia, crocus, farina fabarum, lupinorum, ocymum*, quorum aliqua occulta vi id præstare creduntur.

a Lac imminuentia.) *Medicamenta quæ ab Authore recensentur, faciunt sanguinem nimis frigidum, & cacochymicum, mortemque dant sale insigniter existente: & præterea imminuunt fermentationem sanguinis, & per consequens elaborationem probam chyli.*

§. 9. Semen absumunt quædam occulta proprietate, ut *radix cynosorchidos minor*, sicut major semen auget, *semen agni casti*. Quædam manifesta: Frigida; *cicuta, cucurbita, hyoscyamus, lactuca, nymphæa, acetosa, lens palustris, portulaca, acetum & acida*. Calida; *calamintha, mentha, anethum, ruta, semen cannabis*. Pertinet huc & *b saccharum Saturni, & camphora*, quod tamen negat J. C. Scaliger.

a Semen extinguentia.) *Inedia semen extinguit, & quæ obstruunt testiculos nervosos, ita ut spirituum influxus in testiculos impediatur: unde fit ut quidam homines semen aquosum ejiciunt.*

b Saccharum Saturni.) *Potest semen minuere, quatenus incrassat sanguinem, & tardiorem reddit.*

CAPUT XI.

De Purgantibus per alvum.

§. 1.

IN quinta classe medicamentorum, eorum scilicet, quæ in ablatione alicujus rei consistunt, sunt primo *Purgantia* dicta. Etsi vero in genere omnia medicamenta, quæ aliquam corporis partem ab excrementis liberant, purgantia appellari possunt: usus tamen obtinuit, ut illa solum purgantia in specie dicantur, quæ per alvum, vel etiam vomitum corporis excrementa educunt. *a* Sunt autem ea, quæ alvum movent, & communi Evacuantium nomine indigitari solent, duplicia, alia, quæ alvum saltem primasque vias evacuant; alia quæ ultra primam corporis regionem penetrant, & ex remotioribus vitiosos humores evacuant, quæ propriissime *Purgantia* dicuntur.

a Sunt autem duplicia.) *Imaginaria est divisio corporis in tres regiones, & repugnat circulationi sanguinis.*

Veteribus prima regio erat à ventriculo per intestina, & vasa mesenterica, atqui in cavam jecoris partem. Secunda à convexa jecoris parte per venam cavam ad cor, & tertia à corde per totum corpus.

Impossibile enim est, ut introducatur fermentatio in sanguine, quæ non ad cor pervenerit, & in eo quidem duplici illa fermentatione, in dextro, & sinistro ventriculo cordis, vis illorum medicamentorum perditur.

In hepate non potest illa fermentatio minui, quia ibi nulla fit fermentatio, & ergo illa vis necessario in sanguine manebit, unde patet, si regiones dari possent, quod prima statuenda est ab ore per ventriculum, intestina, vasa chylifera, ductum thoracicum, venam cavam descendentem ad cor usque. Sunt tamen gradus adhuc in illis, ita ut dicuntur laxantia, quæ totam fere vim in ventriculo amittant. Secunda est à corde per arterias, vasa capillaria ad partes solidas.

Multa purgantia corpus emaciant, quia per purgationes præsertim vehementes non solum pinguedo, sed etiam ipsa partis stamina abraduntur.

§. 2. Illa Græci ἐκκοπρωτικά, & ὑπακτικά, ἢ ὑπαγωγά, vulgo *a Lenientia* nominant, quod fœces ex intestinis, & quicquid in ventriculo, intestinis, & meseraicis orificiis excrementi detinetur, evacuant, sive molliendo & humectando ac lubricando id faciant, dum abundante humiditate fœces imbuunt & liquant, atque ad expulsionem promovent; sive detergendi, & moderatè stimulandi vim habent. Talia sunt; *malva, althæa, mercurialis*, b *beta, brassica, blitum, atriplex*, c *asparagus, passulæ*, d *pruna dulcia, sebesten*, e *cassia, manna, tamarindi*, f *oleum amygdalarum dulcium, ficus pingues, & recentes*, g *mala dulcia, jura pinguia, galli imprimis vel capi*; h *serum lactis, caprinum imprimis, butyrum recens*.

a Laxantia & lenientia) *Vix agunt in sanguine nostro, sed molliendo, & lubricando alvum subducunt.*

Mediocra sanguinem purgant. Quæ sunt vulgaria, nempe mediocria, vix sunt ex arteriis ad partes, & præterea duplici fermentatione cordis, vires plurimas amittunt, ut supra jam dictum.

Vehementia ad partes solidas eunt.

b Beta, brassica, præsertim rubra, blitum, atriplex.) *Salem habent nitrosum.*

c Aspa-

c Asparagus.) *Potius urinam subducit.*

d Pruna dulcia.) *Potius acida purgant, vel potius laxant.*

e Cassia, manna, tamarindi.) *Vera sunt laxantia.*

f Oleum amygdalarum dulce..) *Tantum glabritiem inducunt, ut & pinguia.*

g Mala dulcia.) *Cum acidum austerum est in intestinis, tunc illa dulcia aliquid poterunt.*

h Serum lactis.) *Humiditate sua, & sale pauco suo leniter pungit.*

§. 3. *Purgantia* autem propriissime ita dicta sunt, quæ *a* peculiari peculiarem aliquem humorem è corpore projiciunt. Qua autem vi id præstent, inter Medicos valdè controversum est: verũ consentaneum videtur. Purgantia seu ore assumpta, seu per alvum infusa, seu extra umbilicũ, & ventri applicata, seu manibus tractata, *b* aut natibus admota, calore corporis nostri in actum deduci & resolvi, eorumque resolutorum subtilissimos vapores, aut spiritus per vasa in totum corpus dispergi, & *c* occulta vi, ac proprietate humores sibi cognatos, & affines movere, turbare, & agitare, ac quasi fermentare, atque omnino efficere, ut qui antea sanguine permisti naturæ molestiam non creabant, jam agitati ab aliis separentur, & seorsim existentes *d* naturam stimulent, atque ad expellendum irritent; quæ irritata expultricis facultatis ope & purgans medicamentum, & humorem vitiosum ejus vi separatim simul è corpore expellit, atque exturbat.

a Quæ peculiari vi.) *Obscurum hoc est, & nihil explicat, purgantia manibus tractata, illa deberent esse fortissima, & deberent se insinuare in poros partium & vasorum, & sic cum sanguine circulari.*

b Natibus admota.) *Tunc vapores debent efficere dicto modo, insinuando sc. se in poros, &c.*

c Occulta vi separantur.) *Non opus est hic currere ad occultam qualitatem: spuma in mari solâ fluctuatione, & agitatione separatur: sic sola fermentatione fœces ejiciuntur ex corpore nostro, quia non possunt obsequi intestinum motum particularum sanguinis: ita fœces ob hanc causam ex cerevisia, & vino ejiciuntur, quæ ad superiora eunt, vocantur flores, quæ ad fundum* mater vini (*& sic porro*) Wijnmoer, *quo utuntur mulierculæ ad splendorem cupri, quod fit ratione salis, & acidi fixi, quod multum in se continet: ita in nostro stercore multum salis, & acidi fixi est, qui tamen in aëre fiunt volatilia, quod docent stercora, quibus agri præparantur, suis sc. particulis salinis volatilibus aperiunt poros agri, quo tollitur impedimentum, quod alias facit, quo minus vapores nutrientes possent deferri ad superficiem telluris, illæque particulæ salinæ pro vehiculo suo habent rorem, aut pluviam, quo ad intima terræ penetralia possunt pertingere.*

d Naturam stimulent.) *Hoc imaginarium est, & etiam* facultas expultrix.

§. 4. Sunt autem alia Mitiora, quæ alvum leniunt, præter hoc tamen peculiarem humorem proprietate substantiæ respiciunt, & ultra primas vias ad hepar, & lienem usque vires suas exserunt, è toto tamen, & remotioribus partibus evacuare non possunt. Mediocria, quæ ultra hepar, & lienem etiam majora vasa evacuant. Fortiora vero purgantia sunt, quæ è toto corpore, ac distantissimis quoque partibus, & minoribus venis humores evacuant. *a* Varia autem sunt medicamenta purgantia: ab humorum tamen numero, quos specifica vi attrahunt, differentia constituitur.

a Varia autem sunt medicamenta.) *Quod dantur medicamenta specifica purgantia patet à posteriori, & priori. A posteriori vel experientia probatur,*

tur, quod si aliquis bile abundet, & purgetur pituita, homo multo pejus se habebit, & vice versa, vel cum humor diversus ab humore peccante, pejus se habebit homo.

A priori vel ratione probatur, cum purgantia sint diversa, ut aloë, manna, colocinthis, &c. (diversitas dependet à figura, & magnitudine particularum) necessario poros debent habere diversos, per quos alius atque alius ęther transfluere debet, qui omnes sibi convenientes particulas secum movet, ipsique adhærent (simile enim gaudent simili) quędam ad latera detruduntur ob ętherem nostri sanguinis fortiorem, & quia fermenta omnia à natura sunt gravia, propriâ gravitate magis descendunt, quam adscendunt (non enim negamus aliquid quoque ascendere) sed quod ascendit enim instar florum cerevisiæ, quæ leviores sunt, & ejus potior pars per insensibilem transpirationem abit: sicut per artem mechanicam, & leges motus debent exire per arterias meseraicas; de his vide plura in Collegio theoretico.

Cholagoga, seu bilem evacuantia mitiora.

§. 5. a *Manna*, Quæ in jusculo carnis bubulæ, vel gallinæ vel decocto prunorum, vel tamarindorum dissoluta, & colata exhibentur, datur ab ℥j. ad ℥iij.

a Manna.) *Sunt multæ fœminæ, quę dulcedinem non possint ferre: sed infantibus totum exhibetur.*

Quæritur an dulcia non sint inimica biliosis.

Respondetur quod multis bile viscosa laborantibus, & obstructiones habentibus, non debet exhiberi manna, *quia non potest tollere obstructiones, sicque regurgitaret ad ventriculum, & nauseam ibi excitaret.*

§. 6. *Cassiæ fistularis a* benignum & tutum omni tempore & ætate medicamentum est; nisi quod humidior & *b* flatuosa est, & propterea humido ventriculo, & intestinis, ac affectibus flatulentis minus commoda est. Ideoque *c corrigitur* cinnamomo, mastiche, sem. anisi, fœniculi, dauci, ʒß. vel ʒj. pondere additis. Exhibetur vero commode forma boli vel electuarii, non diu ante cibum. Datur ab ℥ß. ad ℥ij.

a Benignum, & tutum omni tempore, & ætate) *Sexui, regioni convenit, sed sua viscositate nonnihil poros obturaret intestinorum.*

b Flatuosa.) *Corpus semper scatet vaporibus, sed sentiuntur demum, cum pori sunt obstructi, adeo ut non possint ire, nec redire, quos plebes judicat, ibi aliquâ ex causâ externâ gigni.*

c Corrigitur.) *Cum homines laborant nonnihil obstructionibus, tunc cassia non satis subtiles est ad poros istos aperiendos: & illam ob causam purgantibus adduntur semina carminativa, correctoria dicta, quæ sali suo nonnihil obstructiones tollunt, hinc ex poris apertis erumpunt flatus qua data porta.*

§. 7. *Tamarindi a* frigidi & sicci sunt secundo ordine, ob id *b* humorum acrimoniam, fervoremque reprimunt. Pulpa datur ab ℥j. ad ℥ij. vel ℥iij. in decocto ad ℥vi.

a Frigida.) *Omnia acida sunt minus volatilia, hinc Authoribus dicuntur frigida, sed tamarindi sunt temperati.*

b Humorum acrimoniam.) *Salinam nempe, non diu ante cibum, sudorifera debent habere, & retinere ven-*

ventriculum vacuum; in purgante hoc non est opus, nam dimidia hora post purgans sumptum, cibum sumere licet.

§. 8. a *Rosarum* succus, syrupus & mel inde paratum hepati, & b visceribus robur addit; sed c menses aperit, & propterea prægnantibus non dandus. Succus datur ad ℥ij. syrupus & mel ad ℥iij. vel ℥v.

a Rosarum.) *Sc. pallidarum alvum nonnihil subducit; sed tamen vires ejus ut & ipsarum rosarum pallidarum non sunt magni momenti.*

b Robur, addit visceribus.) *Obscura est locutio, nam aliquando hic fit poris obstructis aperiendis, aliquando nimis laxis constringendis, ideoque cum judicio exhibendus est.*

c Menses aperit, & propterea prægnantibus non dandus.) *Vis ejus non est tanta, quod dosis nos etiam docet. Si autem menses aperit, & aperit aliorum viscerum poros, & exinde patet, quod Author velit* (robur addit visceribus) *poros sc. obstructos aperire.*

§. 9. a *Violarum* succus, & inde paratus syrupus & mel calorem mitigant. b Succus datur ad ℥ij. syrupus & mel ad ℥iv.

a Violarum succus calorem mitigat.) *Qua ratione hoc faciunt non video.*

b Succus datur.) *Potius syrupus ejus additur decoctis, & etiam mel ad gratum saporem.*

§. 10. a *Flores persicorum* non solum alvum, sed & vomitum movent, & biliosa, ac serosa educunt. Syrupus ex iis paratus datur ad ℥ij. conserva ad ℥j. In vino infusorum M.j. idem præstat.

a Flores persicorum.) *Illi magis sensibiliter alvum laxant, & inde paratur syrupus utilis prægnantibus, & pueris.*

§. 11. a *Myrobalani citrinæ* frigidæ & siccæ sunt, simulque adstringunt, & viscera quidem roborant, sed in eorum obstructionibus minus tutæ sunt. Adstrictio eorum corrigitur additis aperientibus, & b seminibus odoratis, vel si oleo amygd. dulc. fricentur. c Dantur in pulvere ad ℥ij. In infusione à ℥v. ad ℥iß.

a Myrobalani citrinæ.) *Non nihil adstringunt.*

b Seminibus odoratis.) *Nempe salem habentibus.*

c Dantur in pulvere ad ℥ij.) *Est dosis nimia & nemo capere posset ℥ij. pulveris levioris, rhabarbarum præstat.*

§. 12. a *Rhabarbarum* præter flavam bilem purgat etiam pituitam, b sed non nisi in proximis viis hærentem. c Inprimis Epati utile est. d Habet diversas partes: subtilioribus purgat & aperit, crassioribus adstringit, e unde lienteriæ, sputo cruento, ruptis & contusis commodum est. Datur in substantia, f infusione & decoctione, quæ omnino levis esse debet, g additurque tertia pars cinnamomi vel schœnanthi, vel spicæ Indicæ. Ubi purgare solum vel aperire animus est, infusum & decoctum: ubi vero adstringere & roborare, in substantia commodius est. Paratur etiam h extractum, sed quod vix fortius, quam in substantia sumtum purgat. Datur in substantia ad ℥ij. in infusione ad ℥ß.

a Rha-

a Rhabarbarum purgat præter bilem flavam & pituitam.) *Hoc est, non ita purgat bilem, quod nihil pituitæ etiam purgaret, sed præcipue bilem purgat.*

b Sed non nisi in proximis vasis hærentem.) *Omnia vasa distant satis longe: namque ope circulationis ad sanguinem debent venire, cuique, qui novit circulationem sanguinis, notum est, per quam viam eunt, sed error ille prægnatus est exinde, quod fecerunt tres illas regiones, de quibus supra.*

c In primis hepati utile est.) *Sanguini utile est, non parenchymati hepatis, nam bilis versatur quidem in vasis hepatis, non autem in parenchymate.*

d Habet diversas partes, &c.) *Author ibi optime loquitur.*

e Unde lienteriæ commodum est.) *Sputo cruenti, dysenteriæ & similibus, si paululum torreatur sub cineribus.*

f Infusione & decoctione, quæ omnino levis esse debet.) *Bene Author monet, quod levis esse debet decoctio, potius omnino absit, & fiat infusio, nisi scopus est, adstringere.*

Infusio sit aquosa, minus vinosa, & minime in spiritu vini.

g Additurque tertia pars cinnamomi vel schænanti vel spicæ Indicæ.) *Si fit tantum infusio non opus est illa addere.*

h Extractum sed quod vix fortius.) *Sine dubio fortius erit, nam multum relinquitur pro capite mortuo, & minori dosi exhibetur, datur à ℈j. ad gr. xxv. extracti: in substantia a ʒj. ad ʒij. in infusione ad ℥ß.*

§. 13. a *Terebinthina* non solum alvum movet, sed & viscera, ac præcipue renes extergit. Datur cum pulvere rhabarbari, vel glycyrrhizæ & sacchาro in bolos redacta, vel adjecto vitello ovi & effusa aqua conveniente in mortario subigitur, & in liquorem lacteum redigitur. Datur ab ℥ß. ad ʒvj.

a Terebinthina.) *Vix alvum movet, nisi sua glabritie evacuat illa, quæ in intestinis jam hærebant: ejus usus non debet esse nimius, & præcipuus est in gonorrhæa, abluit* Terebinthina *aquâ, ut eluatur sal non nihil mordax, & tunc vocatur terebinthina lata, sumitur terebinthinæ ʒß. Mercurii dulcis gr. vi. ad ℈ß. ne à viscositate terebinthinæ ventriculi fermentatio extinguatur.*

§. 14. a *Aloë* calida est ordine secundo, & sicca tertio, valde amara, aperit venarum orificia, ideoque sanguinis fluxui obnoxias, prægnantibus, hecticis, & omnino calidis & siccis extenuatisque non tuta. *b* Commodissime sumitur præparata & extracta ac rosata dicta. Ob amaritudinem non facile in potu, sed commodissime in pilulis exhibetur. Datur à ʒß. ad ʒiij.

a Aloë.) *Habet salem mordacem in sese, ideo etiam lavatur sanguinis fluxui obnoxia, in hæmoptoë & hæmorrhoïdibus fluentibus noxia est.*

b Commodissime sumitur præparata.) *Nempe lota.*

§. 15. a *Psyllii* semen frigidum & siccum est in secundo gradu. Datur in infusione potius, quam in substantia à ʒj. ad ʒiij.

a Psyllium.) *Psyllii semen viscositatem habet, & sua viscositate involvit particulas biliosas, nempe salinas, & tali modo potest dici bilem purgare.*

Χολα-

Χολαγωγὰ *fortiora.*

§. 16. a *Scammonium* calidum & ſiccum in tertio, bilem quidem primo, poſtea etiam pituitoſos humores trahit, & niſi bene correctum ſit inteſtina acrimonia ſua abradit, tormina excitat, & *b* vaſorum orificia aperit, ſanguiniſque fluxum excitat, *c* ventriculo, epati & cordi nocet, *d* ſpiritus inflammat, febreſque excitat. Ideoque raro ſolo utimur. Et ne noceat, addenda pinguia, tragacanthum, bdellium, oleum amygdalarum dulcium, ſemen pſyllii, *e* cinnamomum, ſpica, galanga, ſemen fœniculi, *f* mala cydonia, maſtiche, *g* violarum & roſarum ſuccus. Corrigitur vulgo coquendo illud in pomo cydonio, & ita præparatum *diagrydium* nominatur. Paratur etiam ex eo extractum ſeu reſina. Languidis tamen etiam correctum vix dandum. Doſis diagrydii à gr. v. ad xv. nonnulli ad ℈j. exhibent.

a Scammonium niſi bene correctum ſit.) *Optime corrigitur fumo acido ſulphuris: ſcammonium pulveriſatum inponitur chartæ emporeticæ & accenditur ſulphur, cujus fumus recipitur ab illa charta.*

b Vaſorum orificia aperit.) *Sale ſc. ſuo corroſivo.*

c Ventriculo, epati, & cordi nocet.) *Nempe omnibus partibus nocet.*

d Spiritus inflammat.) *Impropria hæc eſt locutio, nam non inflammat ſpiritus, ſed partes ſolidas ob ſalem, qui illi ineſt: pori membranorum obſtruuntur à particulis ſalinis ſæpius, qui cum ſint obſtructi, materia ætherea majori impetu perfluit illos poros, unde inflammatio, quæ ſi magna ſit, ſequitur aliquando febris, ob materiam æthefeam perfluentem illos porulos, & non convenientem cum materia ætherea noſtri ſanguinis, unde mixturæ fit turbatio, quæ dicitur febris.*

e Cinnamomum, ſpica, galanga, ſemen fœniculi.) *Hæc peſſime adduntur, quia ſale ſcatent.*

f Mala cydonia.) *Bene adduntur, quia acidum infringit ſalem, qui eſt in ſcammonio, & propter eandem rationem tali modo corrigitur.*

g Violarum & roſarum ſuccus.) *Parum faciunt ad rem.*

§. 17. a *Aſarum* purgat bilem per alvum; *b* potius tamen vomitum ciet; attenuat ſimul, obſtructiones aperit, & *c* ſudores movet; & propterea *d* hydropicis, ictericis, lienoſis & quartana laborantibus utile. Datur in ſubſtantia à ʒß. ad ℈ij. vel ʒj. In infuſione à ʒij. ad ℥ß.

a Aſarum.) *Eſt violentum nimis, ideoque rarioris eſt uſus.*

b Potius tamen vomitum ciet.) *Omnia purgantia, ſi ſint vehementia, vomitum cient, ob ſalem corroſivum, vellicantem ventriculi fibras.*

c Et ſudores ciet.) *Hoc contrarium eſt purgationi.*

d Hydropicis, ictericis, lienoſis, & quartana laborantibus.) *In his omnibus eſt obſtructio.*

Pituitam Purgantia mitiora.

§. 18. a *Myrobalani Chebulæ*, quæ inprimis cerebro & epati utiles, ſecundum quoſdam etiam atram bilem evacuant. *Emblicæ*, quæ cordi, ſpleni & epati dicatæ ſunt, ut & *Belliricæ*, ſunt frigidæ in primo & ſiccæ in ſecundo, *b* adſtringuntque, & propterea in obſtructionibus non tuto offeruntur, ſicut nec

cum

cum pituita tenacius intestinis adhæret, sed in fluxionibus, laxitate, & ubi adstrictione & roboratione opus est. Præparantur ut supra de citrinis dictum. Eadem etiam earum dosis.

a Myrobalani chebulæ, cerebro (inquit) & hepati utiles.) *Quænam major convenientia est inter cerebrum & hepar, quam inter alias partes & cerebrum, & præterea hic conjungunt ea, quæ antea tam sollicite distinxerunt, habuerunt enim sua cephalica & hepatica: nos vero diximus medicamenta omnia totum corpus peragrare ope circulationis, & ut pororum cerebri, sic & obstructiones pororum hepatis, & aliarum partium tollunt.*

Verum quidem est, quod in hepate facilius fiant obstructiones in vasculis capillaribus, quæ multa habent, quam quidem in liene, qui meatus valde laxos habet.

b Adstringuntque.) *Hoc pugnat cum titulo, ubi dicit se acturum de pituitam purgantibus mitioribus.*

§. 19. a *Agaricum* pituitam saltem tenuem & aquosam, non vero viscidam purgat, atque imprimis cerebri & pulmonum excrementa evacuat; viscera obstructa aperit, *b* ventriculo tamen non adeo commodum. *c* Ideoque tertia pars *caryophyll. nucis moschat. galangæ, salis gemmæ, zingib.* addenda. *d* Datur in substantia ad ʒij. in infusione à ʒij. ad ℥ß.

a Agaricum.) *Commodioris usus est, nam modicam vim purgandi habet* non solum aquam, sed & pituitam viscidam, *nec magis cerebro dicatum est, quam aliis partibus, ob causam jam supra dictam.*

Quod omnia fere purgantia sint amara, ideoque gravia, & potius ire ad truncum aortæ descendentem, quam ascendentem, supra audivimus.

b Ventriculum non adeo commodum.) *Hoc non speciale est agarico, sed omnibus purgantibus vehementibus, nam post purgationem vehementem, appetitum plerumque homines habent prostratum, quod fit, quia fermentum ventriculi & sanguinis (à quo ventriculus accipit) suum fermentum cum materia purgatur, & per sedes ejicitur.*

Restituitur autem illud fermentum per vinum, vel ejus spiritum, vel potius per panem, cui optimum inest fermentum.

c Ideoque tertia pars caryophill. &c. addenda.) *Addunt Authores aromata tanquam corrigentia, quæ sali gaudent, ut restituatur fermentum & ut visciditas, si aliqua purganti insit, adimatur.*

Omnibus purgantibus optime adduntur mercurii dulcis gr. v. ad viij. quia est quasi digestivum in sanguine, & diu in sanguine manet, præterea impedit, post purgationem, adstrictionem alvi.

d Datur in substantia.) *Melius sumitur ejus resina ad ℈j. vel gr. xxv.*

§. 20. a *Mechoacanna*, & ipsa pituitam, sed præcipue serosos, & aquosos humores, educit, & propterea in hydrope utilissima est; corrigitur cinnamomi, anisi, mastiches tertia parte. Datur à ʒj. ad ʒij. in substantia, in infusione à ℥ß.

a Mechoacanna.) *Quare non collocatur ab Authore inter hydragoga, si in hydrope est utilissima, sed nihil in hydrope efficiet, quia hydropis curatio non consistit in evacuatione serosorum & aquosorum humorum, sed in ablatione obstructionum, & consolidatione vasorum lymphaticorum.*

For-

Fortius pituitam purgantia.

§. 21. *Turbith* est calidum in tertio, & siccum in secundo; pituitamque crassam, & viscidam etiam è remotioribus partibus elicit: ventriculo noxium est, ac *a* nauseam & vomitum excitat, puerisque, senibus, & *b* gravidis non dandum, & ubi exhibetur, corrigendum zingibere, mastiche, pipere, cinnamomo, fœniculo, galanga; *c* nec post ejus usum pisces comedendi. Dosis à ℈ij. ad ℈iv. in substantia. *d* In infusione, vel decocto à ʒij. ad ʒiij.

a Turbith nauseam, & vomitum excitat.) *Quælibet medicamenta hoc faciunt purgantia, si humores vitiosos in ventriculo reperiunt, si in cavo ventriculi facilius, sin intra ejus membranas cum anxietate vomunt: quando autem hoc contingit ab exhibito purgante, bonum est signum, & brevi æger erit curatus, ad quod in praxi maximè attendendum; nam uno vomitorio sæpe plus efficiemus, quam alias intra duas hebdomadas.*

b Gravidis non dandum.) *Ille motus ridiculus est, nam turbith potuisset inter mediocria poni.*

c Nec post ejus usum pisces comedendi.) *Hoc non est peculiare turbith, sed generale est, quod non debemus viscida edere, cum viscida purgavimus, nec biliosa cum bilem purgavimus, ne factum infectum reddamus.*

d In infusione, aut decoctione.) *Aut fiat potius extractum.*

§. 22. *Carthami semen* pituitam, & aquas vomitu & dejectione purgat, & *a* pectori maxime atque asthmaticis utile est: *b* sed ventriculo adversatur, ideo cum cinnamomi, galangæ, mastiches, aut anisi tertia parte usurpatur. Datur in decocto à ʒiij. ad ʒvj.

a Carthami semen pectori, utile est.) *Nempe liberat tubulos pectoris à crassa materia peccante, quod quoque efficit in aliis partibus, atque ideo non magis pectori, quam aliis partibus convenit.*

b Sed ventriculo adversatur) *Omnia purgantia hoc faciunt, ut dictum supra.*

§. 23. *Colocynthis*, quæ calida, & sicca est in tertio, è profundioribus, & *a* remotioribus partibus pituitam, quam turbith evacuare nequit, elicit. Verum est vehemens medicamentum, nocetque ventriculo, & intestinis, quibus febris adhæret, & propterea *b* in petiis ligata coqui solet. *c* Sola vix utendum, ejusque loco trochisci ex ea formati, quos alhandal nominant, usurpari solent. Corrigitur cinnamomo *d* tragacantha, *e* mastice, bdellio, & aliis cardiacis, hepaticis, stomachicis. *f* Datur ad gr.xv. vel ℈j.

a Colocynthis è remotioribus partibus pituitam elicit.) *Nempe perfluit omnia vasa capillaria, partes solidas, & vasa lymphatica, ideoque in lue venerea optimum est remedium, quia fermenta acria hic illic hærentia expurgat, quæ alias ipsa ossa aggrediuntur, & illa erodunt.*

b In petiis ligata coquitur.) *Quia pars subtilior tunc tantum additur decocto, partes enim crassiores facilè hærerent in poris, sicque corrosiva sua vi convellerent nervos, & sequeretur convulsio.*

c Sola vix utendum.) *Hoc Author bene monet.*

d Tragacantha.) *Hoc solum admittendum ex corrigentibus, quia colocynthis peccat sale acri.*

e Mastice, cinnamomo.) *Peccat enim nimia salina acredine, hinc non corrigenda salinis, ut Author vult, sed*

tragacantha hoc admitti potest, quia particulas salinas involvunt, doloresque alioquin oriundos, impediunt.

f Datur ad gr.xv. vel ℈j.) *Nunquam ausim hoc facere.*

§. 24. a *Hermodactylus* pituitam crassam, præsertim è juncturis, trahit, ob idque *b* arthritidi confert. Verum ventriculo nocet. Corrigitur cinnamomo, zingibere, mentha. Datur in substantia à ℈ij. ad ʒjß. In infusione, vel decocto ad ʒiij.

a Hermodactyli.) *Facile oblivioni possunt tradi, quia minus conveniunt in medicina.*

b Arthritidi confert.) Colocynthis *magis arthritidi confert.*

NB. Omnia pituitam purgantia sunt cephalica, & carere possunt turbith, carthamo, *& aliis, modo habemus* colocynthidem, *&* agaricum, *ex quibus fiat tale purgans.*

℞. Extract. agarici gr.xv.
Troch. alhandal. gr.ij. ad gr.v.
Mercur. dulcis gr.iv.v. vel viij.
M. F. Pilulæ.

§. 25. a *Euphorbium* calidum est & siccum in quarto gradu, crassam & lentam pituitam attrahit, sed fortius aquosos humores. Est vehemens medicamentum, & à nonnullis potius inter venena, quam purgantia refertur. *b* Corrigitur cordialibus, & stomachicis, *c* ol. amygdal. dulc. *d* croco, mastiche, *e* acetositate citri. Ejus summa *f* dosis sunt gr.x.

a Euphorbium.) *Enim omnium fortissimum, & vehementissimum.*

b Corrigitur cordialibus, & stomachicis.) *Hoc nihil est dicere, quia illa sunt dubia.*

c Ol amygd. dulc.) *Bene corrigitur, quia illud oleum involuit salem corrosivum.*

d Crocus.) *Non potest juvare.*

e Acetositas citri.) *Plus potest, quia infringit salem.*

Omnia phlegmagoga quidem possunt aquam educere, sed non æque benè viscidam, & lentam pituitam.

Euphorbium potius rejiciendum, quam usurpandum.

f Dosis sunt gr.x.) *Cl. Vir non libenter exhiberet ad gr.vj.*

§. 26. a *Opopanax* calefacit tertio, & siccat secundo ordine, pituitam crassam, & viscidam à remotioribus partibus, & articulis allicit. Corrigitur tertia parte zingiberis, spicæ, cinnamomi, mastiches. Datur à ʒß. ad ʒj.

a Opopanax.) *Etiam vehemens est phlegmagogum, potest carere, modo habemus* agaricum, colocynthidem, *&* mercurium dulcem, *ut dictum supra. Alias rectè corrigitur aciditate quadam.*

§. 27. a *Sagapenum* calidum in tertio, & siccum in secundo, lentos & crassos humores è visceribus, cerebro, & remotioribus partibus purgat, imprimis vero serum. Ventriculo autem & hepati nocet. Corrigitur ut opopanax. Dosis à ʒß. ad ʒj.

a Sagapenum.) *Putat Cl. Vir nos, & illo, & aliis posse carere phlegmagogis, modo habeamus, ut supra dictum.*

a *Melancholiam, & atros humores purgantia mitiora.*

a Melancholiam purgantia.) *Volunt dicere materiam terrestrem, quæ ad fermentationem valde est inepta, nam difficillime ad fermentationem producuntur terrestria, & crassa. Cum igitur hoc in casu vehementer purgamus, bonos humores potius purgamus, quam malos, nempe terrestres: Ita ut hoc in casu effatum, quod Hippocrates habet Aphorismo nono, sectione secunda, sit verissimum.*

Corpora, inquit, ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet, nempe incidi debent, & attenuari.

§. 28. *a Myrobalani Indæ*, quarum eadem est ratio, quæ reliquarum, nisi quod melancholiam purgant.

a *Polypodium* adustam bilem evacuat, ut & pituitam: Lieni & *b* affectionibus hypochondriacis commodum est. *c* Dosis à ℨj. ad ℨiij. Infusione ad ℥j. & supra.

a Myrobalani, & polypodium.) *Decocto indi possunt pro alterantibus, sed nunquam hæc purgant, ut ex relatione ægrorum constat.*

b Affectibus hypochondriacis commodum est.) *Nempe obstructionibus in visceribus hypochondria replentibus commodum est, quoniam tollit obstructiones.*

c Dosis à ℨj. ad ℨiij.) *Vix solum sumitur, sed additur potius decoctis.*

§. 29. *Epithymum a* adustam bilem, & melancholiam expurgat sine molestia, & morbis ab hisce utile est. Quia tamen calidum & siccum in tertio, tutius hyeme, quam æstate usurpatur. *b* Datur in substantia à ℨij ad ℨiij. in Infusione ad ℨx. & ℥ij.

a Epithymum expurgat adustam bilem.) *Non tangit hoc bilem; sed illud adustum esse, nempe corrosivum esse, quando terra multum salis corrosivi fixi, vel acidi corrosivi fixi admixtum habet.*

Sic omnia cancrosa sunt ex atra bile, nempè ex terra mixta cum acido fixo corrosivo, vel sale fixo corrosivo.

b Datur in substantia à ℨj. ad ℨiij.) *Vix sumitur solum, & quis vellet tantam pulveris copiam vorare.*

Commodius sumitur in infusione à ℨx. *ad* ℥ij. *& etiam multo usitatior est infusio.*

§. 30. a *Sena* quasi media est inter fortiora, & mitiora, calida in secundo, sicca in primo. Utilissimum medicamentum est, quod non solum adustos humores, sed & bilem ac præterea pituitam evacuat, *b* viscera omnia mundat, & omni ætati convenit. *c* Cum sit siccior, *corrigitur* non incommode floribus violarum & borraginis, & ne ventriculum offendat, additur zingiber, vel cinnamomi, vel galangæ pars quarta. *d* Datur pulvis à ℨj. ad ℨij. in Infusione ℥ß. ad ℥j.

a Sena.) *Est mediocre purgans,*

b Viscera omnia mundat.) *Nempe viscera à suis obstructionibus, & infarta materiâ liberat.*

c Cum sit siccior, &c. additur zingiber cinnamom. galanga, &c.) *Dicit sicciorem esse, & adhuc corrigere vult siccis, ex quibus satis patet unum ex alio fideliter, & sine ratione describere.*

d Datur pulvis à ℨj. ad ℨij.) *Sit à* ℈ß. *ad* ℈ij. *in Infusione à drach. j. ad drach. ij. vel potius.*

℞. Rhei elect. ℥iß.
Fol. senæ mund. ℥ß. M. pro Infusione.
Vel ℞. Fol. senæ mund. ℈iv.
Rhei elect. drach. j. pro correctorio adde
Sem. fœniculi, vel
anisi contus. p. j. M.

Pro infusione illud semen additur, ut vaporibus sit liber exitus, nempe pori partium nostrarum à sali servantur aperti, adstringentia minime sunt addenda, ne pori coarctentur, & ita vapores in corpore retineantur.

Sena neque rhabarbarum coqui debet, quia duorum generum particulas habent, purgantes nempe, & adstringentes.

Stipides sunt eligendi ob majorem vim adstrictionis.

Infundunt folia senæ in decocto prunorum, quod malum est, quia decoctum illud pingue impedit, quo minus vix purgans possit extrahi, melius infunditur cerevisiæ tenui, vel vino.

Alterum vitium est, quod cum prunis coquuntur, ob rationem jam supra dictam.

Melancholiam, & adustos humores purgantia fortiora.

§. 31. *Lapis Armenus* *a* humores melancholicos, lentos, crassos purgat, mitius tamen, quam *helleborus*. *b* Corrigitur lotione aquarum cordialium. Datur à drach. ß. ad drach. j. vel etiam drach. jß.

a Lapis Armen. humores lentos, &c.) *Neme pertinaciores humores purgat, mitius tamen, quam helleborus niger.*

b Corrigitur lotione aquarum cordialium.) *Aqua quatenus cordialis parum facit ad rhombum, sed lavatur aqua ad salem diluendum, & ejus acrimoniam tollendam.*

§. 32. a *Lapis lazuli* easdem vires habet, sed debiliores. *b* Corrigitur cordialibus. Dosis eadem.

a Lapis lazuli.) *Est usitatior, & illius extracti sumitur à ℈j. ad gr. xxv.*

b Corrigitur cordialibus.) *Hoc nihil facit ad rhombum.*

§. 33. *Helleborus niger* pueris, gravidisque, ac debilibus corporibus non facile dandus; & quidem *a* tutius datur in decocto, quam in substantia. *b* Corrigitur cordialibus, & stomachicis. *c* Datur in substantia à ℈j ad ℈ij. imo drach. j. in Infusione, vel decocto datur à drach. ij. ad ℥ß.

a Helleborus niger. Tutius datur in decocto, quam in substantia.) *Cl. Vir decocta purgantia non amat, sed dantur corpora, ubi alvus continuo est constipata ab acido austero, & tunc addit quidem decoctis* ℔iv. *hellebori nigri* ℥ß. *ut lenta & nova introducatur fermentatio, ut alvus semel de die officium faciat: alias purgantia non sunt quotidie exhibenda, ne alvus his assuescat.*

b Corrigitur cordialibus, & stomachicis.) *Hoc nihil est dicere, nam stomachica admodum diversa sunt, uno tempore erunt acida, altera vero salina, & sic porro.*

Nec sal, nec acidum culinare, corrosivum est, neque fixum, ut sunt succus ex immaturis uvis, succus limonum, & *similia.*

c Datur in substantia.) *Cl. Vir putat helleborum nigrum, & ejus extractum per se non esse exhibendum, sed sequenti modo exhiberi potest.*

℞. Extract. lapid. lazuli gr. xv.
Hellebori nigri gr. vj.
Mercurii dulcis gr. vj. *aut* viij.
M. Fiant pilulæ.

Hydra-

Hydragoga, & aquosos humores evacuantia.

§. 34. *Ireos radicis succus* calidus & siccus in tertio, aperit, *a* tenuem bilem & aquam educit, sed gravidis, quia menses aperit, minus tutus. *b* Corrigitur pauco vino, & cinnamomo, additurque manna, vel mel rosaceum, vel decoctum uvarum passarum. *c* Datur ab ℥ß. ad ℥jß. vel ℥ij.

a Ireos succus tenuem bilem educit.) *Et infra vult, ut addatur* mel rosarum, & manna, *quæ dulcia bilem augerent, melius est decoctum, quod addit, uvar. passular. Corinthiacarum.*

b Corrigitur, &c.) *Correctione opus non est, modo dosis sit exigua.*

c Datur ab ℥ß. ad ℥jß. vel ℥ij. rad. ireos in decocto.) *Sc. ad* ℔iv.

§. 35. a *Gratiola* per alvum, & vomitum purgat, sed corpus non parum turbat. Corrigitur cinnamomo, sem. anisi, glycirrhyza. Datur in substantia ad drach. j. In decocto ab ℥ß. ad ℥j.

a Gratiola.) *Vehementissima est, & corrosiva, quam corrosivis adhuc vult corrigere, quod pessimum esset: Melius autem corrigitur acidiusculis, ut succo limonum, & similibus: sed non facile utendum est.*

§. 36. *a Elaterium*, seu succus cucumeris asinini, aquam & bilem ex visceribus exhaurit, *b* hydropicorum aquam feliciter educit. Verum vomitum etiam movet, viscera abradit, ora venarum aperit, *c* &, nisi cautè exhibeatur, nocet. *d* Corrigitur tragacantha, psyllio, bdellio, *e* cinnamomo. In dosi non facile ultra grana sex adscendere licet.

a Elaterium.) *Quæ hic de elaterio dicuntur sunt communia omnibus fortioribus hydragogis, in elaterio sal est corrosivum, quod ipsam viscerum substantiam abradit.*

b Hydropicorum aquam feliciter educit.) *Non debemus falli in eo, quod hydropis curationem putemus consistere in evacuatione aquæ, nam aquam educentia sunt salina, quæ consolidare vulnuscula vasorum lymphaticorum non possunt, ad quod maxime attēdendum.*

Duo igitur observanda sunt in hydropis curatione, tollere sc. obstructiones, & consolidare vasa lymphatica.

Quo citius depromimus aquam, eo celerius moriuntur hydropici, & ideo Cl. Vir putat aquam pedetentim esse evacuandam.

Objicitur, quod quidam curantur per paracenthesin, ubi subito evacuantur aqua.

Respondetur, hoc admodum difficile esse, & rarum, & quando hoc fit, tunc necessario debuit in sanguine esse lenis viscositas, unde consolidatio vasorum lymphaticorum.

c Et, nisi cautè exhibeantur, nocet.) *Fiat illa cautela per extractionem.*

d Colligitur tragacantha, psyllio, bdellio.) *Quia viscositate sua vim corrosivam salis impediunc, sed quid opus est talibus, quæ corrigi debent, sumantur potius mitiora.*

e Cinnamomum.) *Non est correctorium, nam suo sale malum augeret, nempe salem corrosivum augeret: Acidiuscula potius corrigunt illa.*

§. 37. a *Esulæ* radicis cortex, & succus validissimè purgat & rodit. Ideoque corrigitur bdellio, tragacantha, mucilagine psyllii, cinnamomo, spica. *b* Dosis corticis à gr. vj. ad gr. xv. lactis vero à gr. iij. ad gr. viij.

a Esu-

a Esula.) *Belg.* esels melk, *de hac esula idem dicendum, quod de elaterio, & corrigi non potest* cinnamomo & spica.

b Dosis corticis, &c.) *Fiat inde potius extractum. Rulandus habet extractum esulae, quod exhibet ad* ℈ij. *sed hoc aliquid compositum debet esse, nam alias ad gr.* viij. *tantum praescribitur. Raro per se, sed cum aliis sumitur.*

§. 38. a *Mezereum*, cujus vis est ignea, acerrima, exulcerans, mordens, *b* febres accendens, cordis, principumque partium vires exsolvens, validissime *c* bilem, biliosasque serositates purgat. *d* Corrigitur aceto, succo mali Punici aut cydonii, portulacae, mucilagine sem. psylli. Dosis in substantia à gr. vj. ad gr. x. In decocto à drach. sem. ad drach j.

a Mezereum.) *Ori ingestum aqua non est deluendum sed aliquo acido, quod salem corrosivum infringit.*

b Febres.) *Nempe propter inflammationem febrem excitat.*

c Bilem.) *Nempe acrem materiam salinam.*

d Corrigitur aceto.) *Acidiusculis bene corrigitur.*

§. 39. a *Ebulus & sambucus* semine & cortice mediano & succo radicis ac foliorum aquas educunt, *b* corriguntur cinnamomo. *c* Dosis baccar. ebuli ʒj. cortic. ʒij. succi ab ℥ß. ad ʒvj.

a Ebulus & sambucus.) *Haec tutius possumus usurpare.*

b Corriguntur.) *Non habent multa correctione opus.*

c Dosis corticum.) *Potius inde fiat extractum cum spiritu vini.*

§. 40. a *Soldanella*; ad aquas educendas optimum remedium, sed stomacho inimica est. Corrigitur cinnamomo & zingibere. *b* Dosis à ʒj. ad ʒij. succi ℥ß.

a Soldanella.) *Alias atriplex salsum vocatur, & parum potest, nam inter edulia ponitur.*

b Dosis à ʒj. ad ℥ß.) *Edulia sine pondere assumuntur.*

§. 41. a *Gummi guttae* bilem & aquas educit, & saepe etiam vomitum movet, quod prohibetur additione spiritus salis vel macere. Dosis à gr. v. ad ix.

a Gummi guttae.) *Praestat ejus magisterium ad* gr. iij. *vel* iv. *si dubium velis medicamentum:*

℞. Gummi guttae gr. iv.

Si vis purgans

℞. Ejusdem gr. ij. cum aliis sc. purgantibus.

§. 42. a *Radix gialapa* potenter & aliqua cum violentia serosos humores, ut & atros purgat. Datur à ℈j. ad ℈ij.

a Radix gialapae potenter, &c.) *Quando sumitur in substantia non est violenta.*

Ejus extractum praestat, & praescribitur sequenti methodo.

℞. Extract. agarici gr. xv.
gialapae gr. iij. *vel* iv.
M. F. Pilulae.

Etsi

Etsi autem hæc singula singulos humores evacuant: tamen ex iis quædam sunt, quæ & alios humores secundario purgant. Bilem cum pituita evacuant rhabarbarum, aloë, cassia, agaricus, scammonium: Pituitam & atram bilem myrobalani chebulæ, lapis Armenus, lapis Lazuli: Bilem, pituitam & melancholiam sena, epithymus, polypodium, helleborus niger. Recentiores & alia medicamenta veteribus ignota in usum traxerunt è *Tartaro*, *Mercurio & Antimonio* parata.

CAPUT XII.

De Vomitoriis.

§. I.

SEcundo inter evacuantia sunt *a* *Vomitoria*, quæ proxime quidem ventriculum evacuant: tamen si fortiora sint, vicina viscera, *b* imo venas majores exhauriunt. *c* Faciunt id pleraque peculiari proprietate ob quam sursum inclinationem habent, Nonnulla tamen etiam manifesta de causa, quod scilicet vel ventriculo quasi innatant, *d* eumque gravant, vel laxant orificium superius ventriculi, qualia sunt omnia *e* pinguia & oleaginosa. Sunt autem alia lenia, alia mediocria, alia fortiora.

a Vomitoria ventriculum quidem evacuant, sed fortiora vicina viscera exhauriunt.) *Vomitoria primo cavitatem ventriculi, postea poros membranarum ventriculi, & alia viscera ob magnam quassationem, & concussionem totius corporis, unde obstructiones tolluntur, & ita circulatio restituitur.*

b Venas majores exhauriunt.) *Nempe obstructiones tollunt.*

c Faciunt id pleraque peculiari proprietate, ob quam sursum inclinationem habent.) *Inclinatio hæc imaginaria est, fit impulsio violenta potius sursum quam deorsum.*

d Eumque gravant.) *Gravatio ventriculi potest facere ejus convulsionem, nempe vomitum, ut & nimis potus, qui fluctuans in ventriculo nauseam parit.*

e Pinguia & oleosa.) *Non semper illa, nec in omnibus vomitum cient, in oleosis & pinguibus etiam sal est, quod docet eorum amaritudo postquam illa friximus, & præterea particulas habent hamosas & ramosas, quæ poros membranarum ventriculi intrant: ibique hærent & obstructiones faciunt, ut & in tubulis, quibus impeditur circulatio humorum, & si illis humoribus adest acredo, vellicantur nervi, unde vehementior spirituum animalium influxus, qui facit vomitum: acredo, quæ oleosis inest, suum quoque tribuit huic rei, inordinatus influxus spirituum animalium in ventriculi fibras facit convulsionem ventriculi, fastidium sæpe causa est vomitus.*

Acria facilius vomitum cient, quam pinguia.

§. 2. Lenia sunt; *a* *Aqua s. vel hordei tepida, præcipue cum pauxillo mellis & salis affatim ad cyathum unum hausta, oleum commune tepidum ad ℥iiij. vel ℥vj.* b *Hydromel largiter sumtum,* c *hydrelæum, ad ℥x. ficus recentes comestæ & aqua tepida superhausta.*

a Aqua tepida.) *In omnibus non movet vomitum, sed constitutio corporis & œconomiæ est consideranda, in plurimis est vomitum, forte solvet visco-*

scosam materiam, quæ in ventriculo, ejusque membranis hæret.

b Hydromel largiter sumtum.) *Quidam nunquam voment ab hydromelite, inter quos est ipse Cl. Vir.*

c Hydrelæum.) *Quia est oleosum.*

§. 3. *a* Mediocria sunt: *Anethi sem. & flores, ut & sem. atriplicis, raphani. Datur à ℈ij. ad ʒß. Radix asari & atriplicis. Datur in substantia ad ℈iv. betonic. cortex medius juglandis ad ʒj. in infusione ad ʒß. Juli nucum jugland in furno exsiccati ad ʒß. ad ʒj. succus raphani ad ℥ij. summit. recentes sambuci.*

a Mediocria sunt.) *Hæc omnia omnibus non sunt vomitoria.*

§. 4 Fortiora: *a Radices cataputiæ, cyclaminis ad ℈j. in infusione à ʒj. ad ʒij.* b *Radices ellebori albi in infusione à ʒß. ad ʒj. additis cardiacis, ebuli flores, cortices, radix; genistæ flores, semen à ʒij. ad ʒß. sem. cataputiæ decorticatæ* Num. x. *Aqua vomitiva è nuc. jugland. virid. & rad. raphani ana part. ij. aceti part. iij. destillata, exhibita ad ℥ij. vel ℥iij.* Chymicis in usu sunt, *vitrioli,* c *vitrum Antimonii & flores,* d *crocus Metallorum & ex eo parata aqua vomitoria Rulandi, Mercurius vitæ, &c.*

a Rad. cataputiæ & cyclaminis.) *Sunt violenta.*

b Rad. hellebori albi.) *Est fortissimum vomitorium.*

Proceditur optime chymicis medicamentis.

c Vitrum antimonii.) *Potest sufficere in substantia ad gr. iv.*

Melius tamen in infusione est cum vino Hispanico, vel alio ad gr. vi. vel viij.

Notandum etiam quod ejus substantia non minuitur, neque pondus, sed de his in collegio theoretico, ubi agitur de natura hominis, actum est.

Fortia illa vomitoria non solum habent salem sed etiam corrosivum.

Præstat vomitoria exhibere sine cardiacis, & post vomitum cardiaca melius exhibetur.

d Crocus metallorum.) *Est violentius vomitorium, sed quod opus est tam multis, modo habeamus, fol. asari, vitrum antimonii, mercurium vitæ, tartarum emeticum, qui sumitur à gr. iv. ad viij.*

CAPUT XIII.

De Urinam Cientibus.

§. 1.

D*Iuretica* seu urinam cientia medicamenta alia sunt proprie ita dicta, quæ scilicet *a* facile ad venas penetrant, atque in *b* iis humores fundunt, *c* incidunt, crassumque à tenui separant: idque ut præstare possint, tenuissimæ substantiæ & calida ad tertiam esse oportet. Hujus generis sunt, *Radices apii, fæniculi, petrosel. rusci, asparagi, valerian. pimpin. spicanardi, asar. absynth. eupator. urtica, betonic. chamæpyt. chærefol. ruta, scordium, sem. anisi, fænic. seselios, chæref. milii solis, saxifragiæ, baccæ junip. amygd. amaræ, nuclei Persic. & ex iis cum malvat. aqua destill. cinnam. cubeb. cardam. cassiæ lignea,* d *spiritus salis, & ex Tartaro medicamenta.*

a Facile ad renes penetrant.) *Nempe satis conveniunt poris, & figuris partium.*

b In iis humores fundunt.) *Nempe præcipitant serum à sanguine.*

c Incidunt.) *Quia diuretica multo sali sunt donata, ideo incidunt sanguinem, nempe volatiliorem reddunt, porosque vasorum aperiunt.*

Duo genera sunt diureticorum, unum est quod aperit poros vasorum sale suo volatili; alterum est, quod præcipitat serum à sanguine.

d Spiritus salis, & ex Tartaro medicamenta.) *Illa habent proprietatem, quod serum à sanguine præcipitet.*

§. 2. *a* Alia minus proprie dicta, quorum alia sunt *calida*, sed tertium gradum non attingunt, ut *b terebinthina* c *ciceres*, *aneth. capill. Veneris* d *rad. apii recentes*: alia etiam *humida*, quæ vias urinæ leniunt, ut *e glycyrrhiza*, *althæa*, f *semen malvæ*, g *ficus*, h alia *frigida*, quæ vim moderate abstergendi, attenuandi & refrigerandi habent; qualia sunt *i peponis*, *cucurbitæ*, *cucumeris caro & semen* K *hordeum*, *fraga*, *serum lactis*, *succus citri*, *limonum*: *l* alia præterquam, quod tenuium sint partium, multam aquosam humiditatem suppeditant, *ut* m *vinum album tenue*, n *sem. melonum*, *cucurbitæ*, *cucumeris*, o *aquæ thermales*.

a Alia minus propriè, &c.) *Quidnam in his omnibus est, quod non penetrant renum poros, & quod etiam non fuit in aliis.*

b Terebinthina.) *In terebinthina esse salem, docet ejus lotio.*

c Cineres.) *Eorum sapor, nec non sapor juris eorum, docet adesse salem.*

d Rad. apii recentes.) *Quia exsiccatione abeunt sales volatiles.*

e Glycyrrhyza, althæa.) *Multas partes molles habet.*

f Semen malvæ.) *Leniens est.*

g Ficus.) *Habet particulas molles, & salem.*

h Alia frigida.) *Refrigeratio non potest referre ad diuresin, neque attenuatio fieri potest refrigerantibus.*

i Caro & semen peponis, cucurbitæ, cucumeris, succus limonum, & citri.) *Hæc præcipitant serum à sanguine.*

k Hordeum.) *Non est recensivum.*

l Alia multam aquosam humiditatem suppeditant, ut vinum tenue album.) *Plus humiditas aufert, quam adfert, quia multum salis inest, quo poros aperiunt, & non solum exeat vini humiditas, sed etiam illa, quæ est in sanguine, & inde post ebrietatem ortam à nimio vino solemus sitire.*

m Sem. melonum, cucurbitæ, cucumeris.) *Sunt tantum serum præcipitantia à sanguine.*

n Aqua thermalis.) *Quare non aqua tepida, vel infusio herbæ thée.*

CAPUT XIV.

De Sudorem provocantibus.

§. I.

a Ἱδρωτικά, *Sudorifera*, majore adhuc partium tenuitate prædita sunt, quam diuretica, calida, & ipsa, & propterea in penitiores corporis partes penetrant, & humores incidunt, attenuant, rarefaciunt, in halitum convertunt, & quicquid obvium est, secum deferant, *b* & in summa corporis impellunt. *c* Aut si quæ inter ea frigida sunt, *d* vel etiam adstringentia, occulta qualitate, qua venenis resistunt, *e* malignos humores ad ambitum corporis pellunt.

a Sudorifera majore adhuc partium tenuitate predita sunt, quam diuretica.) *Hic videmus affinitatem inter diuretica, & sudorifera.*

b In summa corporis impellunt.) *Nempe in extima.*

Quæstio *gravis est inter Medicos, cur purgans, & sudoriferum non sint eadem, cum ambo fermentationem sanguinis augeant.*

Respondetur primo, *sudorifera nostro sanguini sunt consueta, & solita:* Secundo *transmittunt materiam ætheream, convenientem ætheri nostri sanguinis, unde motus rectilineus quidem augetur: in purgatione vero motus intestinus, & ita potest intelligi, quod & in sudoriferis, & purgantibus, motus sanguinis augetur; in purgantibus motus intestinus augetur, quia nostro sanguini sunt insueta, quod docet Author, & ex chymicis insipida sunt, & per consequens insueta, & ideo etiam materiam æthereram insuetam transmittunt.*

Sudoriferi vis potest etiam esse in præcipitando serum à sanguine, quæ præcipitatio fit ope ætheris diversi.

Quæritur *quoque, quomodo sudor sæpe emanat, postquam à labore destitimus.*

Respondetur, *cum laboramus, pori sunt nimis aperti, ut vapores exeant sub forma vaporis, & ita sudor non apparet, quamvis illud sufficiat, cum vero à labore quiescemus, tunc pori ab externo frigore coarctuntur quodammodo, ita ut vapores non possint omnes tam cito avolare, quam accedunt, & tunc mutantur in humores, & ita se res quoque habet in febribus, quod scilicet in declinatione sudor demum apparet. Author supra dixit, quod sudorifera sunt tenuiora. Sed hoc non est generale, nam quamvis ipsa sudorifera non sunt volatilia, ut omnes sales lixiviosi ex herbis, fixi in igne sunt, nam sal particulis terrestribus ita figitur & unitur, ut arte chymica volatilizari non possit, sed inde tamen non sequitur, quod non posset volatilizari à fermento ventriculi, videmus enim illud multa separare posse, quod ars chymica non potest, & in separatione salis à terra, volatilitas ejus consistit, nam ille sal per se satis est volatilis.*

Æther fluens per poros sudoriferos, potest etiam sanguinem volatiliorem reddere, nempe motum ejus augere, & mixturam sanguinis restituere.

c Aut si quæ inter ea frigida sunt.) *Frigida sudores movere non possunt, nam frigida sunt tantum respective ad nostrum sanguinem, nempe frigida sunt, quę motum minorem habent quam noster sanguis, & ita motus sanguinis ab illis minuetur, quod contrarium est sudoribus.*

Acetum *tamen, quod est frigidum in quibusdam hominibus sudorem movet, quod fit vel ab æthere poros aceti transfluente, & conveniente cum æthere sanguinis istius hominis, non vero aliorum; vel quia in sanguine istius hominis est multum salis alcalici, quocum pugnat acetum.*

d Vel etiam adstringentia, &c.) *Debent esse lenissima, & in casu ubi pori laxiores sunt, & nimis hiantes, ut omnia sub forma vaporis exeant, & nihil sub forma humoris, & tunc additur quidem parum* terræ sigillatæ, *aut* rad. tormentillæ, *ut inde fiat levis constrictio, aut coarctatio quædam pororum, per quos poros tunc illi vapores obviam jam arctatam sub forma humoris exeant; necesse enim præterea quia nimia volatilitas est in sanguine, addunt parum* laudani opiati, *quo impetus sanguinis minuitur, & ita videmus* occultam qualitatem explicatam.

e Malignos humores pellunt ad ambitum corporis.) *Omnes humores modo sunt satis tenues.*

§. 2. Sunt autem talia: *carduus benedictus, capill. veneris, radices fœniculi, apii, petroselini, bardanæ, pimpinellæ, angelicæ, tormentillæ, zedoariæ, chinæ,* flores

flores chamæmeli, salsa parilla, lignum guajacum, sassafras, terra sigillata, cornu cervi, rob sambuci, bezoarticum minerale sine & cum sale, antimonium fixum, seu diaphoreticum, & sulpgur veneris fixum, mercurius præcipitatus diaphoreticus. Ad sudores ciendos etiam utilia sunt *Balnea Laconia, aqua dulcis, fomenta, lagenæ, & tegulæ calentes, frictiones*, a *inunctiones*, & similia.

a Inunctiones, & similia.) *Non ita potenter possunt elicere sudores, & etiã magna differentia est inter sudores excitatos ab externis applicatis medicamentis, & intro assumptis: nam externa, ut etiam stragula elicere quidem possunt sudores ex tubulis ad extima corporis tendentibus, sed nunquam tamen tollent obstructiones ex tubulis, & vasis, per quas redeunt humores ad sanguinem, ut sudorifera intro exhibita faciunt, & etiam mixturam sanguinis restituunt.*

Sæpe ægri culpant Medicos, cum à sudoriferis exhibitis non sudant, quod alias sponte satis faciebant, in eo Medicus est laudandus, & medicamentum vituperandum, quia Medici scopus non tam erat sudores ad extima corporis ferre, quam quidem obstructiones tollere, ut humores, quia alias sua sponte ad extima corporis ibant (obstructionibus ablatis) ad sanguinem redirent per vasa lymphatica.

Objiciatur. *Quomodo igitur homines sani sudare possunt, ubi obstructiones paucæ sunt.*

Respondetur. *Quod in sanis præcipitatio seri à sanguine, sive vapores (propter vehementem motum) tam multi sunt, ut tam cito per tubulos, & vasa lymphatica ad sanguinem redire non possunt, quam quidem per poros arteriarum ejiciuntur, & tunc quâ datâ viâ ruant, necesse est, & ita sudores, per tubulos ad superficiem corporis euntes, ejiciuntur. In arthritide prodesse possunt externè applicata sudorifera.*

Præterea observandum est, quod sudorifera non sunt exhibenda illis (sc. in initio) in quibus peccat intemperies crassa, viscosa, terrestris, sed aliquando post aliquas hebdomadas imo menses, ut interim purgantibus, & decoctis incidentibus, & attenuantibus, illa crassities evacuetur, & incidatur, & postea satis incisa per sudores expellatur, qui in initio morbi obstructiones redderet pertinaciores, ægrumque pejorem, unde Medici culparentur, quod hoc fecissent lucri gratiam, cum e contrario fit ob œconomiam animalem ab illis ignotam. Itaque Medici culpant medicamentum, cum sit quidem optimum, sed non suo tempore exhibitum.

CAPUT XV.

De Diaphoreticis, & flatus discutientibus:

§. 1.

Διαφορητικὰ Græcis, Latinus *a discutientia, & resolventia sunt*, & per insensibiles corporis meatus, & ἄδηλον διαπνοὴν materiam educunt. *b* Talia omnia calida, & sicca sunt, vimque obtinent humores in vaporem convertendi, porosque cutis aperiendi, & dilatandi. Talia sunt: *chamæmelum, melilotus, aneth. fœnumgræcum, ruta, majoran. sem. lini, lupini, galban. pix sicca, styrax, sulphur, sagapenum*, & similia, quæ jam enumerabuntur.

a Diaphoretica, seu discutientia.) *Et sudorifera sunt ejusdem naturæ, sed illa mitiora, hæc vero fortiora, unde aliquando largius sumuntur diaphoretica loco sudoriferorum.*

b Talia omnia calida, & sicca sunt.)

Supra in §. 1. cap. de sudoriferis *dixit ea esse frigida, & illa sunt fortiora his.*

Ex catalogo rursus patet, hæc omnia esse sale volatili donata.

§. 2. *a* Hisce cognata sunt; *Flatus discutientia* dicta, quæ tam intus in corpore, quam in ejus ambitu versantes flatus assumere, ac discutere valent. Qualia sunt, præter jam enumerata, *b centaurium minus*, quod egregiè confert ad flatus circa hypochondria discutiendos; *semen anisi, folia lauri, pulegium, sem. fœniculi, carvi, cumini, ammeos, dauci, petroselini, agni casti, anethi, baccæ juniperi, baccæ lauri, galanga, caryophylli, macis, cortices aurantiorum, castoreum.*

a Hisce cognata sunt, flatus discutientia dicta.) *Quod verissimum est, nam non dantur flatus absque obstructionibus, quæ si originem habent à crassa, viscida, & terrestri materia, optime calidis, (nempe salinis) tolluntur, ut quoque facit, cum acidum pituitæ est admixtum, si vero sal adest, quod indicat dolor pungens, fieri potest acidis volatilibus curatio, vel emollientibus, quæ acidum etiam salem simul infringunt, nempe particulas involvunt.*

Qui dolores nos docent præter distensionem aliquid aliud adhuc adesse.

b Centaurium minus.) *Egregium est sudoriferum: omnia, quæ in catalogo Authoris recensentur, prosunt in casu acido & viscoso.*

CAPUT XVI.

De Moventibus menses, secundinam, & fœtum mortuum expellentibus.

§. 1.

a Menses moventia, vel sunt impropriè dicta, quæ scilicet vel *b* facultatem expultricem roborant, vel ad sanguinis generationem faciunt, *c* vel etiam crassitiem, & viscitatem ejus attenuant; vel propriè ita dicta, *d* quæ obstructiones in utero aperiunt, *e* sanguinemque ad uterum deducunt: Id quod præstant validius aperientia, & abstergentia, & non planè tenuis substantiæ, ne propter tenuitatem substantiæ mox dissipentur. Et propterea in hunc usum commodissime adhibentur, *f* quæ amaritudinem aliquam obtinent acrimoniæ admixtam. Qualia sunt; *salvia, pulegium, dictamnus, majorana, ruta, calamintha, origanum, betonica, spica, asarum, artemisia, chamædrys, absinthium, chamæpitys, radices rubiæ tinctur. aristol. fœniculi, petroselini, ireos, eryngii, levistici, pimpinellæ, crocus, flores cheiri, ciceres, baccæ juniperi, lauri, flores chamæm. cinnam. myrrha*, g *borras nativus.*

a Menses moventia vel sunt impropriè dicta, vel propriè.) *Nempe fiunt causa remotâ, vel proxima.*

b Facultatem expultricem roborant.) *Hoc chymæra est, & nihil explicat.*

c Vel etiam crassitiem, & viscositatem ejus attenuant.) *Hæc non ad causam remotam, sed quidem ad proximam pertinent.*

d Quæ obstructiones in utero aperiunt.) *Nempe in vasis capillaribus uterinis, aut in tubulis musculorum, & membranarum uteri.*

e Sanguinem ad uterum deducunt.) *Rursus chimæra est, & quoque contra circulationem sanguinis.*

f Quæ amaritudinem aliquam obtinent acrimoniæ admixtam.) *Amaritudo species est salis, & omnis sal habet acri-*

acrimoniam, non opus igitur est, ut Author dicat acrimoniæ admixtam esse, quia amaritudo non datur sine acrimonia.

Omnia, quæ in catalogo Authoris recensentur linguam feriunt, & sale sunt donata, ita ut dum dicuntur menses moventia, alium accipiunt quidam nomen, sed retinent eandem vim cum supra allegatis, quoniam cum illis salem acrem in se habent.

g Borras nativus.) *Et etiam factivus.*

Ad menses movendum sufficiunt illa, quæ sanguinem bonum augent, & quæ spiritus copiosiores reddunt, &c.

§. 2. Ex his *a* fortiora secundinas quoque relictas pellunt, & fœtum mortuum ejiciunt, quæ ob id ἐκβόλια, ut & φθόρια, quod fœtum abigant, nominantur: Qualia sunt, *assa fœtida*, *castoreum*, *myrrha*. Et quæ extra variis modis adhibentur, ut *opopanax*, *galbanum*, *ammon. sulphur*, *ungulæ asini suffitus*, c *colocynthis*, *ruta*, *cuminus sylvestris*, d *fel vaccinum*

a Inter fortiora.) *Etiam sunt* Borax, sabina, & oleum sabinæ.

b Et quæ extra, &c.) *Quæ extra adhibentur parum possunt.*

c Colocynthis.) *Sit tinctura, & extractum ejus.*

d Fel vaccinum.) *Et omnes species fellis.*

Videmus rursus hæc omnia esse salina.

Fumigationes acceptæ per infundibulum in vulvam multum possunt.

CAPUT XVII.

De frangentibus calculum.

§. 1.

a CUm vulgata doctrina de generatione calculorum suspecta sit, ut supra *lib. 2. p. 2. c. 9.* dictum, etiam vulgata, quæ huic innititur, sententia, de vi calculos dissolvendi suspecta est, & proinde hic merito *b* ad proprietatem totius substantiæ confugimus, quæ tamen etiam non incommode à vi salina deducitur.

a Cum vulgata doctrina de generatione calculum suspecta sit.) *Author hoc optime dicit.*

b Ad proprietatem totius substantiæ.) *Hoc nihil est dicere, quoniam omnia semper agunt totâ suâ substantiâ.*

Chymia nos docet, in calculo esse magnam partem salis, imo fere media pars calculi, & etiam multum terræ, quod ita mirum videri non potest, quia urina multum salis & terræ in se habet. Hoc verum esse, docet ejus lenis evaporatio, & postea ei effunditur aqua, quacum filtratur, & ita in filtro semper manebit terra aliqua, quamvis hoc repetas septies vel octies, inde videmus aquæ & salis arctam inhæsionem.

Tractu temporis calculum gigni posse, verum est, sed etiam parvo temporis spatio.

Ut enim in fluvio ex arenulis silices majores fiunt, tractu temporis viscosa aliqua materia mediante, ita sabulum ipsis annectitur ope sc. istius materiæ.

Inveniuntur lapides in glandula pineali, & quomodo sabulum lege circulationis ibi venire potest, sane difficile est conceptu: nos potius putamus in corpore illius hominis esse spiritum quendam garganium, qui res lapidificas reddit, de quo videat nob. Boyle *in tractatu de gemmis.*

Quid

Quid mirum est, spiritum illum garganium posse materiam salinam & viscosam in lapidem mutare. Talem dari spiritum, docent nos guttae aquae, existentes in meditullio crystalli, quod signum est, illa in momento fuisse genita.

Praeterea mercurius vivus figitur à solo spiritu saturni sequenti modo, indatur saturnus crucibulo, & liquefiat, postea deponatur, & quodammodo refrigeretur, adeo ut vapores aliqui quamquam invisibiles adhuc exhalent, & super imponatur, aut suspendatur mercurius vivus in nodulo ligatus, mox mercurius ille, antea fluidus, redditur solidus, quod paucis adhuc cognitum est.

§. 2. Sunt autem *a* medicamenta calculum frangentia, *hedera terrestris, betonica, parietaria, radices ononidis, diureticae quinque, radices raphani, saxifragiae, lappae, amygdalae amarae, nuclei cerasorum, malorum Armeniacorum, ossicula mespilorum, milium solis, cicer, cinnamomum, cubebae, lapides cancrorum, sanguis hircinus, lapis judaicus, spongiae, lyncis, lignum nephriticum.*

a Medicamenta calculum frangentia.) *Sunt tam multa, ut eorum numerus sit fere infinitus, nam alii experti sunt illud prodesse, alii vero aliud quid, & ita inter catalogum numerantur, non considerantes hominis naturam: unde proverbium natum est,* d'een helpt de salf, en d'ander de bus.

Inter antinephritica optime numerantur emollientia, quae vias laxiores reddunt, & leniunt sua viscositate, ut sunt Olea amygd. dulc. recent., terebinth., gummi tragacantha, arabici, &c.

CAPUT XVIII.

De Errhinis, sternutatoriis & Apophlegmatismis.

§. I.

E*Rrhina* pituitam non è ventriculis cerebri, *a* sed circa meninges haerentem, in nares proliciunt. Praestant autem id caliditate ac nitrosa, extergendi & acri facultate, qua praedita sunt. Talia autem fiunt *ex majorana, ruta, anagallide, brassica, beta, radice ireos, nigella, pulegio, origan. marrubio, cyclamino, cucumere agresti, chelidonio, gentiana, succo pulsatillae.*

a Sed circa meninges haerentem.) *Mucus per nares excretus, non venit ex intimis cerebri, sed potius deveniunt ex vasis proximis arteriis seu vasis lymphaticis, & in os spongiosum prope radicem narium depositum, de quo* Schneiderus *de osse cribri forma.*

Plurimae herbae in catalogo numeratae sunt acres, aliae vero nitrosae, quae suo sale nitroso pungunt, ut quoque acres faciunt.

§. 2. Πταρμικὰ seu *a sternutatoria* sunt, quae acrimonia sua cerebri facultatem expultricem irritant, quae lacessita medicamentum depellere cupiens simul excrementa, quae circa meninges cerebri, & in ipso haerent, elidit. Talia sunt errhina quaedam subtilius pulverisata, ac praeterea *piper album, zingib. elleborus albus, pyrethrum, castor. caryophylli, ptarmica,* b *euphorbium.*

a Sternutatoria.) *Non merentur distingui ab errhinis, quoniam gradu tantum differunt. sternutatoria sunt fortiora, adeoque plus salis aut saltem acrioris habentia.*

b Euphorbium.) *Vehementissimum est; & ideo ejus vix admittitur intus.*

Nicotiana inter illa potest numerare.

§. 3. *a* Ἀποφλεγματίζοντα tandem sunt, quæ seu masticata, seu gargarizata, seu palato illita *b* è cerebro excrementa in palatum & os detrahunt, idque *c* vel tota substantia, vel calore & acrimonia, qua excrementa fundunt & liquant, facultatemque cerebri expultricem ad expellendum stimulant. Talia fiunt è *mastice, uvis passis, hyssopo, origano, majorana, pyrethro, castoreo, cubebis, corticibus radicum capparum, zingibere, nigella, pipere albo, nigro, sinapi, turbith, staphide agria.*

a Apophlegmatismi.) *Sunt ejusdem generis, nisi quod unum plus salis habet altero: omnia quæ ab Authore recitantur in catalogo sunt acria, sed postrema acerrima.*

b E cerebro.) *Est fictitium.*

c Vel tota substantia.) *Et hoc est fictitium.*

CAPUT XIX.

De *a* *Sputum moventibus.*

§. 1.

QUæ ad humores in thorace & pulmone contentos evacuandos faciunt, incidentia atque attenuantia, & quodammodo acria sint, oportet, ut quæ crassa sunt, tenuent, & quæ visciditate adhærent, extergeant, ne tenuioribus partibus resolutis, crassæ relinquantur, atque expuitioni ineptæ reddantur; neque etiam nimis acria, ne tussim nimis irritent. Fiunt autem talia *ex hyssopo, capilli veneris, scabiosa, prassio, ungula caballina, radicibus helenii, aristolochiæ, angel. iridis, ari, scillæ,* b *glycyrrhiza, uvis passis, jujubis, sebesten,* c *amygdalis,* d *ficubus, pistaciis, semine bombacis,* e *nasturtii, erysimi, seseleos, urticæ, spermate ceti.*

a Sputum moventia.) *Sunt serum à sanguine præcipitantia, unde major copia lymphæ per vasa lymphatica, & per consequens etiam vasa salivalia major copia salivæ, hæc iterum sunt, quæ acredine sua, sed moderata, vim penetrandi exercent, omnia dulcia habent aliquem salem.*

b Glycyrrhiza.) *Habet præter saporem dulcem, etiam pungentem.*

c Amygdalæ.) *Sc. amaræ, nam oleum involvit particulas acres, quæ illud efficere debent.*

d Ficus.) *Parum possunt.*

e Nasturtium.) *Hoc efficiet.*

Priora sunt, quæ agunt sale volatili, & humores fluidos reddunt.

Posteriora quæ præcipitantt serum à sanguine.

Mercurius dulcis cum non bene est præparatus, nempe cum non est satis dulcis, egregie sputum movet.

CAPUT XX.

De Necantibus atque expellentibus vermes.

§. 1.

TAndem ad hanc classem non incommode referri possunt ea, quæ vermes necant, sive *a* amaritudine, sive peculiari atque *b* occulta vi id efficiant. Qualia sunt: *centaur. minus, absynth.* c *corallinæ, menthæ, nasturt. folia persici, rutæ,* d *portul. acetosæ, dentis leonis, sem. Cynæ vel* e *Santonici, vulgo sanctum dictum, caulium, porri, atripl. plantag. lupini, radic. gramin. filic. gentianæ, helenii, amygdal. amar. nucl. persicor. aloë,* f *syrupus granat. citri, cornu cervi præparatum, terra Lemnia, myrrha,* sive intus assumantur, g sive foris ambilico applicentur.

a Amaritudine.) *Amara plurimis homidibus sunt ingrata, multa magis ingrata erunt vermibus, tanquam animalculis debilioribus: ut amara omnia nostræ linguæ sunt ingrata, ita & vermibus, qui fugientes amaritudinem illam ad intestina crassa descendunt, & ita facilius ejiciuntur.*

Diximus supra omnia amara salem multum in se habere, & ita necantur acrimoniâ salis.

b Occulta vi.) *Quemadmodum homines necantur veneno, quod non fit vi valde occulta, multo minus occultâ erunt vermes necantia.*

Mercurius dulcis si non valde dulcis est, qui horrenda excitat in nostro corpore symptomata: tumor inde oritur faciei, rubor, egregia salivatio, quod fit ob corrosivum salem, quod illi tunc adhuc inest, si in nostro corpore robustiore hoc facit, quid non efficiet in vermibus? Quæ in catalogo Authoris recensentur, sunt aut scabra aut multo sale donata.

c Corallina.) *Agit ratione scabritiei.*

d Portulaca, acetosa, dens leonis.) *Hæc parum poterunt.*

e Sem. Santonici.) *Est quod vulgo adhibetur.*

f Syrupus granat. citri.) *Parum poterunt.*

Mercurius dulcis optimus ad necandos vermes pueris exhibetur sub forma trochiscorum factorum ex saccharo, & aliis; quibus induntur pauca grana mercurii dulcis: quod fit, ne in ore hæreret, & salivationem faceret.

Nota, quod post assumptionem mercurialium, os sæpius est eluendus, ne salivatio sequatur, aliquando lac dulce injicietur per clysteres, ut vermes descendant ad inferiora, & lac pro alimento suo sumant, utque interim ejiciantur.

g Sive foris umbilico applicentur.) *Quæ foris applicantur, debent esse fortiora, & raro hoc fit, nisi in junioribus, & qui sumere non possunt per os.*

Tunc faciunt linimentum ex unguento de arthanita cum felle tauri vel olio absynthii.

Unguentum de arthanita purgat nonnihil, sal quod est in oleo, vel felle acrimoniâ suâ necat vermes.

Pinguia & oleosa vermibus valde sunt inimica, ejus rei exemplum habet Cl. Vir. in fœmina, quæ conquerebatur de dolore ventris ingenti, & cui præscripsit sequens medicamentum.

℞. Salis absynthii gr. xv.
Al. nucistæ tantundem,
Laud. opiati gr. ij. *M.*

Et ejecit vermium magnam materiam, sic sal, si obstructiones fuissent à pituita & sale corrosivo, illas tolleret, & vermes quoque incideret: si vis à solo sale corrosivo, particulæ oleosæ & laud. obtunderent vim corrodentem.

CA-

CAPUT XXI.

De Alexipharmacis.

§. 1.

IN ultimam medicamentorum classem rejecimus ea, quæ venenis resistunt, atque ἀλεξιτήρια, & ἀλεξιφάρμακα nominantur. *a* Hæc autem omnia, si rem accuratè æstimemus, tota substantia, ut loquuntur, seu *b* occulta proprietate id, quod præstant, efficiunt. Sunt autem Alexipharmaca duplicia, alia generalia & communia, *c* quæ omnibus venenis adversantur, & cor ac spiritus vitales roborant, & reficiunt, ne venenum facile admittant: alia specialia, quæ peculiari veneni generi opponuntur.

a Hæc autem omnia tota substantia, &c.) *Diximus tam supra omnia agere tota substantia.*

b Seu occulta qualitate, &c. venenis resistunt.) *Venenum duplex est, aut est corrosivum, aut mixturam sanguinis destruit.*

Si corrosiva agnoscunt pro alexipharmacis pinguia & oleosa, & præsertim ex illis vomitoria, ut corrosiva, quæ adhuc in ventriculo hærent, evomantur, & quæ ad intestina delata ab oleosis, & pinguibus involvantur.

Si mixturam sanguinis destruunt, restituitur sudoriferis potentioribus.

Cum vero æther nostri sanguinis labascit, non restituuntur facile (quamvis exhibueris potentissima sudorifera, qualia sunt omnes radices Authoribus dictæ pestilentiales) sed moriuntur.

c Quæ omnia venenis adversantur.) *Ex supra dictis patet esse duo genera venenorum valdè diversa, & an dentur alexipharmaca generalia mihi dubium est.*

§. 2. Communia Alexipharmaca sunt: *a Angelica, carduus benedictus, valeriana, dictamnus, scabiosa, morsus diaboli, vincetoxicum, pimpinella,* b *tormentilla, ruta, scordium, acetosa, absynth. plantago, calendula,* c *veronica,* d *scorzonera, zedoaria, gentiana, baccæ junip. poma citria,* e *lapis bezoar,* f *unicornu, cornu cervi,* g *bolus Armenus,* h *terra sigillata.*

a Angelica, carduus benedictus, valeriana, dictamnus.) *Sunt verè talia.*

b Tormentilla.) *Nonnihil restringit poros.*

c Veronica.) *Non potest numerari inter illa.*

d Scorzonera, zedoaria, gentiana.) *Rectè inter illa numerantur.*

e Lapis bezoar.) *Pro ditioribus, qui solvere possunt; nam nihil poterit, si non exhibeatur ad gr. xx. aut xxx.*

f Unicornu.) *Quod multum potest, est verissimum, sed an cornu cervi minis, multi dubitant.*

g Bolus Armenus.) *Potest inter illa numerare, si supervenit fluxus alvi, qui ut plurimum est lethalis.*

h Terra sigillata.) *Præter levem adstrictionem aliud quid habet, quod indicat ejus odor, qui nos docet illi adesse aliquid minerale.*

§. 3. Quæ vero singulis venenis adversantur *a* Alexipharmaca, pluribus tradidit Dioscor. *lib. 6.*

a Alexipharmaca, pluribus tradidit Dioscor. *lib. 6.*) *Opera medica Joelis possunt nobis esse utilia, & proficua, & optime ille scripsit de Alexipharmacis.*

CAPUT XXII.

De Modo investigandi vires medicamentorum.

§. I.

IN cognitionem autem facultatum horum medicamentorum pervenimus *Ratione*, & *Experientia*, & quidem præcipue *Experientia*. Nonnullorum enim medicamentorum, *a* ut tota substantia agentium, vires solum *Experientia* deprehenduntur; & quamvis *Ratio* quid persuadere videatur: tamen nisi experientia consentiat rejiciendum. Equidem non planè rejicienda indicia; quæ ab externis & passionibus rerum, à loco, & aëre, *b* à coloribus, ab odoribus, & signaturis petuntur: in multis tamen fallunt, nisi experientia conjungatur. *c* Imo experientia sæpe sola sufficit. *d* Quæ enim clarè sub sensus nostros cadunt, nihil dubium relinquunt. Si tamen id, *e* quod experientia inventum est, ratione comprobari potest, id longe certissimum est. Verum ubi ratio adversari videtur experientiæ, potius experientiæ adhærendum.

a Ut tota substantia agentium.) *Omnia medicamenta agunt tota substantia, quod jam supra sæpius dictum est.*

b A coloribns.) *Judicia à coloribus erunt valdè incerta, ab odoribus vero plus poterunt.*

c Imo experientia sępe sola sufficit.) *Cum videlicet casus valdè simplex est.*

d Quæ enim sub sensus nostros cadunt, nihil dubium relinquunt) *Hoc falsum est, nam sensus fallunt.*

e Quod experientia inventum esse ratione comprobari potest.) *Hoc verissimum est.*

§. 2. *a* Experientia tamen non temeraria, vel ex uno petita esse debet, sed plures observationes, & quidem cautè, colligendæ sunt. Id quod fiet, si agens medicamentum, & corpus patiens, seu subjectum diligenter perpendantur.

a Experientia, &c.) *Optimè dicuntur omnia in hoc articulo, sed ad illa observanda opus est aliis principiis.*

§. 3. *a* In medicamento, præcipuè è plantis petito, spectanda sunt *substantia, quantitas, qualitas, ætas, tempus collectionis, locus natalis, & similia*, atque inprimis videndum, ne qualitate aliena, atque adscitia infectum sit, sed vires suas solas, & quidem integras, habeat.

a In medicamento, &c.) *Quæ hoc paragrapho dicuntur etiam clara sunt.*

§. 4. *a* Subjectum est corpus humanum, & medicamenta omnia dicuntur talia non absolutè, vel aliorum respectu, sed respectu corporis humani. Unde de qualitatibus primis in homine temperato experientia fieri debet, de aliis plerisque in ægris, & quidem morbo simplici laborantibus non composito, ne experientia turbetur. Neque satis est, in uno corpore atque semel experientiam fieri, sed in multis similibus in temperamento, ætate, sexu, corporisque structura, observationem fieri decet. Considerandum etiam hoc, an medicamentum aliquod primò & per se, an vero per accidens aliquid efficiat.

a Subjectum, &c.) *Omnia, quæ hoc articulo dicuntur aurea sunt.* *Observandum est, quod medicamentum nimis bonum sit, cum sc. è latibulis*

lis

lis nostri corporis nimis multa extruditur, quae ad sanguinem veniunt, & ita aeger videtur multo pejor, quamvis è contrario bonum sit signum quia materia hic maximè auscultat. Malum etiam signum est, quia tam multa sunt in nostro corpore, quae evacuari debent.

Hippocrates in Aphorismo suo primo Sectionis primae optimè dicit, quod experientia sit fallax, & periculosa, & judicium difficile, & tenue.

Ad Caput XVIII. Turbith *purgantia aliquando externè applicantur, ut fermentationem ibi excitent, & ita obstructiones ibi tollunt.*

CATALOGUS,

Seu Divisio Medicamentorum, pro Titulo ad Caput tertium.

Medicamenta *temperata* sunt, quæ neque motum, neque humidum sanguinis, & consequenter humorum, spirituumque augent minuuntve. Cap. 3. §. 1.

Medicamenta *intemperata* id faciunt secundum varios gradus, non tantum respectu sanguinis, sed etiam (Capite quarto) singularum viscerum. Cap 3. §. 1.

Humida, Cap. 3. §. 13.) Nihil humidum est præter aquam, & quò compositum plus, aut minus aquæ continuerit pro ratione molis suæ, eò magis, minusve humidum dicitur.

Idque *Humidum* bilem, acidumque, seu omnia acria diluendo, dicitur eodem modo temperare, vel absorbere; cunctisque terrestribus, id est, crassis & viscosis pro vehiculo inservit, ut facilius excernantur, & eo respectu fluida temperantia Cap. 4. §. 3. 9. 11. 13. 15. 17. 19. 21. & præparantia Cap. 5. §. 2. nominari possunt.

Omnia reliqua præter aquam sunt *sicca*. sive particulas habuerint juxta se quiescentes, uti *solida*, sive motas, vel rependo juxta se invicem, ut *olea*, & *spiritus dephlegmati* per artem, aut naturam: aliæ moventur volitando, ut *exhalationes* quælibet, eæque contra distingui solent vaporibus humidis.

Objectio, atqui in hisce omnibus siccis non videntur gradus esse posse, quos tamen ponunt Authores, nam omnia revera non æque distant ab humido.

Responsio, duplici tamen nomine *sicca* patiuntur suos gradus, nam *primo* illa composita dicuntur sicca, quæ minus Humidi, vel aquæ continent pro ratione suæ molis, quam sanguis noster.

Secundo etiam simplicia non humida habent suos siccitatis gradus in quantum plus minusve particulas humidas involvunt, absorbunt in poros suos, eas admittendo & servando, aut eas discutiendo, dum evehuntur per alia volatilia ad statum volatilitatis, ut innumerosæ avolent.

Divisio Medicamentorum. Cæterum medicamenta spectantur secundum particularum, *primo* magnitudinem, *secundo* figuram, *tertio* ramositatem, *quarto* flexilitatem, *quinto* rigiditatem, *sexto* cohæsionem.

1. *Ratione Magnitudinis*.

Medicamenta ratione magnitudinis sunt *Crassa*, aut *subtilia*.

CRASSA, quæ sæpe numero veniunt nomine *terrestrium* (omni alio attributo seclu-

secluso) sunt eædem, quæ *rigefacientia*, & *indurantia* Cap.6. §.2. *condensantia* §.4. *stipantia*, & *obstruentia* §.5. & quodammodo pro *adstringentibus* Cap.6.§.5. & Cap.13.§.2. haberi solita.

Dicuntur etiam *incrassantia* Cap. 6. §. 8. *repellentia* Cap. 8. §. 2. menses, & omnem hæmorrhagiam, & fluxum alvi *sistentia*.

Dicuntur etiam bilem pariter, & acidum *redundantia* & alterantia. C.5.§.3.

Ab aliis dicuntur acidum & salem *absorbentia*. Cap.5. §.3. 5. sicuti idem, sed alia ratione (diluendo scilicet) faciebant humida. Cap.4. §. 3. 9. &c. Huc refer *caseum recentem*, *legumina*, *asellos siccatos*, *panem non fermentatum*, &c.

SUBTILIA, sine acredine notabili, & corrosivâ, sunt *cephalica* Cap. 4. §. 2. *ophthalmica* §.5. *thoracica* §. 8. (tanquam viscositatem humorum, qui cerebro & thoraci obstructiones creant, quique etiam humores oculorum minus mobiles, tenaces, crassos, & minus diaphanos reddunt, attenuantia) eodem jure vocari possunt *cardiaca* §.10. *stomachica* §.12. *hepatica* §. 14. *splenica* §. 16. *lac* & *semen fœcundum generantia* Cap.9. §.6. 7. *diuretica* Cap.13. §.1. *mense* & *uterina moventia* Cap.16. §.1.

Hæc ipsa dicuntur quoque *pituitam*, *aquas* hydropicorum *crassas*. Cap.5.§ 4. *materias*, terrestres, *acidum fixum*, & *salem fixum*. Cap. 5. §. 5. aliaque minus fermentabilia (in hypochondriacis, melancholicis, scorbuticis, hydropicis, aliisque chronicis affectibus) *præparantia*, seu *digerentia*.

2. *Ratione Figurarum*.

QUOAD FIGURAM, particulæ medicamentorum sunt, aut primò *scindentes*, quales sunt *acidæ*; aut secundò *pungentes*, quales sunt *salinæ*; aut terrio sunt *scabræ*, quales sunt *corallia*, *lapides pretiosa*, *limatura solis*, *martis*, & *lunæ*; aut quarto sunt *ramosæ*.

1. *De particulis scindentibus*.

PARTICULÆ SCINDENTES ergo suis figuris aut acutius, aut obtusius scindentibus, latere alterutro, aut utroque, superficie planâ, triangulari, aut polygonâ, una cum attributo flexibilitatis aliqualis, aut rigiditatis majoris constituunt varias acidorum species, ut *acida non corrosiva*, & *non austera*, aut *acida austera*, & *corrosiva*, utrumque variis cum gradibus.

ACIDA NON CORROSIVA, NEQUE AUSTERA placide incidunt, dividuntque viscosa, attenuant crassa, sicque ad fermentationem, & volatilitatem præparant, diversos sales fermentatione suâ obtundunt, sicque *pituitam*, *bilem*, & *melancholiam præparantia*, & *digerentia* dicuntur Cap.5.§.2. per consequens sunt *obstructiones* in quavis parte *tollentia* Cap.4.§. & quatenus fermentationes excitant, sunt *cardiaca*, Cap.4.§.10. *hepatica*, §.14. *rarefacientia*, Cap.6.§.6. *extergentia*, & *obstructiones aperientia*, §.10. sunt etiam *diuretica*, Cap.13.§.1. *calculum frangentia*, Cap.17.§.1. *stomachica*, Cap.4. §.12. & *vomitum compescentia*, *vermes necantia*, Cap.20.§.1. *alexipharmaca*, Cap.21.§.1. *dolorem* ex salsis humoribus *sedantia* Cap.7.§.1. *sudorifera* Cap.14.§.1. aliquando *alvum laxantia*, ut *acetosa*, *thamarindi* Cap.11. §.2. calorem nimium omnium partium corporis refrenant; imo etiam quædam frigefaciunt, ut *spiritus nitri*, qualia in morbis ardentibus sunt egregia *cardiaca* Cap.4. §.11. quia ibi compescunt salem immane ferocientem.

ACIDA AUSTERA sanguinem, & consequenter humores arteriosos coagulando, faciunt, ut humidum ab iis præcipitetur, & magnâ proportione segregetur, sunt *exsiccantia* Cap.3.§.15.16.17.18. & *refrigerantia* Cap 3.§ 9.10.11.12. in diversas partes Cap. 4. sectionibus diversis, ergo etiam sunt *indurantia* Cap. 6. §.2.

§.2. *condensantia* §.4. *adstringentia* §.5. *incrassantia* §. 8. *alvum, hæmorrhagias sistentia*, nec non *menses*, & quemvis *fluxum*: sunt etiam *stuporem* in sensu partium, nec non *obstructiones gignentia* Cap.6. §.5. vocantur etiam *repellentia* Cap.8. §. 2. solent partibus constare fere crassis, minusque adeo mobilibus, & hinc *frigida* simul solent esse.

ACIDA CORROSIVA denique sunt, & quidem secundum varios gradus, quemadmodum *cultri, ensis, cunei, securis*, sunt parum, aut multi *acuti*.

Hæc periculosam, aut lethalem inducunt sanguini coagulationem, mixturæque ejus turbationem, aut ne vix quidem superabilem, ideoque hæc intro assumpta, vocantur in sanguine *maligna*, suntque vera *venena primi generis*.

Sed etiam in partibus solidis *veneni* rationem habent, dum earum contextum fibrosum exedunt, *gangrænas, sphacelum*, & *cancros* gignentia: fibræ autem simulac exesæ sunt, in cincinnos resiliunt, ex quo inordinato eorum situ protinus *obstructiones*, & *circulatio* humorum *impedita*, sic à stagnantibus ibi particulis corrosivis, fibræ propinquæ usque & usque arroduntur, & fiunt cavitates ulcerosæ, imo quidem *vesiculæ, hydatides*, aut *carbunculi*, quales in peste: dein *ulcera*, quæ postea, malo ingravescente, evadunt *manantia ulcera*, & *cacoëthes*, & *ulcera serpentia*: nocent ergo omnibus partibus quam maxime: dein ubi dolores lancinantes & intollerabiles efficiunt, ita ab Authoribus vocantur *corrumpentia, vesicantia* C.10. §.2. *escarotica*, sive *crustam inducentia* §.3. *caustica*, seu *adurentia*, §.4.

2. *De Particulis pungentibus*.

PARTICULÆ PUNGENTES, seu SALINÆ hisce succedunt, extremitatibus acutius aut obtusius pungentibus, unde aut *simpliciter salinæ*, aut *corrosivæ* quoque appellantur.

SALINA non CORROSIVA illa sunt, quæ ex sale maris aut vulgaris terræ constant, & vocantur vulgo *muriaticæ*, quibus corpus nostrum ab ineunte ætate assuetum est, quo referendæ sunt omnes vegetabilium & animalium, alimentorumque sales citra eorum combustionem (vi enim ignis acredinem induunt magis minusve corrosivam) quibus etiam salibus à pueritiâ cum alimentis assuescemus.

Hæ rigidæ particulæ salis solent protinus aqueis involvi, si iis committuntur, & eo respectu vocantur *exsiccantia* Cap.3. §.15. & *indurantia* Cap.6. §.2. (quamvis Sennertus ibi male prætexat humiditatem) quatenus vero res mumiâ condiri & præservari solent, dicuntur *putredini resistentia*.

Sicut in sanguine malum creant, quoties crassiusculæ sunt, & motui intestino particularum sanguinis non prompte satis obsequi possunt, unde *melancholia, affectus hypochondriacus, scorbutus* oriuntur.

Sic ubi satis tenues fuerunt, & sanguinis fermentationes conservare, aut etiam augere, poros obstructos recludere, crassa & viscosa dividere, & nimiam aciditatem infringere, apta nata sunt, possunt dici *cephalica & memoriam roborantia* Cap.4. §.2. *ophthalmica* §.5. *aures calefacientia*, & *surditatem & tinnitum curantia* §.6. *thoracica* §.8. *cardiaca primi generis* §.10. *stomachica* §.12. *hepatica* §.14. *splenica* §.16. *diuretica* §.18. & Cap. 13. §. 1. uterina §.20. & Cap.16. *pituitam & melancholiam attenuantia* idest, *digerentia & præparantia* Cap.5. §.5. aperientia, attenuantia, incidentia Cap.6. §.7. *extergentia, obstructiones & tumores resolventia* §.10. *soporem discutientia, maturantia*, & pus generantia Cap.9. §.11. *vulneraria* §.4. *lactis & seminis proventum juvantia* §.6. 7. *diuretica* Cap.13. *diaphoretica* Cap.15. & gradu majori pollentia, quæ vulgo dicuntur *sudorifera* Cap.14. *flatus discutientia*. Cap. 15. §. 2. *menses moventia* Cap.16. §.1. *secundinæ & fœtus* mortui quam vivi *exclu-*

exclusionem promoventia §. 2. *calculum frangentia*, & *antinephritica* Cap. 17. *anticolica* à causa tam acidà quam crassâ & viscida, *errhina* Cap. 18. §. 1. *sternutatoria* §. 2. *apophlegmatismi*, §. 3. *sputum moventia* Cap. 19. §. 1. *anti-scorbutica*, *cardiaca primi generis*, *alexipharmaca*, *anti paralytica*, *ant-apoplextica* Cap. 21. etiam omnes partes corroborantia Cap. 4.

Huc refert *omnia aromatica* (exceptis paucis) quæ incipiunt transire ad sales leniter corrosivos articuli sequentis, & *fumigata*, aliaque, quorum sal in principio fuit culinaris, sed lapsu temporis occultâ & insensibili actione aëris, & ætheris eum assiduo transeuntis, abiit in majorem subtilitatem, ut *caseus antiquus* & similia, non omittenda *cœparum & alliorum* genera quævis, & *sinapi & indorum acia*, vocantur hæc calida in tertio gradu Cap. 3. §. 7. &, sed improprie *adstringentia calida* Cap. 8. §. 2. qui vehementer exsiccando, omnia reddunt minus fluida.

Salina Corrosiva. Si horum particularum extremitates sunt notabiliter adhuc acutiores, & particulas cohærentes firmiter, ab invicem divellant violenter, tunc *sales* sunt *corrosivi*, & in sanguine, partibusque solidis vocanda sunt *venena primi generis*, sæpe quoque mixturam utpote sanguinis omnino turbantia, & tantum non lethaliter destruentia, eâ ratione, quâ postmodum explicabitur, ubi de pororum æthere dicturi sumus.

Hæc ipsa pro acuminibus variis gradibus vocantur *rubefacientia* Cap. 10. §. 1. vesicantia §. 2. *crustam inducentia* §. 3. *caustica* §. 4. *exedentia & corrodentia* §. 5. *putrefacientia* §. 6. *psilothra* §. 7. *lac imminentia* §. 8. *semen extinguentia* §. 9. *vomitoria & violente purgantia* Cap. 12. articulo ultimo, & Cap. 11. *ut scammonium*, *asarum*, *euphorbium*, *colicinthides*, *helleborus albus*, *gratiola*, *elaterium*, *esula*, *mezerium*, *crustam inducentia* sive *escarotica*, quorum corrosio efficacior pertinens ad humores gummosos, vel resinosos partium intra regionem cutaneam illos sistit, erosis ibi fibrillis, adeoque tubulorum situ turbato, & circulatione interrupta, hinc dum pars humida avolat, reliqua gummosa vel resinosa (quales solet magna sui portione esse humor ad nutriendum circulans) condensata & exsiccata, representat crustas: *ferinam sive sylvestrem scabiem*, *psoram*, *lepram*, *elephantiasin* producentia, etiam *variolas*, *morbillosque*, *exathemata livida*, *purpurea*, *nigrescentia*, imo *carbunculos* sive *anthraces* producentia.

3. *De particulis scabris*.

Particulæ Scabræ porro ad *figuram* spectant, quæ non sentirentur tanquam *scabræ*, nisi essent crassiusculæ, adeoque motum in sanguine non nisi modicum servant, habentque eatenus omnes effectus particularum modicæ magnitudinis, sed præterea quatenus scabræ sint, lentâ ratione attenuat crassiora, divellunt viscosa, hinc speciatim valent contra *polypum cordis & vasorum*, etiam *lumbricorum genera* angulari suâ figurâ inordinata ferunt, & quandoque necant, uti eum in finem creber est usus corallinæ.

3. *Ratione Ramositatis*.

Particulæ Ramosæ quoque ad *figuram* attenent, quæ varios flexilitatis gradus, varium ramorum numerum, eorumque variam longitudinem, crassitiem & figuram teretem, aliamve inducendo, conficiunt varias pinguedinum species, hæc vulgo vocantur *emollientia* Cap. 6. §. 1. *laxantia* §. 3.

4. *Ratione Flexilitatis*.

Particulæ Flexiles, si flexilitas est sine ramositate, tunc sunt *emollientia*

tia citra pinguefactionem eodem Cap. 6. vocantur etiam *thoracica*, *bechica* Cap. 4. ſunt *maturantia & pus generantia* Cap. 9. §. 1. alvum lubricantia Cap. 11. *dolorem ſedantia* in quavis parte, præſertim capite, ventriculo, renibus, veſica, tanquam partibus acutioris ſenſus Cap. 4. & 7. & 13. articulo ultimo, vocantur etiam eorum quædam *humida* Cap. 3. §. 13. &c. utpote aquam conſtituentia.

De Particulis Mollibus.

MOLLIA ſunt quorum particulæ non pertinaciter in iiſdem ſemper punctis ſe invicem tangunt, ſed nonnullam tremorem & concuſſionem aliquam ferre poſſunt: interdum dicuntur etiam *alvum lubricantia* Cap. 11. *bechica* Cap. 4. quorum particulæ juxta ſe invicem ductiles ſunt, & tunc vocantur *glutinantia* Cap. 9. §. 3. emplaſtica Cap. 6. §. 9. *carnem generantia* Cap. 9. §. 2. ſed improprie, quandoquidem omnis caro ex chylo ſanguinis progigni debet, adeo ut hæc tantum tollant impedimenta, corroſivam videlicet vim humorum circulantium, & porro arceant injurias aëris.

5. *Ratione Rigiditatis.*

DURA è contrario ſunt, quorum particulæ pertinaciter ſuum, quem habent, ſitum ſervant, illaque impacta, *inhærentia* in tubulis & poris partium ſolidarum noſtri corporis, & illas ex mollibus *duras*, *carnes ſcyrrhoſas*, *glandulas ſpumoſas facientia*, veniunt nomine *indurantium* Cap 6. §. 2. ubi falſo iis datur attributum *humiditatis*, cujus effectus plane ſunt contrarii; appellantur etiam *cicatricem & callum gignentia* Cap. 9. §. 5. conſtant ut plurimum particulis craſſis, aliquando nempe viſcoſis, adeoque frigidis.

Huc refer *cortices*, *ligna*, *mineralia*, *metallica*, *lapides pretioſi*, *margaritæ*, *corallia*, quæque adeo non ſubito ſuos in ſanguine, partibuſque ſolidis producunt effectus, ſed die in corpore manentes, priuſquam exhalantur inſenſibiliter, & non niſi intercedentibus aliquot diebus, demum exſerunt ſenſibiles, imo magnos effectus, quique idcirco non tam quotidie animadverti poſſunt, quam comparando ſtatum ægri præſentem cum ſtatu ejuſdem aliquot diebus præterito, idque habent commune cum *cardiacis ſecundi generis* Cap. 4. §. 11. non ſubito, ſed conſtanter refocillantibus, præcipue ſi ipſis addatur calcar per aliud medicamentum additum, quod ſit ſpirituoſius & volatilius, quod ſuppleat id, quod ipſis deerat à natura, ratione pororum, quos mox videbimus *cardiacis ſecundi generis* ſpeciales eſſe.

6. *Ratione Cohæſionis.*

QUONIAM denique omnia olim corpora aliquando coaluere ex innumeris aliis indefinitum minoribus, non potuerunt illæ tam arcte coire, ut ſe omnibus omnino in punctis immediate contingerent, quippe non permiſerunt earum diverſa *magnitudo*, *figura* inordinata, & irregularis *coitio*, nec non materia mundi ſubtiliſſima fulminis pernicitate quaquaverſum mota, eâque de causâ nullibi exclusâ, quæque adeo nulla corpora hujus univerſi in tantam *duritiem* (exemplo ſit omnium duriſſimus adamas, luminis particulas nihilo minus tranſmittens) neque in tantam *denſitatem* coaleſcere paſſa eſt, quin continue præſens & continue poros ſibi inter jam jam cohæſuras particulas reſervaverit, exemplum dabit *denſiſſimum* auri corpus, quod non poſſet fundi, niſi poros haberet, eoſque ſatis magnos, quod particulæ ſatis craſſæ carbonum inflammatorum poſſent integro cum impetu ſubire.

Ita ſimiliter aër in pulmones noſtros reſpirando impulſus & cum ſanguine com-

communicatus, nec non quæ à nobis intro assumuntur porosa cum sint, & ex physica generali constet vacuum dari involvere contradictionem, consequenter per poros eorum assiduo fluere materiam aliquam mundi subtilissimam, *quasi talis aut circiter talis est, qualis per poros nostri sanguinis ab ineunte ætate consuevit fluere*, tunc non solet ea fermentationes sanguinis *alterare*, sed tantum eas mediocriter *augere*, si sunt debiliores ut solito, aut mediocriter *minuere*, si forte fermentationes aliunde fuerint debito vehementiores, celeriores, crebriores, utroque in casu ille sive aër sive assumpta, vocantur *cardiaca secundi generis* C. 4. §. 11.

Hæc assumpta, quò constantiores habuerunt poros, eò diutius continuabunt suum effectum, qui forsan *paucarum horarum* decursu nondum est valde sensibilis, sed demum illapsis *duobus tribusve diebus*, comparando statum ægri præsentem cum statu præterito.

Tales poros comperiuntur habere *argentum*, *aurum*, *corallia*, *margaritæ*, *lapides pretiosi*, unde crassus detegitur medicorum parum philosophantium error, ut *Swelferi* & aliorum putantium tam *dura & densa* nos confortare non posse, quippe quæ in substantia nostri corporis converti nequeunt.

Si vero materia mundi *subtilissima talis aut circiter talis non est*, *qualis ab ineunte ætate per poros nostri sanguinis consuevit fluere*, tunc solent ea, fermentationes sanguinis quam maxime alterare, idque *duplici modo*, aut est æther ille peregrinus & insolitus, *conflictum* instituens *notabilem* cum æthere, naturali, impedit & turbat ejus expeditum & solitum motum, sive transitum per poros & intervalla sanguinis particularum certo ordine digestarum, unde adeo & ipse ille ordo *sensim* aut *subito* turbetur (& mixtura particularum fiat inordinata, prout illa copiosa vel minus magisve recedens à magnitudine, & figurâ ætheris nostro sanguine amici, vel minus magisve pertinaciter suam magnitudinem & figuram servans) *paululum* aut *multum*, tuncque inducuntur *febriculæ* aut *febres*, eæque tandem *malignæ*, quas vocant, id est, quæ ordinariis antifebrilibus non solent expelli, sed præsentissimum vitæ inferunt periculum, quales sunt *petechiales & pestilentiales*, in quibus videlicet æther sanguinis naturalis incipit succumbere, unde mixtura sanguinis tam longe recedit à consueto particularum ordine, ut vix spes affulgeat illum peregrinum ætherem superandi, eum ex sanguine expellendi, & consequenter mixturam sanguinis restituendi; quemadmodum vix unquam priori perspicuitati restituitur *vinum*, & *cerevisia*, quæ æther fulminis pernicitate suâ transivit, quorumque mixtura particularum per influxum rectilineum aut spiralem ætheris cedere nescius, ita turbatur, ut ad *visum* fiant *opaca*, & quoad *saporem* longissime mutata.

Omnia igitur, quæ mediantibus suis poris talem in sanguinem inferunt ætherem, dicuntur *venena secundi generis*, quæ vulgo dicuntur *occultâ qualitate* aut *totâ substantiâ* agere.

Si nunc è contrario comperiantur quædam esse, quæ, mediantibus suis, poris, invehunt in sanguinem ætherem aliquem insolitum quidem, sed nihilominus talem, qui contrariatur effectibus ætheris illius venenati, modo adscripti, adeo ut fermentationes simul ab æthere nostro solito & hoc insolito *simul* incipiant invalescere, mixtura sanguinis restitui, & peregrinus ille, venenatusque hospes ex sanguine aut per *insensibiles transpirationes*, aut per *sudores*, aut per *bubones & anthraces* ad circumferentiam corporis expelli, tunc illa dicuntur *alexipharmaca*, quæ etiam dici *occultâ vi agere*. Vide Cap. 21.


Neque obstat venenum aliquid simul esse *& primi & secundi generis*, sic experientia quoque testatur, *mercurium* corrosivum in sanguinem calidum injectum, cum in ictu oculi, quasi in cœnum omninò convertere.

F I N I S.

IN-

INDEX CAPITUM, ET SECTIONUM.

3. Me-



INDEX
MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM,
In hoc Tractatu comprehensorum.

Simplicia petuntur è *Plantis*, *Animalibus*, & *Mineralibus*.

I. De Plantis: plantæ sumuntur vel integræ, vel earum partes, ut *Radices*, *Ligna*, *Medulla*, *Cortex*, *Folia*, & *Surculi*, *Flores*, *Semina*, *Fructus*, *Succi*, *Liquores*, *Olea*, accedit his *Gummi*, & *Resina*.

A.

D.

E.

F.

Malva,

M.

N.

O.

P.

Phu

Q.

R.

S.

De Succis condensatis, seu Gummi, & Resinis.

Lada-

II. De Animalibus; animalia quoque vel integra adhibentur, vel eorum partes, ut *Cornu*, *Ossa*, *Medulla*, Caro: vel quæ in iis generantur, ut *lac*, ova, vel eorum opera, ut *mel*, *cera*, vel excrementa, ut *fel*, *urina*.

III. De Mineralibus: sub mineralibus comprehenduntur non solum proprie dicta mineralia, verum etiam varia terrarum genera, ut *terra*, *aqua*, *lapides*, *metalla*, & *metallis finitima*, etiam salia & sulphura.

Marina.

INDEX MEDICAMENTORUM
Annotatorum de Mineralibus.

Cera-

2. *De Alterantibus secundarii.*

Sac-

3. *De purgantibus primariis.*

4. *De Purgantibus secundariis.*

3. *De Animalibus, & sunt*

4. *De Compositis, & sunt*

FINIS TOTIUS OPERIS.

(Ce